

LIBRARY
Toronto

ANTIQUITATES
ITALICÆ
MEDII ÆVI.
TOMUS QUINTUS.



ARNALDO FORNI EDITORE
BOLOGNA


The Institute of Mediaeval Studies
LIBRARY
Toronto

ANTIQUITATES ITALICÆ MEDII ÆVI,

SIVE

DISSERTATIONES

De Moribus, Ritibus, Religione, Regimine, Magiſtratibus, Legibus, Studiis Literarum, Artibus, Lingua, Militia, Nummis, Principibus, Libertate, Servitute, Fœderibus, aliiſque faciem & mores Italici Populi referentibus poſt declinationem Rom. Imp. ad Annum uſque MD.

OMNIA ILLUSTRANTUR, ET CONFIRMANTUR

INGENTI COPIA DIPLOMATUM ET CHARTARUM VETERUM

Nunc primùm ex Archivis Italiæ depromtarum,

ADDITIS ETIAM

NUMMIS, CHRONICIS, ALIISQUE MONUMENTIS

NUMQUAM ANTEA EDITIS.

AUCTORE

LUDOVICO ANTONIO MURATORIO

SERENISSIMI DUCIS MUTINÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTO.

PALATINIS MEDIOL. SOCIIS

EDITIONEM CURANTIBUS.

TOMUS QUINTUS.



MEDIOLANI, MDCCXLI

EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS PALATINÆ

IN REGIA CURIA.

SUPERIORUM FACULTATE.

SERENISSIMO PRINCIPI

ALBERTO,

POTENTISSIMI

POLONIAE REGIS,

ET

ELECTORIS SAXONICI

FILIO QUARTO-GENITO.

Nihil me impediet puerilis Tua aetas, Serenissime Princeps, quominus Tomum Quinctum Italicarum Antiquitatum, Tuo illustri Nomine ornatum, Celsitudini Tuae venerabundus offeram & sacrem. Quamvis enim literarum Latinarum expers assequi nondum possis, quae ad Tuam laudem spectant; ceteri tamen, quibus eadem Lingua perspecta est, atque hic Liber in manus veniet, probe intelligent, Te non incrementum annorum expectasse, ut laude dignus appareres. Certe indolem sortitus egregiam, animum praefers disciplinae patientem, & ad omnium Virtutum experimenta jam pronum, in primis vero in Sanctissimae Religionis officiis hilarem atque sollicitum. Rem notissimam memoro: Regis ac Reginae Parentum Tuorum Pietas ita in numerosam felicissimamque Prolem pervasit, ut vel tenerioris aetatis Filii omnis probitatis Magistri evaserint, & admirationi jam sit tanta in Divinis rebus Saxonicae Aulae Devotio. Hujusce benedictionis quàm particeps sit tua quoque Celsitudo, cunctis exploratum est. Ingestâ autem in

animos Principum, immo & ceterorum hominum, tam ſanctâ affectione, quid inde proditurum ſit, facile quiſque conjicit. Nimirum e Religionis fonte Virtutes reliquae effluere conſueverunt, quae Deo & Hominibus nos caros efficiunt. Grande hoc ornamentum, Coronam hanc Regalibus Diadematîs pretioſiorem, Tibi, Sereniſſime Princeps, prae omnibus a Deo datis gratulor, atque hanc ipſam a Te potiſſimum eximii Parentes Tui expoſcebant. Quod ſupereſt, ſingulare meum erga Te obſequium hujus Libri oblatione teſtari cupiens, ferventibus votis Deum deprecor, ut omnia Tibi fauſta ſuccedant. Utinam Tu quoque aliquando memineris, me inter Tuae ſplendidiſſimae Nobilitatis admiratores, & excelſi Nominis amatores, poſtremum non tenuiſſe locum.

CELSITUDINIS TUAE SERENISSIMAE

Mutinae XV. Kal. Jun. MDCCXLI.


Humillimus, Addictiſs. & Obſequentiſs. famulus
Ludovicus Antonius Muratorius.

ELENCHUS
TOMI QUINTI.

*

DE
CHRISTIANORUM
VENERATIONE
ERGA SANCTOS
POST DECLINATIONEM ROMANI IMPERII.


DISSERTATIO
QUINQUAGESIMAOCTAVA.



DE CHRISTIANORUM VENERATIONE ERGA SANCTOS

POST DECLINATIONEM ROMANI IMPERII.

DISSERTATIO QUINQUAGESIMAOCTAVA.



On est hujus loci ostendere, quanta antiquitate, & quàm solidis rationibus, & auctoritate ac Traditione Sanctorum Patrum, nitatur Christianus cultus erga Beatorum animas, quas nempe singularis virtus & morum sanctitas servata in terris, ad æternam felicitatem, beatamque Immortalitatem, in Cælis paratam, evexit. Ad Theologos hocce argumentum pertinet. Innumeri verò e Catholicis heic sese jamdiu exercuerunt; & apud nos exploratum est, nihil repugnare summo illi cultui & honori, quem supremo Rerum Domino Deo quæcumque creatura ratione prædita debet, venerationem quoque impendere Sanctis; neque enim illos putamus Deos, neque ut Deos, sed ut Dei Servos colimus; neque ab iis veluti rerum in cælo arbitris beneficia poscimus aut speramus; sed quidem ad eos, si lubet, confugimus, ut ab unico bonorum omnium largitore

A Deo per merita Christi ejus Filii nobis impetrent, quod nos tam facile ex nostris precibus sperare nequaquam auderemus. Itaque hoc unum ego persequar, videlicet edisseram, quei se gererent Italici Populi in Sanctorum veneratione rudibus iis Sæculis, de quibus est mihi sermo. Duo potissimùm Populos Christianam Religionem professos incitabant ad amorem Sanctorum, & ad eos sibi demerendos: scilicet primo beneficiorum tam spiritualium quàm temporalium per eos spes, tum mundanæ laudis, dicam etiam utilitatis cupiditas. Quod est ad primum, ubi persuasum Populo erat, Ecclesiâ quapiam probante atque testante, aliquem sive virum, sive feminam, sanctitatis gloriâ in terris excelluisse, receptumque in Cælis multa

B posse apud Deum: continuo fidelium affectus & fiducia erga illum excitabantur, & præcipue si multus Miraculorum & curationum rumor ejus Vitam illustrabat, aut obitum consequebatur. Proinde apud Deum patrocinio atque intercessioni istorum sensim commendabant sese homines viventes, prout fama virtutum ac prodigiorum increbrescebat. Sed quum prodigia ista, morborumque curationes plerumque non alibi fierent, quàm ad Sanctorum tumulos, aut ubi eorum sacra Lipsana adservata publico cultui exponebantur: hinc altera cupiditas emergebat habendi apud se aut plura, aut unum saltem e Sanctorum Corporibus; & quoties

id impetrari non poterat, eorum saltem Reliquiæ incredibili studio procurabantur. Summæ gloriæ sibi ducebat quælibet Civitas, quælibet Basilica, sive religiosum Collegium, exuviis tam pretiosis ac salutiferis potiri; eisque abundare, maximum felicitatis augmentum videbatur. Præcipue verò sibi plaudebant, & de se fortunam benemeritam arbitrabantur, quibus contingebat Sancti alicujus eximii ac percelebris Corpus & Sepulcrum apud se habere, eoque magis si Miraculorum gloriâ is excellebat. Undique enim devoti animi causâ, aut spe recuperandæ valetudinis, confluebant illuc Populi, & ex ipsis longinquis regionibus turmatim peregrini advolabant. Hinc Urbi tam fortunatæ, aut Monasterio, aut Basilicæ tantum pignus adservanti, gloria nominis augebatur, dona & oblationes uberrimè accedebant, aliique non tam privati quàm publici proventus multiplicabantur in dies. Contra sibi iratos pæne Superos, aut ingloriam, aut parum illustrem suam sedem reputabat is Populus, qui aut nullum protulisset egregium ex sanctitate hominem, & in patrio solo sepelisset, aut aliunde sacra illius ossa in sinum suum non advexisset. Ejusmodi erant majorum nostrorum opiniones, consilia, ac vota, a quibus nostra quoque tempora parum abesse deprehendimus, nisi quod olim in permultas anomalias, variosque excessus a solida pietate Christiana minime probatos, & infra mihi innuendos, hic ardor deflectebat, quibus Ecclesiasticæ tamdem leges, & prudentia posteriorum Sæculorum finem fecere, aut certe frenum imposuere, non sine laude Pontificum, ac universæ Catholicæ Ecclesiæ.

Itaque vel ipso Sæculo post Christum natum Quarto Ecclesiastica Historia nos docet, quanta celebritate Natales dies Sanctorum agerentur a Christiano Populo iis in locis, ubi sacra eorum Corpora condebantur. Ad piam illius diei renovationem interdum non tantùm universa Civitas commovebatur, sed & ipsa suburbanarum & conterminarum gentium agmina illuc certatim properabant. Quo autem latius Cælitis alicujus fama sonabat, eo major fiebat Populorum concursus. Notissima sunt, quæ Sanctus Paulinus in Natali Tertio, hoc est Anno Christi CCCXCVI. cecinit de festo Sancti Felicis Nolani, celeberrimi eo tempore Christi Confessoris & Martyris.

Stipatam multis unam juvat Urbibus Urbem
Cernere, totque uno compulsa examina voto.
Lucani coëunt Populi, coit Appula pubes,
Et Calabri &c.
Ipsaque cælestum sacris Procerum monumentis
Roma Petro Pauloque potens, rarescere gaudet
Hujus honore die, portæque ex ore Capenæ
Millia profundens ad amicæ mœnia Nolæ,
Dimittit duodena decem per millia denso
Agmine: confertis longe latet Appia turbis.

Tum alios enumerare Populos pergit Nolam confluentes, & in hæc verba desinit:

Una dies cunctos vocat, una & Nola receptat,
Totaque plena suis, spatiosaque limina cunctis;
Credas innumeris ut mœnia dilatari
Hospitibus: sic Nola assurgit imagine Romæ.

Ingentem quoque pii Populi concursum ad Sancti Hippolyti Martyris festum in agro Romano celebratum, testatus est circiter ea tempora Prudentius in Hymno de Sancto Hippolyto.

A Per totum verò annum, nedum Natali die, indefessa peregrinorum pietas ad visitanda Romæ sacra pignora Apostolorum sese conferebat. Ita & alibi per Italiam factum, ex quo Christianæ Fidei nomen dedere Romanorum Imperatores. Pium hunc ergo morem barbaris quoque subsequutis Sæculis religiosissime servatum quisque conjicere, vel me tacente potest. Multis ego insistere possem exemplis; sed juvat, unum e patria mea adferre, ut ostendam, quanto in honore olim foret Sancti Geminiani Mutinensis Episcopi sepulcrum. Ejus Vitam publici juris fecit Cl. V. Johannes Bollandus e Soc. Jesu. in Actis Sanctor. ad diem XXXI. Januarii. Ego verò Part. II. Tomi II. Rer. Ita-B licar. pag. 687. laciniam ejusdem Vitæ, nondum, ut putabam, editam producens, deprehendi illius Auctorem floruisse circiter Annum DCCCCXX. Accipe nunc, quid ille habeat de Sancto hoc viro Mutinensium patrono. *In loco ergo*, scribit is, *ubi Beatus Geminianus sepultus est, Corpus ejus quotidianis virtutibus, favente Christo veneratur & colitur, atque a fidelibus assidue frequentatur. Siquidem ab ejus mausoleo*

Liquor exundat olei:
Sanantur ibi languidi
A quocumque discrimine.

C *Vota præstantur congrua,*
Reorum cadunt vincula,
Effugantur Dæmonia,
Declarantur judicia.

Quibus postremis verbis indicantur *Judicia Dei* ad dignoscendos divinâ virtute innocentes & reos, de quibus ego Dissertationem XXXVIII. institui. Infra idem Auctor scribit: *Omni devotione ad ejus sepulcrum plebs urbana & rustica quotidianis miraculis oblectata, ardentissime confluebat. Interea revolvente anni orbitâ, die sancti ejus funeris anniversariâ, Infinita Populorum ad Ecclesiam convenit caterva* &c. Animadvertisti, e Sancti Geminiani tumulo D manasse *Oleum*, quo ægri delibuti valetudinem recipiebant. Idem contigisse olim ad aliorum complurium Sanctorum tum Orientis tum Occidentis, narrant eorum Historiæ apud Surium, Bollandianos, Ughellium &c. *Manna* quoque inde collectum, ac paris ad curandos ægros virtutis, eædem referunt Historiæ. Sæpe mecum recogitavi, cur plerique ex hisce sacris Tumulis temporibus nostris ab ejusmodi emanatione cessarint; id autem factum, vel quia debilitata sit pia populorum persuasio, quæ tot olim ex ipsis oleis, sive liquoribus miracula impetravit; vel quia nonnulla, quæ prodigii loco rudibus Sæculis habebantur, naturales effectus aëris, ac marmoris fuerint, si quis E contendat, quod lubet sentiat. Ego tempora nostra cautiora, nihilque præteritis pietate & fide concedere, immo & antecellere puto. Rasponus in Lib. I. de Basilica Lateranensi animadvertit, ex marmoreo sepulcro *Silvestri Secundi Papæ*, quamquam humido in loco nequaquam sito, manasse aquas guttatim vel ipso sereno cælo, non sine complurium admiratione. Inter Magos, uti stultum vulgus sensit, aut mentitus est Benno Cardinalis, Silvestrum ego non referam, qui antea Gerbertus; at certe ne inter Sanctos quidem computandum quisquam arbitrabitur. Exemplum domesticum par est mihi in marmorea tabula, quam paries internus Ecclesiæ Pomposianæ, cui servio, adservat.

ſervat. Attamen de Sepulcro Beatæ Beatricis II Eſtenſis apud Ferrarienſes, unde liquor manat certis tantummodo anni diebus, ea narrantur, quæ ſi vera ſunt, ſupranaturalem virtutem indicare videntur. Verùm ad alia progrediamur.

Quod Mutinenſi Civitati olim accidiſſe vidimus, *infinitâ Populorum catervâ* illuc confluente venerationis cauſsâ erga Sanctum Geminianum, id unaquæque alia, ut ſibi contingeret, optabat; atque ut hujuſmodi ſacrorum Corporum poſſeſſionem ſibi compararet, nihil intentatum relinquebat, illorum præcipue, ad quorum tumulos plura miracula Deus operaretur. Quare cum Reges ac Principes, tum Epiſcopi & Abbates ſoliciti ultra modum erant in exquirendis & impetrandis Cælitum Reliquiis; eoque ardentius eorum integris Corporibus, rati ſe incredibile decus conſequuturos, & ſuæ Patriæ aut Baſilicæ raram gloriam atque utilitatem collaturos, ſi Sanctorum, præſertim celebriorum, pignora illuc inferrent. Celebratiſſimum eſt, & cunctis notum, quod Liutprandus Langobardorum Rex circiter Annum Chriſti DCCXXII egit. Nimirum *quòd Sarraceni, depopulatâ Sardiniâ, etiam loca illa, ubi oſſa Auguſtini Epiſcopi* (celeberrimi Eccleſiæ Doctoris) *propter vaſtationem Barbarorum olim translata, & honorifice fuerant condita, fœdarent, miſit eo, & dato magno pretio accepit, & tranſtulit ea in Urbem Ticinenſem*. Hæc Paulus Warnefridi in Hiſtor. Langobardorum. Simili ratione Aiſtulphus eorumdem Langobardorum Rex, quum Anno DCCLIII. conditurus eſſet inſigne Monaſterium Nonantulanum in agro Mutinenſi, impetravit a Stephano II. Romano Pontifice *Corpus Sancti Silveſtri Papæ*, ibique colendum repoſuit. Vide Opuſculum de Fundatione ejuſdem Cœnobii Part. II Tom. I. Rer. Italicar. pag. 189. Regem hunc imitatus Ludovicus II. Imperator, quum Caſaurienſe Monaſterium in Aprutio a ſe conditum illuſtrare quantâ poſſet ſedulitate cuperet, ab Hadriano II. Romano Pontifice circiter Annum DCCCLXXII. & ipſe petiit *Corpus Sancti Clementis Papæ*, quod Romam Anno DCCCLXVI. e Taurica Cherſoneſo advectum fuerat; atque ab eo impetratum tranſtulit ad idem Cœnobium. Conſule Chronicon ejuſdem Monaſterii, Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. pag. 765. Sic eodem Sæculo Everardus Fori Julii Dux Ciſonienſe Monaſterium ædificaturus a Romana Sede impetravit *Corpus Sancti Calliſti Papæ*, ut auctor eſt Frodoardus Lib. IV. Cap. I. Hiſtor. Remen. Reliqua bene multa paris ſtudii exempla prætereo. Illud tantùm commemorare juvat, uſque ab ipſo Quarto Chriſtianæ Æræ Sæculo, quo Chriſti fidelibus tutò denique licuit Baſilicas & publica Templa ædificare, ibique nullo contradicente ſacris operari, cœpta ſunt Templa conſtrui, ac nomen habere a Sanctis Apoſtolis atque Martyribus, & reliquis deinde Sanctis. Qui mos perdurat, quum fere omnia Templa ab aliquo Sancto, aut a pluribus titulum nunc ſuum deſumant. Verùm ſumma in veneratione apud Catholicos ſemper fuere, ſemperque recolenda ſunt, verba Sancti Auguſtini Lib. 8. Cap. 27. de Civitate Dei, ſcribentis: *Nec tamen nos eiſdem Martyribus Templa, Sacerdotia, Sacra, & Sacrificia conſtituimus: quoniam non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt Deus*. Hoc ergo nobis ſtatuendum, Catholicorum Templa uni ſemper Deo dicata fuiſſe, atque dicari in memoriam & honorem Sanctorum. Certiſſimum eſt

A hoc, & Theologo cuique notum Eccleſiæ Catholicæ Dogma, cui nihil officit ignorantia interdum & inerudita vulgi credulitas, aut alicujus popularis Scriptoris male conſuta oratio. Præterea quum fere unaquæque Eccleſia, & pleraque Monaſteria unum quempiam e Sanctis in Patronum ſibi præcipuum olim adſciverint, accidit, ut in Epiſcopatus atque in Cœnobia ipſa pertranſiret, ibique ſtabilis deinde foret eadem appellatio. Ita ſub nomine *Epiſcopii Sancti Zenonis* Eccleſia Veronenſis; *Sancti Apollinaris* Ravennas; *Sancti Ambroſii* Mediolanenſis; *Sancti Geminiani* Mutinenſis &c. deſignabantur. Idem quoque erat, dona offerre *Beato Petro*, ac Baſilicæ Vaticanæ; *Sancto Benedicto*, ac Monaſterio Caſinenſi; *Sancto Silveſtro*, ac Monaſterio Nonantulano; *Sancto Vincentio*, ac Cœnobio Vulturnenſi &c. Quo

B tempore invaluerit ejuſmodi conſuetudo, non facile decernas. Vel ipſo Sæculo vulgaris Epochæ Sexto illius veſtigia quidem ſublucere videntur. Præſertim verò poſt Annum Æræ Chriſtianæ Milleſimum, & poſtquam in libertatem ſe vendicarunt pleræque Civitatum Italicarum, unaquæque Patrono ſuo tutelari quantos potuit honores enixiſſime procuravit. Hiſtorici Florentini memoriæ prodidere, quæ decreta fuerint a Republica Florentina, ut feſta dies Sancti Johannis Baptiſtæ, Patroni Urbis, magnificentius in poſterum celebraretur. Ravennates verò mirum eſt, quantâ magnificen-

C tiâ feſtum diem Sancti Apollinaris Epiſcopi & Martyris olim celebrarint. Præter alia Comprovinciales Epiſcopi eâ die convenire Ravennam jubebantur, niſi infirmitate aut aliâ Canonicâ excuſatione impedirentur. Atque ad id obſequii præſtandum Archiepiſcopo ſeſe obligabant, quo die ab ipſo Epiſcopalem conſecrationem recipiebant, uti Rubeus animadvertit ad Annum MCCLXIII. in Hiſtor. Ravenn. Equorum curſus ad bravium non minùs Florentiæ, quàm Ravennæ, ſolemni illâ die peragebatur. Præterea ne Mutinenſes quidem ſegniores fuere in ornando Feſto Sancti Geminiani Epiſcopi ac Patroni ſui. In Statutis MStis Reipublicæ

D Mutinenſis Anno MCCCXXVII confectis, & in ejus Archivo adſervatis, habetur Lib. 6. Rubric. primâ decretum illud: *De qualibet familia omnium habitantium a Serra de Legorzano inferius veniat unus ad Feſtum Sancti Geminiani in Vigilia, & apportet unum cereum in manibus, & ſtet in Civitate Mutinæ in ſequenti die uſque ad Tertiam. Et Poteſtas Mutinæ in Vigilia beati Geminiani poſt Nonam teneatur facere venire Communia Villarum & Locorum diſtrictus Mutinæ a Serra de Legorzano inferius, ſcilicet quodlibet Caſtrum & quamlibet Villam per ſe ſub ſuo Vexillo cum hominibus ſuæ Villæ vel Caſtri, ſecundùm quod placuerit Conſilio Generali. Et omnes homines*

E *Civitatis Mutinæ & Burgorum teneantur in dicta Vigilia Sancti Geminiani ire ad Feſtum cum reverentia & devotione cum cereis & dupleriis in propriis manibus, cum vicinis poſt Confanonum ſuæ Societatis. Et debeant omnes intrare per Rezam majorem de Leonibus* (ideſt *per Regiam*, quo nomine olim portæ majores Templorum donabantur. Adhuc autem apud Populum Mutinenſem ea appellatio perdurat) *in dictam Eccleſiam. Et omnes Confanoni vicinantium dimittantur in dicta Eccleſia uſque ad Octavam Sancti Geminiani*. Anno quoque MCCCVI. decretum fuerat, *Quod in Feſto Sancti Geminiani quodlibet Caput domus Civitatis Mutinæ & Burgorum teneatur venire ad offe-*

rendum unum Cereum ad dictum Festum, sub Vexillo suæ Societatis. Nundinæ quoque in Civitate habebantur tres dies ante & totidem post Festum. Ita Ferrarienses in Statutis MStis Anno MCCLXVIII. exaratis hæc statuerunt: *Omnis homo de Civitate Ferrariæ habens in valentia centum Libras Imperialium, & a centum supra, teneatur apportare vel apportari facere in Vigilia beati Georgii ad honorem Dei & beatæ Virginis Mariæ, & ipsius Martyris, unum Cereum ad Matutinum. Et omnes ordines Civitatis Ferrariæ, singuli per se, teneantur similiter de Communitate sua mittere ad Ecclesiam prædictam unum Cereum de duabus Libris ceræ.* Ex hisce oblationibus, quantum proficeret Ecclesia, omnes intelligunt.

A Explicari autem non potest, quantâ magnificentiâ, quantâque religiositate peragerentur olim Translationes sacrorum Corporum. Tunc enim finitimarum Urbium Populi & Episcopi effusissime in unum locum confluebant, certantibus cunctis, Sanctorum pretiosas exuvias cernere, venerari: quorum videlicet ope unusquisque a Deo aliquid se impetraturum sperabat. Surius, & Bollandistæ ex his plurima exempla ministrant. Ego quoque illustre exemplum protuli Tomo VI. Rer. Italicar. in Translatione Corporis Sancti Geminiani Mutinensium Patroni. Et hæc sane secundùm veræ pietatis normam. Accedo nunc ad alios eorum temporum mores, quos excusare fortasse possis, laudare difficile velis. Erant Urbes, erant Monasteria, quibus nihil obtigerat Reliquiarum insignium, ideft illud deerat, quod ea tempestate veluti ornamentum ac præsidium omnium pretiosissimum habebatur, summamque invidiam in eo carentibus quotidie commovebat. Quod ergo precibus impetrare non licebat, multi fraudibus, furto, nundinatione, vi, aliisque artibus sibi conquirendum duxere. Pium, Deoque probatum censebant quidquid in hanc rem molirentur, dum sui voti compotes fierent. Quincto ipso Ecclesiæ Sæculo non desunt informis hujus ardoris exempla, qui progrediente tempore in piam, si licet dicere, insaniam usque excrevit. Exploratissimum est, circiter Annum Christi DCLIII. Floriacenses Monachos e Gallia se ad Montem Casinum contulisse, atque inde revelatione confictâ furtim sustulisse sacra Corpora, sive ossa Sancti Benedicti, Monastici Ordinis in Occidente institutoris, & Sanctæ Scholasticæ ejus sororis, illaque in Gallias ad suum Cœnobium advexisse. Excusandum tamen facinus, quum Italici Monachi sacrum locum a Langobardis antea excisum negligerent, neque ex ruinis venerandas Patriarchæ sui exuvias efferrent. Equidem novi, recentiores Casinensium ad fabulas amandare hujusmodi Translationem. Sed uti animadvertebam Part. I. Tomi II. pag. 348. Rer. Italicar. stat contra ineluctabilis auctoritas & testimonium Pauli Diaconi, Casinensis Monachi, præter tot alia antiquitatis monumenta. Id ergo unum contendere fas est, sacra videlicet pignora Sancti Benedicti restituta demum fuisse Casinatibus: quam sententiam & ego validis rationibus niti ostendebam in loco supra memorato. Quod est ad potentes viros, Aistulphus Langobardorum Rex dum Romam gravi obsidione premeret Anno DCCLV. *multa Corpora Sanctorum, effodiens eorum cœmeteria, ad magnum animæ suæ detrimentum abstulit*, ut habet Anastasius in Vita Stephani II. seu III. Papæ. Non absimili ratione Sico Princeps Beneventanus armis & vi usus est ad suam Urbem ditandam Sanctorum lipsanis. Nam circiter Annum DCCCXXXII. Neapolim durâ obsidione cingens, ad pacta Cives adegit, & *Januarii Sancti Martyris Corpus de Basilica, ubi per longa temporum spatia requievit, elevans, cum magno tripudio Beneventum regreditur*. Hæc Anonymus Salernitanus Part. I. Tom. II. Rer. Italicar. pag. 290. Neque segnius ad hasce opes conquirendas exarsit Sichardus Princeps ejus filius: nam ipso Anonymo teste Cap 47. Paralipomen. Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. pag. 209. Neapolitanos & ipse afflixit, & Corpora *Sanctorum effodiens, eorum sacra mysteria abstulit*. Infra, Cap. 58. addit idem Scriptor de eodem Principe: *Factum est, ut Tyrrheni æquoris insulas, Ausoniæque universa loca idem* B *Princeps circuiret, ut Corpora Sanctorum, quotquot invenire posset, Beneventum cum debito honore deferret. Atque per idem tempus ex Insula Liparitana Bartholomæi beati Apostoli Corpus Beneventum cum magno gaudio deferri jussit*. Amalfitanis etiam eripuit Corpus Sanctæ Martyris Triphomenis, & Beneventum adduxit. Ita Civitas illa alienis spoliis gloriabatur, piumque arbitrata est triumphum, Templa finitimorum expilare, ut sua ditaret. Subsequenti Sæculo Henricus I. Auceps Germaniæ Rex non dispari cupiditate, & prope est ut dicam furore, agitatus est. Audiens enim, Lanceam e clavis Cruci Dominicæ olim affixis C confectam, dono datam fuisse Rodulfo Burgundionum Regi, *tam inæstimabile donum cæleste* præmiis propositis, ut sibi compararet, enixissime studuit. Recusante Rodulfo, *Rex Henricus, quia hunc mollire muneribus non potuit, minis terrere magnopere curavit. Omne quippe Regnum ejus cæde atque incendiis se depopulaturum esse promisit*. Tantam procellam minime exspectandam ratus Burgundio, Lanceam tradidit. Hæc narrat Liutprandus Ticinensis Lib. 4. Cap. 12. Histor. Tom. II. Rer. Italicarum. Ita Mediolanensi Urbe per Fridericum I. Imperatorem eversâ, inde in Germaniam aliquot Sanctorum Corpora a victoribus asportata fuere: non tamen Gervasii, & Pro- D tasii Martyrum, uti evicit Libro in hanc rem edito Cl. V. Joseph Antonius Saxius, Ambrosianæ Bibliothecæ Præfectus. Innumera congerere possem id genus exempla; sed me contineo.

Erat ergo ferreis illis Sæculis incredibilis sacrarum Reliquiarum aviditas; atque inde sæpe ac sæpius manabant furta illa atque rapinæ: sibique arridere fortunam putabat, quisquis aut bello eripere hosti, aut fraude surripere incautis sacra hujusmodi pignora poterat. Præ ceteris verò certare consueverunt Episcopi, ac potissimum Germaniæ, in quorum regionem invecta serius Christi Religio nullos dederat Martyres, ut quisque suam Patriam ac Tem- E pla ornarent pretiosis ejusmodi spoliis. Quam in rem auctoritate Principum, precibus, pecuniâ, violentiâ, ceterisque artibus utebantur. Celebrem eâ de caussâ se præbuit olim Theodericus Metensis Episcopus, ut reliquos omittam. Erat is Ottoni Magno Augusto arctâ affinitate conjunctus, utpote illius consobrinus, eique inter paucos carus, atque una cum illo *in Italica expeditione per triennium militavit*, uti Sigebertus ad Annum DCCCLXIX. scribit. Tantam fortunam suam desidem jacere minime ille est passus. Nam teste eodem Sigeberto, *Corpora & pignora multa Sanctorum de diversis Italiæ locis, Quocumque Modo Potuit* (quæ verba attente animadvertenda) *collegit*. *Primum*

mum e Marsia Sanctum Elpidium Confessorem, cujus socium Eutychium Episcopum ipse Imperator jam sustulerat. Ab Amiternis Eutychetem Martyrem &c. *A Sulginis* (Fulginis, sive Fulginio legendum) *Felicianum Episcopum & Martyrem. A Perusio Asclepiodotum Martyrem. A Spoleto Serenam Martyrem cum Gregorio Spoletano Martyre. A Corduno* (corrupta vox: num *Cerdonia?*) *pignora Vincentii Martyris & Levitæ, a Capua illuc deportata. A Mevania alterum Vincentium Episcopum & Martyrem. A Vicentia Leontium Episcopum & Martyrem. A Florentia Mineatem Martyrem. Ab Urbe Tudertina Fortunatum Episcopum & Confessorem. A Corfinio Luciam Syracusanam Virginem & Martyrem* (cujus Corpus aliæ Urbes sibi vendicant.) *A Sabinis partes Corporum Prothi & Hyacinthi Martyrum. Hæc omnia cum parte Catenæ Sancti Petri Apostoli* &c. *a Papa Johanne sibi donatâ, cum multis aliis Sanctorum pignoribus Præsul Theodericus in Galliam hoc Anno transtulit*. En quot Sanctorum ossa ex unâ Italiâ unus Episcopus, *quocumque modo potuit*, per triennium corrasit. Qui verò forent isti modi, hinc disce. Dum Romæ in comitiva Ottonis Magni versaretur, atque adesset, quum Caténa Sancti Petri a Johanne XIII. Papa ad familiarem Imperatoris, sese dentibus discerpentem, adhiberetur, *eam Catenam Theodericus Metensis Episcopus arripuit, dicens, nisi manu abscissâ se illam non dimissurum. Tamdem Imperator sedato litigio, a Papa Johanne obtinuit, ut annulum hujus Catenæ exsectum Episcopus mereretur*. Ita idem Sigebertus, & Annalista Saxo ab Eccardo editus: ex quo cetera metire. Proinde veteres consuevere, tempore præsertim ingruentis belli, & imminentibus hujusmodi piis prædonibus, Corpora Sanctorum, paucis conscìis, clam effodere, atque alibi occultare: quæ caussa deinde fuit, cur plura ex iis posteri ignorarint, & nunc certò indicare illa non liceat. De isto argumento plura extant in Opusculo meo, edito Tridenti Anno MDCCXXX., & a me elaborato antequam prodiret Decisio facta ab Episcopo Ticinensi, & confirmata a Benedicto XIII. Summo Pontifice, cum hoc titulo: *Motivi di credere tuttavia ascoso, e non iscoperto in Pavia l'Anno MDCXCV. il sacro Corpo di Santo Agostino, Dottore della Chiesa*. Alii quoque vim fraude eluserunt, suppositis fictis Sanctorum Corporibus, aut veris exhibitis, sed non iis, quæ tum quærebantur, ut aliquâ ratione a violentis hisce sacrorum tumulorum grassatoribus sese expedirent: quod potissimùm a Beneventanis peractum tradit Leo Marsicanus in Chronico Casinensi Lib. 2. Cap. 24. Petenti enim Ottoni III. Augusto Corpus Sancti Bartholomæi Apostoli, ii negare non audentes, *callide illi pro Corpore Apostoli, Corpus beati Paulini Nolani Episcopi, quod satis decenter apud Episcopium ipsius Civitatis erat reconditum, ostenderunt; & eo sublato recessit tali fraude deceptus*.

Et sane tanta sacrarum Reliquiarum adipiscendarum libido eò etiam declinavit, ut olim incertæ, immo & falsæ interdum offerrentur, atque a piis, sed parum cautis amatoribus sine ulla hæsitatione arriperentur. Quod præcipue pluribus ostendit Hugo Menardus in Notis ad Concordiam Regularum pag. 124. Neque decerant antiquis temporibus, & vel ipsius Sancti Augustini ævo, sycophantæ ac nebulones, qui adulterina Sanctorum pignora nimis credulæ genti amicitiæ ergo distribuebant, & quod

A gravius est, etiam divendebant, impium quæstum ex abominanda hujusmodi nundinatione sibi procurantes. Vide ad diem XX. Januarii in Act. Sanctor. Translationem Sancti Sebastiani Martyris Cap. XV. Exempla alia prostant apud Johannem Ferrandum e Soc. Jesu Lib. I. Cap. X. Articul. I. & II. Disquisition. Reliquiar. quæ delibare superfluum puto. Huic morbo medelam paravere non semel Summi Pontifices & Concilia: sed utinam penitus hujusmodi pestem averterint. Accedit, quod homines supra modum ad hosce thesauros captandos olim proclives, quidquid occurrebat, Reliquiarum speciem, & nomen Sancti alicujus præferens, continuo excipiebant, nil pensi ha-
B bentes, si aut errore ducerentur, aut ab aliis in re sibi grata deciperentur. Lege sis Chronicon Genuense Jacobi de Varagine Tom. IX. Rer. Italicar. atque Annales ejusdem Urbis a Georgio Stella conscriptos atque editos in Tom. XVII. earumdem Rer. Italicarum. *Vera Crux Christi*, ut ipsi ajunt, Anno MCLXXXV. a quodam Pisano furtim sublata, dum a Saladino ad Græcorum Imperatorem mitteretur, Genuam non sine prodigio delata est. Et ille quidem Pisanus *supradictam Crucem accipiens, & de illius virtute confidens, super mare, tamquam super terram solidam, ire cœpit*. Præterea *Crucem Sanctæ Helenæ* Genuensis quidam in Venetorum navi capta reperiens, Genuam
C felicissime detulit. *Ossa* quoque *Sancti Johannis Baptistæ* Genuam adducta fuere: de quibus tamen petendum semper superest, cur Caffarus, aliique præcedentes Historici Genuenses nullam mentionem fecerint. Ita Barenses Corpus *Sancti Nicolai Episcopi* celeberrimi apud se adservari gloriabantur, & adhuc gloriantur, illuc e Myra Civitate Lyciæ delatum. Contra Dandulo teste in Chronico Venet. circiter Annum MXCVI. Veneti ad eam ipsam Civitatem progressi, nonnullos ex Clericis fugientibus capiunt, & quæstioni subjiciunt, ut abdita Sanctorum Corpora indicent. Ii nonnulla revelant, aut se revelare fingunt. Interim ex Venetis nonnulli suspicione conceptâ, latere in quodam
D loco *Sancti Nicolai* Corpus, humum effodiunt, sepulcrum illius & ossa atque epigraphen, Græcis literis scriptam, reperiunt, testantem, illic ejusdem Sancti viri Corpus jacere. Quod arreptum Venetias summo cum gaudio deferunt. Uter ex his Populis aut illudi se passus fuerit, aut ista confinxerit, quis nunc mihi explicet? Idem dicendum de sacro Corpore *Sancti Lucæ Evangelistæ*, quod Venetiarum Civitas, & Monachi Patavini Ordinis Sancti Benedicti, & Genuenses possidere se putant, singulis rationem prodentibus, qua hujusmodi Thesaurò olim fuere potiti. Innumera sunt per universi Christiani Imperii fines id genus exempla, quum in tot diversis Urbibus non dicam modicæ Reliquiæ, sed Capita & Corpora ipsa unius
E ejusdemque Cælitis habeantur atque colantur. Porro liquet, quoties clam & furto ex antiquis tumulis sublata fuere Corpora Sanctorum, id contra Canones actum, quum inconsulto Episcopo transferre sacras Reliquias minime liceret, qui veritatem rei agnosceret, fidemque faceret tum præsentibus tum posteris, nihil erroris aut fraudis intercessisse. Atqui ubi furto res agebatur, piis illis furibus dumtaxat erat habenda fides. Ad diem II. Junii in Actis Sanctorum Bollandianis, & apud Du-Chesnium in Tom. II. Scriptor. Franc. habetur Historia Translationis Corporum Sanctorum *Petri & Marcellini*, ab Eginhardo celebri Historico,

tunc Selingenſtadienſi Abbate conſcripta. Sacra illa Corpora Romæ e Baſilica Sancti Tiburtii ſurrepta nocturno tempore, *nullo Civium ſentiente*, dicuntur. Equidem ambigere nolo, quin germanas Reliquias Ratleicus Eginhardi Notarius tunc aſportarit. At ſane tumultuarium & periculoſum facinus, obnoxium errori fuiſſe, quiſque fateatur. Quod ſi egregius Scriptor, & Miracula, quæ ſubſequuta feruntur, ſat fidei in eo negotio impetrare poſſunt a nobis: num & reliqua ejuſmodi facinora impetrabunt? Immo piis ipſis furibus Reliquiarum *Petri & Marcellini Martyrum* fucum fecere alii ſimiles fures in itinere, teſte eodem Eginhardo, unde inter Monachos Selingenſtadienſes, & Sueſſionenſes Sancti Medardi, de ipſis Reliquiis orta eſt controverſia, & pro Sueſſionenſibus Libellus extat, Sæculo Chriſti Decimo compoſitus ab Odilone Monacho, uti Lectori conſtare poterit ex Actis Sanctorum Bollandianis. Sueſſionem quoque ſimili furto translatum dicitur Corpus *Sancti Gregorii Magni Papæ*. Credat qui velit. Ita Reliquiæ *Sancti Severi Epiſcopi Ravennatis*, imperante Ludovico Pio, hoc eſt iiſdem temporibus, a Clerico quodam furtive ex Urbe Ravennate ſublatæ feruntur, & Moguntiam, ac deinde Erfurtum deductæ. Apud illum furem tota rei fides ſtetit. Præterea *Sancti Valentini Martyris* caput, Romæ ſibi traditum ab hoſpite quodam, *Sacerdos quidam ad Gemmeticenſe Galliarum Monaſterium* detulit, ut ad diem XIV. Februarii apud Bollandiſtas Baldricus Epiſcopus Dolenſis narrat. Sicuti etiam habetur in Vitis Antiſtitum Cenomannenſium Cap. 12. in Mabillonii Analectis circiter Annum Chriſti DCXXX. quidam peregrinus *per prædictam Parochiam tranſiens, & Reliquias Sanctæ Dei Genitricis Mariæ ſecum deferens, in loco, qui vocatur Aurion, feſſus pervenit: ibique quadam die ſub aliqua arbore requieſcens, & in ipſa arbore prædictæ Sanctæ Mariæ Reliquias appendens, obdormivit. Surgens autem inde, & ad alia loca properare volens, prædictas Reliquias de jam dicta arbore auferre, neque ſecum deferre valebat. Quod & Dei nutu factum eſſe haud dubium eſt*; an in hac re adhibita ſint ea examina, quæ Eccleſia præſcribit, Hiſtoria non refert. Id præſumere licet, cùm pietas Hadoindi Epiſcopi, ac Populorum devotio Monaſterium à fundamentis ibidem excitaverint, atque ditaverint. Cæterùm ſunt alia ſine numero ejuſmodi Tranſlationum a diſciplina Eccleſiaſtica minime probatarum exempla. Profectò quin fraus interdum & nimia credulitas in tantam ſacrorum pignorum rapinam, tranſlationem clandeſtinam, & multiplicationem ſeſe ingeſſerit, neminem eſſe puto, qui per ſe non intelligat.

Egregius eſt in hanc rem locus Guiberti Novingentenſis Abbatis, qui circiter Annum MCXII. ita ſcribebat: *Conſiderandus etiam ſub hac occaſione plurimus quidem, ſed non pernicioſus error, qui Gallicanas præcipue de Sanctorum Corporibus obſedit Eccleſias: iſtis illum, illis eundem, ſeu Martyrem, ſeu Confeſſorem, ſe habere jactantibus, quum duo loca non valeat occupare integer unus. Quod totum contentionis malum inde ſumſit originem, quod Sancti non permittuntur habere debitæ & immutabilis ſepulturæ quietem. Et plane ex pietate deſcendiſſe non ambigo, quod eorum Corpora argento cooperiantur & auro. Sed jam evidenti & nimium turpi avaritiæ militant & oſſium oſtenſiones, & feretrorum ad pecunias corrogandas cir-*

A *cumlationes: quæ omnia deſiviſſent, ſi eorum, ut ipſius Domini Jeſu, forti oppoſito obice, immobili clauderentur membra ſepulcro*. Ita pius & doctus Abbas. Nemo autem neget, quin temporibus iis cupiditas iſta comparandi ſibi ſacras Reliquias, alioqui commendanda, fuerit pro ævi ignorantiâ expoſita nimium male feriatorum hominum fraudibus. Leone Marſicano teſte Lib. 2. Cap. 33. Chronic. Caſinenſ. *Monachi quidam ab Hieroſolymis venientes particulam lintei, cum quo pedes Diſcipulorum Salvator exterſit, ſecum detulerunt, & ob reverentiam ſancti hujus loci devotiſſime heic obtulerunt. Sed quum a plurimis ſuper hoc nulla fides adhiberetur, illi de fide fidentes, protinus*

B *prædictam particulam in accenſi thuribuli igne deſuper poſuerunt. Quare mox quidem in ignis colorem converſa, poſt paululum verò, amotis carbonibus, ad priſtinam ſpeciem mirabiliter eſt reverſa*. Tum donum hoc eximium collocatum eſt in *loculo mirifico, argento & auro, gemmiſque Anglico opere ſubtiliter ac pulcherrime decorato*. Equidem vereor ego, ne bonis Caſinenſibus fucus factum fuerit a gyrovagis iis Monachis, oblatâ eis particulâ telæ ex lapide *Amianto*, ſive (quod idem eſt) *Asbeſto* confectæ, quam Phyſici norunt in prunis poſitam igneſcere, exemtam verò ab igne, priſtinum recuperare colorem, & minime comburi. Certe ejuſmodi experimentum non mirarentur, ne-

C que prodigii loco exciperent, ſed riderent tempora noſtra, quæ ſibi ab impoſturis diligentius cavere conſueverunt. In conjecturam meam confluunt, quæ jamdiu adnotavit Mathiolus in Lib. V. Dioſcoridis, Cap. 93. ubi de Amianto. *Ceterum, inquit, non deſunt Impoſtores (ut auctor eſt Braſavolus Ferrarienſis) qui lapidem Amiantum ſimplicibus mulierculis oſtendant, vendantque ſæpe numero pro Ligno Crucis Servatoris noſtri. Id quod facile credunt, quum ipſe non comburatur*. Quæ tamen non eo animo commemoro, quaſi ritus Pietatis, aut ſacrorum Corporum poſſeſſores ſim turbaturus: ſed ut veterum aut oſcitantiam, aut improbitatem innuam, a quibus nos abhorrere æquum eſt.

D Nam & in his bona fides, diuturna poſſeſſio, atque præſcriptio locum habet; neque ex his quidquam detrimenti in ſanctam Religionem defluit, quum illa in Reliquiis credendis nullam a nobis exigat Fidem divinam; & nos non terream earum materiem, non incertam illarum originem colamus; ſed quidem veros Sanctos regnantes in Cælis, ſive ut rectius loquar, dona Dei, ipſumque Deum communem Regem noſtrum veneremur in Sanctis. At boni veteres plerumque ſine ullo examine, ſine ulla dubitatione, ambabus, ut ajunt, ulnis excipiebant quidquid ſacri ſpeciem præferebat. Quod ſane neque laudandum, neque ferendum quiſque diſciplinæ Eccleſiaſticæ peritus fatebitur,

E uti etiam Amulo Archiepiſcopus Lugdunenſis Sæculo Chriſti Nono in Epiſtol. Prima animadvertit. Quod etiam uſu venit, quo olim rariora, magiſque videbantur miranda, quæ Fidelium venerationi offerebantur, eo major tunc erat ad illa Populorum confluxus. Glabro Rodulpho teſte Lib. 3. Cap. 6. Hiſtor. circiter Annum Chriſti MVIII. *revelata ſunt plurimorum Sanctorum pignora. Hæc revelatio primitus in Senonica Galliarum Urbe, apud Eccleſiam beati Martyris Stephani dignoſcitur cœpiſſe. Cui etiam præerat Archipræſul Leotericus, a quo ſcilicet* ADMIRANDA *relatu reperta ſunt ibi antiquorum ſacrorum inſignia*. Quid potiſſimum in admirationem rapuerit non Gallicam

licam tantummodo gentem, sed & *universam pæne Italiam*, accipe. *Quippe* (ita loqui pergit Glaber) *inter cetera perplura, quæ latebant, dicitur Virgæ Moysi invenisse partem. Ad cujus rei famam convenerunt quique fideles, non solùm ex Gallicanis Provinciis, verùm etiam ex universâ pæne Italiâ, ac de transmarinis regionibus*. Atque cum his conjungenda sunt frustula *Arcæ Diluvianæ*, *Pili e barba Aaron* detracti, aliaque ejusmodi, quæ in quarumdam Ecclesiarum sacrariis conspexi. Accedat ad ista, non defuisse olim, qui ut certa apud se esse sacra pignora quæpiam Populo persuaderent, confinxere aut edidere prodigia atque historias, quibus adjungere fidem cautus quisque vix velit aut possit. Vide, quæ de Translatione nuper memoratâ in Gallias Corporis Sancti Benedicti, ejusque restitutione, Floriacenses Monachi, vicissim & Casinates literis prodidere. Vide, quæ de Corporibus trium Magorum, ut ajunt, Regum, Mediolanum delatis habet Jordanus Historicus, in hoc ipso Opere legendus.

Pertinaciam quoque errori olim adjungebant homines perquam rudes in amplectendis commenticiis Sanctorum lipsanis. Cujus rei exemplum præ ceteris memorandum est, ab Hugo ne Flaviniacensi scriptum in Chronic. Virdunens. ad Annum MXXVII. *Tunc temporis* (ita is tradit) *contigit, ignoti ossa hominis de loco abjectissimo a quodam mangone collecta, & feretro imposita, in Monasterio Sanctæ Mariæ apud Seusiam, sub nomine Justi Martyris, a Mainfredo Marchione fuisse reposita. Sed licet a Religiosis id vanissimum & stultissimum fuisse, multis & probatis documentis demonstratum sit, Vulgus tamen injustum pro Justo venerans, in suo permansit errore*. Manfredus iste Segusii Marchio idem ille est, de cujus Genealogia ego disserebam Par. I. Cap. 18. Antiquit. Estensium. Quod autem habet Hugo de ementito illo Martyre Justo, mutuatus omnino videtur a Glabro Lib. 4. Cap. 2. Historiæ. Hic enim rem fusissime ante illum descripsit, addens, a Marchione Mainfredo spuria ossa illa collocata in Templo fuisse, & quamquam *plures sanæ mentis detestabile figmentum abominandum clamarent*, vulgus tamen pervicacissime in suo errore stetisse. Neque id mirum. Barbaris iis Sæculis nimia facilitate vulgus, interdum stulte pium, non solùm ad amplexandas quascumque obvias Reliquias ferebatur, sed etiam veluti populari tumultu ruebat ad inferendos in Cælum quoslibet, cum aliqua Sanctitatis specie occumbentes homines. Tulere ea quoque tempora Viros ac Feminas spectatissimæ, omnigenæque virtutis, quos jure Ecclesia Sanctorum catalogo adjunxit. Aliorum sanctitatem Canonizatione Romanâ carentium pari gradu exploratam appellare prohibemur. Nam quid de *Guilielmina Bohema* Mediolani, quid de *Armanno Pungilupo* Ferrariæ acciderit, infra in Dissertatione LX. *de Hæresibus* indicabitur. Certe multos adhuc habemus *Beati* aut *Sancti* nomine olim donatos, quos tamen in Cælitum album non intulit circumspecta semper, & in his præcipue difficilis Apostolicæ Sedis auctoritas & gravitas, sed aut paucorum Monachorum, aut Plebis unica laudatio atque opinio. Ex his plerosque credere præstat in Cælum a suis virtutibus elatos. Sed nemo contendat, immune semper ab errore fuisse in hisce Canonizationibus tumultuariis judicium Populi rudis, indocti, atque incauti. Neque alius, ut arbitror, animus fuit Johanni Boccaccio, irreli- A giosо alioquin Scriptori, quàm exuberantem hanc vulgi pietatem, suâ adhuc ætate vigentem, carpere & castigare in Fabula *Sier Ciappelletti*, sceleстissimi hominis, quem insana Plebecula, a Confessario decepto & ipsa decepta, pro Sancto habuisse fingitur. Si Scriptori huic, alterum exemplum adferenti, ulla fides adjungenda est, Marcellinus quidam Florentinus Tarvisii ementitus se membris captum, finxit sanitatem sibi redditam ad Corpus *Henrici Laici* peregrini hominis, cui vitâ functo Tarvisinus Populus cælestes honores deferebat, & Miracula innumera tribuebat. At in eo sano fictionis insimulandus non est Boccaccius, scilicet dum Henricum illum tradit Tarvisinorum B opinione inter Sanctos adnumeratum. Æqualis enim Ferretus Vicentinus in Lib. 7. Historiæ sui temporis, Tom. IX. Rer. Italicar. pag. 1164. rem iis verbis describit, quæ sibi locum jure heic poscunt. Itaque narrat ille mores ac obitum *Henrici* istius *Eremitæ*, quem Beatum adhuc appellant Tarvisini, & quem multis etiam laudibus ornarunt Johannes Bonifacius Lib. 7. Histor. Tarvisinæ, Abrahamus Bzovius, Odoricus Raynaldus in Annalib. Ecclesiast. ad Annum MCCCXV. quo suprema illius dies contigit, aliique Historici. *His quidem diebus* (sunt Ferreti verba Lib. 7. Histor.) *Henricus nomine, de Vandalis ortum trahens, dum sæpe Occiduas Eoasque plagas, Urbemque interdum* C *ob venerandos Dei & Sanctorum cultus pro venia, suorumque criminum lavacro repetisset, denique patrias reversurus ad ædes, per Tarvisii callem, unde iter directius, progredi destinat*. Tum narrare pergit, peregrinum istum consedisse Tarvisii, & post aliquot annos eremiticæ vitæ desiisse vivere. *Tunc a mulierculis*, subdit, *quæ ei ministrabant, dum spiritum languens exhalaret, candidam super eum Columbam ter volasse, visamque ab illo abscedere, nuntiatum est. Hæc vox in plures elapsa, subitò ad vulgi credulas aures transiit. Nec mora: totum fama Urbis ambitum replet*. Neque pluribus opus fuit, ut ad illius cadaver, utpote sanctissimi viri, non Cives tantùm, sed D & copiosa Populorum finitimorum copia, confluxerint, sanitatem & miracula quæritantium. Ipse BEATI titulo continuò donatus. *Redeuntes in patriam advenæ sciscitantibus, quidnam de Sancto illo viderint, majora Factis Verba quàm fama dictitet, vidisse perjurant*. Addit Ferretus ingenuus æque ac oculatus testis: *Vidimus, audituque percepimus, multos dolore magno querentes læsa nimium crura, precibus anxiis institisse: idque sudor & gemitus ac tortura gravis fieri testabantur. Nemo tamen voto potitus suo, nostris oculis conspiciendus advenit*. Hæc Historicus ille, a vulgi judicio discors. Equidem sanctitati Eremitæ istius, cujus Vitam & miracula literis consignavit Petrus de Baone E postea Episcopus Tarvisinus, & Clarissimi Patres Antuerpienses Societatis Jesu in Act. Sanctor. ad diem X. Junii evulgarunt, non is ego sum, qui quidquam detrahere audeam, detractumve ab aliis velim. Ultra æquum suspicionibus tum heic tum alibi lora laxare velle, non est hominis prudentis neque pii. Erit suo tempore judex Deus. Nunc nobis aut continenda judicia sunt, aut in mitiorem partem inclinanda. Hæc ergo eo tantùm collineant, ut Lectores intelligant, quàm faciles, immo quàm effrenes olim Populi forent in statuenda hominum Sanctitate, iisque Cælitum albo adjungendis: a qua improvida festinatione, quum Romana Curia, ac tempora nostra

me absint, ideo suâ laude minime sunt fraudanda.

Neque dispar olim fuit impetus ad credendum quidquid Miraculi speciem referebat, etiam ab aniculis traditum, atque ad suscipiendum divinitus veluti factas quascumque Visiones ac Revelationes, quas piæ mulieres tunc enarrabant. Quidquid mirabile videbatur, sine hæsitatione tunc amplectebantur, nil pensi habentes inquirere, veritatis-ne an falsi colorem præferret. Neque deerant Miraculorum ejusmodi fictores, tum ut ad sua Templa uberiorem Populorum ac oblationum confluxum traherent, tum ut suis Locis & prædiis majorem reverentiam conciliarent. Vera profectò prodigia & Miracula ne iis quidem temporibus desiderata sunt: sed lollium a tritico pauci tunc erant, qui distinguerent. Quod tamen accurate præstandum, nos ipsa Religio sanctissima docet. Interea ab hisce altius investigandis lubentissime abstineo. Dissimulare tamen nolo, fuisse, qui quum Eremitas & Peregrinos alienigenas in suo solo cum odore sanctitatis vitâ functos accepissent, & ad venerandum uti Beatos convolassent, tamdem ut obscuram illorum originem detergerent, eisque non minus quàm loco sepulturæ majorem nominis famam conciliarent, ex illustri Regum aut Principum progenie eos descendisse, primo sibi, tum aliis persuasere. Celeberrimum est a multis Sæculis Xenodochium Sancti Peregrini situm in Apennino in Mutinensi agro ad Lucensium fines, quo multa quotannis confluunt finitimorum Populorum agmina ad visitandum Corpus incorruptum ejusdem *Sancti Peregrini*. Uti fama fert, non nunc nata, atque uti Vedrianus noster in Histor. Mutinens. & Cæsar Franciottus Lucensis, aliique tradidere, Sancto huic viro pater fuit quidam *Scotorum Rex*. At ipse amore Dei Regno vale dicens, peregrinatione institutâ ad loca Sanctorum, tamdem in montibus nostris constitit, dignusque evasit, qui post piissimam vitam reciperetur in Cælis. Quàm idoneis testibus splendida hæc fama nitatur, ignorare me fateor. Sed vide, ut belle conveniant, ut eleganter in hisce procedant ineruditi Vulgi opiniones. Summontius Tom I. Historiæ Neapolitanæ (reliquos Neapolitanos prætereo) auctor est ad Annum Christi MCXIII. *Peregrinum filium Scotorum Regis*, depositâ Regni ac terrenarum rerum quacumque cupiditate, se totum dedisse jejuniis, orationibus, corporisque macerationibus, & post longas peregrinationes ad pia loca completas, Neapolim se contulisse, ubi clarus miraculis diem supremum obiit, cujus sacrum Corpus in æde sub ejus nomine ædificatâ adhuc colitur. Addit Summontius, Peregrini hujus Sancti Parentes fuisse Alexandrum III. Scotiæ Regem, & Sanctam Margaritam Reginam, cujus festus dies in Ecclesia Romana agitur IV. Idus Junii. Nihil opus est ostendere, quantum hæc abscedant a veraci Scotorum Historia. Satis nobis sit animadvertere, pari honore donatos fuisse ambos hosce Sanctos Peregrinos, & Scotorum Regis filios. Uter verò Populus ab altero fuerit mutuatus, aut surripuerit tam speciosam originem Sancti sui, cujus neutri ne nomen quidem novere, aliis inquirendum relinquo. Nemo non videt, excogitata hæc seu conficta utrobique fuisse ad celebritatem loco sacro augendam. Ceterum Romæ quoque sub Leone III. Papa circiter Annum Christi DCCCIV. *Oratorium Sancti Peregrini, quod ponitur in Hospitali Dominico ad Naumachiam*, memoratur: ita ut videas, non uno in loco titulum *Sancti Peregrini* Xenodochiis impositum fuisse. Atque hoc revocat mihi in mentem, quod olim audivi a Cl. V. Benedicto Bacchinio, Benedictinorum Mutinensium olim Abbate. Narrabat ille, in agro Sancti Cæsarii Diœcesis Mutinensis, ubi olim fuit Monasterium, sive Cella, cujus reditibus nunc fruuntur iidem Monachi Sancti Petri Mutinensis, superesse adhuc Ædiculam sacram, in cujus fronte picta occurrit imago Sanctæ cujuspiam feminæ, cujus nomen ignotum est. Rusticanum vulgus eo confluens, imagini ejusmodi exhibebat multæ venerationis signa; & interrogantibus, quænam foret Sancta illa, respondebat, eam esse *Sanctam Albergam*, hoc est, Cælitem in cerebello tantùm popelli illius natam. Ego populare commentum inde profectum conjicio, quod uti in Dissertatione XXXVII. *de Hospitalibus* animadverti, omnibus fere Monasteriis conjunctum olim subjectumque fuit ædificium ad hospites, peregrinos, aut pauperes excipiendos. Illic sita fuerit aliqua id genus domus, quam Italice *il Santo Albergo* Populus nuncupabat. Sublato autem Xenodochio, & unâ Ædiculâ superstite cum effigie illâ, stultum Vulgus ad eam transtulit antiquum nomen, ejusque immutato genere, ignotam mulierem Sanctam inde efformavit. Ceterum sunt & alii *Peregrini*, quos explorata Sanctitas cælitum honore dignos meritò fecit. Sed fortasse non desiderantur & alii, quos citius, quàm par erat, facilis barbaricorum temporum credulitas in Sanctorum aut Beatorum album intulit. Mirum est, quàm parum auræ tunc exigeretur, ut vulgus Sanctitatem alicui deferret, & Miracula ab eo patrata sibi persuaderet.

Quamquam quid rude vulgus commemoro? Idem ille ardor, tutelares nempe sibi apud Deum patronos multiplicandi, & novos adsciscendi, quum præcipue id summe honorificum apud homines videretur, ipsos interdum Mystas, virosque religiosos olim persuasit, ut oblatam quamcumque occasionem arriperent, qua ad suos thesauros aliqua fieret nova in dies sacrorum pignorum accessio. Sed num cautius, prudentiusque egere tempora subsequuta? Mitto nunc Higueram, Tamayum, Ramiresium, aliosque famosos homines Hispanos, qui proxime præterito Sæculo quæsituri immensum decus genti suæ, illam gravi dedecore onerarunt, confictis multis Cælitibus, & in Martyrologium Hispanicum, toto Cælo repugnante ac irato, intrusis. Ignorantiam sæpius, quàm audaciam atque malitiam in barbaris Sæculis deprehendas; atque excusandi sunt, qui, si quando in errorem declinavere, bonâ saltem fide, atque ex animi simplicitate errarunt. Qui secus egere, digni sunt, quibus universa irascatur Christi Fidelium Respublica. Ad hunc fontem referendum est, quod habet Daniel Papebrochius e Soc. Jesu, Vir clarissimus, & de literis atque Ecclesiastica Historia optime meritus, in Actis Sanctor. Tom. V. Maji, pag. 223. Nam quum Ravennæ is esset Anno MDCLX. & rogaretur, ut Latine explicaret Inscriptionem Græcam, positam *Sanctæ Argyridi matronæ & Martyri*, cujus ibi festum ab aliquot annis agebatur die XXIV. Aprilis: eam ille ita loquentem invenit, ex Græco in Latinum conversam.

DULCISSIMÆ MULIERI
ARGYRIDI
TROPHIMUS MARITUS
ANNIS VIXIT XXXVI.

Femi-

Feminam fortassis Ethnicam, certe non Martyrem, lapis ille indicabat. Quare delata res Romam fuit, ac deinde marmor amotum, & Corpus falsò creditæ Martyris e Templo exturbatum. Alterum quoque ætatis nostræ, atque Benedictini Ordinis ornamentum, Johannes Mabillonius Vir Cl. in suo Itinerario Italico, non immeritò dubitavit, essent-ne tolerandi in albo Sanctorum, an inde expungendi *Catervius & Severina* Conjuges, apud Tolentinates magno in honore habiti, quum ad eorum Sanctitatem stabiliendam marmor, quo unice ea opinio niti videtur, nihil momenti adferret. Inscriptionem iis positam ac diligenter descriptam habes apud Fabrettum Cap. X. Inscription. pag. 740. Certe nemo inde Catervii Martyrium exsculpat. Verùm nulla mihi in hoc genere gravior & fœcundior hallucinatio usquam occurrit, quàm quæ in Libro Hispanico de Sanctis Sardiniæ legitur, Calari typis edito, Anno MDCXXXV. Auctor *Dionysius Bonfantus*, Theologiæ & Juris utriusque Doctor. Titulus Libri: *Triumpho de los Sanctos del Reyno de Cerdenna*. Improbo labore Scriptor ille collegit, quotquot potuit, antiquissimas Inscriptiones Christianorum, in Sardinia adhuc marmore inscriptas, & ubicumque reperit (in quamplurimis autem reperit) duas hasce literas B. M. tot inde bonus homo, suorum Civium interpretationem sequutus, *Martyres* & Sanctos efformavit. Instar omnium sit unum exemplum.

✠ HIC IACET B. M. LVCIANVS
QVI VIXIT ANNIS PL. M. LXX. QVI
EVIT IN PACE POSITVS V.
KAL. IVNII ☧

Ita hæc ille explicat. *Hic jacet Beatus Martyr Lucianus, qui vixit annis plus minus septuaginta: quievit in pace positus V. Kalendas Junii*. Tam commodâ ratione non unum Sanctum Martyrem, sed supra trecentos (numerare enim omnes me piguit) Bonfantus noster ingenio suo, aut suorum Civium, procudit, quum tamen literæ illæ B. M. nihil aliud significent, quàm B*onæ* M*emoriæ*, uti alia apud ipsum exempla evincunt; aut B*ene* M*erens*, vel B*ene* M*eritus*, seu B*ene* M*oriens*, ut apud Aringhium in Roma Subterranea, & apud Fabrettum in Sylloge antiquar. Inscription. & apud alios sæpe occurrit. Verba illa *quievit in pace* heic, ut & alibi unice *Christianum* vitâ functum, non verò Martyrem aut Sanctum exhibent. Præterea literæ illæ B. M. tam Ethnicis, quàm Christianis conveniunt. Quamquam quid culpo Scriptorem hunc unum? Non hæc ille primus venditavit. Narrat enim, tot Corpora Sanctorum, si Superis placet, eorumque Inscriptiones, reperta ac effossa fuisse ab Anno circiter MDCXV. usque ad MDCXXVI. & Archiepiscopi, aliorumque Sardorum opinionem præcessisse, putantium atque asseverantium, illic agi de Sanctis Martyribus. *Expurgatus* fuit Bonfanti Liber, quem teneo, *juxta Indicem Hispanum Anni MDCXL. & decretum sanctæ Inquisitionis generalis Anni MCXLI.* ut ibi scripta notula testatur. Quàm vellem, Censores ii tantam potius confictorum Martyrum copiam delevissent, hoc est Librum totum unâ liturâ purgassent! Si plura hac de re cupis, vide Papebrochii supra laudati Com-

A mentarium de Sancto Lucifero Episcopo Calaritano Tom. V. Act. Sanctor. Maji. Qui etiam testatur, ejusmodi Sardorum Martyrum inventionem ad Romanos Censores fuisse delatam. Quid verò fuerit ab iis pronuntiatum, nusquam legi. Sed quod mirari pergas, Italiam quoque tot Sacrorum pignorum in *Sardinia* exhumatorum fama adeo implevit, ut Placentini Cives thesauri tanti partem enixis precibus sibi procurarint. Et voti quidem compotes facti sunt eximiâ Sardorum liberalitate, a quibus non unum, sed *Viginti* ex iis Corporibus, judicio tam præcipiti sanctificatis, impetrarunt. Rem narrat, & præ exsultatione pæne extra se exsilit Petrus Maria Campius, vir
B alioqui de Ecclesiastica Historia Placentina bene meritus Tom. I. Lib. 6. ad Annum DCCXXV. Ibi post narratam Corporis Sancti Augustini translationem Ticinum, suos Cives *non minus fortunatos* appellat, non solùm quod digitum indicem Sancti Doctoris & ipsi fuerint consequuti; sed etiam *nell' impetrare a' giorni nostri, per singolare dono del Cielo, dalla medesima Città di Cagliari, e dallo stesso luogo della Basilica di San Saturnino, non un sol Corpo Santo, ma sino al numero di Venti; e tutti, fuorchè uno, gloriosissimi Martiri di Christo, venuti di là per nostra buona ventura quasi in un medesimo tempo a proteggere anch' essi questa Città. Cioè tre di essi nell' Anno 1643. cinque altri nel 1646. e altri dodici nel Luglio, e*
C *nel Dicembre del 1647.* Neque hæc tantùm Corpora Placentini a Sardis impetrarunt, sed etiam *Nonaginta* alias insignes *Reliquias di varj altri Santi, tutti parimente invittissimi Martiri del Signore*. Singulorum nomina recenset Campius. Tum addit: *Ma dee quì avvertire il divoto Lettore, non essere alcuno de' prenominati Santi o Sante, i medesimi o le medesime, che con gli stessi nomi si celebrano da Santa Chiesa ne' Calendarj e Martirologi suoi; ma differentissimi totalmente* &c. At bone Campi, hoc unum suspicionem erroris adferre tibi potuit ac debuit. Neque enim antiqui tantam Martyrum segetem ignorassent, si vera fuisset,
D quum Ecclesiæ invicem altera alteri suorum certamina, beatamque mortem significarent, eorumque Acta literis consignare solerent. Sed prope est, ut dicam: nos non secus atque in aliis bene multis rebus, quæ nobis placent, ultro cæcutire volumus, atque irascimur, si quis in animum inducat, morbum tam gratum nobis eripere. Profecto qui barbaricorum temporum scrinia intime excutit, non pauca offendit, quæ aut risum, aut commiserationem excitant, ob malitiam, sed longe sæpius ob ignorantiam hominum temporis illius, fero sane depulsam. Suppeditavit mihi amicus vir Joseph Scalabrinius, publicus sacrarum Literarum Professor Ferrariæ supplicem libellum,
E quem Præsides Hospitalis Domus Dei Ferrariensis obtulerunt Borsio Atestino Duci Mutinæ, Domino Ferrariæ die 7. Decembris Anno Chr. 1459. petentes: *Quod sibi concederetur facultas & arbitrium erigendi unum Oratorium, sive Altare sub nomine & vocabulo Sancti Bonis* (fort. *Bovis*) *sive Bubonis de Antona in ipsorum habitantiis* &c. *Cum hoc quod liceat ipsis sub dicto nomine & vocabulo quæstuare, & eleemosynas petere ubique locorum præfati Domini nostri &c.* Norunt eruditi, inter Romanenses Fabulas non postremam esse famam Militis, cui nomen *Buovo d'Antona*. Si de eo sermo fuit apud Ferrarienses, Lectoribus ea de re judicium dimit-

to. Meminisse tamen juvat, Viqueriæ ejusdem nominis Sanctum virum coli, de quo consulenda Acta Sanctorum Bollandi & sociorum ad diem XXII. Maji. Is tamen minime *de Antona* dicitur.

Heic autem reticere nolo, ante paucos annos in ejusmodi negotio exquisitam fuisse sententiam meam. Scilicet Cl. V. Jacobus Facciolatus in Patavino Gymnasio Philosophiæ Professor, & Latinæ eloquentiæ ævo nostro in Italia princeps, literis ad me datis significavit, haberi Patavii Corpora duo, Româ illuc advecta Anno MDCLXXXVIII. unà cum marmorea tabula vetustissimam præferente Inscriptionem. Quumque ageretur de iis publicæ venerationi exponendis, quid sentirem ego, percontatus est: an videlicet ea crederem Corpora Sanctorum, & quidem Martyrum, & quot in eo lapide Martyrum nomina scripta forent. Ecce ab eo missam ad me Inscriptionem.

HILARI VIVAS
IN DEO
HERACLIE COMPA
RI SVAE BENEME
RENTI FECIT QVE VI
XIT AÑIS XXI IN PA
CE LIBERI VIVAS IN



Rescripsi, videri quidem mihi positam Inscriptionem tribus hominibus, duobus nempe maribus & uni feminæ. *Hilarius* primo loco occurrit iis verbis HILARI (vocandi casu) VIVAS IN DEO. Quæ postrema formula frequens est in titulis sepulcralibus veterum Christianorum, & Christianos sine dubitatione prodit, ac præsertim addito Monogrammate , nomen Christi, ut notissimum est, referente. Alter vir *Libertus* in iis verbis, quibus Inscriptio concluditur, LIBERI (vocandi quoque casu) VIVAS IN . Inter eos sita est *Heraclia* sive Hilarii, sive Liberii *Compar*, hoc est *Conjux*, uti centena alia ejusmodi exempla ostendunt. Et quamquam immutatâ formâ loquendi, suspicari quis possit, *Heracliam* vivente marito vitâ functo monumentum posuisse, quasi *Heraclie* Græcum nomen casu nominativo usurpetur:

A statuendum tamen est, omnino heic agi de muliere, quæ & ipsa diem suum obierat. HERACLIE dativus est casus, quamvis diphtongus absit. Abest autem in innumeris aliis plebejis, immo interdum & in melioris ævi Inscriptionibus. Subsequentes voces COMPARI SVAE BENEMERENTI certos nos faciunt, *Heraclie* scriptum fuisse pro *Heracliæ*. Et quum subsequatur QVE (& heic diphtongum desiderari vides) VIXIT AnNIS XXI. nihil ultra desiderandum, ad statuendum, hujus quoque epitaphii participem fuisse *Heracliam*, non secus ac reliqui, e vivis raptam. Altera etiam formula IN PACE feminam tum Christianam, tum mortuam confirmat. Sunt enim in vete-
B rum Sæculorum monumentis singulares quædam dicendi formulæ, ex quibus sine dubitatione deducas, illic de Christiano homine agi; exempli causâ IN PACE: DEPOSITVS: IN SECVLO: DECESSIT: DORMIT: RECESSIT: seu REQVIESCIT, addito IN PACE (hoc etiam subintelligitur verbis illis IN PACE sine verbo positis) QVIESCIT: BONÆ MEMORIÆ: VIVAS: VIVE IN DEO. IN CHRISTO. IN SOMNO PACIS. Idque pariter ostendit monogramma *Christi*, cum aliis Symbolis, ab Aringhio descriptis atque illustratis. Ego paucula e Schedis meis
C MStis adtexam.

In Hispania in Vico Bujalance, in agro Petri Alphonsi de Castro.

MAR CIANE
A ω
VIVAS IN
SPES IN DEO

Flores subtus insculpti sunt.

D

In Insula Sancti Julii agri Novariensis.

B ✠ ✠ M
HIC REQuieSCIT in Pace SCM FYLACRIVS
EP. Eccl. Novar. qui vixit in
SECVLO ANNOS PL. M.
XVI. DepoSITVS S. D. XVIII. Calendarun
Ianuariarum Indictione Secunda
ANno Decimo.........nnoris V.C.

Philacrii hujus *Sanctæ Memoriæ Episcopi Ecclesiæ Novariensis* ætatem non facile statuas.

E Anno Christi CCCCXXXIV. decurrebat *Indictio Secunda*, aut Anno CCCCXXXIII. si ejus exor-

exordium a Septembri desumas. Tunc etiam fluebat *Annus Decimus* Valentiniani *Junioris* seu *Minoris* Augusti. Vide, an ad ipsum Annum referri possit *Depositio* Episcopi hujus, quem Ughellius ignoravit. Quamquam quum nulla *Augusti* nominis occurrat heic mentio, potiùs videtur indicari Annus Decimus *post Consulatum* alicujus *V.C.* ideſt *Viri Clarissimi*, puta, *Paulini*, *Basilii*, *Fausti*, *Avieni* &c. Sed & Christiani Imperatores hoc titulo donati occurrunt in Notis Consularibus.

Brixiæ apud Averoldos nobiles Viros.

Hic requiescit
IN Pace Leontius
Qui vixit PL MINVS
ANN XL. DEP SVB DIE
VI M FEBR Ind. III. PRO L S

Postrema verba *loco sacro*, ideſt *in loco sacro*, vel *Sepulcri*, interpretari licet.

Mediolani in Sancti Ambrosii.

HIC REQVIESCVNT IN
PACE ERETRIVS ET ANT
ONINA VIRGINII QVI SI
MVL FECERVNT ANN
XXϛ. MARITVS VIXIT
ANN. XLϛIII. ET VXOR
VIXIT ANN. XXXϛII. D. P.
IDVS DECEMBRIS
HONORIO ϛ CONS.

Virginii, ideſt *Conjuges*, uti in novo Thesauro veterum Inscriptionum ostendam.

Ad Annum Christi CCCCII. pertinet Inscriptio hæc, si notam numeralem ϛ pro V. interpreteris, uti jam pluries interpretatus fuit Reinesius Class. 20. Num. XI. Inscription. Antiquarum, & infra Num. 61. & 165. &c. Quam sententiam si amplecteremur, non ex Arabum gente, ut multi putant, arithmetica nota numeri Quinarii, qualis nunc vulgo usurpatur, sed ab antiquissimis Latinorum Sæculis ad nos venisset. Verùm a scopo aberravit Reinesius. Cardinalis Norisius, Fabrettus Cap. 7. pag. 540. Inscription. Antiquar. & Mabillonius de Re Diplomat. Lib. 2. Cap. 28. & in Supplement. pag. 95. variis exemplis ostendunt, Notam hanc, cui modò est figura ϛ, modò S, senarium numerum referre. Id etiam in sua Diplomatica confirmavit Clariss. Marchio Scipio Maffejus. A Græcis nempe hanc notam mutuati sunt Latini, estque illorum ϛ. sigma, *VI.* significans. Ac propterea *Honorio VI. Consule* heic est legendum, ita ut Inscriptio pertineat ad Annum Christi CCCCIV. quo is Consulatum Sextum iniit. Apud eumdem Fabrettum Cap. X. num. 486. occurrit DEPOSITA CANDIDA DIE S. IDVVM MAIARVM. Illud S. eadem esse numeralis Nota mihi videtur non satis accurate descripta. Videndus Hadrianus Relandus in Præfatione ad Fastos Consulares, qui animadvertit a gente Arabicâ ad nos, ad Arabes verò ex Indis venisse Notas numerales, quibus vulgo nunc utimur. Neque id recens inventum. Quippe significavit mihi, dum in vivis erat, Hubertus Benvoglientus Senensis, antiquitatum venator indefessus, ante quinque Sæcula easdem *Cifras* appellatas fuisse *Indicas* a *Leonardo Pisano* in suâ Arithmeticâ numquam typis editâ, quam domi suæ servabat idem Benvoglientus. Libri titulum accipe. Incipit *Abbacus Leonardi de Domo Filiorum Bonatii Pisani, compositus Anno MCCII. correptus ab eodem Anno MCCXVIII.* Pisani tunc in Orientem mercaturæ caussâ sæpe navigabant, atque Arithmeticam a Saracenis sive Arabibus, hujus Artis peritissimis, discebant. Teste Willelmo Malmesburiensi Lib. 2. Histor. Gerbertus Archiepiscopus Remensis, postea Silvester II. Papa Anno Christi DCCCCXCIX. a Saracenis Hispanis *Astrologiam*, *Abacum*, *ceterasque Artes didicit*. Hæc obiter.

Romæ in Sancti Sebastiani.

AVRELIVS EVGENIVS IN PACE.
AVRELIA BEROSA IN PACE

Ibidem apud Sanctor. Apostolor. intra domum Episcopi Sipontini.

L. CLODIA LVPERGILLA IN PACE
BENE DORMIT QVAE VIXIT ANN.
XXVIII. M. VII. MEC. VIXIT ANN. XIII.
M. VIII. D. XVIII. AVRELIVS ATIMETVS
CONIVGI B. M

Si L. præpositum Clodiæ revera ei prænomen additum signat, ne mirere. Rarum id quidem, sed minime peregrinum, ut alia feminarum monumenta produnt.

In Delmatia.

B. M. CLEOPATRAE FILIAE DVLCISSIMAE
QVAE VIXIT ANN. I. M. IIII. D. IIII.
PONTIANVS ET TEVGILLA IN PACE

Puteolis in muro Horti Sancti Francisci.

ANNO . . . . . . CHRYSANTIVS
PATRON
FLORENTEM MERITIS CHRY
SANTI NOMINE FAMAM
PATRIA CONCELEBRANT CVNCTI
POPVLIQVE PATRESQVE VOCIBVS
ET CLAROS TITVLIS CONSIGNAT HONO
RES TEQVE TVOSQVE MANET
LONGOS MANSVRA PER ANNOS.
FELIX PROLE VIRI DIGNOS QVESITV
RA NEPOTES AD VT SVMME
DEVS CHRYSANTI RESPICE GENTEM.

A

Aquilæ in Urbe Aprutina in adytis Sanctæ Justæ.

CATERVIO FILIO DVL
CISSIMO QVI VIXIT AN.
XXIII. D. IIII. DP.
XII. KAL. SEP. AR
CADIO IV. ET ONORIO III.

Ad Annum Christi CCCXCVI. referenda est hæc Inscriptio.

B

Ibidem in Sancti Silvestri.

BONAE MEMORIAE FILIO DVLCISSIMO
LAVRENTIO
VIXIT. ANN. XVI. M. V. D. IIII.
DECESSIT
IIII. IDVS AVG. VALENTINIANO ET
VALENTE CONSS.

Idest Anno Christi CCCLXV.

C

Mediolani in Sancti Francisci.

VALERIVS QVI
VIXIT IN SAECVLO
ANN. XL. M. X. D. V.
IANVARIVS EXORCISTA
SIBI ET CONIVGI FECIT.

Ibidem in Sancti Vincentii.

B PROVIN A ☧ ω INNOCINI M.
QVI VIXIT IN SAECVLO ANN. VII. M. IIII. D. XI
GERONTIVS ET ROBINA FILIO PIENTISSIMO
IN PACE POSVERE IND. FP. IIII. IDVS FIB.

D

Ibidem.

B. M.
HIC REQVIESCIT IN
PACE CONSTANTIA
QVAE VIXIT IN SAE
CVLO AN. XIII. ANI......

Ibidem apud Comites Archintos.

B. ✠ M.

HIC REQVIESCIT
IN PACE ODELBERTVS
QVI VIXIT IN SECVLO
ANNOS PL. M̄I. LXII.
D. EST SVB D. XVIIII. M̄ [illegible]

Ibidem.

B ✝ M

HICRE | QVIES
SCIT B.M | MAN
FRITO | VIVI_
IN HOC | SAECV
L. ANN. | P.M.LII
DEPO | SITVM
EST V | D.PRID
ID.IAN | IND.II

Odelbertus, & *Manfritus* Langobardica nomina videntur, ac proinde ad eorum tempora referendam opinor Inscriptionem istam, quamquam Formulæ Sæcula vetusta sapiant.

Ticini effossa Anno Christi MDCCXV. e ruderibus Ædis Sancti Gervasii.

B. ☧ M.

ENNIAE VERAE FEMINAE RELIGIOSAE
QVAE VIXIT IN SAECVLO AN. XIII. M. V.
D. XII. CVM COMPARE VIXIT SINCERE
AN. XXV. VAL. CAMPANIANVS CO
IVGI DILECTISSIMAE P. DIE XII. KAL. OCTOB.

Subditur aliâ characterum figurâ.

I...... ET NEPOS EIVS SENA
TOR VIXIT ANNOS
IIII. ET DIES XIII.

Quei mulier hæc *in Sæculo*, hoc est *in Mundo* vixisse dicatur *Annos XIII.* tum vixisse cum marito *Annos XV.* non assequor. Fortassis exciderit quadratario nota L. & scriptum fuerit *An. LXIII.*

Romæ.

GERONTIO ET CONSTANTIO PATER INFELIX.
VOS EQVIDEM NATI CAELESTIA REGNA TENETIS,
QVOS RAPVIT PARVOS PRAECIPITATA DIES.
AT MIHI QVAE REQVIES ONEROSA IN LVCE MORANTI,
QVOI SOLVS SVPEREST ET SINE FINE LABOR·
QVAM MALE DE VOBIS FALLACIA GAVDIA VIDI,
ET DECEPTVRVS ME IVGVLAVIT AMOR!
REDDEBAR TENERIS IN VULTIBVS, IPSAQVE PER VOS
TEMPORA CREDEBAM LAPSA REDISSE MIHI.
SENTIO, QVID FACIAT SPES IRRITA. PESSIMA SORS EST
SVPPLICII AFFLICTO, QVEM SVA FATA PREMVNT.

Dubitari tamen potest, an hæc pertineat ad Christianos.

In

In Oppido Brixelli, olim Civitate, ad Padum.

P. TERENTIVS
P. L. SYNTROPHVS
HIC REQVIESCIT

Aliquando *REQVIESCIT* in tumulis Paganorum legitur; frequentissime verò in Christianorum monumentis.

Romæ apud Prosperum Mandosium Equitem, V. Cl. amicum olim meum.

PASCASVS VIXIT
PLS MINVS ANNVS XXII.
FECIT TATV IIII. IDVS
OCTOBIS ϛII. ANTE
NATALE DOMNI AS
TERI DEPOSITVS IN
PACE A ☧ ω ☧

Me heic remorantur verba illa FECIT TATV. Num pro *Fecit Pater*? *Tata* enim appellatus olim Nutritor aut Pater, uti in Dissertatione XXVIII. *de Origin. Italicar. Vocum* dixi. Heic autem habes eamdem notam numeralem ϛ, de qua nuper egimus, ita ut significet *Depositum* hunc virum *octavo die ante Natale Domni Asteri*. Sed quis *Asterius* iste? Num *Sanctus Asterius Presbyter & Martyr*, cujus Natalis in Martyrologio Romano refertur ad diem XII. Kalendas Novembris, sive ad diem 21. Octobris, cujus Corpus apud *Ostia Tiberina* honoratur? An potius *Asterius* aliquis inter Proceres Romanos, qui *Domnus*, hoc est *Dominus* Paschasii istius, videlicet Servi, fuerit? De nobilissima & Consulari *Asteriorum* gente vide, quæ habeat Norisius Cardinalis eximius, Dissertat. IV. Cap. II. §. I. in Cœnotaph. Pisanis. Nonnulla & ego attuli Tomo I. pag. 143. Anecdotor. Latinorum. Sed omnia heic congruere videntur in *Martyrem Asterium*. Nam in Martyrologio Hieronymiano Florentinii, in Strozziano, in Appendice ad Martyrologium Adonis, Sancti Asterii Martyris Romani festus dies recurrit *die XIX. Octobris*, non autem *XXI.* ut in Romano, aliisque Martyrologiis. Computa a *Die IV. Idus*, sive a *Die XII. Octobris* ad diem XIX. habes *VIII. dies* ante Natalem Martyris Asterii.

Mutinæ in ædibus Johannis Rangonii Marchionis.

PHILADELFO
QVI IN SECVLO FVIT
ANN. XXI. M. VII. D. XIII.
EVTHYMVS ET PHILADELFIA
FILIO

A *Romæ in Sancti Nicolai in Carcere.*



ASSVRIVS
IN PACE
ONESIMVS
FRENE

Subsequentem Inscriptionem, Anno Christi CCCXCVII. confectam evulgavit Fabrettus Cap. 4. Num. 128. Inscriptionum Antiquarum, sed mutilam. Integram ego, & accuratius de-
B scriptam dabo e schedis MStis doctissimi viri Dominici Passionei, qui olim apud Cæsarem Apocrisarii, seu Nuntii Apostolici, munere summa cum laude fungebatur, nunc amplissimi S. R. E. Cardinalis.

Romæ ad Sanctæ Mariæ in Via Lata.

SANCTAE CONIVGI CAELESTINAE
QVAE VIXIT ANNIS XX. MEN
SEN I. DIES XXII. FECIT AVTEM
CVM AMPLIATO MARITO ANN
IS IIII. DIES XXI. BENEMERENTI
IN PACE DEPOSITA VIIII. KAL. I
VNIAS. HILARITATI FILIAE BE
C NE MERENTI IN PACE QVAE
VIXIT ANNIS XXIII. M. VIII.
D. XXVIII. FECIT CVM MARITVM
ANNOS V. DIES VI. DEPOSITA IIII.
NON. IVL. CAESARIO ET ATTICO CON.

Salonæ.

DEP.	FL. IVLIVS ZACONVS ET
IVL	AVRELIA MERIA CON
ZACO	IVX EIVS HOC SARCOFA
NIS	GVM SIBI VIBI POSVERVNT
DIE III.	SI QVIS POST NOSTRAM PAV
NOVEM	SATIONEM HOC SARCOFA
BRES	GVM APERIRE VOLVERIT IN
DATIA	FERAT ECCLESIAE SALON. AR
NO ET	GENTI LIBRAS QVINQVAGINTA
CEREA	
LE COSS.	

D

Ad Annum Christi CCCLVIII. pertinet hæc Inscriptio, posita *Flavio Julio Diacono*; Veteres pro DIA, Afrorum, sive Doricæ Dialecti more, aliquando dixerunt *ZA*. Apud antiquissimum Poëtam Christianum Commodianum *Zacon* pro *Diacon*, seu *Diaconus* occurrit. Ita *Zabulus* pro *Diabolus*. Communis Eruditorum opinio est, Diaconos etiam Sæculo Christi Quarto continentiæ addictos fuisse. Sunt in hanc rem Siricii Papæ, tum Innocentii I. Am-
E brosii, aliorumque Patrum verba. Verùm Salonitanus iste Diaconus aut ex iis fuit, qui, ubi ad sacrum munus adlectus est, ab usu uxoris abstinuit (quod & Episcopi & Presbyteri faciebant) aut ex iis, qui teste ipso Siricio, hunc abusum improbante in Epistola ad Himerium, *de conjugiis propriis sobolem procreabant*. Ceterum in ipsa Urbe æterna etiam Sæculo V. subsequente Diaconi uxorati numerabantur, sed sublato inter eos carnis commercio. Refert Aringhius Rom. Subterran. Lib. 3. Cap. 3. Inscriptionem, Anno Christi CCCCLXXII. positam Romæ in Basilica Sancti Pauli.

LEVI-

LEVITAE CONIVNX PETRONIA, FORMA PVDORIS,
HIS MEA DEPONENS SEDIBVS OSSA LOCO.
PARCITE VOS LACRIMIS DVLCES CVM CONIVGE NATAE,
VIVENTEMQVE DEO CREDITE FLERE NEFAS. &c.

Altera ibi Inſcriptio legitur, *Adeodato Diacono* poſita, & *Mariæ*, illius, ut videtur, uxori. Apud Fabrettum Cap. X. pag. 758. in Romana Inſcriptione occurrit:

DOMETIV DIAC. ET ARCARIVS
SCAE SEDIS APOSTOL. VNA CVM
ANNA DIAC. EIVS GERMANA

A

Hæc ſcilicet *Anna*, ut opinor, illius Conjux exſtitit; ſed ex quo Diaconatum inierat, facta *Germana*. *Sorores* nempe appellabantur Uxores Presbyterorum & Diaconorum, quod uti Sorores, non uti Uxores, haberentur. At ſuſceptum iter progrediamur.

Romæ in Sancti Apollinaris.



AVR. CANDIDIANAE. BENE. QVESQVEN
TI. IN. PACE. QVAE. VIXIT. ANNIS. XXXI.
MENSES. VIIII. CVM. MARITO. FVIT. ANNOS.
XI. MENSES. VIII. DIES. X. DEPOSITA. KAL.
APRIL. CONSTANTINO. AVG. II. ET. CONSTANTE. AVG. COSS.

Queſquenti pro *Quieſcenti*. Uti e Conſularibus Faſtis habetur, pertinet Inſcriptio hæc ad

B

Annum Chriſti CCCXXXIX. Sed pro *Conſtantino* legendum *CONSTANTIO*.

Ibidem in Sanctæ Agnetis pro fulcro altaris.



HVIC TVMVLO QVIESCET TOTIVS FI
INTEGRITATIS HOMO OPINIONIS BONI AV
RATIONE FIDELIS MENTIS INTEGRAE
AMICORVM OB HOC IGITVR NEOFITVS SPAC
AVFINIANVS QVI VIXIT ANNIS XLII. DEPOSITVS
DD. NN. ARCADIO IIII. ET HONORIO III. AVG.
COS.

Conſules iſti Annum Vulgaris Æræ CCCXCVI. deſignant. *Aufinianus* autem heic memoratus, quum *Neophytus* appelletur, prodit, ſe Anno ætatis ſuæ quadrageſimo ſecundo, ac vitæ ſuæ poſtremo, ad Chriſti lavacrum acceſſiſſe. Ex iis fortaſſis fuit, qui ad ægritudinem, mortiſque periculum gratiam Baptiſmatis, pro more parum laudabili eorum temporum, diſtulit.

C

Mediolani in Sancti Ambroſii.



TIGRIS SE VIVA FECIT SIBI DOM
NALEM

Hoc eſt *Domum Æternalem*.

Ibidem in Sancti Simpliciani.

B. M.
HIC REQVIESCIT IN PACE LAVRENTIVS
QVI VIXIT ANN. PL. M. LXV.
DEPOS. SVB D. XV. KAL. DECEMB.
ET IO. CON.

Si *Johannem Conſulem*, ut veri videtur ſimile, Inſcriptio iſta deſignat, referenda eſt ad Annum Chriſti CCCCXCVIII aut ad CCCCXCIX.

D

Salonæ.

DEPOSITIO VALE
RIANI INFANTIS
X. KALENDAS AV
GVSTAS

Romæ in Sancti Pauli.

LOCVS BASILI PRESB.
ET FELICITATI EIVS SIBI FECERVNT.

Ibidem.

NE DVBIVM LONGO QVAERAT
THEODVLI TIBI NOMEN ERAT, QVAE GRATA PARENTI
REDDIDERAS SVBOLEM, PARI DICATA MARITO
NVNC TE TELLVS HABET. SEPTEM POST DECE PERACTOS
EXEGERAS FASCES. EV TEGIT OSSA SEPVLCRVM
HAEC TIBI PRO MERITIS PENDO MERENTIA VOTA
DEP. V. ID. SEPTEMB. D. N. HON. AVG. III. CONS.

Nota Conſularis Annum Chriſti CCCXCVIII. indicat.

Romæ

Romæ in Sanctæ Sabinæ.

IVSTA QVE BIXIT ANNVS L.
MENSIS V. DIES XX. DEPOSITA
XVII. KAL. OCTOBRES IN PACE

Hisce adjunctam volo Inscriptionem, Anno MDCCXXVIII. detectam in insigni Basilica Sanctæ Agnetis extra mœnia Romæ, quum il- A lius pavimentum resarciretur. Eam humanissime mecum communicavit præstantissimus Antiquitatum Romanarum investigator, Marchio Alexander Capponius, multis mihi titulis semper commendandus. Inscriptionis Auctor Sanctus Damasus Papa circiter Annum Christi CCCLXX. Et eam quidem jam editam habebamus inter Sancti ipsius Pontificis Opera, sed non uno in loco deformatam, uti e collatione constabit.

Carmen Sancti Damasi Papæ de Sancta Agnete Martyre, ut est in editis.

„ FAMA REFERT, SANCTOS DVDVM *GENVISSE* PARENTES:
„ *AVGMENTVM LVGVBRIS* CANTVS TVBA *DVM CREPVISSET*,
„ NVTRICIS GREMIVM SVBITO LIQVISSE PVELLAM,
„ SPONTE *TRVCES* CALCASSE MINAS RABIEMQVE TYRANNI.
„ VRERE CVM FLAMMIS VOLVISSET NOBILE CORPVS,
„ VIRIBVS IMMENSVM PARVIS SVPERASSE TIMOREM,
„ *NVDAM PERFVSOS CRINES, ET* MEMBRA DEDISSE,
„ NE DOMINI TEMPLVM FACIES PERITVRA VIDERET:
„ O *AGNES VERVM* DECVS, ALMA PVDORIS *IMAGO*,
„ VT DAMASI PRECIBVS FAVEAS, PRECOR, INCLYTA *VIRGO*.

Idem Carmen expressum e marmore, quod Anno MDCCXXVIII. emersit Romæ.

FAMA REFERT SANCTOS DVDVM RETVLISSE PARENTES
AGNEN; CVM LVGVBRES CANTVS TVBA CONCREPVISSET.
NVTRICIS GREMIVM SVBITO LIQVISSE PVELLAM:
SPONTE TRVCIS CALCASSE MINAS RABIEMQ; TYRANNI;
VRERE CVM FLAMMIS VOLVISSET NOBILE CORPVS,
VIRIB; IMMENSVM PARVIS SVPERASSE TIMOREM;
NVDAQVE PROFVSVM CRINEM PER MEMBRA DEDISSE,
NE DOMINI TEMPLVM FACIES PERITVRA VIDERET.
O VENERANDA MIHI, SANCTVM DECVS, ALMA PVDORIS,
VT DAMASI PRECIB; FAVEAS, PRECOR, INCLYTA MARTYR.

Alteram quoque Inscriptionem in pavimento ejusdem Basilicæ Sanctæ Agnetis detectam prælaudatus Illustrissimus ac eruditissimus Mar- B chio Alexander Capponius ad me misit, quam publici juris nunc facio.

PRESBITER HIC SITVS EST, CELERINVS NOMINE DIO,
CORPOREOS RVMPENS NEXVS, QVI GAVDET IN ASTRIS.
DEP. VIIII. KAL. IVN. FL. SYAGRIO ET EVGERIO.

Pertinet ad Annum Christi CCCLXXXI. Epitaphium. E schedis MStis Severi Minervii C Spoletini alteram hanc decerpsi.

Spoleti, fragmentum in vestibulo domus ipsius Minervii.

QVAMVIS LAEVA TVOS PROPERANS MORS RVPERIT ANNOS,
NEC RATA SINT VITAE TEMPORA LONGA TVAE:
SVNT TIBI PRO RAPIDO TAMEN HAEC SOLATIA LETO,
QVOD CLARA GENERIS NOBILITATE VALES.
FLORET CELSA DOMVS SVBOLES, CLARIQVE NEPOTES:
NON EST IN CASV MORS METVENDA TIBI.
NEC TE SOLLICITAT SAEVISSIMA CVRA MINORVM,
ET SERVAT CASTOS VXOR AMATA TOROS.
[illegible] PROPTER IOHANNES GAVDIA VITAE
[illegible] IAM CARITVRE DIE.
[illegible]

Spoleti,

Spoleti, in Sancti Laurentii ad Collem deliciarum.
Ex eiſdem Minervii Shedis.

HIC AVIAM NEPTEMQVE LOCVS POST FATA RECEPIT,
QVASQVE DIES OLIM FECERAT VNANIMES.
EVOLAT AD SVPEROS; MENTIS QVOQVE GRATIA SIMPLEX,
SEPVLCRVM DVPLEX CORPORA NVNC SOCIAT.
ALTERIVS PRÆSTANT VOTIS. SIC LVMINE VERO
TVNC IACVERE SIMVL NISVS ET EVRIALVS.
PROBATIA AVIA DP. XIIII. KAL. NOVEMB.
CONCORDIA NEPVS DP. PRID. KAL. SEPT.

Ibidem in Æde Sancti Floriani apud Villam Sanctæ Crucis,
modò apud Jacobum Philippum Leoncellum.
Ex eiſdem Schedis.

RAPTA IACET NATIS, QVOS MATER AD VBERA LIQVIT,
ATQVE VIRO PARITER, QVEM CITO DESTITVIT.
TRISTE MINISTERIVM GEMINI SOLVERE PARENTES
FVNERE DE TANTO, QVOS COQVIT IPSE DOLOR.
DEPOSITO SVPERÆ DIEM QVINCTVM KL. IVLIARVM,
CONSVLE CONSTANTIO V. C. QVAE VIXIT ANN. XXVII.

Legendum DEPOSITIO. Conditum Epitaphium Anno Chriſti CCCCXIV. arbitror, quo *Conſtantius* in Occidente Conſulatum geſſit. In Schedis quoque meis Inſcriptionem deprehendi, *Tuſcanellæ* (quæ olim *Tuſcania* Civitas) in vetuſtiſſima Baſilica Sancti Petri, A olim Cathedrali. Illam ad me miſit doctiſſimus vir Sebaſtianus Dinius Tuſcanellenſis, qui me monuit, tabulam marmoream olim truncatam fuiſſe, ut ad menſuram altarioli accommodaretur, eâque de cauſsâ initiales literas excidiſſe.

Tuſcanellæ in Sancti Petri.

S MARCELLINVS PATER BENEMERENTI
A EIVS CONTRA BOTO BISOSOMVM FECIT IN PACE
E FILHIE INNOCENTISSIME IVNIHE MARCELINE
VIXIT ANNIS XIII. MENSIBVS III.

CONTRA BOTO eſt idem ac *contra votum*, formulâ parentibus familiari, quum liberos ſibi caros ad tumulum præmittebant. *BISOSOMUM* eſt pro *Biſomum*, quæ vox locum ſignificat conſtructum, ut ibi duo corpora condan- B tur. Helleniſmus eſt ad Latinos translatus. Alteram Inſcriptionem addo, quam ex eadem Baſilica deſcripſit, & communem mihi fecit amicus Dinius.

Ibidem in Sancti Petri.

INNOCENTISSIMO FILIO THEODOSIO
CVIVS PRAECIPVA CLARITAS SVADET D.
CVIVS EGO PATER PERENNI LVCTV PERCĪVS
TALEM FILIVM SVPERSTITEM HABERE N̄
MERVI. QVI VIXIT ANNIS XVIII.
QVIEVIT IN PACE XIII. KAL. OCTOB. DD. NN.
HONORIO VII. ET THEODOSIO II. AVG.

Nomen Patris in ſecunda linea, per literam D. expreſſum, in obſcuro latet. In tertia linea legendum eſt *Percitus*. In quarta verò *Non*. Spectat Inſcriptio hæc ad Annum Chriſti C CCCCVII. Unum denique ſepulcrale Epigramma accipe, barbaricorum temporum fœtum.

Mediolani in Sancti Vincentii.

HOC RECVBAT TVMVLO, NVPER CONFOSSVS IN ISTO,
VIR HVMILIS, FORMAQVE MICANS, DVM VIVERET AEVO;
HILDERAMNVS ERAT PROPRIO DE NOMINE DICTVS,
QVEM DOMINVS VALLIS DE NOCTE VOCAVIT AD ASTRA,
AETERIA FELIX IVDEX IN ARCE LOCATVS.
IVSTVM IVDICIVM LEGEMQVE TENEBAT IN AVLA.
HVIC FVERAT CONIVX, ALTA DE GENTE CREATA,
SAGINTRVDA FORE PROPRIO DE NOMINE DICTA:
ANTE PEDES TVMVLATA VIRI CVM PACE QVIESCIT.
O FACTOR HOMINVM HIS NVNC MISERERE ALVMNIS.
ANNO INCARN̄S D̄ N̄ I̅ X̄. DCCCCII. INDIC. VI.

Redeo

Redeo ad Inscriptionem Patavii nunc existentem, in qua trium Christi fidelium fit mentio, *Hilarii* scilicet, *Heracliæ*, & *Liberii*: quorum sepulcrum, ut veteres ajebant, *Trisomu* fuerit, hoc est, tria corpora conclusa habuerit. Nullum ibi, si verba expedimus, mortis pro Christo toleratæ vestigium. Unum dumtaxat Signum occurrit, nempe Virgultum illud



quod *Palmam* interpretari mos est. Hæc autem Martyrium indicare passim creditur. At heic nodus extemplo fit obvius. Palma una in isto lapide insculpta visitur, unum *Hilarium* respiciens. Num ergo Martyres quoque dicere fas est *Heracliam* atque *Liberium*? Equidem non auderem. Si verò unus Martyr: quei factum est, ut non unum, sed duo Corpora Patavium delata, & Fidelium cultui exponenda fuerint? Præterea quei inter tria in uno sepulcro condita corpora, illud seligi potuit, quod tormenta pro Fide Christi tolerata gloriosum effecerant? Verùm non heic tota difficultas. Restat quippe perpendendum, an eadem Inscriptio unum saltem Martyrem Christi nobis certissime exhibeat. Sæculo dumtaxat proxime præterito inquiri cœptum est accuratius, atque ex professo in Signa, quibus distinguerentur Corpora Sanctorum Martyrum a reliquis Christianis olim tumulatis in admiranda structura tot Cœmeteriorum extra Romanam Urbem existentium: *Catacombe* appellamus. Magnum hinc sibi nomen peperere, remque plane utilissimam tum sacræ tum profanæ eruditionis cultoribus præstitere Presbyteri Oratorii Romani Bosius, Severanus, & Aringhius in insigni Opere *Romæ Subterraneæ*. Doctissimi autem isti viri in eam tamdem concessere sententiam, sive opinionem, per *Palmæ* Signum tumulis Christianis adjectum significari Martyrium ac mortem quam fortiter pro Christi nomine veteres Christiani, Romæ præsertim subiere. Et Bosius quidem Lib. 4. Cap. 44. pag. 684 scribit: *La Palma si vede in pochi Sepolcri*: quod ego sum miratus, quum is antea nos monuerit, multas in multis Cœmeteriis Palmas insculptas conspici. Immo is monumenta recensens Cœmeterii Callisti, Lib. 3. Cap. 23 pag. 319. subdit: *Ne' sopradetti Monumenti vi sono effigiate INFINITE PALME, & altri simili Segni di Christianità*. Celeberrimis deinde viris Danieli Papebrochio e Societate Jesu, in Actis Sanctorum, & Johanni Mabillonio Benedictini Ordinis in Gallia olim insigni ornamento, in Epistola *de Cultu Sanctorum Ignotorum*, ejusmodi sententia non satis firma visa est: atque ii tum solùm rati sunt, Martyrum Corpora per Palmam revera prodi, quum ei deprehenditur adjunctum Vas aliquod, sacrum olim eorum sanguinem continens. Immo & ante illos doctissimos Viros Scacchius Pontificiæ Cappellæ Præfectus eodem tempore, hoc est sedente Urbano VIII. Papa, dubium Martyrii Signum rationibus multis Palmam ostenderat. Adde Franciscum Mariam Torrigium (ut alios omittam) qui in Libro, cui titulus *Le sacre Grotte Vaticane*, Romæ impresso Anno MDCXXXIX. Part. 2. Cap primo, memoriæ prodidit, Palmam interdum indicare *Cristiano non martirizzato*. Quorum sane argumenta Aringhius Lib. 6. Cap. 44. sibi objicit, ac modeste refellit, *suam sententiam probabiliorem ducens, contrariam tamen haud omnino rejiciens, neque improbans*. Verùm nostris temporibus egre- A gium nacta est *Palma* patronum, Eruditissimum nempe Virum Marcum Antonium Boldettum Canonicum Romanum, dignum in hujusmodi palestra doctissimorum virorum successorem; quippe qui Anno MDCCXX. Romæ typis tradidit elaboratum Opus *de Cœmeteriis Sanctorum Martyrum, & veterum Christianorum*. Is autem Libro Primo a Cap. 42. usque ad Cap. 55 contrariam sententiam oppugnans, fusissime hoc argumentum versat, atque rationibus bene multis, veterumque simul ac recentiorum Scriptorum auctoritate nixus, contendit, *Palmam* in tumulis Christianis certissimum esse Martyrii Signum ac indicium. Inter cetera tradit, Sacram Congregationem Romanam B Reliquiis præfectam Anno MDCLXVIII. examen instituisse *de Notis, ex quibus veræ Sanctorum Martyrum Reliquiæ a falsis & dubiis dignosci possint*: ac censuisse, *Palmam, & Vas, illorum Sanguine tinctum, pro Signis certissimis habenda esse*: ac propterea Palmam, etiamsi Vas desit, certum esse testem Martyrii. Equidem si de interpretatione illius Decreti (quod tamen Papebrochio & Mabillonio minime ignotum fuit) nulla amplius dubitatio restat, novi, quale obsequium ei sit deferendum, & continuò tantis Viris potiùs, quàm mihi, nullo negotio credam. Sed quando præter prædictos celeberrimos Scriptores Clarissimus Vir Raphaël Fabrettus, quamquam Romæ positus, & C hujus quoque eruditionis sacræ consultissimus, quippe Martyrum Corporibus eruendis ex Urbanis Cœmeteriis olim Præfectus, ab ejusmodi opinione se alienum palam prodidit: liceat heic mihi, dubitationes aliquas exerere, non ut Boldetto doctissimo viro, ac de sacra eruditione egregie merito, adversarium me præbeam, sed ut uberiorem ab illius doctrinâ lucem aliquando mihi & aliis procurem. Me heic, ut & alibi, ducit unica Veritatis cupiditas & amor, quam piis & doctis viris omnibus super omnia cordi futuram esse credo.

Certe Fabrettus Cap 8. pag 555. Inscriptionum Antiquarum (qui Liber Anno MDCXCIX. Romæ in lucem prodiit) auctor est, D se, dum pergeret ad dignoscenda Martyrum Corpora, quorum gloriosam mortem nulla Inscriptionum verba testabantur, scrutatum fuisse, an tumulis appositum deprehenderetur Vas, aut Ampulla Sanguinem sacrorum pugilum olim continens. *Hodie*, inquit, *similes ampullæ vitreæ sanguineâ & purpureâ crustâ obductæ Frequentissime in sacris Cœmeteriis juxta Martyrum loculos, quâ capita recumbunt, reperiuntur: certissimo effusi pro Christo Sanguinis argumento, quo Præcipue, immo & Unico usus sum, dum Sacrarum Reliquiarum extractioni & custodiæ præfui*. Quæ fuerit eruditio Fabretti, nemini ignotum est in re Literaria paullulum progresso. Is etiam, ut vidisti, a E Summo Pontifice Judex, ut ita dicam, Reliquiarum sacrarum ex Arenariis eductarum electus, eo per triennium functus est munere, quo nunc summa cum laude fungitur Boldettus. Is denique fassus est, *Unicam* sibi Martyrii certissimam Notam fuisse Vas, colore sanguineo tinctum. Quare is minime arbitratus est, e solâ Palmâ appositâ certum Martyrii indicium hauriri posse. Qua ratione sese doctissimus Boldettus Cap. 45. expediat ab auctoritate Fabretti, quem suæ opinioni conformem antea Mabillonius attulerat, non est cur ego edisseram. Certe si Fabrettus Decretum non ignoravit, uti Boldettus contendit, inde infer-

re fas erit, cenfuiffe illum, conftitutum fuiffe in Decreto, Palmas tum pro Signis certiffimis Martyrii habendas, quum *eis junctum eft Vas Sanguine tinctum*. Quæ etiam Papebrochii & Mabillonii fententia fuit. Fabretto autem oblatos numquam in Cœmeteriis fuiffe loculos Palmâ infignitos, arbitratur quidem Boldettus. Id ego difficile credam ex iis, quæ infra adferam. Attamen etiamfi id ftatuas, negari tamen nequit, quin *Romam Subterraneam* Bofii & Aringhii vir folertiffimus non femel legerit, eorumque fententias & Infcriptiones Palmis ornatas rite expenderit. Immo ipfe quoque tum ex eodem Libro defcriptas, tum alias a fe collectas Infcriptiones, Palmâ ornatas, ut infra oftendam, in fuum eruditum Opus intulit, & nihilominus Vafa Sanguinolenta fe pro *Unico Martyrii Signo* habere non diffitetur. At ne qua de Fabretti mente dubitatio fuperfit, vide Cap. 8. num. 25. pag. 559. Infcriptionem hanc e *Cœmeterio Beati Caftuli* eductam.

D. M.
DIONYSIAE
MARCION CO
NIVGI KARISSIM
B. M. FEC. QVAE VIX
AN. XIIX. M. D. XXV.



Tum fubdit: *Locus ipfe, ubi reperta fuit hæc Tabella, itemque Corona cum Palmis fubdita, Dionyfiæ Chriftianitatem afferunt*. Literas D. M interpretatur *Deo Magno*, feu *Maximo*. Neque *Martyrii*, fed *Chriftianitatis* dumtaxat, fignum is inde elicit.

Ad hæc non defunt, qui dubitant, an *Palmarum* nomine revera donanda fint figna illa, quæ in Chriftianorum Sepulcris fæpe occurrunt fub hacce figura . *Cupreffi* funebris frondes Mabillonius ea putavit. Papebrochius *Virgulas*, fenfus divifivas. Gorius in Notis ad Infcriptiones Tufciæ Tom. I. pag. 265. ea Signa *Surculos*, five *Virgulta* appellat. Et profectò non leve difcrimen animadvertas inter Palmarum frondes & Signa illa, quæ nihil aliud præ fe ferunt, nifi ectypon Frondis Arborum, modò cum foliis, modò fine foliis, ut heic vides , & in aliquot lapidibus ramulum *Cupreffi* tantummodo delineatum referre viden tur. Quod fi Palmas exprimere antiquis Chriftianis in animo fuit, cur quæfo tam imperite egerunt, ut Cupreffi, aliorumve arbufculorum Signum nobis præberent? At rudes erant atque inexperti Chriftiani illi, refpondet Boldettus; interdum quoque metu ac feftinatione premebantur, ita ut *in calce* figuram Palmæ imprimerent. Celebratiffimus quoque Philippus Bonarota Senator Florentinus in Explication. Vitror. Sepulcral. fcribit, confueviffe Chriftianos in fubterraneis Cœmeteriis Palmam infcribere *con uno ftecco*, ideft cum acuto fruftulo rami alicujus. Ita fane fuerit. Sed quum eamdem plane figuram in marmoreis tumulis infculptam intueamur, immo

A & in lapidibus, qui hominum effigiem, feu anaglypha varia præferunt, imperitiæ & præcipitis fcripturæ excufatio tollitur. Neque *Cupreffum* ex Chriftianorum tumulis exclufere Bofius & Aringhius, uti e Romæ Subterraneæ Libris patet; ac præcipue quum ejus ftabilis *viriditas*, a Sancto Ambrofio in Pfalmum 118. *Juftorum* figuram exprimere dicatur. *Surculi* quoque & *Virgulta* aliarum Arborum, Refurrectionis & Vitæ æternæ fymbolum fuere Patribus, inter quos Cyrillus Hierofolymitanus Catechefi 18. ait: *Tunc verò arbor excifa rurfus floret; homo autem excifus non florebit? Et Surculi Vitium, aliarumque Arborum Excifi, & transplantati revirefcunt &*
B *fructificant: homo verò, propter quem & illa funt, cadens in terram non excitabitur?* Ejufmodi Surculorum feu Virgultorum formam videre te puta in Chriftianorum tumulis. Præterea Palmam alia ratione expreffam ab antiquis confpicimus. Vide apud Gruterum Infcription I. pag. 539. ubi Palma fub hac figura exhibetur . Vide figuram eamdem in Vitro apud prælaudatum præftantiffimum Scriptorem Bonarotam. Vide marmoreum Sarcophagum Vaticanum Lib. 2 Cap 10 pag 253. 255. 297 & 321. Romæ Subterran. Aringhii. Alia exempla prætermitto Non plus utique negotii fuiffet antiquis Chriftianis,
C etiam feftinantibus, etiam imperitis, fub eâdem formâ effingere Palmam, fi Palmam reapfe infcribere decreviffent.

Ceterum non is ego fum, qui *Palmarum* nomen Signis ejufmodi negare mordicus velim. Id unum potius contendo, fcilicet recurrere adhuc difficultatem, quam minime diffimulavit, immo folvendam fibi fumfit fupralaudatus Boldettus: ejufmodi nempe Symbolum ac fub eâdem figurâ, commune fuiffe omnibus Chriftianis in figno Fidei decedentibus. Immo illud fpectari etiam in Gentilium hominum Sepulcris. Sex id genus Infcriptiones in integro Thefauro Gruteri Boldettus reperit, Palmamque ibi fcriptam ait in fignum *Victoriæ*
D alicujus five in bello, five in ludis, five in patrocinio cauffarum reportatæ. Quod quidem etfi demus, nihil difficultatem minuit: eâdem quippe ratione omnium *Juftorum* Chriftum colenti m Victoria de vitiis defignari potuit. Et revera Symbolum *Juftorum* omnium apertiffime Palmam ftatuerunt Ambrofius, Gregorius Magnus, Caffiodorius, Beda &c. uti jampridem Auctores Romæ Subterraneæ animadverterunt. Verùm fi quis neget, ab Ethnicis ufurpatam fuiffe Palmam in unius Victoriæ fignum, quid, rogo, tunc reponendum reftabit? Atqui Gruteriana Infcriptio, quæ legitur pag. 967. Palmam infcriptam gerens, pofita eft *Clodio Liberto*, & *Clodiæ Libertæ*, fato
E poftremo functis. Altera quoque, pag. 1000. tribus *Libertis*, uni *Libertæ*, ac uni *Filiæ* pofita eft. *quinque* Palmis five Virgultis in marmore fignatis. Quænam Victoria in plebejis hifce viris ac feminis excogitari poffit, non video. Lapides etiam fepulcrales *Rufii Prætextati* ab eodem Boldetto memorati, & *L. Cæfonii* pag. 381. Thefauri Gruteriani, & *Fl. Eugenii* pag. 406. ejufdem Operis occurrunt, eodem Symbolo diftincti. At illi, inquies. viri fuere illuftribus muneribus functi. Eis Palma adfcripta fuerit ob Victorias in cauffis reportatas. Verùm animadverte, illos non cauffarum Patronos, fed Judices ac Magiftratus

fratus fuisse. Refert idem Gruterus pag. 781. Inscriptionem Tarracone positam, & a Boldetto prætermissam his verbis.

DIS
MANIBVS
P. FABI IANVARI
FABIA CHRYSIS VXOR
FECIT ET
CHRYSEROTI F. AN. XX.

A

Victoriam heic frustra quæras. Vide & Inscriptionem Gruterianam pag. 525. num. 5. positam *L. Aufusto* & aliis, ubi Palma sive Ramusculus visitur. Porro quum Clariss. Boldettus ait, se in vasto Gruteri Opere reperisse sex tantùm Ethnicas Inscriptiones, Palmæ symbolo ornatas, videat doctissimus vir, an sese subducere eâ ratione possit contrariæ sententiæ telis. Rogandus quippe est, ut animadvertat, plerosque lapidum eruditorum veteres venatores, ad colligendas dumtaxat Inscriptiones intentos, marmorum ornamenta & signa reliqua nequaquam descripsisse, aut minime evulgasse. Ubi diligentiam adhibuissent, quam post insignem virum Fabrettum præstitit multis nominibus commendandus Antonius Franciscus Gorius in editione Tomi I. Inscription. antiquar. Tusciæ, longe plura apud Gruterum marmora Gentilium haberemus, *Ramusculis* iis signata. Itaque Gorium consule. Is tibi e Museo Mediceo pag. 42. hanc inscriptionem dabit.

B

C

L. PONTIVS (rami frustulus) HILARO ET
ANTEROS ITALIAE

Alteram accipe e pag. 58.

M. VOLCI (rami frustulus) M. VOLCI
EVHEMERI HILARI

Ex aliis Florentinis Museis pag. 163.

(rami frustulus)
AGLA
APATI
MAGIA
PRIMA
(rami frustulus)

Pag. 170.

(rami frustulus)
DIS MANES
VENERIA COIVGI
SVO ISOCHRYSO
VIXSIT ANNIS
XXIII.
(rami frustulus)

Pag. 182.

ARVLENA L. L. Ↄ. T. L. (rami frustulus) L. ARL
RHODINE Ↄ. L. A
PHILOGENIS
HERACLIDAE ET PAMPHIL

Pag. 202.

COCCEIAE (rami frustulus) ANOPTES
NICENI
DEDIT ANOPTES
FABER FABER

Pag. 226.

(rami frustulus)

(rami frustulus)

D. M.
LICINIAE LV
CANAE LIB.
BENEMERENTI
FECIT
M. LICINIVS
FAVSTVS

Pag. 265.

L. AEMILI
(rami frustulus)

(rami frustulus)
BLASTI

D

Ad quam Inscriptionem hæc adnotat Gorius: *Surculi illi, qui in hac Vitrea Urna visuntur, alludere videntur ad nomen Blasti: nam* Βλαστός, *Latine Germen seu Surculus est. Patera media cum Surculis seu Virgultis hinc inde* PERSÆPE *in cippis sepulcralibus occurrit.*

Pag. 315. apud Equitem Franciscum Marmium.

(rami frustulus)
DIS ✱ M.
CORNEL
VIXIT M
IIII. ET CE
RIX PIEN
MA MERE
'ECIT

E

Pag. 351.

MVSAEVS MVNI (rami frustulus) PILIAE. M. L.
SATVRNINI QVARTAE
FECIT SIBI ET VXORI SVAE
VIX. ANN. XXII.

Pag. 352.

DIS MANIBVS
MATER ET PATER
DAPHINO FILIO
BIMVLO DONO
DEDIT



Pag. 368.

A. MEMMIVS (rami frustulus) MEMMIA
GAA APHIA

Pag. 370.

(rami frustulus) (rami frustulus)
C. ANNIVS ANNIAE
ATRATINI. L. PHILOGENES

A

Pag. 393.



M. CLODIVS (rami frustulus) CLODIA
MARO S [illegible] LIBVSA
VIXIT TRIMVS SIBI ET GRATO
DIES. XXVII.



B

Pag. 403.

(rami frustulus)
C. ASINI
VIRO B M
ET HELLAS. P

Pag. etiam 187 accuratissimus idem Gorius Inscriptionem Græcam adfert *Attalidi* sorori ab *Agathone* Ethnico viro posita cum Virgulti seu Palmæ additamento in calce lapidis. Hisce accedat Inscriptio, quam publici juris fecit singularis eruditionis, & numquam delendæ memoriæ vir Franciscus Blanchinius Veronensis, qui in Differt. de Sepulcris Libertorum ac Servorum Liviæ Augustæ, hanc e Museo Farnesio evulgavit pag. 69.

C

BYRAE CANACIANAE LIVIAE
AVG. SER. A VESTE MAGN.
TI. CLAVDIVS ALCIBIADES
MAG. A BIBLIOTHECA LATINA
APOLLINIS

(rami frustulus)

AGRIAE TRIPHOSAE VES
TIFICAE LIVIVS THEONA AB
EPISTVLIS GRAEC. SCRIBA
A LIB. PONTIFICALIBVS
CONIVGI SANCTISSIMAE

ITEM SCRIBA AB EPISTVLIS LAT. B. D. S. M.

Hæc Inscriptio Augusto Cæsare imperante marmore insculpta fuit. Fabrettus quoque

D

Cap. 4. num. 368. Inscriptionem hanc Ethnicæ feminæ positam refert.

D. M.
MARCIANE
QVE VIXIT
ANNOS XL.
TELESPHO
RVS COIVGI
B. M. POSVIT





Sed & ipse Boldettus Lib. 2. Cap. 9. alteram refert a se Romæ descriptam, quæ ad Augu-

E

sti ferme tempora pertinere videtur.



DIS MANIBVS
TI CLAVDIVS
AVG LEVPAES
A REGIONIB
ET CLAVDIAE VITALI
LIBERTAE SVAE ET
POSTERISQVE EORVM.



Lego TIBerius CLAVDIVS AVGusti Libertus EVPAES e Græco Εὔπαις, ideſt *Puer bonæ indolis*, aut *bona soboles*. Præterea aliam

Inscriptionem Ethnicam ab eodem Boldetto pag. 560. productam cum Virgultis inversis. Variis quoque exemplis ostendi potest, Symbolum

bolum idem, sive Ramulum adhibitum fuisse in Figlinarum notis, de quibus consulendus est Fabrettus Cap. 7. Inscription. Antiquar. & ipse Boldettus Lib. 2. Cap. 17. Alias Inscriptiones apud Gruterum habes cum Ramusculo foliis ornato; scilicet pag. 372. 423. 442. 454. 577. 578. ut alia loca omittam. Atque in iis omnibus Virgultum fuisse persuasum habeo, de quo nunc inter nos quæstio. Id quod satis fidenter ajo, quum eadem ipsa Inscriptio, quam nuper e Blanchinio decerpsi, Ramulum sine foliis gerat, atque eadem sit, quæ a Grutero producta fuerat pag. 587. num. 8. cum Ramulo frondente sive foliolo. Ita ut ingentem jam copiam habeamus parium apud Ethnicos sepulcralium Palmarum. Fabrettus quoque pag. 103. 131. 148. 313. 508. 510. 539. 543. 573. 622. 656. alias Inscriptiones adfert Signo eodem ornatas. Vide & eumdem pag. 313. Alias denique ego proferam, si Deus dabit, in Thesauro novo Veterum Inscriptionum, cujus tria volumina edita jam sunt Mediolani.

Quibus positis, jam tenemus, quanta antiquitate constet mos inscribendi in sepulcralibus monumentis hujusmodi *Virgulta*, sive *Ramusculos*, quos *Palmas* appellare ne ego quidem recuso. Atqui dum cernimus in Inscriptionibus plebejorum hominum, ipsarumque Feminarum Gentilium, appositum ejusmodi Ramulum, ipsumque subinde usurpatum fuisse a priorum Sæculorum Christianis: vereor, ut mentibus cautis persuaderi umquam possit, certum inde Martyrii Signum posse deduci, quoties in Christianorum tumulis occurrit, alio quocumque indicio effusi pro Christo sanguinis destitutus. Æquivocum quippe, dubiumque saltem symbolum est. Et quando in popularibus Paganorum Inscriptionibus nuper inspectis nullus se offert locus significandæ Victoriæ, id unum restat, ut aut Virgultis illis *Palmæ* nomen sit detrahendum; aut, si quidem Palmas velis, censeamus non indicari per eas Martyres, quandoquidem communis tam Ethnicis quàm Christianis esse potuit caussa atque animus effingendæ in monumentis Arboris illius, quemadmodum utrique Populo communia fuere tot alia Symbola sepulcralia; scilicet *Coronæ*, *Frondes*, *Olivæ*, *Racemi*, *Columbæ*, aliaque animalia, atque aliæ Arbores. Nonne & *Coronæ* symbola Martyrii? Attamen, quòd æque in Gentilium atque Christianorum tumulis occurrant, hanc præcipuam caussam arbitror, cur nondum quisquam statuerit, per eas unice sumtas Martyrum sepulcra designari. Neque per *Coronæ* symbolum significabatur dumtaxat in Christia-

A nis *Victoria Sæculi*: quod & ipsa *Palma* significare potuit. Cur enim plus heic tribuimus *Palmæ*, quam *Coronæ*? Quæ quum dico, ex abundanti dico. Neque enim opus est, ut ego rationem reddam, cur & Gentiles Palmam in suis titulis Sepulcralibus inseruerint. Sed contra aliam a mea opinionem sectanti est opus, solidam rationem proferre, cur in conformi hoc ritu diversa plane Gentilium & Christianorum mens fuerit. Attamen conjecturam meam exerere liceat. Ethnicis Palma non *Victoriæ* dumtaxat, sed etiam *Salutis*, *Felicitatis*, *Vitæ diuturnæ*, seu *æternæ*, *Perpetuitatis*, *Memoriæve perpetuæ* Symbolum fuit. Quod arbor ea sit, cujus folia non decidunt,
B & quæ semper virescat, ideo ad hæc significanda adhibita fuit. Boldettus Lib. Primo, Cap. 41. evulgavit hanc Inscriptionem, æneain tabula sculptam.



PRO SALVTE
IMP. CAESAERIS
M. AVRELI SEVE
RI ALEXANDRI
PII FELICIS AVG.
IOVI OPTIMO MAXIMO DOLICENO

C Non heic votum concipitur pro Victoria, sed pro *Salute*, *Incolumitate*, ac *Felicitate perpetua* Severi Alexandri Imperatoris. Hanc perpetuitatem ac Diuturnitatem *Palma* apposita significat. Ita in Sepulcris effinxisse Ethnici hanc Arborem videntur, veluti Signum perennis Memoriæ, perpetuæ Securitatis. Nam, uti exploratum est, sepulcrales tabulæ hanc sæpe formulam præferebant: *Memoriæ Æternæ*: *Memoriæ ac Securitati Perpetuæ*: *Securitati Æternæ*: *Quieti Æternæ*: *Incolumitati Æternæ*. Et in nummis ejusdem Alexandri Severi Augusti habetur hæc formula: PERPETVITATI AVG. Christiani verò & ipsi eodem Symbolo utentes, *Perpetuitatem* significabant
D Corporis simul & Animæ. Vitam quippe credebant æternam; & quamvis Corpus caderet, resurrecturum tamen, ac felicius erigendum, Palmæ ad instar, sperabant. Plerique etiam ex Ethnicis, etsi non Corporis Resurrectionem, Animæ tamen Immortalitatem certam habuere. Atque heic memoriæ meæ se ingerit Inscriptio Romana apud Gruterum pag. 1050 num. 3. hisce verbis concepta.

D. M.
AVRELIO BALBO VITA INTEGERRIMO
MORIBVSQVE ORNATO QVI SE QVIETIORIS
PERFECTIORISQVE VITAE DESIDERIO
EX NEGOTIIS CIVILIBVS IN QVIBVS
FVERAT CVM LAVDE VERSATVS
IOVIS OP. MA. BENEFICIO DVCTO
HIC IN SPE RESVRRECTIONIS QVIESCENTI
LOCVS PVBLICE DATVS EST.

Hircocervum heic vides. Si Ethnicus, quei illi *spes Resurrectionis*? In Schedis meis, quas ad Cyriacum Anconitanum referendas opinor, Inscriptio hæc *Romæ trans Tiberim* posita dicitur, ibique post VERSATVS legitur EXE-

E MIT, DEI OPTIMI BENEFICIO &c. quæ vulnus sanasse videri possint, & Christianum nobis referre. At nulla sane dubitatio superest de altero lapide Romano, quem Fabrettus Cap. V. pag. 378. produxit, posito M. MARCIO

CIO

CIO HERMAE Ethnico viro. Utriuque Phœnix, fabulosa avis, rogo imposita cernitur, Symbolum certè æternitatis, atque resurrectionis. Vide, quæ ad eam Inscriptionem idem Fabrettus adnotavit. Ut autem intelligas, usurpatam revera fuisse *Palmam* etiam præsagiendæ

A caussâ Salutis ac Felicitatis, accipe egregiam, magnique faciendam Inscriptionem, quam Romæ detectam misit ad me prælaudatus Marchio Alexander Capponius, is nempe nobilis ac doctissimus vir, quem honoris semper & grati animi causâ lubentissime commemoro.

SALVIS AC FLORENTIBVS DD. NN. HONORIO ET. THEODOS
PERPETVIS. SEMPER. AVGG. CAECINA DECIVS ACINATIVS
ALBINVS. VC PRAEF. VRBI. VICE SACRA IVDICANS
CELLAM TEPIDARIAM INCLINATO OMNI PARIETE LABENT
DE QVA CELLARVM RVINA PENDEBAT. ERECTORVM A FVN
DAMENTIS ARCVVM DVPLICI MVNITIONE FVLCIVIT
(palma) D. N. M. Q. EORVM (palma)

Ad hunc ipsum *Albinum Præfectum Urbi* pertinent geminæ Inscriptiones apud Gruterum pag 286. num. 7. & 287 num. 2 Ejus quoque mentio occurrit in Codice Theodosiano, & apud Macrobium, & Rutilium Claudium Numatianum. Hæc autem Inscriptio posita fuit ante Annum Christi CCCCXXIII. quo Honorius Augustus finem vivendi fecit. Anno autem CCCCXLIV. ut infra videbimus, Consul processit *Cæcina Decius Albinus*: idem-ne, an ejus filius, in præsentia non vacat exquirere. Duos diversos homines distantia temporis indicare videtur. *Cella tepidaria* Balneariam Cellam significat, in qua tepida ministrabatur, & de qua ceterarum *Cellarum ruina pendebat*. Erant in Balneis *Frigidariæ*, *Tepidariæ*, *Caldariæ* Cellæ. Testem habemus Plinium Lib. V. Epistol. 6. & Vitruvium Lib. V Cap. 10. Vidisti signatas in hocce monumento *Palmas*, non ut Victoriam, sed ut Salutem ac Felicitatem Augustis tunc imperantibus Albinus adprecetur. Hisce adde Inscriptionem apud Gruterum pag 464 num. 8. positam *Rufio Prætextato Postumiano filio magnifici viri Mariani Præfecti Prætorio, & Consulis Ordinarii*. Processit Consul Ordinarius Rufius idem Anno Christi CCCCXLVIII Ibi *Palma* inter duas Columbas insculpta. Hisce accedat nobilis Inscriptio Veronensis, quam debemus insigni illius Urbis illustratori Marchioni Scipioni Maffejo Lib. 7. Veronæ illustratæ. Eam quoque antea protulerat Fabrettus Cap. 8. pag. 564. Inscription. Antiquar. sed sine symbolis.




DEO MAG
NO AETERNO
L. STATIVS DI
ODORVS QVOT
SE PRECIBVS
COMPOTEM
FECISSET
V S L M



Censet Clariss. Maffejus, ad hominem Christianæ Religioni addictum, & saltem ad Tertium Æræ Christianæ Sæculum spectare ejusmodi epigraphen. Idem censuit & Fabrettus: quorum sententiæ subscribendum quisque fateatur. Quod solùm dubitatione minime caret, parum exacta Latinitas persuadere cuiquam possit, serius etiam vixisse Statium istum Diodorum. At ibi (hoc autem Fabrettus neglexerat) in uno latere *Palma* visitur, in altero *Corona* oleagina, uti certos nos facit accura-

B tissimus idem Marchio Maffejus. Nemo autem non intelligat, Inscriptionem positam fuisse ab illo, dum in vivis esset: ac proinde Palmam referri ibi non posse ad hominem pro Christi Fide martyrio vitâ functum. Faventiæ quoque in æde Sanctimonialium Sanctissimæ Trinitatis lapis visitur, uti me monuit Cl. V. Sebastianus Paulius e Congregatione Matris Dei, Theologus Augustissimi Imperatoris Caroli Sexti, cum hisce literis & Palma sive folioso Surculo ad latus.



VITTORA ANNORV
C XV INIRVS HVC A

Explicet qui vult postrema verba. Pro INTVS, aut INTRO fortassis sumenda sunt. Hæc autem Inscriptio, cui adnexus est Ramulus, seu Palma, sive ad Ethnicam, sive ad Christianam puellam, ut mihi verisimilius videtur, pertineat, nemini umquam Martyrem indicabit. Quare Palma in Christianorum vitâ functorum monumentis idem ferme significat, ac *Vivas in Deo*, *in Christo*: *Vivas in æternum*; quæ formulæ in illorum memoriis frequenter occurrunt, & Christianum, perpetuo vitam ducturum, felicemque futurum, non verò D Martyrem, indicant. Aut etiam Palma ad Corporis Resurrectionem spectat, quam Christiana Religio e divini Magistri verbis hausit. Sanctus Paulinus Nolanus in Natal. XIII. a me primùm tenebris erepto, dum Pinianum V. Cl. laudat, *Pinum* arborem describit semper viridem. Tum subdit:

Hæc igitur typus est æterni Corporis Arbor.

Quos nunc Ramulos in tumulis veterum Christianorum cernimus, *Pineos* fuisse, suspicari licet. Quod si *Palmeos* malis, negare tamen nequeas, quin & ipsi ad *Immortalitatem Corporum* significandam usurpari olim potuerint. E Alias præterea caussas excogitare possumus, cur tam Ethnici quàm Christiani eâdem mente, eodemque voto uterentur, eosdem Ramulos inscribendo cognatorum suorum tumulis. Si integra superfuisset, aut exactius descripta fuisset Inscriptio, quam Fabrettus refert Cap. 2. pag. 69. Inscription. Antiquar. fortasse locum haberemus, ex quo tenebræ hunc veterum ritum prementes excuti felicius possent. Ibi *T. Ælius Augusti Libertus Flaviam Nicopolim conjugem* sarcophago commendatam hisce alloquitur verbis:

O MIHI

O MIHI SI SVPERI VELLENT PRAESTARE ROGANTI,
VEL ROSEO VEL PVRPVREO VIOLAEQVE NITORE,
VT AVE PRAETERIENS GRESSV TARDANTE VIATOR
VIDERIT HOS FLORES, TITVLVM LEGAT, ET SIBI DICAT;
HOC FLOS EST CORPVS FLAVIAE NICOPOLIS;
VT TVO DE TVMVLO O FLOS EGO CERNERE NOVVM
CRESCERE VEL VIRIDI RAMO VEL FLORE AMARANTI.

Quid revera optet Maritus iste, quum ait, se optare, ut cernat *crescere* de tumulo Nicopolis uxoris *novum vel Viridi Ramo, vel flore amaranthi*: statuere non ausim. Satis tamen video expressum in hisce verbis aliquod Mariti amantis votum, ac *Ramum viridem* Signum fuisse exoptatæ alicujus rei: quod desiderium commune esse potuit tam Ethnicis quàm Christianis in sepulcralibus titulis. In Figlinis etiam Palma insculpta videtur pro VALEAT QVI FECIT, quo voto alii Figuli viventes sunt usi. Vide Fabrettum Cap 7. Inscriptionum Antiquarum, ac præcipue pag 502. num. 91. ubi *opus doliare* producit.

SEX. CASTRICI HEBENI

(rami frustulus)

Et Cap. 3. tumulum

(rami frustulus) C. PONTI
CRESCEN.
TRIB. COH
I. PR. (rami frustulus)

Itaque Palmarum Symbolo votum aliquod Felicitatis perpetuæ ab his quoque conceptum videtur. Atque heic consideres velim Inscriptionem Christianam, quam refert idem Fabrettus Cap 8 pag. 547. ex *Cœmeterio ad duas Laurus* eductam.

AVREL PELACIANVS
QVI VIXIT MENSIBVS
ϚI. ET DIEBVS XIII.
AVREL DECENTIVS PATRR. POS.

Ibi *Palma* insculpta, & *Equus* ad eam currens. Hic infans, natus tantùm *Menses VII.* (ita enim significant literæ illæ ϚI) & *Dies XIII.* finem vivendi fecit. Durum sane, credere infantulum hunc Martyrem, qualis tamen, si vera est contraria sententia, credendus foret. Quod si inquias, etiam pro Fide Christi trucidatos fuisse interdum infantes, id quidem dabo; sed quum in eorum quoque parentes & familiam universam debacchata est Ethnicorum rabies, quod rarissimum fuit. At heic habemus patrem incolumem. Quæ caussa, quæso, sæviendi in infantulum, cui ignota Christi erat Religio, illius interim parente inlæso? Propterea Fabrettus non Martyrem heic vidit, sed potius opinandi nobis facultatem reliquit, *Puerulo huic illibato, consummato cursu, Palmam cælestis gloriæ præparatam esse*. Idem dicas de altera Inscriptione positâ infantulæ *Quodvultdeus*, pag 580. apud eumdem Fabrettum. Ergo saltem obscuræ significationis Symbola sunt *Pal-*

A *mæ*. Quis autem inter tot tenebras tantùm sibi fidere possit, ut ex *Ramo viridi*, quem conspicimus æque in Ethnicorum, quàm Christianorum, ipsorumque infantium titulis, certum in Christianis Martyrii indicium educere velit?

Certissimum contra censetur Martyrii indicium Vas sanguinem continens, aut Sanguineo colore infectum, in Romanis, aliisque Christianorum Cœmeteriis antiquissimis, eorum tumulis innexum, aut appositum: nihil enim commune cum Ethnicorum ritibus habet. Verum quidem est, & in Gentilium sepulcris occurrere Vasa lacrymatoria, Vasa unguentis,
B aliisque liquoribus olim destinata. In Schedis meis MStis habeo, detectum Cordubæ fuisse in ædicula Christi *de las Mercedes* tumulum *cum Vase cineris continente, Idolo parvo, & Vitreo Vase, ubi liquor petrificatus*. Addita erat Inscriptio hæc:

L. NVMISIVS
GAETVLVS
ANN. L.
PIVS IN SVIS
C SIT TIBI TERRA LEVIS.

Attamen Vasa aut Sanguinem, aut colorem Sanguinis, illuc olim infusi, adhuc retinentia, frustra in Gentilium sepulcretis exquiras. Id proprium Christianorum, & quidem Martyrum, quorum etiam Sanguinem novimus e coævis testibus solicite collectum ac religiose adservatum fuisse. Verum quod est ad Palmas, quis certos non facit, per eas significari potius *Martyres*, quàm *Justos* quoque Christianæ Legi addictos? Hieroglyphicum *Justos* omnes significans, *Palmam* supra vidimus. Tu *Mar-*
D *tyres* heic te videre opinaris. Ego *Justos*, Christi legem sequutos. Atque addo, vulgata fuisse ac celebrata apud Christianos Psalmistæ verba Psalm. 91 vers 13 *Justus ut Palma florebit*: & plane huc respexisse Christianos, quum hocce Symbolo mortuorum suorum memorias ornabant, quo aut Justitiam, au Fidem Resurrectionis, Immortalitatis, seu Salutis Perpetuæ significare voluerunt. Ita Phœnicem, ita Jonam e cæto prodeuntem, aliaque ejusmodi Symbola Resurrectionis suis inscripsere Tumulis. Quod si Auctores Romæ Subterraneæ, & Boldettus octo Inscriptiones exhi-
E bent, in quibus & Palma visitur, & disertis verbis Martyrium illic exprimitur: non ideo Palma Martyrum certus index evasit, quum ipsa omen sit Vitæ æternæ, cujus fidem tam Martires quàm Justi, immo & reliqui Christi fideles constantissime tenebant. Eâdem ratione in titulis Martyrum æque ac ceterorum veterum Christianorum occurrit *In Pace*, aut *In Pace Quiescit*. Immo animadverte, incertum esse, an paucæ illæ Inscriptiones ad ipsa Martyrum tem-

tempora, an ad posteriora sint referendæ. Eas, quæso, accuratius expende, & confer cum tot aliis titulis sepulcralibus jam evulgatis. Neque certum est mihi *Gordiani Galliæ Nuncii* Martyrium. In ejus Titulo, quem Auctores Romæ Subterraneæ, Mabillonius, Fabrettus, & Boldettus adferunt, is dicitur *jugulatus pro fide*. Perspicuum minime est, an ibi IVGVLATVS scriptum fuerit. Vide Fabrettum pag. 390. Et si quidem scriptum ita fuerit, quærendum restat, an *pro fide* ita sumendum sit pro *Religione Christi*, ut nullam aliam significationem admittat. Sunt & alia illic obscura. Neque sine consideratione dimittendum Græcum *H.* ibi semper pro *I.* usurpatum: quod Sæculis adeo antiquis nescio quàm bene tribuatur. Romani ipsi, uti interdum habent veteres lapides, geminum *II.* scribebant, quasi *H* Græcum, ut *E* Latinum exprimerent. Alias Inscriptiones Latinas, Græcis characteribus scriptas profert Fabrettus pag. 390. In iis *Hta* pro *E.* usurpatum, neque *I.* per *H.* expressum videas. Quare hactenus nulla se nobis obtulit ex antiquitate petita ratio, auctoritas-ve, quæ *Palmam* pro unis Martyribus signatam in Cœmeteriis Christianis evincat, nobisque dubitationem omnem eripiat. Immo unum superest, quod controversiæ huic dirimendæ aptissimum quisque deprehendet.

Adferunt Auctores Romæ Subterraneæ, atque ipse accuratissimus Boldettus, Inscriptiones post pacem Ecclesiæ a Constantino Magno redditam, neque sub Juliano Apostata, confectas, quas Christianorum monumentis una cum Palmæ Symbolo appositas fuisse patet. Hercle tunc nullos Martyres Roma numeravit, ac propterea reliquum est, ut intelligamus, Palmam a Christianis inscriptam monumentis defunctorum, ad designandam vitam nobis promissam post mortem, non vero mortem pro Christo toleratam. Itaque Bossius Lib. III. Cap. 4. Rom. Subterran. hunc lapidem evulgavit, adhuc in Basilica Sancti Pauli existentem.

 HIC REQVIESCIT IN PACE DEVSDET QVI VIXIT ANNVS P M. XX.
DEPOSITVS EST XV. KAL. MAIAS ITERVM POS CON PAVLINI



 LC. APAT. LAVRENTI QVEM SI VIVO COMPA
RAVIT SOL TRIS ET TRIMISSE 

LC idest *Locus*. Hanc sibi Inscriptionem objicit sinceritatis amantissimus Boldettus Lib. Prim. Cap. 50. quum ipsam spectare Bosius censeat ad *Paulinum Juniorem Consulem*. Tum respondet, varios Paulinos Consulatum iniisse, Anno videlicet Christi LXVI. CCCXXV. CCCXXXIV. & CCCLIV. ac proinde incertum esse, quinam Annus heic designetur. Sed veniam mihi det humanissimus, doctissimusque Boldettus. Nemo alius in ea Inscriptione memoratur, nisi *Paulinus*, qui Anno Christi DXXXIV. Consul in Occidente processit; & quoniam Consules Occidentales tum defiere, propterea per aliquot subinde Annos in Fastis adnotatum fuit *Post Consulatum Paulini*, qui *Junior* appellatus est respectu *Paulini Decii Consulis* Anno CCCCXCVIII. Vide Dissertationem LXVI. *de Monasteriis Monialium*, ubi alteram Inscriptionem dedi ejusdem *Paulini* nomine signatam. Sed & unam nunc adjungo, quam Cl. V. D. Gaspar Berettus Benedictinus Monachus, Ticinensis olim Gymnasii decus, ad me misit.


Ticini in Sancti Epiphanii.



DIACONVS QVI VIXIT
IN HOC SECVLO AN
NOS P. MIN. XLV.
DEP. SVB D. VI. KAL.
NOVEMBR. DVO
DECIES P. C. PAVLI
NI IVN. VC. IND.
X.

Idest Anno Christi DXLVI. quo decurrebat *Indictio X.* Ex hoc autem lapide discimus, novæ Indictionis cursum e Septembri Mense fuisse desumtum, neque in Occidente rationem habitam a nonnullis *Basilii Consulis Orientalis*, sed tantummodo *Paulini Junioris Consulis* Occidentalis: quod Relandus in Fastis Consularibus minime adnotavit. Quare Inscriptio a Bosio producta, sine dubitatione pertinet ad Annum Christi DXXXVI. quo Anno potest quidem doctissimus vir excogitare Christianos Martyrium subiisse, sed neminem, ut puto, secum sentientem inveniet. Ita certum est mihi, Epitaphium *Valentiniani pueri trimi*, sepulturæ dati CONSVLATV VOLVSIANI V. C. cum *Ramulo*, seu *Palma* in ejus tumulo apud Aringhium Lib. 6. Cap. 43. referendum esse ad Annum Christi DIII. quum celebre foret *Valentiniani* nomen post tres ejus nominis Augustos in Occidente, & *Volusianum* unum Consulem Occidentis Populus agnosceret, neglecto aut contemto *Dexicrate* Consule Orientali. Relandus quoque ad hunc Annum eamdem Inscriptionem retulit. Confirmatum præterea id vides alterâ Inscriptione, quam Interamnæ repertam in ruderibus Ecclesiæ Aglionis testatur ac refert Fabrettus Cap. 10. pag. 757. Inscription. Antiquar.

HIC



HIC REQVIESCIT BONE
MEMORIE SPLENDIDA
QVE VIXIT ANNVS PLVS
MINVS XXXV.
DEPOSITA IN PACE III.
KAL. GIANVARIA.
CONSVLATVS. BOLVSIANI.






Et heic habemus Annum Christi DIII. quo indica mihi, si potis es, quempiam Romæ, aut in finitimis locis, pro Christo vitam dedisse. Atque hæc, aliaque ejusmodi epitaphia sub Christianis Augustis & Regibus confecta, ac *Palmæ* signo exornata, in caussa fuisse puto, cur neque Fabrettus vir emunctæ naris, Palmam agnoverit Martyrii veri testem.

A


Sed & ipse Boldetius in calce eximii sui Operis duplicem Inscriptionem refert in Cœmeterio Commodillæ detectam Anno MDCCXX. quæ si in uno lapide, ut videtur, insculpta fuit, huic argumento multum lucis adferre potest. Illam accipe.

HIC IACET MVSCVLA QVE ET GALATIA
QVE VIXIT ANNIS DVOB MENS DVOB ET D. XVII.
DEP. XV. KAL. AVG. GRATIANO AVG. IIII.
PROBO CONSS. IN PACE





BONE MEMORIE ADQVE IN
NOCENTIE SVRVS QVI BI
XIT ANNOS DVOS MEN VII.
DEP. XVII. IN PACE DEC. VII
IDVS IVLIAS.



Consulatus *Gratiani Augusti* & *Probi*, Annum designat CCCLXXI. Sed scribendum est *Gratiano Augusto II.* & *Probo* quum Gratianus eo Anno Consul Collegam Probum habuerit. Si utraque Inscriptio, ut dixi, ad eadem tempora spectat, tunc Martyres Roma ignoravit.

B

Sed & idem sæpe laudatus vir Lib. Prim. Cap. 19. pag. 81. alterum hoc epitaphium dat, e Cœmeterio Lucinæ eductum.

EQ ☧ HERACLIVS
QVI FVIT IN SAECVLVM
AN. XVIIII. M ☧ VII. D. XX
LECTOR ℟ SEC FECERVN SIBI
ET FILIO. SVO. BENEMERENTI. IN P
DECESSIT VII. IRV STEB
VRSO E POLEMIO
CONSS.

Heic sculpta est Columba cum Palma.

Posita fuit Inscriptio hæc Anno Christi CCCXXXVIII. quo tempore quis nos docuit, Romanorum quempiam pro Christo sanguinem fudisse? Vide & sequentem ab eodem impigro viro detectam in Cœmeterio Sanctæ Agnetis, exhibitamque Lib. Primo Cap. LI. pag. 273.

C



ASELLVS ET LEA PRISCO PATRI BENEMERENTI IN PACE
QVI BIXIT ANNIS LXIII. MENSIBVS III.
DIEN N XII.



IN SIGNO









V. K. OCT. D. BASSO ET ABLAVIO
CONSS.

 idest

Ideſt Anno Chriſti CCCXXXI. quo Martyres eſſe deſierant. Plures ejuſmodi Inſcriptiones Palmâ ſignatas habebimus, ſi Eruditi in poſterum non literas tantùm, ſed & Symbola ibi impreſſa diligentius exſcribent, & publici juris facient.

Quamobrem quid amplius reſponderi poſſit non video, quando Inſcriptiones ipſæ *Palmæ* Signum præferunt, non Martyribus, ſed Chriſtianis tantummodo poſitum. Immo ex tot Inſcriptionibus Palmâ inſignitis, quæ apud Romæ Subterraneæ Auctores, & apud ipſum Boldettum, atque Fabrettum occurrunt, excogitare quidem poteſt quiſquam omnes marmore aut calce inſcriptas, dum ſub Ethnicis Auguſtis perſecutio Chriſtianæ gentis ferveret. Verùm hoc nemo, dum ſit cautus in judicando, facile ſibi perſuadeat; immo nullo negotio credet, multas etiam ex illis ad tempora Chriſtianorum Cæſarum ſpectare, quibus nullus Tyrannorum in Populum Chriſtianæ Legi addictum amplius tormentis & ſecuri ſæviebat. Nam etiam poſt redditam Eccleſiæ pacem a Conſtantino Magno perrexit Chriſtianum vulgus ſepulturam ſibi comparare in ſacris Romani pomœrii Cœmeteriis, quod loca illa Sanctorum quoque Martyrum conditoria eſſent. LOCA enim SANCTA in ipſis interdum Inſcriptionibus eadem appellantur, uti erudite oſtendit idem Boldettus Lib. Primo, Cap. 14. & Fabrettus Cap. 8 Inſcription. Antiquar. In tanta ſane monumentorum ex Arenariis ſacris effoſſorum copiâ pauca habemus præferentia *Conſulatum*, hoc eſt certum Anni indicium, quo poſita fuerunt. Attamen ex hiſce paucis plures Inſcriptiones videas, imperantibus Chriſtianis Auguſtis quàm Ethnicis, efformatas. Aringhius Lib. 3. Cap. 22. pag. 610. titulos varios ſepulcrales dedit in Cœmeterio Sanctæ Agnetis detectos. Scriptus fuit primus *Dominis noſtris Fl. Balentiniano Conſulibus*, Excidit alter ex Auguſtis; at ſatis novimus, referendam eſſe Inſcriptionem ad Annum Chriſti CCCLXVIII. aut ad alios ſubſequentes, quibus unus e Valentinianis Imperatoribus Conſul proceſſit. Alter lapis attritus poſitus ET FL. EVODIO Annum prodit CCCLXXXVI. Tum Lib. 4. Cap. 25. e lapidibus Cœmeterialibus Sanctæ Agnetis iſtum commemorat exaratum DATIANO ET CAEREALE CONSS. ideſt Anno Chriſti CCCLVIII. Alter inſcriptum habet POSTCONS GRATIANI III. ideſt Annum indicat CCCLXXV. Tertius titulus ſignatus eſt CONSVLATV ANICI BASSI ET FL. FYLIPPI VV. CC. hoc eſt Anno Chriſti CCCCVIII. Aliæ quoque Inſcriptiones ſpectant ad Annos CCCCVII aut ſequentes CCCCXXX.

A CCCCXLII. CCCCLVI CCCCXC CCCCXCIII. Alium refert poſitam CONS. EPARCHI AVITI, ideſt Anno CCCCLVI. ut Pagius opinatur, vel CCCCLVII. uti Relandus putavit. Præterea Cap. 27. Lib. 4. e Cœmeterio Nomentano erutam Inſcriptionem idem Aringhius laudat, marmore inciſam COSS. VALENT. VALEN. III. hoc eſt Anno Chriſti CCCLXX Et Lib. 4. Cap 37. Epitaphium refert ſignatum IVSTO CON. ideſt Anno CCCXXVIII. & alterum D. N. VALEN.... & HABIENO, nempe Anno CCCCL. Tum tertium ſignatum ARBETIONE ET LOLLIANO COSS. Anno videlicet CCCXXXV. Sed & accuratiſſimus ipſe Boldettus Lib. Primo, Cap. 19. triginta Inſcriptiones Conſulares

B evulgavit, a ſe inventas in Cœmeterio Lucillæ. Inter eas ſecunda poſita eſt GALLICANO CONS. quam Boldetto licuit referre ad Annum Æræ Chriſtianæ CXXVII. aut CL. Sed mihi etiam referre liceat ad Annum CCCXVIII. aut CCCXXX. Quarta præfert Conſulatum FL. CAESARI ET MAXIMI VV CC. atque adeo pertinet ad Annum CCCXXVII. Subſequuntur aliæ, nempe tres ſpectantes ad Annum CCCXXXVIII. duæ ad Annum CCCLXX. aliæ ad Annos CCCXXXI CCCXLIII. CCCXLIX. CCCLX. CCCLXIV. CCCLXVI. CCCLXIX. CCCLXXX CCCLXXXIII. CCCLXXXIV. CCCC. CCCCXXV. CCCCLVI. DXLI. DLXVIII. Adfert

C & unam compoſitam CON D̄ N̄ AVITI, quam ſpectare putat ad Annum CCIX. Spectat potius ad Annum Chriſti CCCCLVI. vel CCCCLVII. quo *Avitus* Auguſtus *Dominus Noſter* Conſul proceſſit. Alias prætereo a Boſio, & Aringhio, & Fabretto commemoratas. Viden quot monumenta in Romanis Cœmeteriis numerentur, eo ipſo tempore ſcripta, quo nullos Romæ Martyres Chriſtiana Fides pariebat? Atqui juſta ſe quoque nobis offert cauſſa opinandi, multos e titulis ſepulcralibus Palmam præſeferentibus, ad Sæcula Chriſtianæ pacis eſſe referendos: ac præcipue quum ſupra aliis exemplis id revera factum oſtenderimus

D ſub Auguſtis Chriſti cultoribus. Mitto, non deeſſe Inſcriptiones cum Palma a viventibus efformatas; quod certe a Martyrii indicio alienum eſſe nemo non agnoſcit. Additum poſt mortem hoc Signum opinatur Boldettus; ſed opinari ſecus ex aliis licebit. Quod verò me vehementius in ejuſmodi ſententia confirmat; Inſcriptio eſt a numquam ſatis laudato Fabretto producta Cap. 2. pag 113 Inſcription Antiquarum. Exciderunt equidem in uno latere nonnullæ voces tot tamen ſuperſunt, ut integrum ſenſum inde colligere poſſimus.

E RNA DOMVS. IN QVA NVNC IPSA SECVRA QVIESCIS
SPIRITVS. A. CARNE. RECEDENS
SANCTIS PRO MERITIS ET OPERA TANTA
METVISTI. SEMPER. QVIESCIS. SECVRA
VS TERRAE. PIGNVSQVE RECEPTVS
ENDORI. CVM. LVMINE. CLARO
S QVAE TE SEMPER DEO DICASTI
TAS. SED PRO. FACTIS AD ALTA VOCARIS
CA. PACATIANO. CVM MVLTA DEBEBIT.
ATIANVS. ELEVTHERIAE MATRI. SVAE. LOCVM FECIT
AN. PL. M. LXXV. MENS. II. D X. DEP. IIII. KAL. IVN. DORMIT
D. N. CL. IVLIANI. AVG. IIII. ET FL. SALLVSTI. CON.
ESPERIVS. QVEM. NVTRIT. INSCRIPSIT.

E vivis

E vivis decessit Eleutheria ista Annos nata septuaginta quinque & ultra, die 29. Maji Anno Christi CCCLXIII. Ejus titulo *Palma* duplex inscripta. Nulla verò inter ejus laudes Martyrii mentio, quæ tamen omnium maxima laus fuisset. Neque simile veri est. plebejam hanc anum & capularem, sub Juliano ob Fidem Christi e vivis fuisse ereptam. Paucissimos tunc Ecclesia Martyres numeravit, neque in vulgus sævitum est: & hanc sane feminam Martyrem nulli veterum Fasti agnoscunt. Quod si contendas, Martyrem revera fuisse, sed præ metu Apostatæ, ejusque Ministrorum, de vitâ pro Christo datâ nihil in ejus epitaphio scriptum: mea verba accipe. Epitaphium istud aut palam exponendum erat, aut celandum. Si postremum, cur decus Martyrii prætermissum? Si primum, cur Palma, Signum certum, ut putas, Martyrii appositum fuit? Quod epigraphe tacuisset, Palma edixisset, bis quidem insculpta. Quamquam quid hæc quærimus? Paucos tantùm dies post hujus Eleutheriæ depositionem, hoc est die 26 Junii, ejusdem Anni CCCLXIII. cecidit in prœlio impius Imperator Julianus, ita ut vix eo vivente credi possit paratus, inscriptus, & ad tumulum collocatus hic lapis; sed quidem post Augusti mortem, atque adeo abjecto omni metu. Itaque nullâ aliâ de causâ adjectam Palmam credere decet, nisi ob ejus singulares virtutes, aut ob spem Resurrectionis, sive Æternitatis. Quid plura? Idem Fabrettus Inscriptionem alteram præfert Romæ positam *Zosimo* & *Arron* viris Judæis e *Synagoga Agrippensium*, cum Judaico candelabro, & signo Palmæ inscripto. Vide etiam recutiti alterius Sigillum cum Candelabro & Palma, pag 537. apud eumdem Fabrettum. Produxi & ego in novo Thesauro Inscriptionem veterum tertiam, positam cuidam *Faustinæ* Judææ, & *Palmâ* insignitam. Præterea protuli Tumulum a Viventibus una cum *Palma* paratum. Post quæ jam tamdem quis non videat statuendum esse, *Palmæ* Hieroglyphicum in sacris Cœmeteriis, si solum est, minime præbere nobis certum Martyrii indicium, quod quærebamus? Neque enim refellere opus est vulgi opinionem, putantis Monogramma Christianum, hoc est ☧ Martyrii fidem facere, quasi *pro Christo* significet, & Græcum illud *Rho*, sit *P* Latinum. Numquam Eruditis hæc in mentem venerunt.

Quapropter summopere commendanda illorum prudentia, qui quoties decernendum est, an Sancti alicujus ossa Sepulcro quopiam claudantur; & siquidem illa Sancti alicujus esse constet, Inscriptione verò, aliis-ve Signis careant, an tribuenda sit uni potius quàm alteri e Cælitibus, suspenso plane gradu & circumspectione gravissimâ procedunt. Nemo certe in vetusta possessione facile turbandus. Est & heic suus Præscriptioni locus, nisi meliores titulos, eoque magis si certos, alii objiciant. At quoties agitur de producendis novis, aut dubii ignotive nominis, ad certitudinem evehendis, severitate utique opus est; & cavendum ab affectibus nostris, qui quidquid amant & cupiunt, ad verum aut bonum illud continuò credendum nos facile abripiunt. Si rigidius olim actum fuisset, si a legibus Ecclesiasticæ disciplinæ sanctissime constitutis non tam multi abscessissent, nunc minime tot Reliquias haberemus, sive tot Corpora unius Sancti, quæ in Catholicorum provinciis venerationi Fidelium exposita intuemur. Atque hæc mihi in memoriam revocant, quod Ravennæ Anno MDCCXI. actum est. In Sancti Vitalis Basilica effossa est arca marmorea, corpus hominis continens, & Inscriptionem præferens literis quidem Romanis, sed minime ob earum complexum vulgo intellectis. Vox *Martyris* ibi animadversa animos omnium continuo excitavit, atque in spem erexit, fore ut illic lateret ignoti antea cujuspiam Martyris corpus. Institutum propterea fuit solenne Judicum Ecclesiasticorum examen, cujus exitus mihi ignotus. At nemini hanc ob rem creandum erat incommodum; spem quippe omnem illico præcidebat Inscriptionis ipsius lectio, quam nunc subjicio.

✝ TVMVLVS ISTE DOCET CVIVS RETINE CORPVS
SERGIVS VOCITAVAR LEVITIS FVNGEVAT ONORE
VIVS MARTYRIS AVLE AT PVERITIA DESERVIVIT
PER IPSV PRECO CVNCTI IAM VT NVNQVAM IC ALIVT PONAT

Hæc autem ita lego.

Tumulus iste docet cujus retinet Corpus.
Sergius vocitavar; Levitis fungevat onorem.
Ujus Martyris Aule at pueritiam deservivit.
Per ipsum preco, cuncti jam ut numquam ic aliut ponat.

Vides heic scriptum *vocitavar* pro *vocitabar*: *fungevat* pro *fungebat*: *ujus* pro *bujus*: *at* pro *ad*: *preco* pro *precor*: *ic* pro *hic*: *aliut* pro *aliud*, quæ quidem Auctorem produnt, infimæ Latinitatis ævo supparem. Ad me verò misit Anno MDCCVI. Clarifs. V. Apostolus Zenus, Augustissimi Cæsaris CAROLI VI. Historiographus, exemplum duarum laminarum plumbearum, Veronæ detectarum in æde Sanctæ Mariæ *della Fratta*, sub mensa Altaris, in urna marmorea repositas. Multos deinde post annos earumdem ectypon accepi ab amico P. Josepho Blanchinio, antea Canonico Veronensi, nunc Presbytero Oratorii Ro-

Romani, viro Clarissimo. Itaque has etiam in lucem efferendas censui, ut felicius quàm A ego eas interpretentur, illarumque ætatem conjectando inquirant eruditionis cultores.

✠ A·D·O·C·CIII·IC R
EQESIT KIBRTUS·
IN PACE QUIXIT.
XLII. ET IC PASXS
Ē MORTĒ·II.IDUS
AGUSTI P̄ DI NŌE

Quæ in hac prima Inscriptione legere me posse opinor, hæc sunt.

A. D. O. C. CIII. Ic R-
equiescit Kibertus
in Pace qui vixit (*annos*)
XLII. & ic passus.
est mortem II. Idus
Agusti pro Dei nomine.

Altera Inscriptio hæc est:

✠ H REQESIT UITTO
RIA UIRGO IN PACE Q̄
VIXIT ANIS·XXVIIII·
ET MARTIRIU SUSEPI
T·A·S·C·SEPTIMO DNI
ET D·XI·K IUNII·✠

Ita lego:

Hic requiescit Vitto-
ria Virgo in Pace, que
vixit anis XXVIIII.
& Martirium suscepi-
t. A. S. C. Septimo Domini,
& (fortasse *Deposita*) *XI. Kalendas Junii* ✠

Ambas Inscriptiones uno tempore plumbo insculptas par characterum figura indicat. Sunt ibi, que redolent antiqua Sæcula, *Requiescit*: *in Pace*: *qui vixit annos* &c. Ætas etiam Martyrum tam anxie designata tabellam ipsis vix vitæ ereptis positam indicare posset. Verùm si literæ singulares, quas sine interpretatione dimisi, *Annum* fortè *Domini* signant *CIII.* & *CVII.* (quod tamen affirmare non audeo) quis credat, hasce laminas tunc B scriptas fuisse, quum nulla tunc forent vulgaris Æræ nostræ primordia? Ad hæc ille KIBERTUS Langobardicæ sive Germanicæ, non Romanæ Linguæ nomen est, ac proinde numquam ipsum referas ad priora Ecclesiæ Sæcula. Plura addere non juvat. Denique id etiam adnotatum volo, Genuæ in Metropolitana Basilica conspici tabulam marmoream, illuc ex æde Sancti Stephani translatam, cui insculptum legitur hocce Epitaphium.

HIC

HIC REQVIESCIT BONAE
MEMORIAE SANCTVLVS
SVBDIAC. IN PACE QVI VIXIT
ANNOS P. M. LXXX. DP. EIVS VI.
KAL. MAIAS CONS. ALBINI VI.C. CONS.



Minime desiderati sunt, qui Genuensi Urbi, quasi ibi *Sanctuli Martyris* sacrum pignus adservaretur, sunt gratulati, opinantes videlicet, *Monogramma* Christi, quod in antiquis Christianorum Sepulcris per plura Sæcula scriptum occurrit, & D. P. idest *Depositio*, quæ forma dicendi communis olim omnibus Christianis in sepultura fuit, aliquid peculiaris sanctitatis in *Sanctulo* isto prodere. At nullum ibi Martyrii indicium est, ac præsertim; quod ejus Depositio facta est sub *Consulatu Albini Viri Clarissimi Consulis*. Fasti Consulares nobis exhibent *Decium Albinum*, qui in Occidente Consul est renuntiatus Anno Christi CCCCXLIV. Hunc enim potius quàm Albinum Consulem Anno CCCCXCIII. designari puto, quum iste respectu alterius *Albinus Junior* in monumentis appelletur. Anno autem CCCCXLIV. nullus erat in Italia Christianæ Fidei persequutor. Sed manum tamdem e tabula.

Antequam tamen finem faciam nobili huic argumento, incongruum minime erit, si paucula alia subjungam ad illud spectantia. Non contenti aliqui ex Sancti Christophori veri Martyris nomine fabellam deduxisse, quasi is Christum infantem ad alteram fluvii ripam humeris suis portans oneri pæne succubuerit, ipsum etiam, quasi præ nimia proceritate ingredi Templorum fores vetaretur, pingere in fronte sacrarum ædium consueverunt, simul verò ut ejus aspectu facilius devota & credula Plebs frueretur. Quicumque enim ejus faciem intuebatur, eo die se a morbis, immo ut aliis placuit, a mala morte immunem futurum sibi persuadebat. Albericus in Diction. Leg. ad verbum *Christophorus* in litera X. duos versus, tunc vulgo familiares, refert, nempe:

Christophori Sancti speciem quicumque tuetur,
Illo namque die nullo languore tenetur.

Est mihi ad manus Rolandini Summa Artis Notariæ typis æneis tradita Augustæ Taurinorum Anno MDXXII. per Antonium Ranotum. In calce effigiem Sancti Christophori impressam habet cum eisdem versibus, addita hac prece: *Sancte Christophore. Tu portavisti grandem & fortem. Defende me a periculo, & a mala morte*. En quantum Majores nostri opinionibus indulgerent. Fuere etiam tempora, quibus mirâ licentiâ pii viri, ubi deerant Sanctorum Vitæ, eas ex ingenio suo procudebant, tribuentes Martyribus, aliisque Sanctis mores illos, ritus, ac verba, quæ magis consona crederentur eorum ætati, officio, atque pietati. *Legendas* postea appellarunt. Iis abundat insigne Opus Actorum Sanctorum, inchoatum & continuatum a doctissimis Patribus Societatis Jesu Antwerpiensibus, qui tamen germana a falsis, sincera ab interpolatis laudabili zelo secernunt. Sunt qui Criticam ferulam ad ista adhibitam ægre ferunt. Dignos hercle se pro-

A dunt, quibus falsa ac ridenda quæque propinentur. Fortassis etiam falli amant, ne dicam fallere alios, quum nullum inter Verum & Falsum discrimen ament. Non hæc mens erat immortalis nominis Cardinali Baronio, qui in Martyrologio Romano expurgando atque illustrando tantum operæ posuit; neque enim is dissimulavit vulnera heic inflicta aut a sciolis aut ab improbis veritati. Vide præcipue, quæ is habet de immanibus commentis, quibus deturpata fuere Acta Sanctæ Ursulæ Virginis ac Martyris. Ughellius quoque, quum in eisdem Actis deprehendisset *Fullanum* quemdam *Lucensem Episcopum*, quem qui de Sanctis Lucensibus scripsere, tam facile amplexi fuerant,
B temperare non potuit, quin adversùs impostores pios inveheretur, inter alia scribens Tomo I. Ital. Sacr. in Lucens. Episcopis: *Igitur hunc fictitium Fullanum, Cyriaco Papæ, a Scriptorum malè sano cerebro in Sanctæ Ursulæ Actibus excogitato, Romanoque itineri ejusdem Sanctæ, prudens Lector poterit aggregare; indeque colligere, quo aliquando excesserit mortalis audacia, quæ Sanctorum præclarissima gesta anilibus fabellis involverit: quasi Deus, vel Sancti nostro indigerent mendacio, ut ampliori vel sanctimoniæ vel fortitudinis famâ, mortales raperent in sui admirationem*. Innumeros habe-
C mus Sanctos certissimos in Ecclesia Dei; habemus & eorum Acta & Vitas a piis fidelibus & sæpe synchronis Scriptoribus posteritati tradita. Hæc piâ devotione amplectamur. Reliqua dubiæ fidei examini subjiciuntor. Cetera verò, quæ falsitatis & imposturæ faciem præferunt, aversemur, exhorreamus.

Peregrinationes quoque in honorem Sanctorum frequentissimæ olim fuere. Eximium nempe devotis pique animi affectum olebat, in longinquas regiones iter suscipere, visitandi causâ Sacras eorum Reliquias, aut Templa celeberrima. Viri ac mulieres, Clerici & Monachi, ipsique Episcopi & Reges inter se certabant, quo longius excurrerent, neglectâ in-
D terim curâ familiæ suæ, sui gregis, ac Populorum. Et quamquam Sancti Viri agnoscerent atque edicerent, plus interdum ad curiositatem saturandam, quàm ad pietatem adaugendam hæc inservire, præter alia pericula & incommoda, e pruritu vagandi manantia; surdis canebatur. Apud Marculfum Lib. 1. Cap. 49. formula Epistolæ legitur ad Papam, ceterosque Episcopos, pro peregrinante ad Limina Apostolorum, cum hisce verbis: *Portitor iste, radio inflammante divino, non (VT PLERISQVE MOS EST) vacandi causâ, sed propter nomen Domini, itinera ardua & laboriosa parvipendens, ob lucrandam orationem Limina Sanctorum Apostolorum Domni Petri*
E *& Pauli adire cupiens, a mea parvitate se petiit vestræ commendari almitati*. Pro *vacandi causâ* alii Codices habent *pro vagandi causâ*. Utrumque nihilominus egregie, ut intelligamus, quo spiritu olim *Plerique* ducerentur, immo & ævo nostro, ducantur in hujusmodi studio: Ac propterea in Synodo Cabilonensi, Anno Christi DCCCXIII. Cap. 45. statutum fuit, ut nemo peregrinationem susciperet Romam, aut Turonum, absque venia sui Episcopi. *Sunt enim Pauperes, qui vel ideo id faciunt, ut majorem habeant materiam mendicandi*. Digna sunt, quæ legantur reliqua ab iis Patribus in hanc rem conscripta. Laudanda profectò est piarum peregrinationum in se spectata consuetudo, dum unico Religionis in-

intuitu

tuitu suscipiantur, & officiis, quibus Christi fideles a Lege obligantur, nequaquam officiatur. Quod præcipue circumspiciendum est patribus familias, eoque magis muliebri sexui. Verùm in obtentu non raro est Pietas, re autem ipsa terreni affectus ad itinera solicitant; nullaque cura est, an peccata potius, quàm Pietatis augmentum, sint finis gratissimi hujus laboris. Atque utinam tempora quoque nostra abutentes instituto laudabili ac sancto quotidie non conspicerent. Olim verò vagatorio hocce ardore non Sæculares tantùm feminæ, sed & Religiosæ agitabantur. Quare Anno Christi DCCXCI. Synodus Forojuliensis sub Sancto Paulino Patriarcha Canone XII. decrevit: *Ut nulla ullo umquam tempore licentia sit Abbatissæ, vel cuilibet Monachæ, transfigurante se Satanâ in Angelum lucis, quasi orationis caussâ suggerente eis, Romam adire, vel alia Loca venerabilia circuire. Quàm sit namque irreligiosum & reprehensibile cum viris propter itineris necessitatem conversari, nullus tam excors est vel desipiens, qui ignoret*. Sed præcipue optasset Sanctus Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus circiter Annum Christi DCCXLIV. in Epistola 105. ad Cudbertum Archiepiscopum Cantuariensem, *ut prohiberet Synodus, & Principes vestri mulieribus & velatis feminis* (idest Sanctimonialibus) *illud iter & frequentiam, quam ad Romanam Civitatem veniendo & redeundo faciunt, quia magna ex parte pereunt, paucis remanentibus integris. Perpaucæ enim sunt Civitates in Langobardia, vel in Francia, aut in Gallia, in qua non sit adultera vel meretrix generis Anglorum: quod scandalum est, & turpitudo totius Ecclesiæ*. Neque minoribus periculis obnoxiæ fuerunt per subsequentia Sæcula mulieres peregrinantes. Petrus Azarius Novariensis in Chronico, Tomo XVI. pag. 359. Rer. Italicar. hæc scribebat: *O quàm periculosum est, formosas juvenes & valde pulcras, in quibus motus & concupiscentia permanet, per partes ducere extraneas, caussâ Indulgentiæ, & præcipue incognitas mulieres! Nam meis diebus Dominus Bernardinus de Polenta, Dominus Civitatum Ravennæ & Cerviæ in partibus Romandiolæ, multas Nobiles ultramontanas vituperavit, euntes Romam, & venientes in Anno Jubilæi proximo præterito MCCCL. Quæ si (& utinam) stetissent in partibus suis, vituperatæ per ipsum non fuissent. Navis suo stans in portu, & in alienos portus non deducta, numquam sentit naufragia*.

Ex quibus omnibus jam tamdem colligimus, apud rudium Sæculorum homines sanctam quidem Religionem Christi viguisse, multos tamen ex iis (de Sæcularibus loquor) parum excolendis veris animi virtutibus & solidæ pietatis officiis operam dedisse. Satis quippe eis fuisse videtur, si Sanctorum patrocinium apud Deum sibi procurarent. Quod etiam crasso quodam modo, ac ut ita dicam sensuali devotione peragebant, eorum tantummodo Imagines & sacra Lipsana venati ac venerati. Fortassis etiam terrenæ potius utilitatis quàm pietatis intuitu, erga Sanctos tanta veneratione ferebantur.

DE SUPERSTITIONUM SEMINE

IN OBSCURIS ITALIÆ SÆCULIS.

DISSERTATIO QUINQUAGESIMANONA.

DISSERTATIO QUINQUAGESIMANONA.

NUlla dubitatio est, quin barbaricis ipsis Italiæ Sæculis non solùm homines verè pii abundarint, sed etiam Sancti: nullum enim tempus fuit, quo Ecclesia Veritatis magistra, & Sanctitatis officina, animas Deo gratissimas enixa non fuerit, aut non efformarit; eaque usque in finem Sæculorum opibus ejusmodi affluet. Sed ne inficiari quidem possumus, quin iis ipsis temporibus inter vitia innumera locus etiam suus *Superstitioni* fuerit; quam nempe interdum improbitas & nequitia, sed sæpius ignorantia, aut certe utraque, invehere ac fovere consuevit. Petrus Damiani in Opuscul. X. hæc circiter Annum Christi MLX. scribebat: ***Ad tantam fæcem quotidie semetipso deterior Mundus devolvitur, ut non solùm cujuslibet sive Sæcularis, sive Ecclesiasticæ conditionis ordo a statu suo collapsus jaceat, sed etiam ipsa Monastica disciplina solo tenus, ut ita dixerim, reclinata, ab assueta illa celsitudinis suæ perfectione languescat. Periit pudor, honestas evanuit, Religio cecidit, & velut facto agmine omnium sanctarum Virtutum turba procul abscessit***. Si Vitia inundabant, si Religioni apud multos debitus honor minime habebatur, postrema profectò non fuerit *Superstitio* ad irrependum inter adeo sopitos, aut depravatos Fideles. Et sane Conciliorum decreta, piorumque Scriptorum Libri ad nostra usque tempora servati, dum superstitiosos mores, ac ritus identidem damnant, satis etiam ostendunt, quam late Superstitio olim, Sæculis nimirum barbaris, in Christiano Populo debaccharetur. In justum volumen argumentum hoc excrescere posset, ubi singula persequi vellem; sed aliqua tantummodo innuisse sat mihi fuerit ut habeat Lector, unde comparationem instituat inter antiquorum mores ac nostros, & de postremæ hujus ætatis felicitate, si recte sapit, secum gaudeat, & Sæculo nostro gratuletur. Ubi Ignorantia, ibi facile *Superstitionem* quoque reperias. Quæ certe quin cum bono animo societatem inire, atque non rarò habitare possit, nullum est dubium: quod evenire videmus, quum quis opinione sua deceptus aut Deum alio, quàm quo is instituit cultu & ratione honorandum sibi statuit; aut honores divinos ei, qui Deus non est, deferendos censet; aut profana divinis incautus immiscet. Russorum gentem, alioqui deditam Christo, adhuc Superstitionibus bene multis scatere novimus Sed plerumque conjuncta cum Ignorantia turpis Cupiditas Superstitionem parit. Hujus vitii reum se prodit, quicumque modis a Deo minime institutis, immo & ab eo improbatis, utitur ad valetudinem recuperandam sibi aut aliis, ad conquirendas opes, & ad penetrandum, si Superis placet, in jura abditissima venturi temporis, aut in secretas latebras humani cordis. Ab hujusmodi morbo ne nostra quidem tempora immunia sunt: neque enim fieri potest, ut fœcundum istud gramen, superioribus Sæculis ubique serpens, ex agris omnino nostris tollatur, eâ ipsâ de causâ, quod ex terrarum Orbe inscitia, & malesana cupiditas
A prorsus nequeunt eliminari. Sed si umquam, certe Sæculis barbaricis Superstitio succrevit, tum quod bonæ Literæ tunc jacerent, tum etiam quod gentes e Septentrione, ubi faciliorem locum quàm alibi pestis hæc inveniebat, in Italiam delapsæ, pravas consuetudines suas corruptis etiam Italicorum moribus adjunxit; & aliâ etiam ex parte Arabes in continenti Hispaniæ & Calabriæ, atque in universa Sicilia dominati, suis quoque deliramentis infecere non paucos nimis credulos Christi fideles. Singulari Dissertatione, quæ est XXXVIII. jam expedivi *Judicia Dei* minime Canonica, nempe Aquæ ferventis, aut frigidæ, Crucis, ferri candentis &c., quæ olim in usu passim
B fuere: immo, quod mirere, calculis etiam complurium Ecclesiæ Pastorum probantur. Verùm nullo umquam tempore desiderati sunt emunctioris naris, & solidioris doctrinæ Antistites, qui in ejusmodi ritus, uti Superstitione intoleranda vitiatos, voce & scriptis inveherentur. Atque hæc tamdem proscripta fuere. Alterum Superstitionis genus, omnium fortasse rei publicæ perniciosissimum, singularia Certamina fuere, quorum furor, vel post tot Ecclesiæ & Principum decreta, pœnasque propositas vix retundi potuit. De hoc etiam mihi sermo fuit in Dissertatione XXXIX. Nonnulla insuper delibavi in superiori Dissertatione spectantia ad Sanctorum cultum. Nunc alia
C congerere juvat in hanc rem, eorumque temporum faciem hac etiam ex parte aliquantulum spectandam præbere.

Sub Regibus Langobardis eo audaciæ processerat inconsulta rudis Popelli credulitas, ut Arbores quasdam (*Sanctivas* appellabant) summa in veneratione haberent, veluti sacras, neque ab iis tantùm exscindendis aut tondendis abstinerent, sed etiam iis adorationis signa exhiberent. Idem quoque Fontibus nonnullis præstabant. Deum-ne, ejusque Sanctos, an Dæmones, ibi colerent, exploratum minime est. Quum tamen ejusmodi superstitiosi cultus *Paganiæ* interdum appellentur ab antiquis, idcirco par est credere, Paganismi reliquias
D fuisse. In Occidentali Africæ ora nostris quoque temporibus Populi quidam numerantur, eadem Superstitione infatuati. Itaque Liutprandus Rex Langobardorum Lege XXX. Lib. VI. gravissimam pœnam iis statuit, *qui ad Arborem, quam rustici Sanctivam vocant, atque ad Fontanas adoraverint, aut sacrilegium, vel incantationem fecerint*. Quibus postremis verbis etiam Magos quoscumque, & incantatores detestatur & plectit, quorum minime inopia erat Sæculis iis in Italia, sed potissimum extra Italiam. Et Langobardi quidem, antequam Sanctissimam Christi Legem amplecterentur, religionem in conservandis, aut adorandis nonnullis Arboribus statuebant: ad quem morem
E deponendum multi ne post Baptismum quidem se adduci patiebantur. Paria fecerant & alii Ethnici. Sanctus Barbatus Episcopus Beneventanus, ut est in ejus Vita apud Bollandum, ad diem XIX. Februarii, *repente securim arripiens, & ad Votum pergens, suis manibus nefandam Arborem, in qua per tot tem-*

poris spatiâ Langobardi exitiale sacrilegium perficiebant, defossâ humo, a radicibus incidit, ac desuper terræ congeriem fecit, ut nec indicium ex ea quis postea valuerit reperire. Acta hæc fuere circiter Annum Ch. DCLXX. Ita in Chronico Mediolanensi MSto, quod Canonici Novarienses adservant (in ea parte, quam ego tenebris suis reliqui, ceteris in Tomum XVI Rer. Italicar. inlatis) hæc leguntur: *Postea supervenerunt Langobardi, qui Viperam auream, & quasdam Arbores adorabant, & Arrianam hæresim sapiebant*. Neque tantùm Langobardi, sed & Franci ab Ethnicismo secum tulere insanum hunc Arborum cultum. *Sacrivæ Arbores* appellantur in Concilio Autissiodorensi Cap. 4. *Fontes, & Arbores, quos Sacrivos vocant, succidite*, ajebat Auctor de Rectitudine Fidei. Atque istam Superstitionem damnavit Synodus Nannetensis Canon. 20. ut alia monumenta prætercam. Porro in prælaudata Liutprandi Lege, atque in subsequenti Christianissimus ipse Rex statuit, ne cuipiam in posterum liceret accedere *ad Ariolos, aut Ariolas, vel Aruspices, aut alios qualescumque, responsum ab illis accipiendum*, hoc est, sciscitandi caussâ res abditas sive futuras. Ipsi Arioli detecti in servitutem rapiendi Judicibus erant, & extra Regnum uti mancipia venum exponendi. Jam constat, Aruspicinam, atque omne sacrilegæ divinationis genus, morbum antiquissimum esse, ab Idolorum cultoribus natum, quo in Italia Etrusci potissimum, ac deinde Romani diutissime laborarunt. Inde pervasit ille in ipsos Christianorum cœtus, atque inter eos ita debacchatus est, ut in ipsius Principis salutem ac statum Reipublicæ inquirere non sine publicæ quietis detrimento complures auderent. Huic ergo obstandum ratus Constantinus Magnus Legem tulit: sed ad ipsum eliminandum acrius insurrexit Constantius Augustus ejus filius Lege 4. Codic. Theodosian. Lib. 9. Tit. 16 En decretum illud Anno Christi CCCLVII. promulgatum: *Nemo Aruspicem consulat, aut Mathematicum* (idest Astrologos) *nemo Ariolum. Augurum & Vatum prava confessio conticescat. Chaldæi, ac Magi, & ceteri, quos Maleficos ob facinorum magnitudinem Vulgus appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur. Sileat omnibus perpetuo divinandi curiositas. Etenim supplicium capitis feret gladio ultore prostratus, quicumque jussis obsequium denegaverit*. In eam Legem consule Commentarios doctissimi Gothofredi. Sunt & duæ aliæ Leges in Codice Theodosiano eodem Titulo contra *Maleficum* hoc, ut olim ajebant, hominum genus. Circiter Annum DIV. Theodericus etiam Italiæ Rex Judices decrevit contra Magicæ Artis professores, ut est apud Cassiodorium Lib. 4. Variar. Epistolar. Epistolâ 22. Athalaricus verò illius successor adversùs *Maleficos* istos severitatem Legum armavit, Cassiodorio ipso teste Lib. 9. Epist. 18. Sed uti vidimus, comprimi quidem, non autem eradicari umquam potuit Ars, cui vel apud primores Populi, nedum inter insanum vulgus, numquam defuere patroni. Quare desinente Sæculo VIII. aut ineunte subsequenti, Carolus Magnus in Capitulari, quod habetur Tomo primo, pag. 518. Baluzianæ editionis, edixit: *Ut nemo sit, qui Ariolos sciscitetur, vel somnia observet, vel ad auguria intendat. Nec sint Malefici, nec Incantatores, nec Phitones, nec Cauculatores, nec Tempestarii, vel Obligatores*. Addit etiam: *Ut observationes, quas stulti faciunt ad Arbores, vel Petras, vel Fontes, ubicumque inveniuntur, tollantur & destruantur*. Ergo neque Gallia tum felicior Italiâ, quum & ibi ad *Arbores, Petras*, & *Fontes* superstitiosum vulgus confluerct aut ad sanitatem recuperandam, aut ad occulta detegenda, uti spes erat.

Audisti nuper, quot nebulonum genera tunc illuderent alienæ credulitati, & ad Superstitionem imperitos raperent. Et sane rudibus iis Sæculis dici non potest, quàm facile propinarentur fictiones & fabulæ, & quàm faciliùs ab indoctorum vulgo, immo & ab ipsis Nobilibus tamquam certissima historiæ capita exciperentur. *Tempestarios* Carolus Magnus commemoravit. Quæ de hisce Populi opinio tunc foret, Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus eorum temporum Scriptor, in Libro *de Grandine* nobis explicabit. *In his regionibus*, ita ille scribit, *pæne omnes homines nobiles & ignobiles, urbani & rustici, senes & juvenes, putant, grandines & tonitrua hominum libitu posse fieri*: nempe *incantationibus hominum, qui dicuntur Tempestarii*. Pergit ille prodere, quàm crassâ Minervâ tunc laborarent fere omnes ex Populo: *Plerosque*, ait, *vidimus & audivimus tantâ dementiâ obrutos, tantâ stultitiâ alienatos, ut credant & dicant, quamdam esse regionem, quæ dicatur Magonia, ex qua naves veniunt in nubibus, in quibus fruges, quæ grandinibus decidunt, & tempestatibus pereunt, vehantur in eamdem regionem, ipsis videlicet nautis aëreis dantibus pretia Tempestariis, & accipientibus frumenta, vel ceteras fruges*. In hanc rem etiam legenda sunt, quæ habet Synodus Parisiensis Anno DCCCXXIX. coacta, Lib. 3. Cap. 2. Adeo-ne infantes inquias, tunc homines, ut ineptiis hisce ridendis fidem adjungerent! Immo obfirmatis animis ista credebant: quæ caussa erat, ut decepta imaginatio ad acta prosiliret, quæ vehementius etiam mireris. Testem habeo eumdem Agobardum: *Vidimus*, ait, *plures in quodam conventu hominum exhibere vinctos quatuor homines, tres viros, & unam feminam, quasi qui de ipsis navibus ceciderint. Quos scilicet per aliquot dies in vinculis detentos, tamdem collecto conventu hominum exhibuerunt, ut dixi, in nostra præsentia, tamquam lapidandos*. Sed eorum cæco furori miseros eripuit oculatus & doctus Agobardus, qui relatis etiam aliis eorum temporum stultis opinionibus, & pessimis illarum effectibus, in hæc verba desinit: *Tanta jam stultitia oppressit miserum Mundum, ut nunc sic absurdæ res credantur a Christianis, quales numquam antea ad credendum poterat quisquam suadere Paganis, Creatorem omnium ignorantibus*. Vitiatas hujusmodi phantasias & nos interdum temporibus nostris offendimus in viris, sed præcipue in mulierculis, quibus nihil mali accidit sibi aut aliis, quod vi supranaturali, atque ope Dæmonum non reputetur enatum. Auctor præterea idem Agobardus est, non defuisse alios, qui *se nosse defendere a Tempestate habitatores loci jactabant*, quibus propterea dementes agricolæ *de frugibus suis* partem persolvebant, & appellabant hoc *Canonicum*. Subsequente etiam Sæculo Christi Decimo, Atto Vercellensis Episcopus ostendit, perdurasse in Italia ejusmodi pestem, quum in suo Capitulari Cap. 48. scribat, quemlibet ex ordine Clericorum, *si quando Magos, aut Aruspices, aut Ariolos, aut certe Augures, vel Sortilegos* &c.

&c. *consuluisse fuerit deprehensus*, *ab honore dignitatis suæ depositum*, perpetuæ pœnitentiæ esse subjiciendum. Sed nullum fortasse Sæculum ostendas, quo non occurrant & perversæ divinationis, & Magicæ artis aut vera, aut falsò credita maleficia, sive deliria, simulque Ecclesiæ anathemata. Si quid tamen video, nos præteritorum temporum somnia ineptasque Opiniones unice miramur, quum ne ab ipsa quidem contagione prorsus immunis sit ætas nostra. Profectò nunc Libros habemus spississimos adversùs Magiam conscriptos, fabulis, incertisque narrationibus ad saturitatem refertos. Novimus etiam, innocentes præsertim mulieres interdum in veneficii suspicionem adductas fuisse, in quibusdam Christiani Orbis partibus, & aut igni datas, aut mortis periculum vix evasisse: neque alia de causâ reas vulgo creditas, quàm quod sub fasce annorum illarum humeri jam curvarentur. Sed mihi in primis tum desipuisse videntur Majores nostri, quum impostoribus iis, quos *Zingaros*, vel *Zinganos* appellarunt, & adhuc nos appellamus, aditum liberum in Italiam permisere. Non ante Annum MCCCC. pessimum hoc hominum genus e latebris suis emersit, Ægyptum patriam simulans, & dictitans, ereptam sibi fuisse terram suam a Rege Hungariæ: quod risum moveat Geographiæ gnaris; sed imperitis fucum faciebat. Quod veri videtur similius, gens ista e Walachia & conterminis regionibus originem duxit; & adhuc ingens eorum copia visitur in oppidis Hungariæ, Serviæ, Bulgariæ, & Macedoniæ. Sive ergo e suis sedibus pulsa, sive spontè egressa spurca gens mille mendaciis sibi viam sternens apud Bardos Populos, modum invenit persistendi semper in eisdem Provinciis, quamquam stabiles numquam permanerent. Nullus iis ager frumenta dabat, nulla Ars lucrum suppeditabat. Furtum tantummodo, rapina, fraudes, inexhaustum iis horreum ac ærarium perpetuo fuere. Neque hoc Italico vulgo ignotum: attamen tolerata est infamis erronum colluvies, quod mentirentur, sibi pœnitentiam vagandi septem annis impositam fuisse, & quod plus est, vim ac artem divinandi futura sibi tribuerent. Puer audiebam eos venditare, sibi interdictum ultra triduum in uno loco morari: licere quoque sibi, veniâ a Romano Pontifice factâ, in quocumque loco consisterent, victum inde conquirere.

Quo tempore *Zingari* vel *Zingani* in hasce regiones primum sint illapsi, adnotatum est in Historia Miscella Bononiensi, a me editâ Tomo XVIII. Rer. Italicarum. Ibi legas ad Annum Christi MCCCCXXII. *A dì 18. di Luglio venne in Bologna un Duca di Egitto, il quale avea nome il Duca Andrea: e venne con donne, putti, e uomini del suo paese: e poteano essere ben cento persone* &c. *Aveano un decreto del Re d'Ungheria, ch' era Imperadore, per vigore di cui essi poteano rubare per tutti que' sette anni per tutto, dove andassero, e che non potesse essere fatta loro giustizia. Sicchè, quando arrivarono a Bologna, alloggiarono alla Porta di Galliera dentro, e di fuori: e dormivano sotto i portici, salvo che il Duca alloggiava nell' albergo del Re. Stettero in Bologna quindici giorni. In quel tempo molta gente andava a vederli per rispetto della Moglie del Duca, che sapeva indovinare, e dir quello, che una persona dovea avere in sua vita, & anche quello, che avea al presente,*

A *e quanti figliuoli; e se una femmina era cattiva o buona, e altre cose. Di cose assai diceva il vero. E quando alcuni vi andavano di que' pochi; che volevano far' indovinare de' loro fatti, pochi vi andavano, che loro non rubassero la borsa, o non tagliassero il tessuto alle femmine. Anche andavano le femine loro per la Città, a sei e a otto insieme. Entravano nelle Case de' Cittadini, e davano loro ciance. Alcuna di quelle si ficcava sotto quello, che poteva avere. Anche andavano nelle botteghe, mostrando di voler comperare alcuna cosa, e una di loro rubava* &c. Neque putes, Italiam satis fuisse ejusmodi prædonum gregi, quem sensim augebant viri & feminæ ex iis

B ipsis regionibus, per quas pertransibant, collecti. Auctor est Krantzius in Saxonica Historia, eos Anno MCCCCXVII. in Saxonia primum versari cœpisse, eosque graphice describit, *Zygenos*, seu *Zigeunos* eos appellans. Aventinus quoque ad Annum MCCCCXL. refert priores illorum excursiones in Bavariam, neque eorum mendacia silet. Pari successu effudere sese fœdissimæ illius gentis examina in Belgium, in Galliam, ubi *Ægyptii*, seu *Bohemi* appellantur, & in Hispaniam, ubi *Gittani* eis nomen est. Et quamquam publicis sæpe edictis proscripti exclusique fuerint, nondum tamen eorum progenies in Occidente defecit: fortasse quod muneribus e latrocinio

C coactis oculos iis eripiant, quorum est vigilare ad publicæ rei securitatem atque tutelam. Puer quum essem, memini, me ab eorum uncis unguibus immunem abire non potuisse. Severissimis etiam pœnis interdictus est iis aditus in Mutinensem Ducatum: nihilo tamen secius aliquot impune apud nos postea vidi; & certe in finitima quadam regione, & alibi, multa adhuc est iis licentia & quies. Innumeras quoque istorum turmas vagari per Turcarum Regna, testantibus mihi multis, exploratum habeo. Quid aliud ergo dicendum superest, nisi quod Henricus Spondanus in Annalib. Ecclesiastic. ad Annum MCCCCXVII. num. 14 adversùs hoc pestiferum hominum genus gravi

D epiphonemate scriptum reliquit? *Turba*, inquit ille, *est congerronum, præstigiatorum, & furum, impune ubique latrocinantium, & stolidam plebem fatuis suis divinationibus, ac rerum permutationibus decipientium: quos sane miramur a Principibus & Magistratibus non solùm permitti, verùm etiam protegi ac defendi.* Unde verò *Zingarorum* vocabulum deductum fuerit, si petas, adi Alexandrum Tassonium Mutinensem virum doctissimum in Lib. 8. Cap. 3. *Pensieri diversi*, Ferrarium, & Menagium in origin. Linguæ Italicæ.

Inter Superstitiones numerantur quoque *observatio temporum*, sive *dierum*. Frequentissima hæc olim fuit, reclamantibus frustra Ec-

E clesiæ Pastoribus, ac Patribus. Et vetustissima quidem pravæ hujus opinionis origo: nempe ab Ægyptiis, Etruscis, Romanis, aliisque gentibus falsæ Religioni addictis, in Christianum Populum delapsa est credulitas, statos quosdam dies haberi, quibus quidquid negotii inchoatur, aut faciendum suscipitur, infaustus exitus consequetur. Chrysostomus in Homil. 33. ad Populum, Ambrosius, Augustinus, & antiqua Concilia in hæc deliramenta potissimum intonuere. Nicolaus etiam I. Papa in Respons. ad Consult. Bulgaror. Articul. 34. hæc habet: *Præterea consulitis, an sit aliqua dies, in qua non oporteat ad præliandum exire. Non est ulla*

la dies in quibuscumque negotiis incipiendis vel exercendis penitus observanda, quum non sit in diebus spes nostra ponenda &c. Tum Articulo 35. addit: *Nam illa, quæ commemorastis, idest diei & horæ observationes, incantationes, joca, & iniqua carmina, atque auguria, pompæ ac operationes Diaboli sunt* &c. Sed quàm pertinax impia hæc observatio etiam inter Christi fideles fuerit, exemplo erunt *dies Ægyptiaci* a remota antiquitate ad Sæculum usque XVI. Christianæ Æræ diligentissime a plerisque servati, & publicis etiam Kalendariis inscripti, ut ostendi in Præfatione ad gemina vetusta Kalendaria, Part. II. Tomi II. Rer. Italic pag. 1023. Videlicet singulis mensibus dies duo adeo infausti, adeoque mali ominis, atque ii suis sedibus designati, decurrere putabantur, ut nihil nisi adversi tunc operanti formidandum foret. Non vulgus dumtaxat, sed & homines politioris Minervæ, iis diebus sibi religiose cavebant, rati traditionem hanc tantâ antiquitate stipatam gravibus fundamentis niti, quæ tamen unice in nubibus, sive in impostorum phantasia olim fabricata fuit. Audi Sanctum Augustinum in Expositione Epist. ad Galatas Cap. 4. *Vulgatissimus est error Gentilium iste, ut vel in agendis rebus, vel in exspectandis eventibus vitæ ac negotiorum suorum, ab Astrologis & Chaldæis notatos dies, & menses, & annos, & tempora observent*. Rolandinus verò Historicus Lib. 3. Cap. 9. Chronic. ad Annum MCCXXXVI. sinistram Patavini exercitus expeditionem narraturus, ait: *Et movit exercitus de Padua die III. intrante Octubri; & erat Ægyptiaca dies illa*. Tum Lib. 4. Cap. 5. tentatam Anno MCCXXXVIII. infelici exitu ab Estensi Marchione Patavinam Urbem describens, hæc habet: *Venit cum multa turba, & armata manu, usque ad Pratum Vallis, quod est in suburbio Civitatis: & fuit hoc in XIII. Julii præscripti Anni MCCXXXVIII. & erat Ægyptiaca dies illa*: quo revera in Kalendario, a me edito, adnotatur infausta illa, ut credebatur, dies. Porro quantæ antiquitatis sit Superstitio hæc, discas e Kalendario Furii Dionysii Filocali, spectante ad Annum Christi CCCLIV. edito a Clarifs. P. Janningo Soc. Jesu. in Tom. 7. Junii inter Acta Sanctorum, ubi leguntur singulis mensibus Gemini *Dies Ægyptiaci*. Et diu quidem superstitiosam ejusmodi dierum observationem perdurasse dixi. Nempe, ut antiquiores Libros omittam, visitur in Estensi Bibliotheca Breviarium Romanum MStum membranaceum, elegantissimâ picturâ ornatum, & circiter Annum MCCCCLXXX. manu scriptum. Præcedit Kalendarium, in quo *Ægyptiaci dies*, immo & horæ perniciosæ, versibus unicuique mensi appositis, designantur. Ad Januarium mensem hi leguntur:

Prima dies Jani timor est, & Septima vani.
Nona parit bellum: sed Quinta dat hora flagellum.

Quantâ verò insaniâ, & quot superstitiosis ritibus, choreis, & victimis, olim in Romano Imperio Kalendæ Januarii celebrarentur, notissimum est Eruditis. Sed ne Ethnicismo quidem sublato, sublata est superstitiosa illius diei solemnitas, in quam declamarunt sæpe Romani Pontifices, Sancti Patres, & Concilia. Quod mirere, ipso etiam Sæculo VIII. atque in ipsa Urbe æterna Populus antiquorum rituum tenax, nondum hæc deliria dedidicerat. Audi Sanctum Bonifacium, insignem primum Moguntinum Episcopum & Martyrem, hisce verbis ad Zachariam summum Pontificem Epistolâ 132. scribentem. Scilicet is dolet, *quia carnales homines idiotæ, Alamanni, vel Bajoarii, vel Franci, si juxta Romanam Urbem aliquid facere viderint ex his peccatis, quæ nos prohibemus, licitum & concessum a Sacerdotibus esse putant, & nobis improperium deputant, & sibi scandalum vitæ accipiunt. Sicut affirmant, se vidisse annis singulis in Romana Urbe, & juxta Ecclesiam, in die vel nocte, quando Kalendæ Januarii intrant, Paganorum consuetudine choros ducere per plateas, & acclamationes ritu Gentilium, & cantationes sacrilegas celebrare: & mensas illa die vel nocte dapibus celebrare; & nullum de domo sua vel ignem, vel ferramentum, vel aliquid commodi vicino suo præstare velle. Dicunt quoque, se vidisse ibi mulieres Pagano ritu Phylacteria & ligaturas in brachiis & cruribus ligatas habere, & publice ad vendendum venales ad comparandum aliis offerre. Quæ omnia eo quod ibi a carnalibus & insipientibus videntur, nobis heic & improperium & impedimentum prædicationis & doctrinæ perficiunt*. Paria etiam dici possent de *Kalendis Augusti*, quæ apud nos a Feriis adhuc retinent nomen *Feragosto*, non cessante vulgo ea die vino & epulis indulgere. Hisce junge *Bacchanalia*, *Vindemias Nolanas*, atque horum similia, quæ a fera antiquitate ad nos usque, veluti hereditaria, pervenerunt. Redeo ad stultam dierum observationem. Profectò ne heic quidem Majorum nostrorum mores ac improvidam credulitatem, sive superstitionem mirari nobis licet, quum ne nostra quidem ætas careat hominibus, & fortasse plus sibi sapientiæ tribuentibus, quàm rudium Sæculorum mentes sibi tribuerent: qui die Veneris nullum iter inchoarent, veriti, ne exemplo suo verum comprobarent adagium quoddam Hispanicum nempe: *Die Martis, aut Veneris neque nuptias, neque iter institue*. Qui etiam horrent, si quando ad mensam cum duodecim aliis convivis se sedere deprehendunt: opinio enim invaluit, non excessurum annum integrum, quin ex iis tredecim unum mors insidiosa surripiat. Qui denique, ut plura alia prætercam, si fortè sal in mensa effundi conspiciunt, infortunium aliquod imminere sibi continuo persuadent. Rident hæc omnia cordati viri; sed timidis ea persuasio ne forcipibus quidem adhibitis eripi queat.

Excogitari quippe non potest, quàm tenax interdum sit Populus morum & opinionum antiquarum, & præcipue ubi agitur de publico lætitiæ spectaculo, aut de spe lucri, aut de periculis evitandis. Et heic traditio majorum sufficit; neque ratio alia, cur ita agatur aut credatur, exigitur. Exemplum alterum accipe. Tum Ferrariæ, tum Mutinæ (an & in aliis Urbibus id contingat, ignoro) Majo mense nuptias inire, apud plerosque piaculum foret. Scilicet aut in conjuges, aut in prolem, quæ inde emergeret, innumera incommoda atque adversa manarent. Sed unde ridenda hæc opinio? Eam novimus vetustissimam esse, quippe Ovidius Lib. quincto Fastorum, auctor est, jam tum timuisse sibi homines a nuptiis Majo mense celebratis. Inquit autem:

Hac quoque de causâ, si nos proverbia tangunt,
Mense malum Majo nubere, Vulgus ait.

Plutar-

Plutarchus etiam meminit insulsæ hujus, sed tamen passim receptæ apud Romanos consuetudinis, in Quæst. Rom. Equidem præfractè contendere nolim, quin posterioribus hisce Sæculis, inspecto ritu Romanorum apud Ovidium, rursus obliterata hæc opinio resurgere, atque apud Populum vulgata, iterum in omnium mentes ac ædes penetrare potuerit; sed veri etiam simile videatur, eam interrupto cursu, vel post attritum Romanorum imperium, perseverasse apud quasdam ex Italicis gentibus eadem ratione, qua adhuc Mediolani, dum nuptiis peractis mas & femina procedunt, pueri id animadvertentes, statim hisce obstrepunt vocibus: *All' aminee, all' aminee*, hoc est, *Hymenæum*, secundùm morem veterum inclamantes. Neque enim umquam e Populi ore, antiquorum rituum tenacissimi, consueta illa Gentilium acclamatio recessit. Sed quando Mediolanum venimus, heic consistamus velim, ut nonnulla Superstitionis vestigia, quæ illic olim vigebant, agnoscamus. Scilicet religioni sibi non ducebant Custodes atque Ministri celebris Ambrosianæ Basilicæ *Simulacrum Herculis* in ipso Templo habere, & quidem ad ostia Chori. Audi Landulphum juniorem Hist. Mediolanens. Cap. 10. Tomo V. pag. 481. Rerum Italicar. de Presbytero Liprando ista tradentem: *Eamdem Ecclesiam intravit, & pulpitum cum Arialdo de Maregnano ascendit; & facto silentio in Populo, & Presbytero stante nudis pedibus super lapidem marmoreum, qui in introitu Chori continet Herculis Simulacrum, idem Grossolanus ait &c.* Plura de hoc Simulacro habet Puricellius tum in Monument. Basilic. Ambrosian. tum in Vita Sancti Herlembaldi. Ego id unum persequor, bonis Mediolanensibus, dum Sæcula rudia decurrebant, in mentem non venisse, quantum dedeceret inter Christianorum sacra statuam servare Herculis, non solùm profani ac Ethnici hominis, sed etiam inter Divos a cæca veterum Superstitione relati. Sed ejusmodi opprobrium posteri meliora edocti inde tamdem exturbarunt. In eâdem autem Basilicâ sub navi majori visitur adhuc marmoreæ columnæ impositus *Serpens æneus*, quem Landulphus senior in Hist. Mediolanens. Lib. 2. Cap. 18. Tomo IV. Rer. Italicarum, e Constantinopoli ab Arnulpho Episcopo delatum circiter Annum Christi MII. scribit, eumdemque putat, *quem Moyses in Deserto, divino imperio admonitus, coram Filiis Israël exaltaverat*. Exsibilanda plane opinio, quæ adversantem habet sacram Historiam, traditionemque Patrum. Multa de Serpente hoc æneo commentatus est supra memoratus Puricellius, sed plura Petrus Paulus Boscha, qui temporis, ut mihi videtur, prodigus, leve hoc argumentum singulari Libello jam edito illustrandum sibi suscepit, congessitque omnes tum Vulgi, tum doctorum hominum opiniones, plerasque ineptas ea de re. Fuere tamen Eruditi non pauci, inter quos præcipue recensendus Alciatus V. Cl., qui in hoc Serpente vestigium pertinax Ethnicæ Superstitionis latere suspicati sunt, quasi hæc imago fuerit Æsculapii, sub specie Serpentis a Romanis, Græcisque olim culti, quæ in sacram illam Basilicam antiquis temporibus irrepserit, & adhuc ibi cubet. Mea sententia est, non alio consilio ab antiquis æneum illum Serpentem collocatum in Ambrosiano Templo fuisse, quàm ut exprimeretur, quod divinus Redemtor noster Johannis Cap. 3. vers. 14. dixit: *Sicut Moyses exaltavit Serpentem in Deserto, ita exaltari oportet Filium Hominis*. Fuisse hanc veterum mentem, certâ quadam conjecturâ assequutus mihi videor, postquam agnovi, qualis ante tria Sæcula esset facies loci illius. Adservatur in Estensi Bibliotheca, *Angeli Decembris Vigevii* (scilicet Vigevanensis) *Commentarius de Supplicationibus Majis, ac veterum Religionibus ad Cl. V. Johannem Tuscanellam*. Codex ipse MStus ad eundem Tuscanellam olim spectabat. Ibi verò hæc adnotata sunt in fronte Libelli: *Hic sermo, sive Commentarius actus est Mediolani, & in Mediolanensi Templo primario beatissimi Divi Ambrosii, diebus autem Majalibus, quibus triduum quotannis litationes Christo referuntur, Anno ejusdem MCCCCXLVII.* Multa autem occurrunt illic, quæ excerpenda duxi atque heic exhibenda, utpote argumento nostro accommodata. Idem Opusculum occurit mihi inter Codices MStos Ambrosianæ Bibliothecæ, ubi Johannes Tuscanella appellatur *Secretarius*, nempe Ducis Mediolanensis.

Itaque primo conjectatur Decembrius, Sanctum Ambrosium, ubi condendæ Basilicæ consilium iniit, sacrilega Ethnicorum fana reliqua evertisse, & ejusmodi rudera in despectum profanæ Religionis, & prostratæ Idololatriæ servata, convertisse in usum Basilicæ suæ Deo vero sacratæ. Inter ceteri auctor est, Columnas duas in Ambrosiana Basilica collocatas fuisse. In una *Crucifixi* effigies superimposita: in altera *Serpens Æneus* spectabatur. Itaque commemorat *Anguem æreum in medio Templi super Columna, lævâque astantem sinuoso volumine: quod Arianorum Idolum fuisset, aut Æsculapio fortè dicatum, cui consecratus est Serpens, aut ex Vetere Testamento susceptum. Nam de Moyse secundùm consuetudinem, sive Mose potius, ut Juvenali placet, atque ejus Virgâ, aliæ sunt ambages. Super altera* (idest Columna) *insignem Crucifixi imaginem. Hoc itidem controversiæ genus ab eodem conditore compertum, ut quum hanc supplices intentâ facie & animo adoraremus, illi contra ad ignominiæ notam terga verterentur*. Ineptam profectò conjecturam. Tam inconsulti, aut infantes, Decembri mi, non erant primi Ecclesiæ Patres, eoque minùs Ambrosius sanctissimus æque ac sapientissimus Vir, ut in Templa Christo sacra inferrent Simulacra falsorum Numinum, veluti monumenta ad exsecrationem piæ Plebis exposita. Ea dejiciebant; ea oculis Populi ad Idololatriam facile proni, quàm accuratius poterant, surripiebant. Sed veri quidem mihi videtur simillima caussa, quam nuper innuebam, expositi illic Serpentis ænei. Nempe Mosaicus Serpens ad medelam Populi in eum respicientis (ut habetur Numer. Cap. 21. vers. 8.) pro signo positus est, *quem quum percussi aspicerent, sanabantur*. Atqui typus, ut vidimus, ille fuit Christi venturi, ad cujus e Cruce pendentis adspectum sanandum erat humanum genus. Geminas ergo Columnas in Ambrosiana Basilica veteres constituerunt: super unam Prototypi, & veritatis effigiem locantes, hoc est, Christi in Cruce exaltati Imaginem: super alteram Typum, seu symbolum Crucifixi ipsius, idest Serpentem a Moyse in Deserto exaltatum. Atque adeo utrobique inspiciebatur & colebatur Christus; non autem despiciebatur Æsculapii signum, aut Idolum aliquod Arianorum, qui numquam Idololatriæ fuere insimulati. Nostris temporibus

ibi

ibi tantùm visitur Crucifixi Imago, diu nimirum ante amota columna. Perdurabat apud antiquos traditio, per Anguis illius effigiem designari Serpentem Mosaicum: Popellus autem, cui accessere etiam ex doctis nonnulli, inter quos Landulphus senior, ut supra vidimus, sibi persuadere cœperunt, Serpentem illum eumdem ipsum ipsissimum fuisse, qui a Moyse conflatus fuerat, quam fabulam confutare minime opus est. Ceterum audire juvat Decembrium ipsum alia narrantem, videlicet: *in eodem Templo* Ambrosiano, *atque ipsius adyti fronte, quæ ad Occidentalem plagam vergit, Orgia Baccheja ex vetusto marmore cælata nunc etiam exstare. Quare haud temere olim fortè istic Libero Patri dicatum, seu Gentilium delubrum quoddam extitisse putandum. Namque ex uno latere ipsius Bacchi, ut opinabantur, seminudi esse simulacrum, atque ideo caprinâ pelle succinctum: quod hircus sibi soli consecretur: ex altero Thyasos, idest marium feminarumque choreas cum pampineis tyrsis & funalibus impressas*. Pergit ille, contendens, non Bacchum, sed Herculem sculptum ibi fuisse. *Itaque*, ait, *hoc in loco Herculem lævâ manu leonem per caudam humo tollere, tamquam gygas immanis, simul ac eumdem elatâ dextrâ nodoso stipite, idest clavâ, exanimare videtur*. Infra addit, Alcidem illum *nunc versis jacere vestigiis, cernuo recumbentem capite*. At nihil Superstitionis hac in re occurrit; casu enim factum, ut ejusmodi marmor, sive Bacchum, sive Herculem in iis anaglyphis referat, in Templi Ambrosiani faciem inlatum fuerit. Nulla autem, errandi caussâ, inde Populo creabantur, quid ibi inscriptum fuerit omnino ignoranti. Ita nihil improbandum, reperias in altero Mediolanensium ritu, quem hisce verbis Decembrius describit. *Vetus institutum est, ut singulis Ambrosiani Festi solemnibus, quoniam id hyberno tempore contingit, ingentem molem ex omnium colorum cerâ, in diversorum florum herbarumque similitudinem, miro quodam artificio compositam, ante ipsius Ambrosii Aram offerant, in qua liventes uvarum racemi cum viridantibus pampinis singulari arte effecti cernuntur*.

Quod tamen aptius in rem nostram cadit, rationem tradit ille, qua Mediolanense Vulgus ætate sua sibi a fascino caverent, atque a grandine, fulminibus, & rursus aquam in ariditate terræ e cœlo impetrarent. Ad primum quod attinet, *Serta*, inquit, *longis hinc inde torquibus ex discoloribus rosis, odoratisque graminibus revincta distendimus, sive floralia quædam vincula* (*sic a Florâ Deâ libet appellare*) *eadem pariter, quæ Ambrosiana cerea nuper memorastis. Neque dubium, id torquium genus a veteribus proditum; siquidem ante domorum fores, & in triviis* (*a Triviâ, ut puto, Deâ*) *in Templis pariter, coramque Deorum simulacris appendimus; priscâ, inquam, exceptum consuetudine. Quo pluribus, ut arbitror, viarum, cælique tractibus, & Populo & dies festa precesque protendantur. Et quacumque protendi, vergique videntur omnes scelestarum anuum fascinationes, impurorum sacerdotum carmina aboleri, simul furentes nimborum impetus, concretam grandinem, fulminea tela dilui opinantur*. Hæ vulgares eorum temporum opiniones & acta ad malefícia Magica, cælive tempestates avertendas. Qua autem ratione pluviam e nubibus evocarent, quæ Decembrius subdit, nos edocebunt: *Contra si nimio Solis ardore terræ dehiscant, quum siccis arvis arescunt intempestivæ fruges, & quum sitiunt omni arbore frondes, Focos in propatulo exstruere mos est, quos rustici etiam in suburbanis majores instituunt. Id autem ferme Caniculario Mense qualibet æstate contingit. Desuperque ahena undantia cum tripodibus, ad illius, ut putatur, beatissimi Johannis invocationem Euangeliorum Scriptoris, sive Martyrii sui memoriam. Quem quum olim patulo vase impii Gentiles, tamquam aheno ferventis olei pleno flammis superjecissent: fidei sese Salvatoris commisisse ferunt, eumque improviso atram tempestatem effusis imbribus injecisse, qua omnis illius ignis vapor extinctus est. Ut per hoc ideo sacrum, quod Vulgus ignorans Sacram Concham appellat, sive pro ejus nomine, quam Poëta Cærulam Concham dixit, sive pro eo certe, qualecumque fuerit concavum vas, undique labrum habens, pluviæ tamdem exoptatæ superveniant*. Est adhuc Mediolani Basilica Sancti Johannis in Concha, in qua Patres Carmelitæ Officia divina peragunt. Hinc ei nomen accesserit, hoc est, e *ferventis olei dolio*, in quod Sanctus Johannes, teste Tertulliano & Hieronymo, immissus fuit. Neque prætermittenda sunt, quæ Decembrius dicere pergit, contemplanti absonam ipsius Plebis pietatem risum fortassis excitatura. *Quæ ahena tamen*, inquit, *ne frustra flammis imposita videantur, multo varioque replent legumine, & salsis carnibus: unde dictum est Pleno copia cornu. Id autem obsonium impubes manus epulatur circum insultans, & recenti aquâ certatim se proluens. Alii autem non pluviam illi sanctissimo Viro superfusam asseverant; sed, quod mirabilius fuit, oleum nequicquam ebullisse, neque læsisse magis, quàm si sine igne imposuissent. Utcumque id fuerit, hoc sacrum profectò eadem religione institutum videtur, ut facilius cælo imbres exorentur. Quam Vulgi opinionem hæc insuper consuetudo confirmat: quod non se solùm epulantes injectis lymphis humectant, sed si quem fortè prætereuntem Sacerdotem ludentes animadverterint, eumdem quoque libentius socia aspergine madefaciunt. Quibus ludicris quum aliàs Rhaudensis noster Antonius, uti a se ipso percepi, fato an casu supervenisset, quo magis celebrioris famæ, & reverentiæ Monachum eum esse cognoscerent, eo densioribus aquis, tamquam imbribus, per fenestram desuper irroraverunt*. En quibus actibus, utique superstitiosis, & non uno titulo improbandis, antiqui Mediolanenses exoptatum imbrem e cælo exprimerent: quorum violentiæ nescio an idem cælum sæpe victum se dederit. Id quidem novi, hæc non clanculum, non remotis testibus, sed in media ipsa Urbe, meridiano Sole micante, fieri consuevisse. Neque ipsemet Angelus Decembrius, vir alioquin eruditus, & non vulgaris intelligentiæ, dum ea refert, damnat, immo comprobare videtur: adeo illius ævi bona gens, quod consuetum erat, & a Majoribus veluti hereditate acceptum, sanctum & omni culpæ umbrâ immune arbitrabantur. Alium denique morem Mediolanensis Vulgi, recurrente Rogationum triduo, Decembrius enarrat, quem quia desiisse vidi, Lectorum examini subjiciendum puto. *Patritios ritus*, inquit ille, *accuratius attentissimis vobis expono. Ergo cum his simul frondibus, torquibusque, matres, & innuptæ puellæ sua vota connectunt, ex pannicibus* (ita scriptum) *consutiles liberorum imagines*

pines effingendo, *quibus se se olim fœtus suos rite concipere & educare confidunt*. *Proinde eadem Floralia* (ita ille supplicationes Majas appellat, quasi a Floralibus Ethnicorum festis ad nos derivatas: quod falsum plane est) *cum paxemadibus*, *& azimis*, *cum ovorum testis*, *& offarum simulacris ad ejusmodi victus indulgentiam*; *cum variis olerum & leguminum generibus*; *cum ampullis quoque pensilibus*, *aquâ*, *vino*, *lacte*, *oleo*, *melle refertis*, *decoramus*. *Quam rursus consuetudinem putant ab antiquorum Monachorum*, *sive Eremitarum disciplinis*, *an Pythagoreorum*, *Pompilianorum*, *susceptam*: *qui ea tantummodo ab immortalibus impetrari licere*, *& ad humanam sustentationem sine animalium epulationibus satisfacere arbitrati sunt*. Hæc Decembrius, quem denique dimissum volo.

Hæc tamen pauca sunt ex iis, quæ Sæculis rudibus usurpata fuere, nunc autem aut antiquata sunt, aut Ecclesiæ decreto penitus sublata. Copiam fortasse miraremur, si prospectos omnes Majorum nostrorum ritus haberemus. Sunt etiam, quorum nomen perdurat, res autem aut cessavit, aut aliam faciem induit. Sacra Nativitate Christi recurrente, aut connexis diebus festis, mos olim fuit in summam lætitiam intra ipsas domos erumpere. Jocis, choreis, conviviis sacra illa dies agebatur, atque inter alia prægrandis stipes incendebatur, non sine superstitionum quarumdam additamento. In Florentino Vocabulario Academiæ Furfuraceæ hæc ad vocem *Ceppo* adnotantur: *Battere*, *o ardere il Ceppo*: *dicono i fanciulli per la solennità del Natale a una certa funzione*, *nella quale da' loro Maggiori sogliono ricevere donativi e mance*, *che poi assolutamente si dicon da questo Ceppi*. *Allegr*. 198 *Per trattenerli la sera*, *che s'arde il Ceppo a' nepotini*. Sed vereor, ut ii rite fuerint interpretati hanc vocem; & certe eorum interpretationi exemplum adlatum minime respondet. Nimirum urebatur tunc revera caudex Arboris, quem *Ceppo* nos appellamus. Ego quoque puer in patria mea Vineola audiebam, in Vigiliis Nativitatis Domini comburi il *Ceppo*; & quum per eos dies invitarer ad prandendum apud affines meos, id appellabatur *andare a Ceppo*. Sed vix antiqui ritus vestigium nunc superest. Quid olim ea occasione perageretur, habeo, qui luculentius nobis explicet. Is est Georgius Vallagusa, cujus Opusculum MStum in Bibliotheca Ambrosiana adservatur *de origine & caussis Ceremoniarum*, *quæ celebrantur in Natalitiis*. Dialogus est inter Philippum Mariam, Johannem Sphortiam, & Ludovicum, Francisci Sfortiæ I. inclyti Mediolanensium Ducis filios, & ipsum Georgium, illorum Præceptorem, circiter Annum MCCCCLXX. scriptus. Opusculo argumentum præbuit idem ritus, quem nunc induebam. Inducitur ibi omnium primus Philippus Maria fari his verbis: *Perpulcher est profectò*, *Sphortia germane frater*, *apparatus iste ab Illustrissimis parentibus nostris quotannis hoc Natali die repetitus*. *Delectat me non mediocriter caterva hæc Nobilium in hac nostra Aula frequens*, *dum Stipes iste hac solemnitate in ignem conjicitur*. Sphortia: *Afficit enim magnopere lætitia ac hilaritate non ipsam Regiam dumtaxat*, *sed totam quoque Civitatem*. *Hoc ab Illustrissimo Avo nostro Philippo Maria emanasse accipio*. *Sed nescio quo pacto nunc apertius*, *ac in om-*

A *nium Civium conspectu celebratum majorem affert cunctis voluptatem*. *Quare & parentum & Avi nos quoque vestigia prosequamur*. *Eja agite*, *fratres*, *si libet*, *de more Lignum afferri jubeamus*. Johannes: *Favete linguis*, *pueri*: *vos furcas attollite bicornes*: *excitate ignem*: *Stipitem ubertim mero rigate*; *dulcesque infundite liquores*. *Totamque hanc vesperam jucundissimis agamus saltationibus ac jocis*. Philippus: *Recte*, *ac pro tempore nos frater hortatur* &c. Pergunt deinde fratres investigare originem & caussam hujusce ritus, quem etiam fatentur a viris sacræ Theologiæ peritis fuisse improbatum. Infra verò ait Georgius: *Stipitem in primis in ignem comburendum projiciunt*, *quem variis frondibus*, *ac amœnissimis pomis ornant instar arboris*. *Vinum ex hinc ter in ignem immergitur*: *tum juniperum una comburunt*. Mutinæ & Bononiæ adhuc in pervigilio Nativitatis Domini vespere comburi a Plebe juniperi solent: quod antiquati ritus reliquias esse non immerito censeas. Infra in eodem Opusculo hæc alia leguntur: *Consuevit pater-familias toti familiæ nummos hac die conferre*, *quibus his diebus festis ludos passim ludant* &c. Nunc apud multos post cœnam sacri Pervigilii unum aut plura præmia proponuntur, & eventus sortis dijudicat, cui sint tribuenda. Pergit alio in loco scribere Vallagusa: *Panes tres magnitudine præstantes*, *ut scis*, *his diebus conficiuntur*, *quorum limbum per totum annum observandum abscindimus* &c.

C Durat adhuc apud complures Mutinenses eadem consuetudo, & perquam notus est *il Pane da Natale*. Ad hæc *Ciceram*, *anatem*, *rictumque porcinum* eo die ad mensam adhibita scribit; *Capum verò comedere nefas*. Hæc autem singula Georgius, ut a Majoribus nostris Superstitionis culpam amoliatur, putat varia complecti Christianorum Mysteria; atque ideo laudanda, non autem improbanda: quod nemini sacræ Religionis perito nmquam persuadeat. Simili tamen ratione & pace animi adhuc apud quosdam Populos in tripudiis & jocis agitur *dies Regum*, hoc est Epiphania Domini. Abundabant olim ejusmodi ritus, aut Superstitione, aut ejus saltem colore infecti.

D Sanctus Bernardinus enumerat, ac damnat Tomo primo, Sermone primo in Quadragesf. Ariculo tertio, complures ex iis superstitiosis actibus, qui ætate sua, eodem nempe Sæculo XV. vigebant. Sed ea in abdito peragebantur: & non paucæ, ne dicam innumeræ, ex hisce clandestinis Superstitionibus nostris etiam temporibus supersunt. Ego hactenus nonnullas sum persequutus, quæ olim palam, & ab universo Populo sine hæsitatione usupatæ fuerunt. Gratiæ habendæ sunt sacro Tridentino Concilio, cujus operâ Superstitioni multum detractum fuit. Gratiæ studio Sancti Caroli Borromæi, qui plurimos ex pravis hisce moribus ab sua Diœcesi, atque ex finitimis eliminavit,

E immo elaboratis suis Conciliis, reliquis Episcopis præluxit, ut agros suos ab hujusmodi dumetis expurgarent quorum tamen, dum homines erunt, semina perdurabunt. Quid verò superstitionum pepererit, & adhuc ætate hac nostra pariat iniquissimus Ludus ille, quem *Lotto di Genova* appellant, vix longâ oratione explicari possent. Sed hæc satis superque.

QUÆNAM HÆRESES SÆCULIS RUDIBUS ITALIAM DIVEXARINT.

DISSERTATIO SEXAGESIMA.

DISSERTATIO SEXAGESIMA.

OPortet Hæreses esse, ajebat Apostolus in Prima ad Corinthios. Quare nil mirum, si Italiam quoque, ubi præcipua Catholicæ Religionis sedes posita est, hæc ipsa calamitas interdum divexarit. Quales autem hæreses in suo sinu numerarit Italia, ex quo gentes exteræ felicissimam hanc Provinciam sibi subjecere, Lectores minus periti edocendi sunt. Arrianismum Gothi in Italiam adduxere secum sub Theoderico Rege, sed tantâ moderatione, ut Catholicis secus sentientibus nullam vim inferrent. Successere Anno Christi DLXVIII. Langobardi plerique pravis iisdem opinionibus infecti, & contra Catholicos male animati. Verùm bene cessit, quod Regale solium illius gentis tenuit non multos post annos Theodelinda Catholica ac piissima Regina. Illius enim operâ Aginulfus Rex, & ad exemplum Regis ceteri ferme Langobardi, impiam hæresim ejurarunt sub Gregorio Magno Pontifice, & iisdem fere temporibus, quibus Gothi Arriani in Hispania Catholicorum Fidem amplexi sunt. Summa pax deinde per plura Sæcula orthodoxæ Religioni in Italia fuit. Nullum Schisma Latinorum Ecclesiam turbavit; & cum Romano Pontifice concordes fuere, eique paruerunt potiora Occidentis Regna. Diù quidem perstitere in Idolorum cultu Populi Septentrionis incolæ, Frisii nempe, Dani, Sueci, Saxones, Borussi, Poloni, Lithuani, atque alii ad Polum Arcticum siti. In eos tamen sensim penetravit Christi nomen eo successu, ut Sæculo XV. immo & XIV. (Lithuanis tamdem Anno MCCCLXXXVII. pristinos errores deponentibus) sub vexillo Crucis & sub Romano Pontifice universi militarent. Græcos prætereo, Russos, aliasque Orientis nationes, Christum professas. Exploratum quippe est, eas per teterrimum Schisma a Romana Ecclesia Sæculo Nono discessisse: cui vulneri numquam postea licuit constantem medicinam adhibere. Quid tantam animorum ac sententiarum concordiam in sinu Ecclesiæ tamdiu aluerit, si quæras, responsum accipe: Divina protectio, atque voluntas, & Christianorum veneratio erga Apostolicam Sedem, omnium Ecclesiarum Matrem, & veræ semper doctrinæ Magistram. Ceterum si quam ex humanis caussis excogitare fas est, tam invidendam tranquillitatem firmavit Ignorantia ipsa. Si quid boni fructus arbor illa mala, Superstitionis alioquin, aliorumque malorum origo, apta est ad gignendum, hunc saltem producere consuevit. Non est certe umquam optanda Christiano, immo fugienda est, ac potissimùm Clero inscitia divinarum rerum, sacrorumque Librorum, & de nomine tantùm nosse Fidei Sanctissimæ, quam profitemur, doctrinam. Attamen quum Populus, & potissimum Clerus, non plus sapere curat quam oportet sapere; ac Traditionem tantummodo (ut revera tunc factum est) auscultat, eamque Religionem sequitur, quam a teneris unguiculis accepit, vix est, ut a sententiâ discedat, ac

A in novas absurdasque opiniones obfirmato animo rapiatur, nisi sint, qui dulcia seminent deliria: quo casu Ignari facilius quàm Docti in retia ruunt. Hæreses profectò graviores pertinacioresque una fere semper Superbia in Ecclesiam invexit. Ab ista verò, si comitem Scientiam habet, nimium sæpe timendum est. Quod non ita dictum velim, quasi Theologiæ studia, & sacrarum Scripturarum continuam meditationem, aliqua ex parte dissuadere sit animus, quum contra Catholicæ Ecclesiæ nimium intersit Pastores ac Ministros omnes habere in Religionis doctrina versatissimos; neque enim illa sibi timet a Veritate & Scientiâ, immo his potissimùm indiget. Sed simul optandum est, ut conjuncta cum Scientia, atque amore Veritatis incedat Humilitas, & quamcumque Novitatem in dogmate animus perhorrescat. Uti enim ajebam, a Superbia, atque ab aliis perversis animi affectibus Hæreses revera emergere solent. Itaque illud affirmo, nihil iis temporibus in Fide quemquam nutasse, aut novas impiasque opiniones advexisse, eâ etiam de caussâ, quod illiterati indoctique plerique Fidelium a quæstionibus ac disputationibus abstinerent, e quibus manasse tam sæpe discordias atque errores tenaci mente adoptatos jam novimus. Profectò ne iis quidem temporibus ignota fuit Italicæ genti Iconoclastica Hæresis, immo eam Claudius Taurinensis Episcopus palam protexit. Gotescalchi quoque dogmata in Marchia Veronensi originem quodammodo cepere. Attamen constans in avita Religione Italia tunc stetit. Neque tamen iisdem, aut proximis temporibus defuere scandala enormia, quæ pusillos ad Religionis alioquin immaculatæ comtemtum adducere possent. Nam Sæculo præsertim Decimo (bene Deus!) quot inaudita monstra non solùm bene multas Episcoporum & Abbatum Sedes, sed & ipsam Apostolicam tenuere, aut usurpavere! Cernere quoque passim erat perditos Cleri, ipsorumque Monachorum mores; & Ecclesiarum Rectores non paucos luporum quàm Pastorum appellatione digniores. Nihilo tamen secius Ecclesiæ suæ incolumitati divina clementia prospexit, & rite sua promissa Christus implevit, quando ne tunc quidem, hoc est, in tanta morum ac disciplinæ corruptela, Sponsam suam a Veritate atque a recta Fide deflectere passus est. Mala hæc agnoscebat & Populus, sed simul majorum Fidem sanctissimam, ejusque mandata justissima sentiebat. Eximii Theologi tunc desiderabantur, sed quum quisque tradita a Majoribus bona fide credere ac tueri pergeret, factum est, ut nullum perniciosum Dogma gregem Christi inquinarit.

Sed post Annum a Christo natô Millesimum serpere in Italia cœpere Manicheismi semina, quæ Hæresis vetustissima, & numquam in Oriente extincta, in Armenia & Bulgaria potissimum altas radices egerat, atque inde ad nos etiam advecta fuisse non injuriâ putatur. Petrus Siculus, qui circiter Annum Christi DCCCLXX. Manichæorum Historiam Græcis literis

literis tradidit, jam tum monuit, eos cogitasse de sede statuenda apud Bulgaros, uti revera accidit: eosque describit, quales subsequuta Sæcula agnoverunt, vafros, subdolos, hypocritas, & mille fraudibus suam obtegentes impietatem. Et in Bulgaria quidem diu viguit eorum, ut ita dicam, summus Antistes. Ad ista accedat etiam testis Photius, qui iisdem floruit temporibus, vir nemini Eruditorum non notus ob ejus eruditionem & vitia, simulque ob turbas in Ecclesia excitatas. Inter ejus Opera nondum edita, uti didici e Catalogo MSto Bibliothecæ Regiæ Scorialensis, habetur *Tractatus de recèns exortâ*, idest de repullulante, *Hæresi Manichæorum, eorumque detestabilibus dogmatis*. Item *Eclogæ variarum Dissertationum, quas habuit cum Nicephoro, qui e Manichæorum Hæresi recens conversus erat*. Sunt & alia ibi Opuscula Photii, luce adhuc carentia, nisi incendium aliquod omnia absumserit. Clarissimus vero P. Bernardus Montfauconius e Congregatione Benedictinorum Sancti Mauri, in Bibliotheca Coisliniana pag. 349. partem prioris Operis evulgavit, cujus etiam compendium exstat in Euthymii Panoplia. *Eclogas* autem illas ne accuratissimus quidem Polyhistor Johannes Albertus Fabricius agnovit in Volumine Nono Bibliothecæ Græcæ, ubi Photii scripta adhuc inedita recenset. Quo autem tempore *Manichæi* isti recentiores in Italiam, ac subinde in Galliam clandestinis gressibus penetrarint, memoriæ prodidit Rodulphus Glaber Lib. 3. Cap 8. Histor. Auctor ille est, circiter Annum Christi MXXVII. *a muliere quadam ex Italia procedente, insanissimam hanc Hæresim in Galliis habuisse exordium*. Manetis germina illa fuere; neque aliam originem habuisse videntur errores *Gerardi Hæretici*, ejusque sociorum, quos Heribertus Mediolanensis Archiepiscopus circiter Annum MXL. deprehendit grassantes in Castello Montisfortis Diœcesis Taurinensis. Vide Landulphum Seniorem Lib. 2. Cap. 27. Histor. Mediolanens. Tomo IV. Rer. Italicarum, qui eorum dogmata perversissima literis consignavit. Multus autem est doctissimus Bossuetus Episcopus Meldensis Lib. XI. Histor. Variation. in ostendenda propagatione nefandæ hujus Sectæ per Galliam, Germaniam, Belgium, Angliam, aliasque Provincias temporibus iis, & duobus subsequentibus Sæculis. Ego nonnulla persequar, quæ ad Italiam spectant. Sæculo, ut vidimus, Undecimo præcipue in Insubres, atque in ipsam splendidissimam Mediolani Urbem penetravit *Manichæorum* venenum ex Oriente delatum, immixtumque aliis fæcibus Gnosticorum veterum. *Patarini* apud Mediolanenses sunt appellati. Tam Landulphus Senior, quàm Arnulphus Sæculo Christi Undecimo ejus Urbis Historici, editi Tomo IV. Rer. Italicarum, hoc nomine non semel donant Catholicos dumtaxat, & Romanæ Ecclesiæ fautores, qui zelo, & quidem interdum exuberanti, in Sacerdotes Mediolanenses nuptiis addictos arma arripuerant. Landulpho quoque Juniore Historico Mediolanensi teste Cap I. Histor. Tomo V. Rer. Italicarum Presbyter Liprandus, Apostolicæ Sedi addictissimus, appellatus est a Conrado Rege Italiæ *Magister Patariorum*. Quare vocabuli hujus origo, quod gloriam primo prætulit, deinde verò ad Hæreticos translatum fuit, nunc nobis est investiganda. Exploratum habemus, novos Manichæos, quorum postea contagione diu afflicta est Italia, non solùm contemtui habuisse, sed omnino aversatos fuisse Sacerdotes ac Pastores Ecclesiæ Catholicæ. Papam singularem, seu Pseudo Papam, sibi in Bulgaria constituerant, atque in universum Ordinem Ecclesiasticum internecinum odium alebant. Ad hæc Nuptias Manichæi antiqui damnabant, & recentiores. In Opusculo MSto *Gregorii* cujusdam *contra Manichæos, qui Paterini dicuntur*, Cap. 2. est *de Matrimonio, quod Catholicus approbat, Paterinus damnat*. Idem habet Rogerius Hovedenus in Annalibus ad Annum MCLXXVI. ut alios omittam.

Vulgata erat Mediolani hæc Manichæorum insania. Itaque ubi Laicorum zelus & furor in ea Urbe exarsit adversùs Clerum, iniquo animo ferentem leges continentiæ, a primis Ecclesiæ Sæculis gradui Sacerdotali indictas: Clerici illi, eorumque asseclæ hoc adversariorum genus in album Manichæorum retulere, eosque vocabulo novo *Paterinos* appellarunt, quasi Clerum & Nuptias aversarentur. Arnulphus Mediolanensis Lib. 3. Cap. XI. Histor. circiter Annum Christi MLXXX. scribens: *Qui unanimes facti*, ait, *Ecclesias contemnunt, & divina spernunt cum Ministris Officia, asserentes omnia Simoniaca. Hos tales cetera vulgaritas ironice Patarinos appellat*. Ita Arnulphus uxoratis, seu fornicariis Presbyteris & ipse consentiens, qui Cap. 6. Lib. 4 *Patarinorum numerum*, idest Romanæ Ecclesiæ Pastoribus, & meliori disciplinæ addictorum, in immensum excrevisse prodit. Tùm verò Cap. XI. ejusdem Libri hæc habet: *Jam apparet Schismatis hujusce terminus, unde Patarinum processit primò vocabulum, non quidem industriâ, sed casu prolatum*. Hugonem quoque Flaviniacensem testem habemus in Chronico pag. 228. *Paterinos* appellatos fuisse, qui Gregorio VII. legitimo Pontifici adhærebant. Hæc Sigonius noster in Lib 9. de Regno Italiæ non satis accurate perpendit, scribens: *Sacerdotes, qui uxores haberent, præ pudore separatim a ceteris rem divinam facere coactos in loco, qui Pataria dicitur: unde vulgo a pueris Patarini ad contumeliam dicebantur*. Immo contra qui Presbyteris ejusmodi adversati sunt, ii primum *Patarinorum* nomine donati fuere. Neque a loco, ubi congregarentur, ea appellatio petita videtur. Diserte enim scribit Arnulphus, illos *ironice* ita nuncupatos, neque *industriâ*, *sed casu*. Suspicatur Du-Cangius in Glossar. Latin. in eos hoc agnomen fuisse conjectum, *quod Papæ, quem Patrem appellabant, adhærerent*. Sed nimis contorta est interpretatio, tum quod *Pater* Papam nequaquam satis apte, hoc est nullo singulari titulo, designet ac genericum nimis sit; tum etiam quod Presbyteri incontinentes ab obsequio erga Romanum Pontificem revera non discessere, ita ut dicteriis impeterent adversarios, Gregorio VII. adhærentes. Landulpho Seniore teste Lib. 3. Cap 8. quidam Sacerdos contra Sanctum Arialdum, incontinentiæ Cleri infensum, in hæc verba erupit: *Tu solus in Mundo universo per detestabilem hypocrisim audes vitam Sacerdotum diffamare. Numquid tu solus per exsecrabilem Pathaliam, & quam plurima Sacramenta prava, Populi flammam super nos accendis?* In eodem Lib. Cap. XI. Dionysius Cardinalis hæc ad Arialdum & ipse dixisse fertur: *Quum hujus inauditæ Pataliæ placitum cogitasti commovere, prius cum jejuniis multis debuisses consiliari, quàm hujusmodi negotium tam magnum*

gnum & tam periculosum cum viris inliteratis inchoasse. Rursus alibi *placitum Pataliæ* memorat. Tum verò Cap. 20. ejusdem Libri scibit: *Alii intra Urbem & foris palatini canes, fibulâ dimissâ & acu, ceterisque negotiis, e quibus vita illorum redimebatur, nec non asinarii, quibus Patalia vitam malis ministrabat, mulierum ornamenta clanculo in nocte per fenestras in domibus Sacerdotum, ipsis ignorantibus immittebant*. Itaque *Patalia*, sive *Pataria*, aut uti Bonizo Episcopus Sutrinus apud Lambecium scribit, *Patarea*, si quid video, nihil aliud significavit primo, quàm vilium personarum congeriem, ac deinde seditionem abjectorum artificum, ac gentis indoctæ rudisque, ab Arialdo scilicet contra Clerum incontinentem primo excitatam, tum a quibusdam nobilibus magno animi æstu amplificatam. Fortassis aut primi, aut plures, ad incohandum hunc motum fuere propolæ, quos Mediolanensibus appellare mos est *Patè*, atque inde adinventum *Patariæ* & *Paterinorum* vocabulum, irrisionis & contemtus caussâ, quum adeo abjecta gens ac illiterata sese adversus Clerum erigeret. Sed vix quisquam heic rem certo attingat, quum Arnulphus ipse, Synchronus, licèt dum a Græco *Pathos*, quod Latine *dicitur Perturbatio*, nominis hujus originem arcessere videatur Lib 4. Cap. 12. Histor. Mediolanensis, dubium simul sese testetur in assequenda *Etymologia vocabuli* istius. Quare e cerebro suo, uti & in aliis locis, non autem ex veritate rei, *Paterini* nominis Etymon deduxere Octavius Ferrarius, & Ægidius Menagius in Libris Origin. Linguæ Italicæ, quum a *Pactis* originem sumsisse scripserunt. *Ita primum*, inquit Ferrarius, *in contumeliam Judæi appellati, a Pactis, quum pignoribus capiendis, & pecuniâ fœnore locandâ caverent, ut nisi intra certam diem usura penderetur, res pignori opposita periret, ac similibus Pactis & conditionibus transigerent*. Numquam Judæi appellati *Paterini* fuere, sed aut Manichæi, aut Christiani Mediolanenses in Presbyteros incontinentes, zelo disciplinæ Ecclesiasticæ incensi.

Animadvertenda quoque sunt verba Willelmi Monachi Clusini, qui iisdem temporibus floruit, in Vita Benedicti Abbatis Clusini, edita a Mabillonio in Actis Sanctorum Benedictinor. Sæculo VI. De Witelmo, sive quisquis ille sit, Taurinensi Episcopo, Cuniberti Successore, ait: *Qui prius fuerat Stoicus, sive, ut ajunt, Paterinus, gaudens sorte mutatâ, quidquid undecumque compilare poterat, ventri donabit avaro*. Ergo qui primum appellati *Paterini* fuere, contemtum ciborum ac vestium præferebant, qualem Manichæi Populo inspirabant. Sed audiendus heic etiam Benzo Albensis Episcopus, seu Pseudo-Episcopus, Ughellio ignotus, in stomachosa illa de-

A clamatione, sive Satyra, sive Panegyrico Henrici IV. Germaniæ Regis, quam habes Tom. I. Scriptor. Rer. Germanicar. Menkenii, & quæ nihil aliud fuisse videtur, nisi *Chronica Benzonis Episcopi Albensis*, memorata a Gualvaneo de la Flamma, ut dixi in Præfatione ad Scriptores Rer. Italicarum. Itaque ibi Lib. 7. Cap. 2. Benzo de Alexandro II. Pontifice agens, qui antea Anselmus de Badaclo, seu Badagio, patriâ Mediolanensis, nuncupabatur, ait: *Hic primitus Patariam invenit*. Tum Lib. 4. Cap. 22. Benzo Schimasticus vir ita loquitur: *Non est, cui possim dicere: Stemus simul; quia si non omnes, plures tamen de ordine Habyse* (lego *Abiæ*, ut Sacerdotes indi-
B centur secundùm Euangelium Lucæ Cap. I.) *infecit pestis Patariæ, sicut est cernere in Chymera Astensis Ecclesiæ*. Ad hæc Cap. 35. ejusdem Lib. 4. addidit: *Altera Fides colitur, cui qui credit, moritur. Hanc Patarini prædicant, aras ei dedicant, contemnunt Sacrificium, & dignum* (lego *divinum*) *Officium*. Ex quo intelligimus, *Patarinos* fuisse Benzoni Schismatico, qui pro Alexandro II. Papa Sacerdotibus uxoratis adversabantur. Rursus Benzo Lib. V. Cap I. de Hildebrando, qui Sanctus Gregorius VII. Papa fuit, hæc habet: *Congregavit Patarinos ex viis & sepibus, & replevit totam terram urticis & vepribus. Qui dicebant: Non est Templum: Non est Sacerdotium.*
C *Nuptiarum improbabant stabile negotium. Sacrificium ridebant, sedentes in otium*. Quare conjecturam, quam primo posui, confirmatam vides, scilicet *Paterinorum* nomine deridendi caussâ oneratos fuisse Catholicos, Romanæ Ecclesiæ disciplinam sanctissimam amplexos, & velut Hæreticos traductos fuisse, quasi non secus ac Manichæi Nuptias, Templa, Sacerdotes exsecrarentur: quum tamen ii illicitas tantum Presbyterorum Nuptias damnarent. Undecumque tamen *Patarinorum* appellatio processerit, illud exploratum est, Manichæos deinde apud Insubres disseminatos, eodem ipso nomine designatos fuisse. Ii enim, ut præfatus sum, inter ceteros errores aversis-
D simum a Catholicis Sacerdotibus animum semper gessere, eorumque auctoritatem ubique conculcabant. Sæculo Christi Duodecimo Hæresis hujus morbus obscuros progressus in Lombardia fecit. Fortasse novas ei vires ministrabat vicina Gallia, in qua præcipue Albigensium ac Waldensium Sectæ, Manetem sequutæ, in grave incendium eruperant. Neque Mutinensibus meis eo ipso Sæculo ignota fuisse videtur hæc pestis, quum in Regesto antiquissimo Civitatis hujus Charta legatur Anno MCXCII. in qua destrui jubentur *Molendina Patarinorum*. Veri videtur simile, iis Molendinis accessisse nomen, quod ibi ejusmodi Hæretici conventum facere deprehensi fuissent. Chartam ipsam profero.

Concordia inter Rempublicam Mutinensem, & Massarium Sancti Geminiani, occasione controversiæ de Canalibus per Urbem decurrentibus, Anno 1192.

IN *Christi nomine. Anno ejusdem MCXCII. Indictione X. die Lune, qui fuit II. intrante Mense Novembri. Talis est concordia illorum, qui fuerunt electi pro facto Canalis de Porta Bajoaria, habito consilio Magistri Johannis de Montevelio. Dicunt scilicet, quod Canalis novus mittatur in veterem juxsta Duxile de Sancto Madrone, salvâ ratione Domus Sancti Geminiani, & Molendinum Petri de Cugnente.* Et Molendina Patarinorum penitus destruantur. *Et a Molendino Dragi usque ad angulum Clausure Mazucheli, Molendina neque Molendinum ibi nullo modo fiat. Et Molendina Rolandi Bajamontis & Sociorum, que sunt superius tornaturâ unâ inferius fiant, & brachium unum de illo statu, quod nunc manet, ad brachium rationis adbassentur. Et Molendina, que sunt infra fossam Civitatis, abassentur medietate unius brachii rationis. Et Duxile, quod est super fossam Civitatis, per duas partes unius brachii rationis abassetur. Et clausura Domine Abatisse usque ad fossam Civitatis faciant unum Sdugarium bonum & idoneum, ita quod non impediantur Canalia Communis, & sine dispendio Rolandi Bajamontis & Sociorum. Et pro* Molendinis Patarinorum, *& Petri de Cugnente, dentur eis pro cambio Molendina, que fuerunt Buchedeferro, ad congruum & conveniens fictum. Præterea dicunt, quod Massarius Sancti Geminiani debeat tenere aquam a bucha utriusque Canalis, scilicet a novo & a vetero. Et Potestas Mutine faciat predicto Massario novam bucham in Canali vetero. Et singulis annis predicta Potestas, vel Consules, qui per tempora erunt, debeant ipsi Massario Sancti dare centum operas hominum ad voluntatem ipsius Massarii, & non plus. Et predictus Massarius Sancti, nomine, & utilitate ipsius Domus, habeat Molendina de Cazata. Et habeat facultatem faciendi & mutandi infra vel supra, sine damno Molendinorum, Communis. Et pro hoc debeat tenere Communi duas maxenaturas in Canali vetero, & alias duas in Canali novo, salvo jure Canonicorum & Abbatis Sancti Petri, & ejusdem Domus Sancti, in molendinis suis. Et si de aqua esset contentio inter eos, scilicet inter Massarium Sancti, & eos, qui habent, vel qui habebunt Molendina Communis utriusque Canalis, scilicet quod Molendina Communis non haberent aquam sufficientem secundùm supradictum modum, in utroque Canale: tunc debet esse in arbitrio Potestatis vel Consulis, vel in quo esset positum voluntate ipsius Potestatis vel Consulum, salvis omnibus supradictis. Et si Massarius Sancti poterit habere aliquam utilitatem de aqua supradictorum Canalium, a Domo Johannis Dentexelium, infra ducendo aquam extra predicta Canalia pro utilitate ipsius Domus Sancti, habeat. Et ita secundùm quod supra legitur promisit solemni stipulatione* Dominus Albertus Adegerius, Potestas Mutine *in concordia cum Advocatis suis pro Communi observare, & firmum tenere.* Et Albertus Agi pro Domo Sancti *observare, & firmum tenere, solemni stipulatione promisit. Et hoc fuit in pleno consilio ad campanam sonatam. Testes interfuerunt de Consulibus Mercatorum Dominus Guizardus de Colornio, Anzelerius & Pegeloctus Balduini. Interfuerunt de Porta Citanove Rolandus Bajamontis, Ubertinus de Fredo, Rolandus Perzenarius, Sigezus Seraphini, Tetelmus Mazonus, Armaninus Pegoloctus, Magister Panzanus, Ubaldus Artarie, Passavantius, Compagnonus, Bozalinus, & Dominus Guidoctus Domine Navilie, & Dominus Albertus de Borzano. In Porta Bajoarie Jacobus de Gorzano, Gandulfus de Saltino, Rainaldus Isembardi, Ubertus Poltonerii, & frater ejus Bernardus, Presullus, Girardus de Bajoaria, Bonifacius de Casenalbene, Trucolus, Albertinus de Bocadelutio, Janellus Giberti, Grimaldinus, Johannes Matrudus. De Porta Sancti Petri Conradinus & Lanfrancus, Girardinus, Bonus, Accursus, Guillielmus Ati, Petrus Pacifice, Canevexius Achilixinus, Ubertus Mulete, Bernardus de Axano, Petrusbonus Rumiani, Albertus Tunsi, Prodomus Orionus. De Porta Albareti Bernardus de Balugula, Aynardinus, Squarcia, Bochacinus, Raynerius Paradisi, Guirixius, Adaminus, Bosalarius, Bulgarinus, Girardus, Odoricus de Savegnano, Albertus frater ejus, Rolandus Richelmi, Carnelvarius Bonafactis, Carnelvarius Guidonis Martini, & alii plures.*

Ego Martinus sacri Palatii Notarius interfui, & jussu Domini Alberti Adegerii Mutine Potestatis scripsi.

Verùm subsequenti Sæculo Tertiodecimo latius per Langobardicas Civitates, *Patarinorum* seu Manichæorum virus sese effudit, ut proinde contra eos Ferrariensis Episcopus implorare coactus fuerit Ottonis IV. Augusti præsidium. Principis hujus edictum nobis servavit Peregrinus Priscianus, circiter Annum Christi MCCCCXCV. in Annalibus Ferrariensibus, quos manu exaratos Bibliotheca Estensis adservat. Ego illud tenebris ereptum volo.

Ottonis

Ottonis IV. Imperatoris Edictum contra Patarenos sive Gazaros Hæreticos, Ferrariæ promulgatum Anno 1210.

OTto Quartus, *Dei gratia* Romanorum Imperator & semper Augustus. *Notum esse volumus universis fidelibus Imperii presentibus & futuris, quod nos volentes intendere conservationi & augmento Christianæ Religionis ad honorem Dei, & sancte universalis Ecclesie*, statuimus & perpetuo edicto sancimus, omnes Hereticos, Ferrarie commorantes, Patharenos, sive Gazaros, vel quocumque alio nomine censeantur, Imperiali Banno subjacere; nisi ad unitatem Ecclesie secundùm mandatum Ferrariensis Episcopi convertantur. *Et eos, qui jam dictos Hereticos in suis domibus receperint, vel eos publice vel privatim manutenuerint, vel eis consilium dederint, vel juvamen. Item statuimus, & perpetuò sancimus, quod omnia eorum mobilia, & immobilia publicentur; & domus, que nunc destructe sunt, & eorum domus, in quibus steterint, vel in antea recepti fuerint, vel se congregaverint, destruantur, & ulterius non liceat alicui eas reædificare. Hoc enim specialiter præcipimus sub debito fidelitatis, & sub obtentu gratie nostre, Potestati, sive Consulibus, qui pro tempore fuerint Ferrarie, quod omnia supradicta observent, & faciant in Civitate memorata inviolabiliter observari. Ad cujus rei evidentiam presentem paginam scribi, & Sigillo nostro jussimus insigniri.*

Datum Ferrariæ MCCX. Indictione XIII. Octavo Kalendas Aprilis, Imperante gloriosissimo Imperatore Ottone Anno Regni ejus XIII. Imperii verò Primo.

In vetustissimis quoque Statutis Populi Ferrariensis legitur: *Et fortiam dabo Domino Episcopo, ut Patareni exeant de Civitate Ferrariæ & Districtu.* Verùm non in una Civi- A tate Ferrariensi paranda fuit furenti morbo medicina, quum tot alias Urbes eadem pestilentia divexaret, ita ut Honorius III. Romanus Pontifex per ea ferme tempora Lib. IX. Epistol. 146. *Civitatem Brixiæ, quasi quoddam Hæreticorum domicilium* appellarit, eosque inde, quantis potuit, viribus exterminandos curaverit. Quamobrem Fridericus II. Augustus, Anno Christi MCCXX. atque eo ipso die, quo Imperialem Coronam ex manibus ejusdem Honorii Romæ suscepit, promulgavit in ipsa Basilica Principis Apostolorum celebre alterum Edictum, gravissimas pœnas complectens adversùs Hæreticos, eorumque fautores, quod in corpore Juris Civilis adhuc legitur.
B Inter cetera inquit: *Gazaros, Patarenos, Leonistas, Speronistas, Arnaldistas* (ex Arnaldo Brixiano, cujus perversa doctrina cum ipso minime expirarat) *Circumcisos, & omnes Hæreticos utriusque sexus, quocumque nomine censeantur, perpetuâ damnamus infamiâ, diffidamus, atque bannimus* &c. Qui nedum heic, sed & in mox evulgato Ottonis IV. Edicto, appellantur *Gazari*, iidem fuere atque *Cathari*: quo nomine se distingui volebant novi isti Manichæi, quos interim vulgus vocitare consuevit *Patarinos*. Immo sub *Paterinorum* vocabulo veniebant, quicumque tunc Hæretici Ecclesiam Dei affligebant, ita ut idem esset *Paterinus*, atque *Hæreticus*. Vide Vitam Ni-
C colai Laurentii Tribuni Romani in hoc Opere a me editam. Vide & alios testes congestos ab Auctoribus Florentinis Vocabularii *della Crusca*. Amabant autem Manichæi *Catharorum* titulum sibi tribui. Mediolani in Mercatorum plateâ adhuc visitur lapis positus Oldrado Prætori Urbis Anno MCCXXXIII. inter cujus laudes hæc recensetur:

QVI SOLIUM STRUXIT: CATHAROS, UT DEBUIT, UXIT.

Ita ibi scriptum pro USSIT. Varia autem nomina nebulonibus iis adhæsere e diversis eorum ducibus, atque Urbibus, ubi consedere. Hinc *Albigenses* ab Urbe Aquitaniæ dicti, & *Bulgari*, quod e Bulgaria, ut præfatus sum, descenderet ejusmodi Hæreticorum Secta. Atque inde postea in Italicam & Gallicam Linguam invecta sunt quædam vocabula inhonesta ac infamia, quæ adhuc vigent, ex eodem nomine aliquantulum corrupto petita, quod Hæretici ii Bulgari in omni nefariâ libidine volutari vulgo crederentur. Matthæus etiam Parisius in Histor. Angl. ad Annum MCCXXXVI. scribit: *Circa dies illos invaluit hæretica pravitas eorum, qui vulgariter dicuntur Paterini, & Bugares* (idest *Bulgares*) *in partibus Transalpinis*. Neque iidem fuere omnium errores, quamquam singuli Manetis præcipua deliria profiterentur, *Passagini* quoque, *Josephini*, *Pauperes de Lugduno*, aliique ex eâdem nequissimâ arbore surculi, ipsis temporibus prodiere. Occultabant ii studio enixissimo sese, suamque doctrinam, & cum Catholicis palam communicantes, clam sacri- D legos suos cœtus habebant. Sæculares vero Magistratus, fortassis & non pauci ex Episcopis nonnullis in Urbibus, Romano Pontifici segnes, immo inertes videbantur in purgandis ab infesto succrescente gramine ageris suis. Quare tunc primum instituti sunt *Inquisitores hæreticæ pravitatis*, multaque iis potestas attributa, cujus usus eo impulit furorem Hæreticorum, ut *Petrum* Ordinis Prædicatorum, Virum Sanctum, terris eripuerint, & Martyrem cælo donarint. Verùm neque zelus Summorum Pontificum, neque solicitudo Inquisitorum obstare potuit, quo minus *Fraticellorum* quoque Hæresis in Italiam penetraret, quæ tamen e præcedentibus, eodem Sæculo
E inclinante, pullulavit. Fœdissimam hanc Sectam nobis descripsere non pauci, ac nostri temporis demum Berninus Tom. 3. Histor. Hæreseon. Plerique Mediolanensium Scriptorum ad eam quoque Sectam referunt deliramenta *Guilielminæ*, quæ circiter eadem tempora, multis Mediolani dementatis, famam sanctitatis apud imperitum vulgus sibi conciliavit, ita ut post mortem veluti Sancta mulier a Plebe-

culâ , ejusque Sectatoribus , impune colere-tur . Sed minime cum *Fraticellis* confundenda est *Guilielminæ* Secta . Et quoniam famosam hanc feminam parum novere Ecclesiasticæ Historiæ scriptores, mihi verò contigit legere in celebri Ambrosiana Bibliotheca ejus Processum authenticum , Anno Christi MCCC. Mediolani confectum , atque illius Sectæ Historiam MStam a Clariss. Puricellio scriptam: neminem tœdebit , ut puto , rem a me accipere paucis delineatam , dignam profectò , quæ ad posterorum notitiam transeat , ne a muliercularum somniis atque præstigiis agi se in transversum deinceps sinant .

Ex antiquis Scriptoribus unus ille , quem Raynaldus in Annalibus Ecclesiasticis ad Annum MCCCI. laudat , quique de hac femina loqui videtur , est Auctor Annalium Colmariensium , editus ab Urstisio , sive sit illius Chronici Continuator ignotus. *Præcedenti Anno* , inquit , *venit de Anglia virgo decora valde , pariterque facunda , dicens , Spiritum Sanctum incarnatum in redemtionem mulierum . Et baptizavit mulieres in nomine Patris, & Filii, ac Sui. Quæ mortua ducta fuit in Mediolanum ibi & cremata : cujus cineres Frater Johannes de Vissemburc Ordinis Prædicatorum se vidisse pluribus referebat* . Si Guilielminam designare hisce verbis Scriptori huic animus fuit , uti quæ dicam persuadent , in multis ille deceptus est . Non ex Angliâ , sed e Bohemiâ , Mediolanum se contulit perditissima hæc femina. Processus inscribitur *contra Guilielmam Bohemam* , *vulgo Guilielminam, ejusque Sectam*. Ibi verò ante omnia habetur sententia promulgata contra *Dominum Stephanum Confanonerium* , Anno Domini MCCXCV. die Mercurii XXIII. Mensis Novembris , quod *a multis retro annis fuerit credens , fautor , receptator , & amicus Hæreticorum Sectæ de Concorezo* . Est autem *Concorezum* Vicus agri Mediolanensis . Culpatur etiam , quod multa enormia commiserit contra Fidem Catholicam in favorem Hæreticorum , defendendo publice errorem ipsorum , ac tenendo domi suæ scholam eorumdem . Item quod ad flagitiorum suorum cumulum , necem sanctæ memoriæ Beati Petri Martyris , tunc Inquisitoris , cum quibusdam aliis *tractavit cum effectu*; propter quod maleficium bannitus fuit Anno MCCLII. die Sabbati XII. Aprilis , per Dominum Petrum Potestatem Mediolani . Aliæ quoque sententiæ in eum dictæ referuntur : tum is damnatur , & Potestati Sæculari traditur . Interfuit hisce Actis *Frater Stephanardus de Vico Mercato de Ordine Fratrum Prædicatorum* , idem ille , cujus Carmen de Rebus gestis Ottonis Vicecomitis Archiepiscopi Mediolanensis habes editum Tomo IX. Rer Italicarum . Succedit Processus adversùs *Guilielminam* , cujus Secta ad ullam luxuriæ licentiam inclinasse nusquam legitur , sed quidem dementissimis Phantasiæ aut fraudis femineæ figmentis abundasse. Corius, aliique Scriptores rerum Mediolanensium , sequuti heic rumores vulgi , a veritate incauti descivere . En ergo germana & absurdissima Guilielminæ dogmata , quæ quamquam nunc risum facile legenti excitare possint, attamen fidem olim ac venerationem invenere apud non paucos è Plebe .

Primo perhibebat *Guilielmina*, sese esse Spiritum Sanctum (scilicet tertiam Sanctæ Trinitatis Personam) in sexu femineo incarnatum , ac natum e Constantia, Bohemiæ Regis uxore simul & Reginâ . Secundo , sicut Gabriel Archangelus olim Mariæ Virgini annuntiaverat Incarnationem Verbi Divini , sic etiam Raphaël Archangelus Constantiæ Reginæ annuntiaverat incarnationem divini Spiritus , idque sacro die Pentecostes , quo ipso eadem Guilielmina post integrum annum in lucem emissa fuit . Tertio , sicut Christus fuit verus Deus & verus Homo in sexu virili , ita Gulielmina esse se venditabat verum Deum & verum Hominem in sexu femineo , quæ Judæos, Saracenos , & falsos Christianos salvatura foret , uti per Christum , ejusque Sanguinem veri salvantur Christiani . Quarto , ipsa æque ac Christus moritura erat , secundùm naturam humanam , non verò secundùm divinam . Quincto, resurrectura & ipsa erat cum corpore humano in sexu femineo ante universi humani generis resurrectionem, ut ascenderet in Cælum coram suis discipulis , amicis ac devotis . Sextò , uti Christus Beatum Petrum Apostolum suum in terris Vicarium reliquit , eique regendam tradidit Ecclesiam suam , ita & *Guilielmina* , nempe Spiritus Sanctus , reliquerat sibi Vicariam in Orbe terrarum *Mayfredam Ordinis Humiliatorum Sanctimonialem* . Septimo , ad imitationem Sancti Petri , *Mayfreda* ista *Guilielminæ Vicaria* celebratura erat Missam ad sepulcrum *Spiritus Sancti* incarnati : deinde verò solemni apparatu eamdem Missam repetitura , ac sessura , & concionatura in maximo Templo Mediolani, & subinde Romæ in Apostolica Sede , ubi futuri erant ei Discipuli ac Apostoli , æque atque Christo fuerant. Octavo , *Mayfreda* futura erat vera Papissa , auctoritate & potestate veri Papæ prædita , ita ut Papa & Papatus Ecclesiæ Romanæ , qui tunc erat , abolendus esset , & locum daturus Mayfredæ Papissæ , aqua baptismo sacro abluendi erant Judæi , Saraceni , ceteræque nationes , quæ sunt extra Ecclesiam Romanam , & nondum sunt baptizatæ . Nono , Quatuor Euangeliis antiquis sublatis, nova quatuor successura erant , *Guilielminæ* jussu scribenda . Decimo , uti Christus videndum se post resurrectionem dederat , idem præstitura erat *Guilielmina* suis Discipulis . Undecimo , euntibus ad *Monasterium Clarævallis* , ubi ipsa erat tumulanda , tantùm *Indulgentiæ* tribueretur , quantum erat proficiscentibus Hierosolymam ad Christi Sepulcrum : quare ex universis terrarum partibus peregrini venturi erant ad ipsius Guilielminæ tumulum visitandum . Duodecimo , Sectatoribus hujus *Sancti Spiritus* , scilicet *Guilielminæ* , imminebant plurima mala ac mortes , non secus atque Apostolis Christi: ex ipsis verò ejus asseclis futuri erant, qui collegas suos in morem Judæ in manus Censorum Fidei traderent .

Hæc præcipua fuere abominanda Guilielminæ deliria , hæc ridenda somnia . Reliqua enim ex his consectaria mitto . Neque verò ea omnia confixerat *Guilielmina* ipsa, sed quidem stultissima illa *Mayfreda* , atque impius quidam *Andreas Saramita* . Fortassis ii statuerant sibi ante oculos deliramenta non dissimilia Simonis Magi , quæ Eusebius describit in Historia Ecclesiastica, & Epiphanius in Panario. Quod mirere simul ac doleas , *Guilielmina* , fortassis Anno Christi MCCLXXXI. e vivis erepta , tumulata primo fuit Mediolani in Templo Sancti Petri ad Hortum : exinde verò sub initium subsequentis Anni MCCLXXXII. ejus ossa

ossa translata fuere extra Urbem ad Cœnobium Claræuallense, singulari Sepulcro commendata. Ipsam Monachus concione panegyricâ laudavit veluti Sanctam, & morborum curatione mirabilem. Lampades & cerei ad ejus tumulum accensi. Præterea tres festivi dies quotannis in illius honorem ab ejus affeclis ad Monasterium Claræuallense instituti fuere. *Mayfreda* ipsa in privatis ædibus Missam celebrabat, ejusque gregales ei manum & pedes osculabantur, ab ipsa vicissim benedictionem, & interdum hostias ad instar Eucharistiæ recipientes. Vide quæso, quid possit insipientis & indoctæ gentis opinio ac cecitas relicta sibi. Verùm non diu passus est veræ Ecclesiæ suæ custos Deus in Populo tam religiosæ & Catholicæ Urbis triumphare ejusmodi monstra. Anno Christi MCCC. detecta est Guilielminæ Secta, atque ossa illius flammis data, Sepulcrum verò eversum. *Andreas Saramita*, ac *Mayfreda Sanctimonialis*, antesignani hujusce hæresis, ac pertinaces Guilielminæ alumni, ipsi quoque in rogo vitam reliquere. Atque hunc exitum habuit phantastica Guilielminæ Tragœdia.

Nunc ad alteram non disparem, sed longe pejorem progrediamur, quàm nobis Ferrariensis Civitas suppeditavit. Ibi *Armannus Pungilupes*, quem *Hermannum* alii perperam appellant, veterum Gnosticorum errores renovasse fertur. Immo eum complures Scriptores, ac præ ceteris Wadingus, Fraticellorum Auctorem ac Hæresiarcham, nescio quibus tabulis freti opinantur. Verùm sunt mihi eorum temporum monumenta, queis præeuntibus affirmo, Armannum Ferrariensem & iis præcessisse, & nihil aliud ab eo præstitum fuisse, nisi profiteri *Catharorum* errores, eumque adhæsisse dumtaxat *Sectæ de Bagnolo*, quæ non secus atque altera de *Concoregio*, superius memorata, propagines Waldensium, Albigensium, & Catharorum, sive Manichæorum fuere. *Bagnolum* autem fuit Oppidum Provinciæ, ubi altas radices egit venenosa hæc arbor. quæ ut habet Reinerus Cap. 6. contra Waldenses, propagines suas extendit *in Tusciam sive in Marchiam, vel in Provinciam*. Quales autem errores fuerint Bagnolensium, Albigensium, & Concoregiensium Hæreticorum (neque enim, uti etiam accidit in aliis Hæresibus, eadem omnium sententia erat, quamquam eadem foret origo) ex Peregrini Prisciani Libris MStis Lector ediscere poterit. Hæc illius verba.

Et quoniam in Hæresim Bagnolensem *Armannum prolapsum fuisse testes suprascripti affirmant, idcirco necessarium duximus, Hæreseωs ipsius Capitula & errores, brevissime tamen, scribere, ut plene omnino habeatur Historia ista, & medullitus intelligatur. Non prætereuntes, & eisdem fere temporibus tres viguisse Sectas*, Albigensium *scilicet, illorum* de Bagnolo, *& illorum* de Concoretio. *Quas per characteres* A. B. C. *signabimus*; A. Albigensem *denotante*: B. Bagnolensem: C. Concoretianam. *Et quamquam inter se aliquantulum discrepent, & nonnumquam conveniant, breviter tamen & perpulcre discrepantia & concordantia apparebunt in ordine tabulæ ipsius.*

Quod duo sunt Principia. Unum penitus Bonum: alterum penitus Malum A. & B.

A *Quod Deus bonus non creavit ista visibilia corpora*. A. & B.

Quod tantùm uni Deo non subjiciuntur omnia. A. & B.

Quod Deus bonus non est Creator omnium rerum. A. & B.

Quod Christus non est major omnibus. A. B. C.

Quod Deus non damnabit æternaliter. A. & B.

Quod Deus non infundit nec creat novas Animas. A.

Quod modò non vadunt homines ad requiem, vel infernum. A. B. C.

Quod Christus non habuit nostras pœnalitates. A. B. C.

Quod Deus non facit nec fecit aliquid periturum. A. B. C.

B *Quod Christus non duxit Carnem de Cœlo*. A. & B.

Quod Christus non est Deus. A. B. C.

Quod Christus non est filius Beatæ Mariæ. A. & B.

Quod Christus non sumsit carnem de Beata Maria. A. & B.

Quod Beata Maria non fuit mulier. A. & B.

Quod Christus non fuit verus Homo. A. & B.

Quod Christus non comedit corporaliter. A. & B.

Quod Christus non fuit passus in Cruce, vel in carne. A. & B.

Quod Christus non fuit mortuus verè. A. & B.

C *Quod Christus non ascendit in carne in cælum*. C.

Quod Christus non resurrexit, & quod non fuit mortuus. A. & B.

Quod non resurrexit in carne. C.

Quod non descendit ad inferos. A. B. C.

Quod Spiritus Sanctus non datur in baptismo manus vel aquæ. A. B. C.

Quod Johannes Baptista malus fuit. A. & B. & *Quidam* C.

Quod non fuit homo carnalis. A. & B. & *Quidam* C.

Quod non est resurrectio Corporum. A. B. C.

Quod parvuli non possunt salvari. A. B. C.

Quod Lex Moisis non est bona, nec Prophetæ.

D A. B. C.

Quod Patres antiqui veteris Testamenti non salvantur. A. B. C.

Quod vetus Testamentum non est a Deo bono. A. B. C.

Quod Moises fuit malus. A. B. C.

Quod per Legem Moisis non fuit, nec est ullo modo salvatio. A. B. C.

Quod Deus bonus non eduxit Populum Israëlis de Ægypto. A. B. C.

Quod Deus pater bonus non est loquutus Patribus antiquis. A. B. C.

Quod Deus bonus non dedit Circumcisionem. A. B. C.

Quod Adam non fuit a Deo. A. B. C.

E *Quod ante adventum Christi non fuerunt aliqui boni*. A. B. C.

Quod Christus non est æqualis Patri. A.

Quod res istæ visibiles non sunt a Deo. A. B. C. *Dicunt tamen illi de Concoretio, quod a Deo sunt creaturæ, idest, quod fecit quatuor Elementa, & ex iis quatuor postea Lucifer disposuit creaturas quaslibet in suo genere, sicuti sunt. Alii verò dicunt, quod nec materiâ, nec dispositione, nec formâ fecit Deus aliquid visibile. Et si aliquando concedunt fecisse visibilia, dicunt de illis, quæ sunt Angelis visibilia.*

Quod secundùm Vetus Testamentum inimicus non est diligendus. A. B. C.
Quod Angeli, qui ceciderunt, sunt oves, de quibus in Euangelio A. *Et pars illorum de* B.
Quod Baptismus aquæ nihil est, & nullius efficaciæ. A. B. C.
Quod sine impositione manuum non datur Spiritus Sanctus. A. B. C.
Quod in Ecclesia Dei non sunt boni & mali. A. B. C.
Quod obest subdito & sacrato mala vita Prælati. A. B. C.
Quod in Ecclesia Dei non debent esse Sacerdotes, & Diaconi, scilicet mali. A. B. C.
Quod mali Presbyteri non possunt ministrare. A. B. C.
Quod Ecclesia non debeat possidere aliquid nisi in communi. A. B. C.
Quod nullus malus potest esse Episcopus. A. B. C.
Quod Ecclesia materialis non est bona, nec ibi orandum. A. B. C.
Quod Ecclesia non debet persequi malos. A. B. C.
Quod Ecclesia non potest excommunicare. A. B. C.
Quod in Ecclesia non debent esse Subdiacones, nec Acolythi. A. B. C.
Quod Ecclesia non potest facere Constitutiones. A. B. C.
Quod non debent fieri .... sepelitiones mortuorum. A B. C.
Quod unctio Olei Sancti nihil est. A. B. C.
Quod Sacramentum Altaris nihil est. A. B. C.
Quod eleemosynæ non debent dari nisi bonis. A. B. C.
Quod non est orandum nec cantandum præter Dominicam Orationem. A. B. C.
Quod Peccatum non est a libero arbitrio. A. B. C.
Quod Originale Peccatum nihil est. A. B. C.
Quod Homo non potest pœnitere post peccatum. A. B. C.
Quod non potest fieri Peccatum, nisi quod factum fuit in Cælo. A. & B.
Quod aliud non est opus Diaboli, quam Peccatum. A. B. C.
Quod ignis Purgatorii nihil est. A B. C.
Quod Infernus nihil est. A. & B.
Quod bonus Deus vivificat, non occidit. A. B. C.
Quod malus Deus vivificat, & occidit corpora. A. B C.
Quod Deus, qui dat gratiam, non vindicat per bonos, nec per malos. A. B. C.
Quod ille Deus, qui vindicat, non dat gratiam. A. B. C.
Quod malum pœnæ non est a Deo bono. A. B. C.
Quod Animæ non damnabuntur. A. & C.
Quod Mundus semper fuit, & semper erit. A. B. C.
Quod solâ Fide non possit homo salvari quocumque casu. A. B. C.
Quod homo non potest salvari cum patre & matre. A. B. C.
Quod non est Confitendum. A B. C.
Quod Judicium factum est. A. B. C.
Quod Matrimonium malum est. A. B. C.
Quod quilibet non potest salvari. A. B. C.
Quod peccatum est comedere carnes. A. B. C.
Quod per proximum non intelligitur omnis homo. A. B. C.
Quod nullus est vitandus. A. B. C.
A *Quod Usura non est prohibita*. A. B. C
Quod non debet homo restituere. A. B C.
Quod juramentum non debet fieri. A. B. C.
Quod non licet alicui occidere. A. B. C.
Quod homo non est tradendus Justitiæ, propter hoc, quod potest converti. A. B. C.
Quod Diabolus potest in creaturis. A. B C.
Quod est æquale præmium in Patria. A. B. C.
Quod homo potest dare Spiritum Sanctum. A. B. C.
Quod Spiritus Sanctus & Spiritus Paraclitus non sunt idem. A. B. C.
Quod interior homo non est Anima. A. B. C.
Quod non debent radi capita. A. B. C.

Vivere desiit *Armannus Pungilupus* Anno MCCLXIX tantaque illum sanctitatis fama vestigio subsequuta est, ut vulgus universum ad illius tumulum confluxerit, multique corporis incolumitatem, uti decepti putabant, ejus apud Deum precibus consequutos se fuisse dictitarent; atque is passim Beatus & Sanctus a Plebe appellaretur & crederetur. Ricobaldus Ferrariensis Historicus, cujus Pomarii postremam partem habes in Tomo IX. Rer. Italicar. auctor est, Theodosii Magni Augusti Corpus ab Honorio Imperatore ejus filio Ravennam fuisse translatum, atque in Ecclesia Beati Laurentii in specioso Mausoleo collocatum: quod quidem adversantem habet fidem C veterum Scriptorum. Tum subdit Ricobaldus: *Ipsam autem Ecclesiam construi fecit Honorius per Lauricium. Cujus Sepulcrum fuit illud, quo in Ecclesia Ferrariensi jacet Armannus, quem Ferrarienses venerantur, uti Dei amicum*. Ita Ricobaldus circiter Annum MCCXCV. scribens, quum Hæretico Armanno larva nondum detracta fuisset. In Templo maximo Ferrariæ tumulatus est Armannus; & quum in dies augeretur miraculorum fama ad ejus Sepulcrum patratorum, non tantùm Canonici Ferrarienses, sed & ipse *Episcopus Albertus*, vir alioqui sanctitate vitæ celebris, & a Ferrariensibus *Beati* appellatione donatus, suum duxerunt, Processum de iis instruere, ac testes audire D . Hujus Processus partem, Apostolicæ Sedi, sacrisque Judicibus oblatam, servavit nobis Peregrinus Priscianus, supra mihi memoratus, diligentissimus Ferrariensium antiquitatum scrutator. Quam proinde ego quoque ad omnium eruditionem, evulgare statui, ut quisque proposito hoc exemplo intelligat, quam caute circumspecteque in ejusmodi rebus sit procedendum, & severitatem judicii laudet ac amet, quam Apostolica Sedes in piorum hominum Sanctitate perpendenda semper adhibuit, nostrisque præcipue temporibus rigidius adhibere pergit. Neque mirum, minus peritos ad tempus ludificatos interdùm fuisse a pestilenti illo hominum genere. Exterius E enim Cathari severam Pietatis seu Religionis speciem præferebant, & contemnere mundana quæque videbantur. Ita ad seducendos Urbevetanos, decurrente Sæculo Christi Duodecimo, *quidam Florentinus, perditionis filius, nomine Diotesalvi, se aspectu venerabilem ac honestum incessu, & exteriori habitu mentiendo, primus post Hermanninum Parmensem, doctrinam Manichæorum pessimam in Urbeveteri seminavit*. Iis per Episcopum inde exturbatis, *duæ Mulieres successerunt, quæ prætendentes exterius religionis Ecclesiasticæ qualitatem, Ecclesiarum limina frequentando, &, ut videbantur, intentæ divinis Officiis audiendis, in vestibus*

bus ambulantes ovium, interius luporum similitudinem obtinebant. Horum simulatâ religione deceptus Episcopus, eas in confraternitate Clericorum, caussâ orationis statutâ, admittendas censuit. Quumque una illorum, Milita nomine, tamquam altera Martha, videretur esse sollicita pro tecto Majoris Ecclesiæ reparando, altera, Julitta videlicet, velut altera Maria, vitam contemplativam videretur totis viribus amplexari, pars maxima matronarum nostræ Civitatis, & quidam earum amici, eas cœperunt sicut sanctissimas feminas venerari &c. Hæc e Vita Sancti Petri Parentii, edita a Clarissimo Papebrochio in eximio Opere Actor. Sanctor. ad diem XXI Maji, & a Johanne Canonico Urbevetano scriptâ Anno Christi MCXCIX. quo Sanctus ille vir ab ipsis Hæreticis, tantam Religionem simulantibus, interfectus fuit. Quid etiam ante paucos annos Lutetiæ

A Parisiorum acciderit de quodam Parisio, ad cujus recentem tumulum curationes non paucæ morborum ferebantur, non Gallia tantum, sed & Italia probe tenet. Atque hæc præmisisse licuerit, ut intelligant hospites in eorum temporum Historiâ, quantâ arte perdita Manichæorum progenies impietatem, erroresque suos contegeret, ita ut interdum & ipsi sacris Pastoribus fucum faceret. Verùm Deus, Ecclesiæ suæ custos, numquam passus est, eorum quemquam diu effugere meliorum ac sapientiorum oculos, atque ad internoscenda & tollenda ejusmodi monstra, sacrum præcipue Ordinem Prædicatorum, Ecclesiæ dedit ineunte Sæculo Tertiodecimo, quo tamdem Pungilupi nuper memorati hypocrisis & impietas in publicum diem pertracta fuit, uti sequentia monumenta ostendent. Sed narratio præcedat, quam pollicitus sum, scilicet:

Inquisitio miraculorum, quæ ferebantur patrata ad Sepulcrum Armanni Ferrariensis, Anno 1269.

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Anno a Nativitate ejusdem Millesimo Ducentesimo Sexagesimo Nono, die XVI. intrante Mense Decembri. Vir Dei Beatus Armannus, natione Ferrariensis, *peractâ longi temporis spatio coram Deo & hominibus pœnitentiâ laude dignâ, vigiliis, jejuniis, & orationibus vacans, fidelis & castus, humilis, patiens, misericors, benignus & simplex, verâ simplicitate columbæ, Deo devotus, & Virgini gloriosæ, sicut Domino placuit, Christi Crucem bajulans, miraculose ab ipso vocatus, diem clausit extremum. Cujus felicissimus obitus in horæ brevissimo spatio, ultra quàm credi possit, Ferrariensibus dictis innotuit. Et catervæ hominum & mulierum ad Majorem Ecclesiam, ubi exanime Corpus ejus delatum erat, subito confluxerunt. Cujus digno Corpore sepulturæ cum exsequiarum solemnitate tradito reverenter, Rex excelsus, cujus miles in Mundo extiterat, ipsum virum Dei Armannum mox cœpit clarificare miraculis, quorum quædam inferius declarantur.*

Die XII. exeunte Decembri, Nova Mulier filia quondam Mainardini de Maderio, & uxor Johannini de Achille, de Contrata Sanctæ Mariæ de Vado Civitatis Ferrariæ, jurata in præsentia venerabilis patris Domini Alberti, *Dei gratiâ*, Episcopi Ferrariensis, *& discretorum virorum Dominorum Friderici Archipresbyteri, Ferrarini Canonici Ferrariensis, & nobilium etiam virorum Dominorum Aldegherii de Fontana*, Petrocini *de Menabobus, Petri ejus filii, & aliorum multorum, dicere veritatem super ejus infirmitate & liberatione, suo sacramento firmavit, & dixit, quod passa est circa novem annos in oculo dextro, & ab octo diebus citra invaluit in eodem oculo tumor & passio, ita quod ex eo aliquo modo videre non poterat. Et hodie personaliter contulit se ad majorem Ecclesiam, ubi requiescit Corpus viri Dei Armanni. Et ter cum devotione flexis genibus inclinavit se coram ejus tumulo, devote supplicans Deo Patri, ut ob merita præfati viri Dei Armanni, ipsam a præfata infirmitate curaret, & reciperet visum. Quo dicto oblationem obtulit. Qua oblata mox tumor situs in ipso oculo ab eodem evanuit, & visum recepit.*

B *Eâdem die in præsentia testium præscriptorum, Gisla uxor quondam Castellani, de dicta Contrata Sanctæ Mariæ de Vado, testis jurata dixit suo sacramento, quod septem anni sunt, quod ipsa noscit dictam Novam, & vidit in ejus oculo passionem usque in hodiernam diem, secundùm quod dicta Nova suo sacramento firmavit.*

Die XI. exeunte Decembri, Gisla, quæ fuit de Lendenaria, uxor Stephani de Villanova, qui moratur in Contrata Burginovi, jurata in præsentia dicti Domini Episcopi, & virorum, & discretorum Dominorum Friderici Archipresbyteri, Amedei Ferrarini Canonicorum, Alberti Capellani, & Cossæ Mansionarii, Ferrariensium, dicere veritatem super ejus languore &
C *liberatione, suo sacramento dixit: Quod decem & octo annis steterat impedita de brachio dextero usque in hodiernum diem, & non poterat ad os suum portare, nec in eo quidquam tenere. Et heri proxime elapso cum reverentia & devotione vovit Deo & beato Armanno, quod ad ejus tumulum offerret unum brachium cum manu cereum, & unam candelam æque longævam, ut ipsa est, & quod ejus Vigiliam jejunaret in pane & aqua semper dum viveret, & nocte ventura ad ejus Tumulum vigilaret. Et eodem voto sic solemniter celebrato, conferens se coram Sepulcro beati Armanni, per totam noctem vigilavit ibidem in pura devotione & reverentia. Et hoc siquidem mane postea præsente, dum Christi Corpus a Sacerdote levaretur*
D *in altum in dicta Majori Ecclesia, in qua ipsa tunc erat dicta Gisla, reverentiâ ipsius Christi Corporis erexit se, & ambas manus & brachia libere levavit in altum, & ab infirmitate dicti brachii liberata est.*

Eodem die Stephanus, vir præfatæ Gislæ, testificatus est, præstito juramento in præsentia suprascriptorum Dominorum, quod dicta uxor ejus Gisla usque in hodiernum diem in brachio dextro passa est, ut supra suo asseruit sacramento, sed ignorat, qualiter a languore, quo tenebatur, in eo resumserit sanitatem.

Eodem die Gavardus Brentator de Burgonovo, juratus in præsentia dictorum Dominorum, suo sacramento dixit, quod filia sua Marchesina, puella octo annorum, præsens ibidem a tempore

tempore nativitatis ipsius, utroque latere claudicabat. Et die Mercurii proxime elapso dicta puella in hora Vesperarum rogavit eum cum fletu, ut eam ad beati Armanni Sepulcrum deferret, quia ipsa sperabat, quod eam erigeret. Et tunc ipse accepit eam in ulnas suas, & detulit eam ad Sepulcrum beati Armanni, & posuit eam reverenter super capsam, in qua requiescit Corpus ejus. Et dum ipsa puella stetisset ibidem spatio horæ unius, ipse quæsivit ab ea, qualiter se habebat. Et ipsa respondit: Bene. Et tunc ipse erexit eam in Ecclesia. Et videntibus omnibus ibidem adstantibus, ipsa cœpit recta ire. Quæ puella præsens dixit, quod dum liberaretur, sentiebat per loca passiones meare in modum formicarum.

Die IV. exeunte Decembri, Adelasia uxor Andrioli de Pizolbano de Cornacervina, jurata in præsentia dicti Domini Episcopi, & Dominorum Ranzerii Camerarii Domini Episcopi, Presbyteri Alberti, Raynerii, Cossæ, & multorum aliorum Laicorum, suo sacramento dixit, quod spatio annorum duorum passa est dolorem & ardorem in oculis, & male videbat. Et si volebat videre Corpus Christi, quum levabatur, oportebat eam cum manibus oculorum palpebras elevare. Et die heri elapsâ proximâ venit ad Tumulum beati Armanni, & genibus flexis cum magna devotione inclinavit se ante tumulum, & osculans terram, rogavit cum reverentia Deum, ut eam beati Armanni meritis liberaret. Et apertis oculis intuita fuit paleas super terram existentes ibidem, & dolorem & ardorem innatum oculis non sensit, & visum meliùs solito, priusquam dictam habuit passionem recepit.

Eodem die Bonmartinus filius Rubei Beatricis de eadem Terra, Alchenda ejus uxor, & Albigunda uxor Bene de Levalgallo de dicta Terra, testes jurati, in præsentia præscriptorum Dominorum suo sacramento cuncta firmarunt, quæ dicta Adelasia de infirmitate sua superius proprio asseruit sacramento.

Die III. exeunte Decembri, Marinellus Calegarius de BuccaCanalium, juratus in præsentia dicti Domini Episcopi, & Dominorum Friderici Archipresbyteri, Ferrarini, & Amedei Canonicorum Ferrariensium, suo sacramento dixit, quod decem & octo Mensium spatio stetit Guttâ (*) detentus tunc ab iliis infra usque ad pedes, usque ad Vigiliam Nativitatis Domini, proxime nunc elapsam. Et vix se in lecto volvere poterat: & fortiter cruciabatur in anchis & cruribus. Et non poterat die vel nocte quiescere. Et in Vigilia prædictæ Nativitatis Christi ante diem venit ad Tumulum beati Armanni, & stetit ibi per totam diem usque post Nonam suppliciter & devote, & supplicans Deo, ut ipsum beati Armanni meritis liberaret a Guttâ, quâ tenebatur. Et in hora pulsationis Campanæ Officialium sensit se sine solito ancharum, coxarum, & crurium dolore. Et cœpit ire libere & sine baculo recte, quod prius facere non valebat.

Eodem die Dominicus Deodatus de Vedrariis, testis in præsentia dictorum Dominorum, suo sacramento dixit, quod ante Nativitatem Domini proxime elapsam vidit Marinellum prædictum ire cum baculo, tamquam Guttâ detentum, & vidit eum ire more solito sine baculo.

Ego Petrus Novellus, Dei gratiâ, sacri Imperii & Curiæ Episcopalis Ferrariensis Notarius præscriptis omnibus & singulis præsens fui, & jussu Domini Episcopi scripsi.

Et ego Matthæus de Trisigale, Imperiali auctoritate publicus Notarius suprascripta Miracula vidi, & legi de verbo ad verbum, & in publicam formam redegi de mandato & auctoritate venerabilis patris Domini Guillielmi, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ, Ferrariensis Episcopi, nihil addens, minuens, vel mutans de iis, quæ in ipsis continentur, & scripta sunt per Petrollum Novellum Notarium, quod intellectum vel sententiam mutet, nisi fortè in compositionibus literarum, vel in punctis.

Ego Albertus de Brinis, Curiæ Episcopalis Ferrariensis publicus Notarius, quia prædictum exemplum prædictorum Miraculorum exemplatum manu prædicti Matthæi Notarii auscultavi diligenter cum scripturis authenticis, scriptis manu Petri Novelli Notarii, non inveniens aliquid in eo additum vel diminutum, quod sensum mutet, vel sententiam, ideo me in eo subscripsi, & signum meum apposui de mandato & auctoritate venerabilis patris Domini Guillielmi Ferrariensis Episcopi, currente MCCLXXXVI. Indictione XIV. die IV. intrante Octobri.

Ego Mercatellus de Brinis, Curiæ Episcopalis Ferrariæ Notarius, hoc exemplum prædictorum Miraculorum, manu Matthæi Notarii exemplatum, diligenter cum authenticis Miraculis auscultavi. Et quia nihil inveni additum vel minutum, quod sensum mutet vel sententiam, quàm in authentico contineatur eodem, ideo de mandato & auctoritate venerabilis patris Domini Guillielmi Episcopi Ferrariensis, manu propria me subscripsi in MCCLXXXVI. Indictione XIV. die IV. Mensis Octobris.

(*) *Guttâ detentus*: idest *Gottoso*, sive *travagliato dalla Gotta*. Notissimus est hic morbus articularis, qui quum pedes afficit *Podagra* nuncupatur, quum verò manus *Chiragra* dicitur; generice verò ab Italis omnibus, *Gotta* appellatur.

Sequitur

Sequitur & hæc altera Inquisitio, Anno 1270.

A *ITem infrascripta Miracula, quæ Largitor bonorum omnium dignatus est antedicti beati Armanni meritis patenter effundere super iis, per venerabilem patrem Dominum Albertum, Dei & Apostolicâ gratiâ Ferrariensem Episcopum, examinatione ad prædicta diligenti, secundùm quod dicta testium & assertiones languentium infrascriptorum continent, scripta per me Salvestrinum Notarium de Valleriis, præsente ac mandante dicto Domino Episcopo, evidentissime patuerunt in MCCLXX.*

Die Sabbati IV. Januarii, Domina Candiana uxor Petrocini Mazzi de Contrata Sancti Romani Ferrariensis, in præsentia dicti Domini Episcopi, & aliorum multorum tam Clericorum quàm Laicorum, juravit dicere veritatem super infirmitate ac liberatione filiæ suæ Thomasinæ temporis duorum annorum: quam coram eodem Domino Episcopo detulit; & suo juramento firmavit; quod dicta ejus filia quatuor mensium spatio fuit & stetit fistularum morbo ex utroque latere in coxis multipliciter aggravata, ita quod in desperatione liberationis jam erat. Et sic oppressa fuit usque ad diem Vigiliæ Nativitatis Domini nuper elapsum. Et sic stando Domina vovit dictam ejus filiam Deo, & beato Armanno, quod si eadem filia sua liberaretur, ipsa illam adduceret coram Sepulcro beati Armanni, & ibi offerret imaginem ceream ad instar ipsius. Et voto prædicto facto, die proxima præcedente dictam Vigiliam, in die prædicto Nativitatis Domini prædicta Thomasina ejus filia liberata est, solidatis ulcerationibus fistularum, ostensis ibidem dictis ulcerationibus coram dicto Domino Episcopo, & gentium non modica quantitate; quæ ex toto solidæ apparebant.

Eodem die coram prædictis, Dominus Henoch Medicus, Civis Ferrariensis, testis juratus super prædictis, suo sacramento asseruit, quod ipse habuit dictam puellam filiam ipsius Dominæ Candianæ, quæ erat ibi præsens, in cura, & multum institit liberationi & medicamus ejus, spatio unius Mensis & plus. Et scit pro certo, quod ipsa erat atroci passione fistularum oppressa in coxis. Et dum videret incurabilem esse infirmitatem, eamdem licentiavit, & reliquit eam. Et dixit prædictæ matri puellæ, ut ligaret eam, & bene faceret ei quod melius posset. Et fuit hoc parum ante festum Nativitatis nuper elapsum. Et incontinenti dicta mater puellæ, dum attulisset illam ad ipsum, vidit eam liberatam, de hoc valde miratus fuit post festum prædictum. Eodem die, & coram prædictis, Dominus Antonius, qui dicitur Dech, Medicus, Civis Ferrariensis, testis juratus, dixit suo sacramento super prædictis, quod ipse ante festum Nativitatis nuper elapsum, interfuit pluries & pluries cum Domino Henoch Medico, quando ipse ligabat, & curabat antedictam Thomasinam filiam Dominæ Candianæ. Et vidit ipsam oppressam morbo fistularum in coxis ex utroque latere; quæ ita infirmabatur ex hoc, quod ipsa erat in desperatione liberationis. Et incontinenti post festum ipsum Nativitatis vidit ea liberatam, quæ ibi præsens erat.

Die Mercurii XV. Januarii, Bona filia Helenæ de Contrata Sanctæ Mariæ Novæ Ferrariensis, in præsentia dicti Domini Episcopi, & non modica gentium quantitate, in Episcopali Palatio congregatâ, juravit dicere veritatem super infirmitate & liberatione sui. Et proprio juramento firmavit, quod ipsa, jam est unus annus & plus, quod habuit & habebat duas (*) Gumbas sive Boclas, unam in pectore, & alteram in spatulis. Et stetit dicto morbo & languore oppressa usque ad diem Martis nuper B *elapsum de nocte. Et sic eâ stante in Majori Ecclesia Ferrariensi prope Sepulturam beati Armanni, dum rogabat Deum, ut precibus & meritis beati Armanni liberaret eam, ipsa incontinenti sensit se liberatam ibidem nocte prædicta, ita quod ex anteriori parte ex toto liberata est, & ex altera parte quasi liberata, ita quod Gumba anterior non apparebat, & posterior modicum cernebatur, dum se patenter omnibus demonstraret.*

Eodem die & loco, & in præsentia prædictorum, Helena mater Bonæ prædictæ, testis jurata dixit super prædictis, quod dicta Bona ejus filia detenta fuit vitio ex infirmitate prædicta, stando semper cum ea, secundùm quod C *in dicto ipsius continetur. Et præsens erat cum ea, quando ipsa vovit se Deo pro liberatione sua, & quando liberata fuit in nocte prædictâ. Et sacramento affirmavit omnia ita vera esse, sicut in dicto ipsius Bonæ continetur. Domina Domola de Contrata Sanctæ Mariæ Novæ, uxor quondam Restani, testis jurata super prædictis, suo sacramento dixit, quod ipsa est vicina Bonæ prædictæ, & bene agnoscit & agnovit eam, jam est diu, & vidit ipsam infirmam, jam est unus annus & plus, cum duobus Gumbis sive Boclis, una ex parte ante, altera ex parte posteriori in spatulis, usque ad diem Martis nuper elapsum. Et postea die Mercurii vidit ipsam liberatam, sicut in dicto suo continetur.* D *Sed non fuit præsens quando liberata fuit.*

Die Sabbati XVIII. Januarii, Bennatus de Portu Francolini, Ferrariensis diœcesis, coram prædicto Domino Episcopo, & maxima gentium quantitate, juravit dicere veritatem super infirmitate & liberatione filii sui Benvenuti, ætatis duorum annorum, ibi præsentis. Et sacramento dixit, quod dictus ejus filius crepitus (**) erat, & stetit sic detentus acriter illa infirmitate, quod vix se poterat movere, sex mensium spatio, & plus, usque ad paucos dies post mortem beati Armanni. Et quum ipse audivit, quod Deus faciebat miracula pro meritis beati Armanni, ipse vovit filium suum prædictum Deo & beato Armanno, quod si liberare- E *tur idem puer suus, ipse offerret ei statuam unam ceream ad instar ejusdem. Quo facto paucis*

(*) *Gumbas sive Boclas*, nempe Italice *Gomme ovvero Bocciole*, quibus vocabulis vulgo donari solent morbosi ejusmodi tumores.

(**) *crepitus erat*: idest *Crepato*, quo vocabulo uti solemus nos Itali, ut enterocelicum, seu herniâ laborantem significemus.

paucis diebus transactis idem puer liberatus est, & solidatus omnino, qui se ibidem patenter omnibus demonstrabat.

Polellus de Pedrettis de Francolino, & Johanna uxor antedicti Bennati, & mater dicti Benvenuti, coram prædictis, testes jurati dixerunt suo sacramento, prædicta omnia vera esse, quæ dictus Bennatus de facto filii sui Benevenuti asseruit supra in dicto suo. Et hoc dixerunt se bene scire, sicut personæ, quæ quasi quotidie simul morantur.

Die Sabbati XVIII. Januarii, Flordemonte mulier, quæ dicitur Dulcis, filia quondam Nordiglii de Figarolo, in præsentiâ antedicti Domini Episcopi constituta, & multitudine gentium in Episcopali Palatio congregatâ, juravit dicere veritatem super infirmitate & convalescentia sui. Et dixit suo sacramento, quod ipsa contracta fuit, & stetit a principio vitæ suæ usque ad hodiernum diem, seu ad noctem nuper elapsam, in qua liberata est. Et nata fuit contracta. Et dum audiret miracula, quæ fiebant meritis beati Armanni, & ipsa sic contracta maneret in anchis ex utroque latere, quod fortiter claudicando vix poterat se movere, contulit se ad Majorem Ecclesiam Ferrariensem, ubi Corpus beati Armanni jacebat, cum reverentia Deo supplicans, ut beati Armanni meritis eam ab hujusmodi inconvalescentia liberaret. Et sic stando in orationibus prope Sepulcrum, sensit se ex utroque latere liberatam nocte jam dicta. Et dixit, quod passa est magnum dolorem, quando liberabatur, ita quod clamasset alta voce, nisi propter verecundiam remansisset. Quæ mulier incontinenti visa est ab omnibus palam ire non claudicando.

Eodem die & loco, coram prædictis, Vicentia uxor Alberti Vedelle de Figarolo, amita antedictæ Floremonte, testis jurata super prædictis dixit suo sacramento, quod ipsa agnoscit prædictam Flordemontem a die nativitatis suæ, quia ipsa est Neptis sua. Et scit, quod ipsa contracta nata fuit ex utroque latere in anchis, ita quod fortiter claudicando vix poterat se movere. Et stetit sic contracta usque ad diem hodiernam de nocte, in qua liberata est. Et dixit, quod ipsa venit cum ea ad corpus beati Armanni, & totâ illâ nocte cum ea stetit, quando liberata est. Mathelda uxor quondam Maideborg Notarii de Figarolo, testis jurata dixit, quod bene scit, quod prædicta Flordemonte nata fuit contracta ex utroque latere in anchis. Et semper agnovit eam a tempore nationis suæ, & semper vidit eam ita contractam usque ad diem hodiernum de nocte, qua liberata est in Ecclesia Majori.

Die Veneris XXI. Februarii, Dominicus de Civitate Justinopolitana, quæ vulgariter dicitur Caput Istriæ, coram Domino Jacobo Archipresbytero de Azano, Vicario antedicti Domini Episcopi, in Palatio Episcopali congregatâ ibi magnâ gentium quantitate, corporali ab eo præstito juramento dixit, quod quum ipse de præsenti Mense Februarii detentus esset & moraretur in carcere in eadem Terra, occasione cujusdam homicidii, super quo infamatus erat, de quo dicebat se non fuisse culpabilem, & per Potestatem ipsius Terræ jam condemnatus esset mortis judicio, tunc quidam cœcus venit in Plateam Civitatis ejusdem, canendo quædam ex miraculis, quæ dicebantur de beato Armanno, prope Palatium, ubi ipse morabatur in carcere. Ad quem gentes de Terra undique accurrebant. Et hoc viso ab ipso Dominico per quamdam fenestram & audito, incontinenti vovit se Deo & Beatæ Mariæ Virgini, quod si liberari posset ab illo periculo meritis beati Armanni, ipse jejunaret per totam illam hebdomadam, & Sepulturam beati Armanni visitaret. Et sic jejunando & orando, quadam nocte ante diem, in quo morti tradi debebat, dum ipse multum sudaret præ timore mortis, ipse cœpit quodammodo dormire, ut esset quasi semisopitus. Et tunc visum fuit ei, quod quidam homo pallidus & macilentus venerit ad eum, dicendo hæc verba: Surge & recede de loco isto. *Et incontinenti fuit excitatus, & invenit se in Platea Civitatis absque compedibus, quibus detinebatur in carcere, absque auxilio alterius personæ. Et hoc modo asseruit dictum periculum evasisse, dum se ad beati Armanni tumulum contulisset.* (*)

Ego Salvestrinus de Valeriis Notarius, iis omnibus præsens fui, & ut supra legitur, de mandato dicti Domini Episcopi scripsi & publicavi.

Ego Matthæus de Trisagale, Imperiali auctoritate publicus Notarius, suprascripta Miracula vidi & legi de verbo ad verbum &c. ut supra.

Ego Albertinus de Brinis, Curiæ Episcopalis Ferrariensis Notarius, quia prædictum exemplum prædictorum Miraculorum &c. ut supra.

Ego Marcatellus de Brinis, Curiæ Episcopalis Ferrariensis Notarius, hoc exemplum Miraculorum diligenter cum authentico exemplavi. Et quia nihil &c. ut supra. *In MCCLXXXVI. Indictione XIV. die IV. Mensis Octobris.*

(*) Hoc unum sufficit ad prodendam nimiam credulitatem eorum temporum, atque ad detrahendam fidem Miraculis, quæ ad Pungilupi intercessionem peracta dicebantur. Miraculum hoc tam grande ab assertione pendet unius hominis, e longinquis partibus venientis, & Ferrariæ ignoti, & nullum testem adferentis. Neque suspicati sunt boni Ferrarienses, Patarenum aliquem immissum, ut hujusmodi confictâ narratione sibi illuderet, uti revera factum credere juvat.

Tertia Inquiſitio , Anno eodem 1270.

IN Chriſti nomine Amen . Anno Domini MCCLXX. Indictione XIII. die IV. intrante Februario, Ferrariæ in Palatio Epiſcopali, coram venerabili patre Domino Alberto Epiſcopo Ferrarienſi , præſentibus teſtibus rogatis atque vocatis Dominis Amedeo Canonico Ferrarienſi, Coſſa Manſionario ejuſdem Eccleſiæ Ferrarienſis , Johanne Vixigarolle Notario , Juliano filio Thomaſini Sartoris Notario , Magiſtro Meſio , & aliis multis .

Dominicus qui fuit de Terviſia, & nunc moratur ad Sanctum Johannem , diſtrictus Imolæ, teſtis juratus , mandato Domini Epiſcopi prædicti , & de veritate dicenda ad interrogationem ſibi factam per dictum Dominum Epiſcopum dicit , quod Zardina filia Bertaldi ejus filii, quæ habet duos annos , nata eſt impedita manu dextrâ , ita quod tantum tenebat pugillum clauſum cum pollice incluſo palmæ & digitis . Quæ puella ibi erat præſens coram Domino Epiſcopo prædicto & prædictis teſtibus . Et dicit , quod ipſe teſtis voluit huic Sancto viro Armanno dare manum & pedem de cera , ſi liberaretur . Et liberata eſt meritis iſtius Sancti viri Armanni , Maria uxor dicti Domini , & avia dictæ Zardinæ , teſtis jurata, mandato Domini Epiſcopi prædicti continuò & de veritate dicenda , ad interrogationem ſibi factam per ipſum Dominum Epiſcopum , dicit , quod dicta Zardina ejus neptis filia Bertaldi ejus filii , quæ habet duos annos tantùm ,nata eſt impedita manu dextra, ita quod tantùm tenebat pugillum clauſum, cum pollice incluſo palmæ & digitis . Et dicit, quod ipſa teſtis unà cum viro ſuo prædicto vovit dare manum & pedem de cera , & offerre ante Sepulcrum corporis hujus Sancti viri Armanni , ſi liberaretur . Et liberata eſt meritis hujus benedicti viri Armanni .

Eodem die & loco , & eiſdem præſentibus , Avenance Mantuana , teſtis jurata , mandato Domini Epiſcopi prædicti , & de veritate dicenda , ſuo juramento dicit ad interrogationem ſibi factam per ipſum Dominum Epiſcopum , quod ipſa teſtis vidit dictam puellam Zardinam A *ſic impeditam , quod ipſa tenebat ſemper pugillum clauſum cum pollice incluſo palmæ & digitis, ita quod nullo modo manum poterat aperire . Et nunc ipsâ teſte præſente liberata eſt ante Monumentum hujus Sancti viri Armanni , & ejus Corporis benedicti .*

Eodem die & loco & horâ , Perſenda de Adria, filia quondam Ubaldi , jurata mandato dicti Domini Epiſcopi , & de veritate dicenda , ſuo juramento dicit ad interrogationem ſibi factam per Dominum Epiſcopum ſupradictum , quod exſtitit paralytica toto corpore & lingua a tempore citra , quo ſe homines verberabant , ita quod non poterat loqui nec moveri . Et die Veneris ultimo Januarii , venit ſua ſponte B *ad Corpus beati Armanni , & corde vovit dare ſtatuam eidem , ſi liberaretur , & liberata eſt.*

Eodem die & loco & horâ & eiſdem præſentibus, Martinus Amati de Adria, juratus mandato dicti Domini Epiſcopi, ad interrogationem ſibi factam per dictum Dominum Epiſcopum , ſuo juramento dicit , quod ipſe teſtis vidit Perſendam de Adria filiam Ubaldi prædictam paraliticam toto corpore & lingua , ita quod non poterat loqui nec ire , & nunc liberata eſt. Eodem die & loco & horâ, & eiſdem præſentibus, & præſente Perſenda , Dominicus filius quondam Gerardi de Adria , teſtis juratus mandato dicti Domini Epiſcopi , de veritate dicenda , ſicut Martinus prædictus , ad interrogationem C *ſibi factam per Dominum Epiſcopum , dicit ſuo juramento , quod ipſe teſtis vidit Perſendam de Adria filiam Ubaldi prædictam paraliticam toto corpore & linguâ , ita quod non poterat loqui , nec ire , & nunc liberata eſt .*

Ego Apollonius , Dei gratiâ ſacri Palatii , Ferrarienſiſque Notarius , Magiſtri quondam Johannis de Contrata Buççæcanalium filius , interfui , & mandato præfati Domini Epiſcopi, ac etiam rogatus , ſubſcripſi .

Ego Matthæus de Triſigale &c.

Ego Albertinus de Brinis &c.

Ego Mercatellus de Brinis &c. ut ſupra in prima Inquiſitione .

Quarta Inquisitio, Anno 1280.

Millesimo Ducentesimo Octuagesimo, die IV. intrante Januario, Angelus Civis Ariminensis, Contratæ Sancti Francisci, juratus in præsentia Domini Episcopi, Fratris Manfredi familiaris ejus, & multorum aliorum, suo sacramento dixit, quod passus est Guttam in anchis & cruribus usque in hodiernum diem. Et dum rediret Paduam, intellexit de mirabilibus beati Armanni. Et voto per eum facto, venit ad ejus Tumulum. Et obtulit ibidem unam imaginem ceræ. Et oblato munere vigilavit nocte cum devotione ante præfatum Tumulum. Et circa matutinum sensit se sine dolore Guttæ, & liberatum.

Die V. intrante Januario, Daniela filia quondam Danielis Barberii de Villanova, jurata in præsentia dicti Domini Episcopi, & coram multis personis aliis ibidem adstantibus, suo sacramento dixit, quod a tempore suæ nativitatis ambabus partibus claudicabat. Et eâ existente cum devotione hac nocte ad Tumulum beati Armanni, resumsit meliorationem passionis ipsius, & melius incedit solito, & parum visa est claudicare.

Eodem die Benevenutus frater ipsius Danielæ, & Sabilia de Villanova, testes jurati, palam coram omnibus ibidem adstantibus testificati sunt, quod dicta Daniela ambabus partibus claudicabat, & postquam venit ad Tumulum beati Armanni, meliorata est, & incedit meliùs solito & rectius.

Die V. intrante Januario, Johanna quondam filia Guidonis de Torcis de Mellariâ, jurata coram dicto Domino Episcopo & multis aliis, palam suo asseruit sacramento, quod erat tota perdita a latere dextro, & habebat manum dextram contractam, & pugillum manus ejusdem claudere non valebat. Hac nocte quidem proxime elapsa dum staret cum devotione ad Tumulum beati Armanni, resumsit sanitatem ipsius manus & brachii, & pugilli liberationem, claudendi & aperiendi eumdem. Et hoc palam ostendit omnibus, & dixit, quod incedit rectius solito.

Eodem die Benevenuta mater Francischini Nautæ de eâdem Terrâ, suo sacramento jurata coram omnibus ibidem adstantibus dixit, quod novit dictam Johannam, & eam ita passam, ut ipsa Johanna prædixit, duxit ad Sepulcrum beati Armanni die heri proximè nunc elapso, & tunc liberatam vidit eamdem.

Die XI. exeunte Januario, Bertholus filius Petri de Cogomario, juratus in præsentia dicti Domini Episcopi, & Domini Cossæ Mansionarii Episcopatus Ferrariensis, & aliorum multorum, suo sacramento dixit, quod per quindecim dies ante beati Armanni obitum perdiderat brachium sinistrum, ita quod de ipso brachio nullo modo poterat se juvare. Defuncto autem beato Armanno, contulit se cum devotione ad Sepulcrum beati Armanni, & vovit eidem cum devotione, quod de labore suo comburi faceret ante Sepulcrum ejus lampadem unam. Et ante Sepulturam ejus moram traxit de die & nocte. Et quarta die post obitum ipsius usque in præsentem diem hodie quidem meritis ipsius viri Dei resumsit ipsius brachii solitam libertatem & sanitatem. Eodem die India mater

A *dicti Bertholi, & Flora de Contrata Sancti Laurentii ejus Amita, testes juratæ, ita verum esse de passione brachii, quam dictus Bertholus dixit se passum, dixerunt publice, ut Bertholus idem asseruit.*

Eodem die Dominus Cossa Ferrariensis Mansionarius, & Petrus Placentinus de Contrata Sancti Pauli, testes jurati in præsentia dicti Domini Episcopi, & aliorum multorum ibidem adstantium, suo sacramento dixerunt, eos vidisse dictum Bertholum, impeditum in brachio sinistro, ita quod de ipso nullo modo poterat se juvare; & eo stante ante Tumulum beati Armanni, viderunt eum hodie habere dicti brachii libertatem, qua prius carere viderant.

B *Die VII. exeunte Januario, Petrus filius Bonsignorii de Contrata Sancti Thomasii, juratus in præsentia dicti Domini Episcopi, & Fratris Jacobi Prioris Fratrum Eremitarum Conventus Ferrariensis, & Fratris Hugonis ejusdem Ordinis, suo sacramento palam coram eis, & omnibus ibidem adstantibus, dixit, quod stetit duobus annis continuis impeditus brachio & manu sinistris. Et eo stante hac nocte proxime elapsâ ante beati Armanni Tumulum, facto eidem cum devotione voto, quod cinget cum una candela capsam ligneam, in qua conditum est Corpus ejus, ac offeret ibidem imaginem unam ceræ, & eidem uno anno serviret in pulsatione tintinnabuli, in toto ipsius manus & brachii sospitatem & libertatem recepit, ducens & circumducens brachium memoratum & manum in conspectu omnium libere, sicut aliud.*

C *Eodem die Frater Jacobus, & Frater Hugo Ordinis Eremitarum, coram dicto Domino Episcopo, & aliis multis ibidem adstantibus, ipsum Petrum ita fuisse impeditum usque in præsentem diem, postquam eum noverant, in brachio & manu, ut prædixit, in verbo veritatis firmarunt.*

Die penultimo Mensis Januarii, Bona filia Zambonelli de Sancta Maria Donis Bononiensis Diœcesis, in præsentia Dominorum Amedei Ferrariensis Canonici, Ferrariensis Presbyteri, Petri Archipresbyteri Furmignanæ, & Dulcis Mansionarii Episcopatus, coram dicto Domino Episcopo, & aliis multis ibidem adstantibus,

D *suo sacramento dixit, quod usque in hodiernum diem stetit pede dextro naturaliter clauda, nec poterat in terram mittere nisi tantùm digitos pedis ipsius. Et voto cum devotione facto Deo & beato Armanno, totum pedem prædictum, sicut alium, ponit in terram, incedit rectâ, & omnibus se ostendit.*

Eodem die Zambonellus pater dictæ Bonæ, & Domina Thomasina ejus mater, ita verum esse, ut prædixit dicta Bona eorum filia, proprio sacramento testificando firmarunt.

Die ultimo Januarii, Nicola filius Rodulphi Barberi de Medelana, juratus coram dicto Domino Episcopo, & in præsentia Dominorum Raynerii Camerarii ejus, Fratris Alberti &

E *Fratris Manfredi de Campagnola, Cossæ Mansionarii Episcopatus, & aliorum multorum, suo sacramento asseruit, quod dum ipse cujusdam salicis desuper ligna incideret, jam est mensis unus elapsus, incidit sibi pollicem manus sinistræ, ita quod cecidit super palma manus,*

&

& paulo se tenebat de pello ipsius digiti. Quumque venisset domum, tota die illa & nocte sequenti præ dolore ipsius digiti quiescere nequivit ullo modo. Die autem sequenti vovit reverenter Deo & beato Armanno dare ei unum brachium cereum cum manu, si a passione vulneris illius liberaret eumdem, & quiescere posset. Nocte quidem sequenti quietè dormivit, & non persensit dolorem ipsius vulneris solitum. Mane autem facto, dum Medicus, qui medebatur eidem, solveret sibi præfatum digitum, ut ei mederetur, apparuit digitus ille absque cicatrice aliqua solidatus; & ipsum digitum omnibus ibidem adstantibus, nullo de eo signo vulneris apparente ostendit.

Eodem die Francolinus de dicta Villa juratus testis in præsentia dictorum Dominorum & aliorum multorum ibidem adstantium asseruit, se B sero uno vidisse digitum dicti Nicolæ sic incisum, ut ipse Nicola suo asseruit sacramento; & mane sequenti vidit memoratum digitum, sicut nunc apparet, absque cicatrice aliqua solidatum.

Die IX. intrante Majo, Domina Johanna, uxor Domini Paganotii de Civitate Paduæ, jurata coram dicto Domino Episcopo, & in præsentia multorum Laicorum ibidem adstantium, publice suo sacramento asseruit, quod filia sua Sophia parvula, quam habebat ibidem, talem

A *habebat in oculis passionem, quod propter ipsius morbi violentiam nequibat Solem, vel aliquam igneam claritatem aspicere. Sed in loco obscuro videbat, sed male. Ipsa verò auditâ famâ beati Armanni, duxit eam Ferrariam. Et voto facto pro ea, quod offerret ei duos oculos ceræ, si eam a morbo liberaret, eadem hodie eâ manente cum dicta filia sua ante Tumulum beati Armanni in devotione & oratione, dicta puella liberata est, & aspicit Solem & lumen igneum.*

Eodem die Bonus frater dictæ Dominæ Johannæ, & Blanceta filia quondam Bastæ de dicta Civitate Paduæ, testes jurati in præsentia prædictorum, palam ita verum esse, ut dixit Domina Johanna, de passione & liberatione dictæ filiæ suæ prædixit, proprio eorum sacramento firmarunt.

Ego Petrus Novellus, Curiæ Episcopalis Ferrariensis Notarius, iis omnibus præsens jussu dicti Domini Episcopi prædicta omnia scripsi, & publicavi.

Ego Matthæus de Trisigale, Imperiali auctoritate publicus Notarius &c.

Ego Albertinus de Brinis, Curiæ Episcopalis &c.

Ego Mercatellus de Brinis Curiæ &c. ut supra. *In MCCLXXXVI. Indictione XIV. die IV. Mensis Octobris.*

Quincta Inquisitio miraculorum, quæ dicebantur patrata ad Sepulcrum Armanni Ferrariensis, spectans, ut videtur, ad eumdem Annum 1280.

Die Sabbati XVII. Maji, Bonaventura filia Dominici de Bando Ravennatensis Diœcesis, & uxor Johannis de Guarinis de Portu majori, in præsentia jam dicti Domini Episcopi, & magna gentium quantitate in Episcopali Palatio, juravit dicere veritatem super passione & liberatione sua. Et dixit suo juramento, quod in Mense Augusti nuper elapso, fuerunt duo anni completi, quod ipsa oppressa & detenta fuit ex malignis spiritibus, qui dicebant se esse novem numero. Qui multipliciter eam vexabant, & irremediabiliter offendebant, & faciebant eam turpia & inhonesta loqui. Nec poterat comedere nec dormire: & maxime a festo Paschæ Resurrectionis nuper elapso usque modo ad diem hodiernam, qua liberata est. Et dixit, quod ipsa venit die heri, & conducta fuit ad Sepulturam beati Armanni in majori Ecclesia Ferrariensi. Et quum fuit ibi, dicti Spiritus nominaverunt se, dicentes, quod ipsi erant novem. Et hodie in mane tempestive ipsa existente ibidem, dicti Spiritus reliquerunt eam, & abierunt ab ea. Et dixit, quod tunc erant cum ea præsentes Dominicus de Bando pater ejus, & Adelardus de Portu, qui conduxerunt eam.

Eodem die & loco & testibus prædictis, Dominicus de Bando pater dictæ Bonaventuræ, & Adelardus de Portu, jurati super prædictis, testificati sunt, & suo sacramento firmarunt, omnia & singula vera esse, quæ dicta Bonaventura dixit, & in suo dicto superius continetur de verbo ad verbum. Et hoc dicunt se bene scire tamquam homines, cum quibus ipsa quasi moratur assidue. Et qui conduxerunt eam, & præsentes fuerunt omnibus supradictis. Et ipsa

C *Bonaventura visa est ibidem ab omnibus morari & loqui satis discrete, & sine ulla vexatione Spirituum malignorum.*

Die Sabbati XVII. Maji, Aloysia de Layde de Bressello, Parmensis diœcesis, in præsentia dicti Domini Episcopi, & non modica gentium quantitate in Episcopali Palatio, juravit dicere veritatem super passione & liberatione sui. Et suo sacramento dixit, quod ipsa, jam sunt octo Menses & plus, fuit detenta & oppressa ex duobus Spiritibus malignis, qui multipliciter eam vexabant, & faciebant eam insanire, ita quod comedere ac dormire non poterat. Et sic eam tenuerunt, usque ad diem hodiernam, qua liberata est. Et quum ipsa hodie venisset ad Tu- D *mulum beati Armanni, in Majori Ecclesia Ferrariensi, dicti Spiritus recesserunt ab ea, & sic liberata est. Et dixit, quod cum ea venerunt & erant de Bressello usque ad vocabulum beati Armanni, Delay maritus ejus, & multi alii de dicta Terra. Delay maritus dictæ Aloysiæ, & Zanes Petriboni de Bressello, testes jurati testificati sunt, & suo sacramento ibidem firmarunt omnia & singula vera esse, quæ dicta Aloysia supra in dicto suo asseruit. Et de verbo ad verbum ita dixerunt esse, sicut in ejus dicto continetur. Et hoc dixerunt se bene scire, tamquam ii, cum quibus ipsa moratur, & qui cum ea venerunt & fuerunt præsentes prædictis.*

E *Die Veneris VI. Junii Rolandinus filius quondam Zanelli Rolandi de Castregnano, Mutinensis Diœcesis, juratus in præsentia prænominati Domini Episcopi, & aliorum multorum, dixit, quod quum ipse quadam nocte esset cum bobus suis, quos custodiebat in pascuis, accidit* ei,

ei, quod ipse habendo oculos, amisit lucem & loquelam. Et tunc contracta fuit ei manus dextra ita, quod nec videre, nec loqui, nec cum dicta manu aliquid facere vel operari posset. Et sic impeditus fuit, & stetit spatio duorum annorum & plus. Et dixit, quod ipse vovit se Deo & beato Armanno, & contulit se ad Sepulturam ejus, & ibi stetit octo diebus in orationibus; ita quod per Dei gratiam, & ex meritis beati Armanni hodie liberatus est, ita quod visum & loquelam recepit, & ex contractione manus liberatus est. Et visus est ibi ab omni- A *bus palam loqui & videre & operari cum manu prædicta, sicut homo sanus.*

Ego Salvestrinus de Valeriis Notarius, iis omnibus præsens fui, & ut supra legitur de mandato dicti Domini Episcopi scripsi & publicavi.

Ego Matthæus de Trisigale &c.

Ego Albertinus de Brinis &c.

Ego Mercatellus de Brinis &c. ut supra. *In MCCLXXXVI. Indictione XIV. die IV. Mensis Octobris.*

Epistola quorumdam Sacerdotum Ferrariensium ad Johannem Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Cardinalem, de Armanni Pungilupi Fide Orthodoxa, Anno 1272.

V*Enerabili in Christo patri & domino,* Domino Johanni Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diacono Cardinali, *Petrus Prior Monasterii Sancti Romani, Alexius Prior Sanctæ Mariæ de Vado, Guido Prior Sanctæ Agnetis, Antonius Prior Sanctæ Justinæ, Johannes Prior Sancti Michaëlis, Benevenutus Prior Sancti Nicolai, & Petrus Prior Sancti Johannis de Castro Thealdi Ferrariensis, reverentiam in Domino & salutem. Noverit Paternitas vestra, quod Sacerdotes infrascripti de spontanea voluntate vobis præsentibus dixerunt, protestati sunt, & confessi in Fide Dei & Deum verum, & per Ordinem Sacerdotii, quem Dei gratiâ obtinuerunt, asserentes, se recepisse temporibus diversis ad pœnitentiam & confessionem in foro* B *Pœnitentiali, & in judicio animæ bonæ memoriæ* Armannum, *dictum vulgo* Pungilupum, *virum in Domino venerandum, cujus Corpus in Ecclesia Ferrariensi requiescit in pace. Et hoc secundùm modum & formam protestationum & confessionum ipsorum Sacerdotum, de quibus confessionibus inferius evidenter apparet. Et quia dicti Sacerdotes sunt homines in Fide recti, & in bonis operibus perseverantes, sicut in iis in Civitate Ferrariæ publica & bona fama laborat, confessionibus ipsorum plenam fidem duximus adhibendam. Et præcipue, quia prædictum Armannum in die sui obitus & ante, nec scivimus nec credidimus neque audivimus alicujus mortalis peccati contagione respersum. Quin* C *immo credimus, quod exigentibus rectâ Fide & operibus bonis, quæ vigebant in eo, animam illius ante conspectum Omnipotentis Dei sic honorifice collocari, ac propter hoc confessiones ipsas fecimus nostrorum Sigillorum pendentium munimine roborari. Supplicamus itaque Paternitati & dominationi vestræ, quatenus confessionibus ipsis indubitanter dignemini fidem plenariam adhibere.*

Coram vobis prædictis Dominis & Prioribus confiteor & dico de pura & spontanea voluntate ego Presbyter Zambonus, Archipresbyter Plebis Gaibanæ Ferrariensis Diœcesis, quod sunt sex anni vel quinque, quod ego stabam sicut Capellanus cum venerabili patre Domino Alberto, D *Dei & Apostolicâ gratiâ nunc & tunc* Ferrariensi Episcopo. *Et me existente Capellano dicti Domini Episcopi, ut dictum est, Armannus, qui dicebatur vulgariter Pungilupus, pluries venit ad me, dicens & protestans, quod volebat confiteri peccata sua cum prædicto Domino Episcopo Ferrariense. Sed idem Dominus Episcopus pluribus occupationibus impeditus erat, propter quas idem Armannus quum ipsius præsentiam ad confitendum peccata sua commode habere non poterat, ipse Armannus stans devote ac reverenter ante me etiam genibus flexis sicut homo, qui videbatur valde contritus, & auferens capellinam, quam gerebat in capite, in signum reverentiæ, quinque vicibus aut sex, sicuti firmiter credo de vicibus, generaliter peccata sua temporibus diversis mihi confessus fuit, incipiendo a peccatis, quæ contraxerat ante adolescentiam, scilicet in pueritia, & in ipsa adolescentia, & etiam post. Et etiam confitendo peccata sua, quæ contraxerat, & commiserat temporibus antedictis. Postulabat insuper de peccatis suis sibi a Deo & a me pœnitentiam & indulgentiam exhiberi. Auditis autem confessionibus illius temporibus diversis in foro pœnitentiali, & videns, quod exinde tristis esset, & verè contritus atque confessus, secundùm qualitatem & quantitatem excessuum, eidem injunxi & injungebam pœnitentiam competentem. Et insuper a peccatis suis, ut moris est, absolvi & absolvebam eumdem.*

Coram vobis prædictis Dominis & Prioribus confiteor & dico de pura & spontanea voluntate ego Presbyter Raynerius Capellanus Ecclesiæ Ferrariensis, quod per duos annos ante obitum prædicti Armanni, quondam ipse idem Armannus pluries venit ad me, dicens, quod volebat peccata sua mihi confiteri. Et trahens ipsum ad locum secretum in Ecclesia Ferrariensi, ipse idem Armannus devote & reverenter fuit ante præsentiam meam genibus flexis, sicut homo, qui multum videbatur tristis & contritus de peccatis suis. Et pluries mihi confessus fuit peccata sua, exprimendo nominatim peccata sua, quæ commisisset, & de quibus videbatur recordari. Quibus confessis petebat sibi a Deo & a me pœnitentiam & absolutionem exinde exhiberi. Quibus peccatis auditis, viso etiam quod verè contritus atque confessus esset, secundùm quantitatem & qualitatem peccatorum suorum, imposui & imponebam sibi pœnitentiam competentem, & absolvi eum pluries & absolvebam, ut dictum est, a peccatis suis.

Coram vobis prædictis Dominis, & Prioribus confiteor & dico pura & sincera voluntate ego Presbyter Albertus Ecclesiæ Ferrariensis Mansionarius, quod olim, quum essem Capellanus Ecclesiæ Ferrariensis, & postquam fui in eadem Ecclesia Mansionarius, ultra duodecim vices ego recepi ad pœnitentiam & confessionem in fore

foro pœnitentiali in eadem Ecclesia Ferrariensi Armannum Ecclesiæ Ferrariensis Parochianum, & in domo dicti Armanni dedi sibi pœnitentiam, & audivi confessionem ipsius pluries, dum esset infirmus. Et in Quadragesima proxima præcedenti obitum prædicti Armanni, idem Armannus confessus fuit mihi in foro pœnitentiali peccata sua, ita quod videbatur de peccatis suis multum tristis & verè contritus, lacrymas emittendo; & propterea cum devotione petebat sibi injungi a Deo & a me pœnitentiam de peccatis suis, & absolutionem peccatorum suorum exhiberi. Post ejus confessiones imponebam & imposui pœnitentiam secundùm quantitatem & qualitatem peccatorum suorum, & absolvi eum pluries, & dedi ei absolutionem a peccatis suis. Et ipse idem Armannus pluries duxit me ad uxorem suam Mariam nomine, quando infirmabatur, uti ei darem pœnitentiam. Et dicebat uxori suæ: Ecce dictus Presbyter Albertus. Et ego rogo te, ut bene & perfecte confitearis ei omnia peccata tua.

Coram vobis prædictis Dominis Prioribus confiteor & dico de pura & spontanea voluntate ego Presbyter Bonaventura Capellanus Ecclesiæ Sancti Salvatoris Ferrariensis, qui fui & sum Capellanus Ecclesiæ Ferrariensis per tres annos, & sunt undecim anni. Et in prædictis tribus annis pluries venit ad me Armannus, qui vulgariter dicebatur Pungilupus, dicens, quod volebat mihi confiteri peccata sua. Et multoties in eadem Ecclesia peccata sua mihi confessus fuit reverenter atque devote, stando ante præsentiam meam, sicut homo, qui videbatur tristis & contritus multum de peccatis suis, quæ commisisset. De quibus peccatis confessus, petebat sibi a Deo & a me pœnitentiam imponi & absolutionem exinde sibi exhiberi. Et ego auditis suis peccatis, quia videbatur mihi, quod ipse esset verè contritus atque confessus, secundùm quantitatem & qualitatem peccatorum suorum imposui & imponebam pœnitentiam competentem, absolvi eum pluries & absolvebam a peccatis suis. Et pluries in prædictis tribus annis in festivitatibus Nativitatis Domini & in Resurrectione communicavi eumdem.

Coram vobis prædictis Dominis & Prioribus confiteor & dico de pura & spontanea voluntate ego Presbyter Gandulfus Capellanus Ecclesiæ Ferrariensis, quod olim circa unum mensem & dimidium, ante obitum piæ memoriæ Armanni, qui vulgo dicebatur Pungilupus, qui erat Parochianus Ecclesiæ Ferrariensis, ipse idem Armannus venit ad me, & devote, dicens, quod volebat mihi confiteri peccata sua, & generaliter in foro pœnitentiali confessus fuit mihi genibus in terram peccata sua & cum devotione & reverentia. Quibus peccatis auditis, quia videbatur mihi, quod verè esset contritus atque confessus, exprimendo peccata sua, quæ commiserat, & petendo exinde pœnitentiam sibi imponi & absolutionem sibi dari, & a me etiam exhiberi secundùm quantitatem & qualitatem peccatorum suorum pœnitentiam imposui & imponebam, & ipsum a vinculo peccatorum suorum absolvi.

Coram vobis prædictis Dominis & Prioribus dico & protestor & confiteor de pura & spontanea voluntate ego Frater Benevenutus, Prior Ecclesiæ Sancti Nicolai Ferrariensis & Presbyter, quod jam sunt decem anni, & plures, quod prædictus Armannus quondam quolibet bis ad minus, scilicet in Quadragesima semel, & semel ante festum Nativitatis Domini, veniebat ad prædictam Ecclesiam Sancti Nicolai, sicut

A ego vidi. Et erat in prædicta Ecclesia cum prædecessore meo, nomine Domino Raynaldo quondam, coram eo prædicto prædecessore meo idem Armannus flexis genibus multum devote & reverenter, ita quod videbatur confiteri peccata sua dicto meo prædecessori, qui erat Sacerdos & senex, & ab eo recipere pœnitentiam, sicut ego firmiter credo. Et audivi etiam ab eodem Armanno, quod bene erant viginti quinque anni eo anno, quo prædictus Armannus obiit, quod ipse fuerat confessus peccata sua prædicto meo prædecessori, & ab eo receperat pœnitentiam. Et dico, quod in festo Beatæ Luciæ proxime præterito fuerunt duo anni, quo dictus Armannus venit ad prædictam Ecclesiam

B Sancti Nicolai, ut acciperet pœnitentiam more solito a prædicto meo prædecessore. Sed quia idem prædecessor jam erat ætatis decrepitæ, nec intendere & audire confessionem ipsius & imponere pœnitentiam de suis peccatis poterat, incontinenti traxi eum ad locum convenientem ad hoc in eadem Ecclesia, in qua coram me sedit in terra devote & reverenter. Et tamdem mibi confessus fuit peccata sua. Et impositâ ei per me pœnitentiâ competenti, absolvi eum a peccatis suis. Factâ verò confessione per eum, ipse idem Armannus verè contritus & confessus, ut videbatur, petiit a me Corpus Christi. Sed ego respondi ei, quod non darem sibi Corpus Christi, nisi super hoc haberem licentiam a

C Presbytero suo Parochiali. Sed eâ receptâ licentiâ traderem illud eidem. Qui recessit, nec post rediit. Qui die Lunæ sequenti mirifice diem clausit extremum.

Coram vobis prædictis Dominis & Prioribus dico & confiteor de pura & spontanea voluntate, quod possunt viginti quinque anni esse vel circa, quod ego Presbyter Johannes Rector Ecclesiæ Sancti Blasii de Ferraria, eram in Ecclesia Beatæ Luciæ de Roncogallo Ferrariensis Diœcesis, in festo Beatæ Luciæ. Et Armannus quondam, qui dicebatur vulgariter Pungilupus, similiter erat ibi propter ipsum festum. Qui venit ad me, dum essem in Ecclesia Sanctæ Luciæ. Et devote & reverenter confessus fuit

D mihi in foro pœnitentiali peccata sua generaliter. Post quam confessionem de peccatis suis imposui sibi pœnitentiam secundùm quantitatem & qualitatem peccatorum suorum, & absolvi eum postmodum a peccatis suis.

Quæ confessiones omnium suprascriptorum Presbyterorum dictis Prioribus factæ fuerunt, & . . . . ., Priore Sancti Andreæ de Ordine Eremitarum, & Fratre Gregorio de eodem Ordine, & præsentibus testibus rogatis & vocatis Dominis Presbytero Petro Archipresbytero Plebis Furmignanæ Ferrariensis Diœcesis, Presbytero Petro Rectore Ecclesiæ Sancti Stephani de Ferraria, Presbytero Bono Rectore Ecclesiæ Sancti Michaëlis de Gaibana Ferrariensis Diœ-

E cesis, Presbytero Francisco Rectore Ecclesiæ Sanctorum Cosmæ & Damiani de Focomortuo Ferrariensis Diœcesis, Fratre Nicolao Monacho Monasterii Sancti Romani Ferrariensis, Magistro Bosio de Ducato, & aliis pluribus tam Clericis quàm Laicis.

Et ego Ribaldinus, Civis Ferrariensis, Imperiali auctoritate Notarius, currente Anno Domini Millesimo Ducentesimo Septuagesimo Secundo, die Jovis III. exeunte Mense Aprilis, suprascriptas confessiones recepi, & die Veneris sequenti, eodem Mense Aprili præsentibus prædictis Sacerdotibus eas legi & publicavi, & in præsentia prædictorum Priorum & testium easdem Confessiones roga-

rogatus scribere scripsi, & in publicam formam redegi.

Actum in Canonica Ferrariensi, Indictione XV.

Et ego Matthæus de Trisigale, Imperiali auctoritate publicus Notarius, suprascriptas confessiones vidi & legi de verbo ad verbum, & in publicam formam redegi de mandato & auctoritate venerabilis patris Domini Guillielmi, *Dei & Apostolicâ gratiâ* Ferrariensis Episcopi, *nihil addens, minuens, vel immutans de iis, quæ in ipsis confessionibus scripta sunt per Ribaldinum, Civem Ferrariensem, quod sensum mutet vel sententiam, nisi forte in compositionibus literarum, Syllabarum, dictionum, vel in punctis.*

Ego Albertinus de Brinis, Curiæ Episcopalis Ferrariensis publicus Notarius, quia prædictum Exemplum manu prædicti Matthæi Notarii auscultavi diligenter cum scripturis scriptis manu Ribaldini Notarii, non inveniens in eo aliquid additum vel diminutum, quod sensum mutet vel sententiam, ideo me cum signo meo apposito subscripsi de mandato & auctoritate venerabilis patris Domini Guillielmi Ferrariensis Episcopi, currente MCCLXXXVI. Indictione XIV. die IV. intrante Octobri.

Ego Mercatellus de Brinis, Curiæ Episcopalis Ferrariensis Notarius, hoc exemplum scriptum manu Matthæi Notarii, sumtum cum authentico, scripto manu Ribaldini Notarii suprascripti, diligenter cum eisdem authenticis auscultavi. Et quia nihil in eo inveni additum vel minutum, quàm in authentico contineatur eodem, ideo de mandato & auctoritate venerabilis patris Domini Guillielmi Episcopi Ferrariensis, manu propria me subscripsi in MCCLXXXVI. Indict. XIV. die IV. mensis Octobris.

Verum hæc omnia aut figmenta fuere Hæreticorum, ut gregali suo, suisque perversis dogmatibus honorem ac fidem apud imperitum vulgus conciliarent; aut fiduciæ. seu credulitati bonorum hominum, simulatâ Hæreticorum pietate ac hypocrisi deceptorum, tribuen-
A da sunt; aut etiam piorum hominum Fidei in Deum adscribenda sunt. Neque enim ad Sanctos, sed ad Omnium Patrem Deum pertinet beneficia præter naturam impertiri. Neque heic opus est, referre, quæ de Miraculis Magorum & Seductorum Theologi tradunt, neque ea addere, quæ habet Guibertus Abbas Lib. I. de Pign. Sanctor. in fine ad quæstionem: *Utrum Deus simplices quosque exaudiat, quum per eos invocantur, quos esse Sanctos non constat*. Id, inquam, opus non est, quum infra ex nonnullorum testimonio satis evinci possit, illusisse revera sycopantas & nebulones illos Catholicis in Pungilupi sanctitate obstruenda. Illusit & ipse Pungilupus; nam uti ex infra le-
B gendis liquebit, deprehensus ipse Anno Christi MCCLIV. a sacris Fidei Quæsitoribus Ferrariæ, impiarum sententiarum propugnator, in vincula conjectus est, & pristinis erroribus ejuratis, se in unitate Fidei Catholicæ perstiturum semper est pollicitus. Sed sacramenti præstiti, ut primùm potuit, contemtor, pejora delirare perrexit, & incredibili Hypocrisi pestilentem doctrinam celare tanto successu, ut non paucis fucum facere ac illudere potuerit. Neque in alium finem is identidem Catholicis Sacerdotibus sua peccata confitebatur, nisi ut eos deciperet, & se Catholicum iis persuaderet. Interea is vivebat vitam *Pauperum de Lugduno*, idest Hæreticorum, atque in ea
E mortuus est. Vigilabant tamen sacri Censores Fidei Ferrariæ degentes, atque Anno MCCLXX. Processum inchoarunt adversùs eumdem Armannum, quem videlicet aut suspicabantur, aut satis noverant militasse in castris Hæreticorum. Producta est inquisitio in annos complures, donec plane compertâ Pungilupi impietate, Bonifacius VIII. Romanus Pontifex Archipresbyterum aliosque Canonicos Capituli Ferrariensis Anno MCCC. Romam accersivit, ut si quid pro falso creditâ Armanni Sanctitate afferendum haberent, in Romana Curia producerent. Id constabit e Charta, quam subjiciendam heic duxi.

Protestatio

Proteſtatio Procuratoris Capituli Canonicorum Ferrarienſium in Curia Romana pro cauſſa Armanni Pungilupi, Anno 1300.

IN nomine Domini, Amen. Anno Nativitatis ejuſdem Milleſimo Tercenteſimo, Indictione XIII. Menſis Aprilis die Sexto, *Pontificatus* Domini Bonifacii Papæ VIII. *Anno IV. Conſtitutus* Dominus Bonfamilius Canonicus Ferrarienſis, *Procurator & procuratorio nomine venerabilium virorum Archipresbyteri & Capituli Ferrarienſis, ante oſtium Palatii Domini Papæ, per quod intrabatur ad ipſum Dominum Papam, petiit a Simone de Aquaſperga, ejuſdem Domini Papæ Oſtiario, qui tunc dictum cuſtodiebat oſtium, quod permitteret ipſum intrare ad Dominum Papam: quia volebat ſe coram eo præſentare nomine procuratorio Archipresbyteri & Capituli ſupradicti juxta citationem eis factam per Dominum Epiſcopum Ferrarienſem ex parte ipſius Domini Papæ, & parere in omnibus ipſius Domini Papæ mandatis, & facere & parere ſuper contentis in citatione prædicta, quod juſtitia ſuaderet. Qui Oſtiarius reſpondit & dixit, quod non erat tempus intrandi ad Dominum Papam, & ipſum Procuratorem intrare non permiſit. Et tunc incontinenti dictus Procurator procuratorio nomine, quo ſupra, dixit & proteſtatus exſtitit coram dicto Oſtiario, & ante dictum oſtium, præſente me Notario & teſtibus infraſcriptis, quod per eum non ſtabat, quin intraret ad ipſum Dominum Papam, & ſe coram eo præſentaret, ac pareret in omnibus ſuis beneplacitis & mandatis, & pareret & faceret, quod in ipſa citatione* A *demandatur. Et quod tempus ſibi & dictis Dominis ſuis non curreret, nec in aliquo præjudicium generari deberet ad faciendum prædicta. Et quàm cito poterit ad ipſum Dominum Papam intrare intendit, & omnia facere, quæ circa contenta in ipſa citatione erunt neceſſaria, ſeu etiam opportuna.*

Actum Laterani, præſentibus Fratre Ægidiolo Converſo Monaſterii Sancti Antonii Ferrarienſis, Magiſtro Cambio de Sexto, Procuratore in Curia Romana, & Bartholomæo de Madio de Alatra, teſtibus ad hoc vocatis & rogatis.

Et ego Alexander Mercurii de Alatra, publicus Apoſtolicâ & Imperiali auctoritate Notarius, prædictis interfui, & rogatus hoc Inſtru- B *mentum ſcripſi, & ſigno meo ſignavi.*

Tum rite negotio pertractato, in Hæreticum perſonatum, ejuſque profanos cineres, ſententia damnationis promulgata eſt, Tumulus dejectus, & ſuperſtitioni factus finis. Acta Proceſſus apud Priſcianum ſupra laudatum exſtant, eaque nunc publici juris facta, non injocunde, ut ſpero, excipiet Lector. Præ ceteris animadverte, nullam in iiſdem Actibus occurrere libidinis fœdiſſimæ, ac turpium conventuum culpam, Armanno ejuſque Sectæ objectam: quam tamen culpam in id genus Hæreticos ſæpe impactam videas.

Examen teſtium contra Armannum Pungilupum Hæreticum Ferrarienſem, ab Anno 1270. uſque ad Annum 1288.

CAP. I.

Quod Punzilupus fuit Credens Hæreticorum.

MAgiſter Ferrarinus de Lignamine in MCCLXX. die VIII. intrante Auguſto, juratus dixit, quod Punzilupus erat Credens Hæreticorum, *& diligebat eos. Et vidit eum uti & ſtare cum Martino de Campitello, qui fuit hæreticus.*

Frater Thebaldinus de Pœnitentia in MCCLXX. die IV. intrante Novembri, juratus dicit, quod pluries audivit dici, & a multis perſonis, quod Punzilupus erat Credens Hæreticorum, & quod dicebat verba, quæ erant contra Fidem Catholicam.

Dominus Henricus, qui erat Officialis Inquiſitoris in MCCLXX. die III. exeunte Novembri juratus dicit, quod audivit dici, & fama erat, quod Punzilupus erat Credens Hæreticorum.

Frater Bonfadinus de Ordine Prædicatorum in MCCLXX. die III. exeunte Novembri juratus dicit, quod antequam intraret Ordinem, cognovit Punzilupum, & reputabatur Credens Hæreticorum.

Frater Ricobaldus de Ordine Minorum in MCCLXX. die primo intrante Decembri, dixit C *verbo veritatis, quod quum eſſet in Sæculo, erat vicinus Punzilupi, & ſtabat juxta domum ſuam. Et quod dictus Punzilupus habebatur Credens Hæreticorum.*

Dominus Menabos Parvus, qui fuit Credens Hæreticorum, & recipiebat Hæreticos, in MCCLXX. die IX intrante Decembri, juratus dicit, quod Punzilupus fuit Credens Hæreticorum. Et audivit dici inter eos, quod ipſe Punzilupus erat nutritus cum Hæreticis per viginti annos.

Dominus Mutinenſis in MCCLXX. die I. Decembris, juratus dicit, quod Dominus Manjapanis de Scajolis, & Gerardinus de Alfero, & Tancredus de Sancto Vitali, & Punzilupus habebat familiaritatem & domeſticitatem cum D eis, *& ſtabat multum in domo Dominæ Marcheſinæ, in qua ſtabant Hæretici. Et iſti conſueverunt eſſe Credentes Hæreticorum. Sed ſi modò ſunt, neſcit.*

Domina Veneria, quæ fuit Credens Hæreticorum, in MCCLXXXIV. die penultimo Menſis Novembris, jurata dicit quod Punzilupus fuit Credens, receptator, & familiaris Hæreticorum. Ubi aſſignat cauſas, quare hoc dicit. Cauſæ autem ſunt, quia ipſe duobus annis vel circa ante mortem *ipſius Punzilupi, ipſe Punzilupus*

zelotas scienter duxit Hæreticos ad domum ipsius testis. *Et quia* vidit ipsum facere reverentiam uni Hereticæ. *Et quod* vidit eum dare consolamentum uni mulieri. *Et quia ipse Punzilupus* frequenter dixit dictæ testi verba hæretica.

Manfredinus Notarius, qui fuit Credens Hæreticorum, in MCCLXXXV. die penultimo Januarii, juratus dicit, quod Punzilupus fuit Credens, familiaris, & receptator Hæreticorum. Ubi assignat causas, quare hoc dicit, quæ sunt. Quod a septemdecim annis circa audivit ipsum Punzilupum frequenter dicere verba Hæretica. *Et quia* vidit eum pluries familiariter & private loqui cum uno Hæretico. *Item dixit, quod fama erat inter Credentes Hæreticorum, quod Punzilupus erat Credens & amicus eorum.*

Domina Bengepare, quæ fuit Credens Hæreticorum, in MCCLXXIV. die X. intrante Novembri, jurata dicit, quod Punzilupus de Ferraria fuit Credens Hæreticorum Sectæ de Baniolo. *Et dicit, quod audivit Catharos facere multas truffas, & dicere verba derisoria de illis de Ecclesia Romana, dicens:* quomodo dicent postea illi de Ecclesia Romana, quod nos simus mali homines, quum ipsi fecerunt unum de nostris Sanctum? *Et quod publica fama erat inter eos, quod Punzilupus prædictus erat de suis, & Credens eorum.*

Dominus Gabriel filius Dominæ Trivisanæ, qui ambo fuerunt Credentes Hæreticorum, in MCCLXXXV. die VII. Februarii, juratus dicit, quod audivit pluries a matre sua, quæ stabat cum Hæreticis, quod Punzilupus erat bonus homo, intelligens de bonitate Hæreticorum; & quod erat Credens & Amicus Hæreticorum.

Duragia in MCCLXX. die V. exeunte Julio, jurata dicit, quod audivit a multis personis, Punzilupum fuisse Credentem Hæreticorum.

Gavinus de Satta, qui stetit cum Domino Menabove de Ferraria, qui tenebat Hæreticos in domo, juratus dicit, quod audivit Hæreticos dicentes: quicquid dicatur per Fratres, vel per alios de Ecclesia Romana, Punzilupus fuit bene de nostra gente, & fuit bene Credens noster. *Et de hoc erat publica fama inter eos.*

Dominus Jacobinus Judex, in MCCLXX. die V. intrante Julio, juratus dicit, quod credit, Punzilupum fuisse Credentem Hæreticorum. Interrogatus quare? respondit: quia non ibat ad Ecclesiam nisi raro, & quia non habebat consilium ab aliquo Sapiente Ecclesiastico: & quia multa mala dicebat de Clericis.

Rengarda de Verona in MCCLXXXV. die VI. exeunte Aprili, jurata dixit, quod modò sunt octodecim anni vel viginti anni, vel id circa, ut credit de tempore, quod ipsa vidit Armannum de Ferraria (qui sepultus est in Ecclesia Ferrariæ, & reputatus Sanctus in ipsa Civitate) in Civitate Veronæ. Et ipse Armannus tamquam Credens & amicus Hæreticorum venit ad domum dictæ testis ad visitandam matrem dictæ testis, pro eo quod ipsa erat Credens Hæreticorum, & receptabat eos. Et ibi moratus est.

Manfredinus, qui fuit Credens Hæreticorum, in MCCLXXXV. die penultimo Januarii juratus dicit, quod infra tempus viginti septem annorum multoties vidit patrem ipsius testis in Statione sua, tenentem Librum Evangeliorum in manibus, & legentem, & exponentem Scripturas per modum prædicationis dicto Punzilupo, & præsentibus etiam aliquando Gerardino de Alfero, & aliquando præsente Clemente de Vicoëntia, & Manjapane de Scajolis. Et quod pater dicti testis exponebat aliquando aliquam auctoritatem in commendationem Hæreticorum, appellando eos oves & hujusmodi. Et similiter quando exponebat auctoritates in detractionem Ministrorum Ecclesiæ, appellando eos lupos rapaces persequentes Christianos, idest Hæreticos, dictus Armannus respondebat: Bene potest esse: & credo quod ita sit, sicut vos dicitis.

Bonmercatus, qui fuit Credens Hæreticorum, in MCCLXXXVIII. die VII. Aprilis, juratus dicit, quod Punzilupus fuit Credens, familiaris, & amicus Hæreticorum. Quod scit ex eo, quod frater dicti testis, qui fuit Credens Hæreticorum, frequenter dixit ipsi testi, quod Punzilupus erat Credens, familiaris, & amicus Hæreticorum, & diligebat eos. Item ex eo quod Punzilupus frequenter commendavit dicto testi Hæreticos, dicendo: quod boni homines sunt solùm Hæretici, & qui tenent viam eorum, & quod ipsi soli sunt in via salutis, & nulli alii. *Et prædicta fuerunt a duobus annis vel dimidio, vel circa ante mortem Punzilupi. Item ex eo quod Punzilupus quatuor annis ante ipsius mortem, fecit reverentiam uni Hæretico, præsente ipso teste & vidente.*

Castellanus Calegarius, qui fuit Credens Hæreticorum, in MCCLXXXVIII. die VI. intrante Madio, juratus dicit, quod Punzilupus fuit Credens, amicus, & familiaris Hæreticorum, & habet ipsum ipse testis pro Hæretico; quod scit ex eo, quod modò sunt viginti duo anni, vel circa, quod ipse testis vidit Punzilupum familiariter loquentem cum Johanne Bergamascho hæretico, & cum quondam Domina Bonsavere sub porticu domus dictæ Dominæ. Et quum intrassent ostium dictæ Domus, dicta Domina, & Hæreticus & Punzilupus, vidente & præsente teste, adoraverunt, & reverentiam fecerunt dicto Hæretico dicta Domina & Punzilupus. Item ex eo quod tempore mortis Punzilupi, antequam sepeliretur, quum personæ currerent ad videndum eum, ipse testis cum Oldeberto de Cauriano, & cum Bonhomo similiter iverunt ad videndum eum: & quum ipse testis obloqueretur de Punzilupo, dicendo, quod erat pejus quàm una bestia, Dominus Oldebertus dixit ipsi testi: Cave, quid dicas, quia ipse fuit Consolatus cum Comatre tua, *intelligendo de uxore ipsius Oldeberti.*

Domina Jacoba, quæ fuit Credens Hæreticorum, in MCCLXXXVIII. die XXVIII. Maji, jurata dicit, quod quidam Zunta Merzarius hæreticus post mortem Punzilupi dixit dictæ testi, quod dictus Punzilupus, dum viveret, serviebat sibi, sciens ipsum esse Hæreticum, de rebus suis & bonis manutenèbat eum, & tenebat eum in privato, & non manifestabat eum; quum tamen ipse Punzilupus sciret, ubi dictus Zunta stabat in domo, & quum dicta testis diceret dicto Zuntæ: Erat Punzilupus de vestra gente? *ipse dixit:* Erat bene de nostra gente, & Credens noster.

Quod Punzilupus fuit Credens Hæreticorum, probatur per hoc, quod adoravit & reverentiam fecit Hæreticis secundùm eorum ritum. *Item per hoc quod* Consolamentum dedit & accepit ab Hæreticis. *Isti enim actus proprie pertinent ad ritum Hæreticorum. Et qui talia perpetrant,* Credentes *esse atique convincuntur.*

Item

Item per hoc quod male sensit *de* Corpore Christi. *Et quod* dixit, quod in Fide Romanæ Ecclesiæ non est salus. *Quæ omnia infra ponuntur sub propriis Rubricis.* A

CAP. II.

Quod Punzilupus fuit de ecclesia Sectæ Hæreticorum de Bagnolo.

Albertinus, qui fuit Hæreticus, in MCCLXXIII. die III. intrante Augusto, juratus dicit, quod Punzilupus fuit Catharus Consolatus. *Et dicit quod fecit eidem Albertino reverentiam in domo sua ejusdem Punzilupi, & alibi etiam pluries. Et dicit, quod idem Punzilupus venit vel ivit Veronam, jam sunt sex* B *anni vel circa, occasione cujusdam carcerati, qui fugerat sibi, ut dicebat. Et tunc ipse Punzilupus* recepit manuum impositionem in Verona in domo Catharorum, *quam tenet Dominus Bergongius pro Hæreticis*, a Domino Alberto Episcopo Sectæ de Bagnolo, *& a Domino Michaële, qui est filius Major in ipsa Secta, & ab ipso eodem Albertino, qui & ipse erat Filius Major & Visitator eorum in dicta Secta in Lombardia.*

Domina Bengepare, in MCCLXXIII. die V. intrante Novembri, jurata & confessa est, se aliquando habuisse fidem Hæreticorum Sectæ de Bagnolo, cujus erat Episcopus &c. Dicit quod Punzilupus fuit Credens Hæreticorum Sectæ de Bagnolo. *Et dicit, quod audivit, Catharos facere multas truffas &c.* C

Constantia de Pergamo, in MCCLXXIV. die XXII. intrante Martio, jurata dicit, quod fuit in Sermione a quatuor mensibus citra. Et ibi loquuta fuit cum Domino Laurentio Episcopo Hæreticorum, *cum Guillelmo de Borgogna, cum Martino Darinda de Verona, & cum Francisco de Pedemonte, omnibus de Secta de Bagnolo, & cum aliis multis Hæreticis ultra triginta. Et dicit dum ipsa quæreret a Domino Francisco, qui dicitur Magnus, & Dominus inter eos, an verè Punzilupus de Ferraria fuisset de suis, & de Secta eorum, tunc dicit, quod respondit sibi idem Dominus Franciscus:* Si tu recipis manus impositionem a nobis, ego dicam tibi totam veritatem de illo facto. *Et dicit, quod tunc, postquam recepit manus impositionem ab eis, tunc dixit Dominus Franciscus, præsente Domino Guillelmo, quod octo anni erunt in Madio, quod in Domo de Spata de Verona, in qua stabat Dominus Burgundius prædictus, Punzilupus* fuit Consolatus per prædictum Dominum Guillelmum & Martinum Darindam Hæreticos &c. D

Magister Albertus Gratiani, qui longo tempore fuit Credens Hæreticorum in MCCLXXXVIII. die XVI. Julii, juratus dicit, quod modò sunt circa triginta anni, quum ipse testis esset Mantuæ, quod Johannes de Casalolto, Episcopus Hæreticorum Sectæ de Bagnolo, *petivit ab ipso teste, quomodo faceret, & quomodo se haberet Armannus, qui dicitur Punzilupus. Et hoc petivit dictus Episcopus pro eo, quod ipse Armannus erat Amicus & Familiaris ejus. Item dicit, quod jam sunt vigintiocto anni, quod Punzilupus dixit dicto testi pro eo, quod ipse sciebat, quod ipse testis erat Credens Hæreticorum, si cognoscebat Martinum de Campitello Hæreticum Sectæ ecclesiæ de Bagnolo. Qui respondit, quod sic. Et tunc dictus Punzilupus dixit dicto testi cum magno affectu:* Si Deus te salvet, salutabis eum ex parte mea, quando videbis eum. E

Argumentum, quod Punzilupus fuit de Secta prædicta, est, quod Uxor *ipsius* Punzilupi fuit Consolata per Michaëlem, qui erat Filius Major in ipsa Secta, *ut dicit Michaël hæreticus, qui est testis tertius decimus. Verisimile enim est, quod ambo fuerint de eadem Secta. Item per hoc, quod pluries receptavit & reverentiam fecit eidem Albertino, qui similiter erat Filius Major & Visitator in dicta Secta. Item quod ipsemet Punzilupus confessus fuit coram Inquisitoribus, quod* ipse fecit reverentiam secundùm morem Hæreticorum Martino de Campitello Hæretico.

CAP. III.

Quod Punzilupus pluries adoravit, & fecit reverentiam Hæreticis secundùm eorum ritum.

Domina Veneria, quæ fuit Credens Hæreticorum, in MCCLXXXIV. die penultimo Mensis Novembris, jurata dicit, quod duobus annis vel circa ante mortem Punzilupi, ipse Punzilupus duxit ad domum ipsius testis scienter Elicam Hæreticam. Cui Hæreticæ ipse Punzilupus, vidente & præsente ipsa teste, fecit reverentiam in domo habitationis ipsius testis, secundùm eorum ritum.

Albertinus Michaël, qui fuit Hæreticus, in MCCLXXIII. die III. intrante Augusto, juratus dicit, quod Punzilupus fuit Catharus Consolatus. *Et dicit, quod fecit eidem Albertino reverentiam in domo sua ejusdem Punzilupi, & alibi etiam pluries. Et dicit, quod idem Punzilupus venit Veronam, jam sunt sex anni &c.*

Bonaventura de Sancto Georgio de Verona, in MCCLXXXV. die XII. intrante Octobri, juratus dicit, quod posset esse circa vigintiquatuor annos, quod ipse ivit de Ferraria Vicentiam cum Fratre Armanno, qui dicebatur Punzilupus. Et ibidem intraverunt domum cujusdam, qui dicebatur Franciscus, & erat Hæreticus. Quæ domus erat in Contrata Sancti Petri. Et tunc dictus Punzilupus fecit magnam reverentiam dicto Francisco, & genuflexit ante eum dicendo hæc verba: Benedicite, bene, bone Christiane. Et tunc dictus Franciscus levabat ipsum blandiendo multum. Et instruebat etiam me Bonaventuram dictus Punzilupus facere tales reverentias, & dicere talia verba. Quod & feci, nesciens quid facerem. Personæ, quæ præsentes erant, quando ista faciebat, sunt hæ: Uxor dicti Francisci, quæ mortua est, Filius ejusdem Francisci, qui postmodum captus fuit pro Hæretico, & mortuus est: Domina Spetia de eadem Contrata: Bonaventura uxor quondam Aldregheti de eadem Contrata: Michaël quondam Pulzati de Contrata Pusterlæ: Albertinus & Leonarda ejus uxor de Contrata Sancti Petri: & quædam, quæ vocabatur Vincentia, quæ nunc mortua est. *Item dicit, quod frequenter intravit dictam domum cum Punzilupo, & coram prædictis personis, quæ concurrebant illuc, dictus Punzilupus faciebat magnam reverentiam dicto Francisco supradicto modo. Item dicit, quod in eadem Civitate fuit in pluribus aliis domibus ad tales personas, idest Hæreticos. Et semper, quando dictus Punzilupus intrabat, dicebat supradicta verba,* Benedicite, bene, bene, boni Cristiani. *Et genuflectebat ante eos, ut supra dictum est.*

Bonmercatus, qui fuit Credens Hæreticorum, in MCCLXXXVIII. die IX. Aprilis, juratus dicit, quod ipse cum tribus aliis Credentibus iverunt ad visitandum duos Hæreticos, quorum unus erat infirmus. Et stando cum eis contigit, Punzilupum transire, quærendo panem pro carceratis. *Et tunc dominus domus, ubi erant Hæretici, vocavit Punzilupum pro eo, quia sciebat eum esse Credentem Hæreticorum. Et quum Punzilupus intrasset domum, ubi erant Hæretici, videntibus omnibus, fecit magnas caritias, & ostendit magnam amicitiam & familiaritatem dictis Hæreticis, & omnibus aliis, qui erant ibi cum Hæreticis. Et ibidem in præsentia omnium prædictorum dictus Punzilupus fecit reverentiam illi Hæretico, qui non erat infirmus, & adoravit eum, secundum quod Credentes Hæreticorum consueverunt adorare & facere reverentiam Hæreticis secundùm eorum ritum.*

Castellanus, qui fuit Credens Hæreticorum, in MCCLXXXVIII. die XX. Maji, juratus dicit, quod modò sunt circa vigintiduo anni, quod ipse testis vidit Punzilupum familiariter loquentem cum Johanne Hæretico, & cum quondam Domina Bonsavere Hæretica, sub porticu domus dictæ Dominæ. Et quum intrasset domum dicta Domina, & Punzilupus, & ipse Hæreticus, ipso teste remanente sub porticu ante ostium, statim intra ostium dictæ Domus Punzilupus, & quidam filius dictæ Dominæ, depositis capellinis sive biretis, quas habebant in capite, & dicta Domina cum eis, inclinaverunt se ad dictum Hæreticum, & adoraverunt eum, & sibi reverentiam fecerunt secundùm ritum Hæreticorum, unus vidente alio, & ipso teste præsente & vidente.

Armannus, qui alio nomine dicitur Punzilupus, in MCCLIV. dixit suo juramento coram Inquisitoribus, quod aliquando adoravit & fecit reverentiam Martino de Campitello Hæretico Consolato, *secundùm quod consueverunt facere Credentes Hæreticorum ipsis Hæreticis. Item dixit, quod eamdem reverentiam fecit cuidam alii Hæretico, de cujus nomine non recordatur. Et hoc fuit in domo, quæ quondam fuit Claribaldini.*

CAP. IV.

Quod Punzilupus dixit, quod in Fide Romanæ Ecclesiæ non erat salus, sed in solis Hæreticis.

Domina Veneria, quæ fuit Credens Hæreticorum, in MCCLXXXIV. die penultimo mensis Novembris, jurata dixit, quod duobus annis vel circa ante mortem Punzilupi, & infra . . . . . . Item dicit, quod post prædicta circa idem tempus, quando dictus Armannus ibat quærendo eleemosynas pro carceratis, frequenter intravit domum habitationis ipsius testis, & hortabatur ipsam testem, quod esset firma in Fide Hæreticorum, dicendo quod in ipsis solis erat salus, & quod erant boni homines. *Et quum dicta testis diceret aliquando dicto Armanno . . . . . .*

Manfredinus Notarius, qui fuit Credens Hæreticorum, in MCCLXXXV. die penultima Januarii dicit, quod modò sunt vigintiseptem anni vel circa, quod Pater dicti testis, qui & ipse erat Credens Hæreticorum, pluribus annis vendidit ferrum in quadam Statione Episcopi Ferrariensis. Et quod quasi omni die infra prædictos annos Punzilupus veniebat &c. Item dicit, quod plusquam centies audivit eum cum dicto patre suo loquentem male de Ministris Ecclesiæ, dicendo quod erant mali homines, & non faciebant opera Dei, nec erat in eis, nec in Fide Romanæ Ecclesiæ, salus: sed erant deceptores animarum: & quod erant lupi rapaces, qui persequebantur bonos homines & Ecclesiam Dei, intelligendo de Ecclesia Hæreticorum.

Albertinus, qui fuit Hæreticus, in MCCLXXIII. die III. intrante Augusto juratus dicit, quod Punzilupus venit Veronam, jam sunt sex anni vel circa. Et tunc dictus Punzilupus recepit manus impositionem in domo Catharorum &c. Et dicit, quod tunc quæsierunt a dicto Punzilupo si acceperat pœnitentiam a lupis rapacibus, qui persequuntur bonam gentem; hoc est ab aliquo Fratrum Prædicatorum vel Minorum, vel ab aliquo alio Sacerdote Romanæ Ecclesiæ. Et dicit, quod respondit, quod non acceperat, nec acciperet ab aliquo de lupis rapacibus. Et dicit, quod tunc absolverunt eum a sacramento, quod fecerat Fratri Aldrevandino Inquisitori de stando mandatis Romanæ Ecclesiæ.

Bonmercatus, qui fuit Credens Hæreticorum, in MCCLXXXIII. die VII. Aprilis, juratus dicit, quod circa annum & dimidium ante mortem Punzilupi, ipse testis loquendo cum Punzilupo juxta domum Episcopalem de Ferraria, petivit a dicto Punzilupo, quomodo staret cum Fratre Stephanino Ordinis Prædicatorum. Qui respondit, quod male, & quod erat malus homo, & boni homines sunt solùm Hæretici, & qui tenent viam illorum: & ipsi soli sunt in via salutis, & nulli alii. *Et hoc ipsum & consimilia verba audivit ipse testis frequenter postea a dicto Punzilupo. Item dicit, quod Punzilupus frequenter hortatus fuit ipsum testem, quod staret firmus in Fide Hæreticorum, quia, ut dictum est, in ipsis solis erat salus.*

Ad probationem istius Rubricæ, faciunt testes aliarum Rubricarum.

CAP. V.

Quod Punzilupus male sensit & male loquutus est de Corpore Christi.

Dominus Henricus, qui erat Officialis Inquisitoris, in MCCLXX. die III. exeunte Novembri, juratus dicit, quod audivit dici, & fama erat, quod Punzilupus erat Credens Hæreticorum. Et quod audierat, male sentiebat de Corpore Christi. *Idcirco quum ipse testis esset (*) Cazzagazaro, & semel invenisset eum in Platea Civitatis Ferrariæ, dixit ei:* Audivi de te Punzilupe, quod male sentias de Corpore Christi. Ego habeo officium capiendi Hæreticos. Ego capiam te. *Et tunc dicit, quod idem Punzilupus respondit sibi:* Quid creditis vos? *Et quum idem testis responderet:* Ego credo, quod sit verè Corpus Christi, postquam sacrificatum est per Sacerdotem, sicut credo, quod debeo mori; *tunc idem Punzilupus respondit:* Et ego amore vestri ita volo credere ab hinc in antea.

Frater Bonfadinus Ordinis Prædicatorum, in

(*) *Cazzagazaro* vocabulum Ferrariensis Dialecti, quo *Gazaro* pro *Cátaro* dicebatur. Italice pronuntiares *Caccia-Cáttaro*: quo quidem titulo utebantur ii, qui Catharos seu eorum sectarios insectabantur ex officio. Vide infra Cap. VI.

in MCCLXX. die III. exeunte Novembri, juratus dicit, quod postquam fuit in Ordine, audivit pluries Punzilupum dicentem: Quod si Corpus Domini nostri Jesu Christi esset ita magnum, sicus mons, modò esset comestum. *Et dicit, quod nolebat adorari versùs Orientem, sed adorabat versùs Occidentem. Et dicebat ipse Punzilupus publice, quod nolebat adorare versùs partem illam, ubi adorabant Prevedones Clericones.*

Manfredinus Notarius, qui fuit Credens Hæreticorum, in MCCLXXXV. die penultimo Januarii, juratus dicit, quod a vigintiseptem annis citra &c. Item dicit, quod Punzilupus non credebat, quod ille panis & vinum, quod Sacerdos sacrificat in Altari, fit Caro & Sanguis Christi. *Et audivit ipsum Punzilupum dicentem cum patre ipsius testis qui erat Credens Hæreticorum*: Isti Clerici de Ecclesia volunt facere me credere, quod ille panis & vinum, quæ Sacerdos sacrificat in Altari, fit Caro & Sanguis Christi. *Et dicebat*: Non est diu, quod ego vidi Sacerdotem Sancti Juliani, qui posuit tantum de vino in Calice, quod ipse Sacerdos fuit inde inebriatus.

Domina Duragia in MCCLXX. die IV. exeunte Julio, jurata dicit, quod audivit ab aliquibus vicinis, Punzilupum circa tempus, quo ipse Punzilupus mortuus est, quod idem Punzilupus consuevit in die Paschæ accipere unum magnum panem, & unum buttatium vini, & dabat pluribus comedere & bibere. Et quum consumtum esset, dicebat: Quid dicunt isti Prevedones, lupi rapaces, Corpus Christi non posse consumi? Ecce nos consumsimus unum tam magnum panem, & buttatium vini.

Magister Aprilis de Ferraria in MCCLXX. die IV. exeunte Julio, juratus dicit, quod audivit, quod Punzilupus consuevit, unum magnum panem, & unum buttatium vini accipere: & comedebat cum aliquibus, & postea dicebat: Quid dicunt isti Prevedones & Fratones, quod Corpus Chisti non potest consumi? Ecce nos comedimus tam magnum panem, & buttatium vini.

Armannus, qui alio nomine dicitur Punzilupus, in MCCLIV. dixit suo juramento coram Inquisitoribus &c. Item confessus fuit, qaod aliquando dixit: Quomodo sunt stulti isti Sacerdotes, qui credunt claudere Deum in Pixide! *loquendo de Corpore Christi, quod Sacerdotes sacrificant in Altari. Tamen dixit, quod hoc dicebat pro ludo.*

CAP. VI.

Quod Punzilupus dedit & accepit Consolamentum ab Hæreticis secundùm eorum ritum.

A*Lbertinus, qui fuit Hæreticus Sectæ de Bagnolo, in MCCLXXIII. die III. intrante Augusto, juratus dicit, quod audivit Punzilupum, qui modò sepultus est in Ecclesia Ferrariæ, dicentem, dum viveret, quod* Pater suus & Mater sua Cathari fuerunt. *Et dicit, quod ipse Punzilupus* fuit Catharus Consolatus. *Et dicit, quod fecit eidem Albertino reverentiam in domo sua ejusdem Punzilupi, & alibi etiam pluries. Et dicit, quod idem Punzilupus venit, vel ivit Veronam, jam sunt sex anni vel circa, occasione cujusdam carcerati, qui fugerat sibi, ut dicebat. Et tunc ipse Punzilupus* recepit manus impositionem in Verona in domo Ca-

A tharorum, *quam tenet Dominus Bergundius pro Hæreticis*, a Domino Alberto Episcopo Sectæ de Bagnolo, *& a Domino Michaële, qui est Filius Major in ipsa Secta, & ab ipso eodem Albertino, qui & ipse erat Filius Major, & Visitator eorum in dicta Secta in Lombardia. Et dicit, quod tunc quæsierunt ab eodem Punzilupo, si acceperat pœnitentiam a lupis rapacibus, qui persequuntur bonam gentem: hoc est ab aliquo Fratrum Prædicatorum vel Minorum, vel ab aliquo alio Sacerdote Romanæ Ecclesiæ. Et dicit, quod respondit, quod non acceperat, nec acciperet ab aliquo de lupis rapacibus. Et dicit, quod tunc absolverunt eum a sacramento, quod fecerat Fratri Aldevrandino Inquisitori,*
B *de stando mandatis Romanæ Ecclesiæ.*

Constantia de Pergamo, quæ fuit Consolata in Sermione, in MCCLXXIV. die XII. intrante Martio, jurata dicit, quod fuit in Sermione a quatuor mensibus citra. Et ibi loquuta fuit cum Domino Laurentio Episcopo Hæreticorum, cum Guillelmo de Bergogna, cum Martino Darinda de Verona, & cum Francisco de Pedemonte, omnibus de Secta de Bagnolo, & cum multis aliis Hæreticis ultra viginti. Et dicit, quod recepit ibi manus impositionem a Domino Guillelmo ejusdem Sectæ coram multis Hæreticis: Et hoc fecit, ut melius posset explorare facta Hæreticorum, qui erant in Sermione, quia propter hoc miserat eam Frater Timedeus In-
C *quisitor Hæreticorum. Et dicit, quod dum illa quæreret a Domino Francisco, qui dicitur Magnus, & Dominus inter eos, utrum Punzilupus de Ferraria fuisset de suis, & de Secta eorum, dicit, quod respondit sibi idem Dominus Franciscus*: Si tu recipis manuum impositionem a nobis, ego dicam tibi totam veritatem de illo facto. *Et dicit tunc, postquam recepit manus impositionem ab eis, quod ante dixit ei Dominus Franciscus præsente Domino Guillelmo: quod octo anni erunt in Madio, quod in Domo de Spata de Verona, in qua stabat Dominus Bergundius*, prædictus Punzilupus fuit Consolatus per prædictum Dominum Guillelmum, & Martinum Darindam Hæreticos. *Et*
D *tunc fuerunt Consolati secum Dominus Mezzagonella de Verona, & Azolina socrus ejusdem.*

Domina Philosophia de Verona, in MCCLXXXIV. die IV. Octobris, jurata dicit, quod modò sunt XV. anni vel circa, quod quædam mulier, quæ vocabatur Spera, olim Domicella Marchionissæ Estensis, dum detineretur captiva per Inquisitorem Ordinis Minorum apud Veronam, conquerendo dixit, audiente ipsa teste: Heu quàm parum steti in ista pœnitentia! Nam fueram facta bona Christiana ab illo benedicto Armanno, qui tunc temporis dicebatur esse Sanctus apud Ferrariam, & dicebatur Sanctus apud Ferrariam, & dicebatur facere miracula, quum esset mortuus. *Et tamdem dicta Spera*
E *permisit se comburi propter crimen Hæresoos. Item dicit, quod circa idem tempus ipsa testis audivit a quadam Credente Hæreticorum, quæ vocabatur Garsenda de Verona, quod supradictus* Armannus duxerat & fecerat vitam Pauperum de Lugduno, & tamdem fuerat Consolatus in Secta Hæreticorum &c.

Domina Veneria, quæ fuit Credens Hæreticorum, in MCCLXXXIII. die penultimo mensis Novembris, jurata dicit, quod dictus Armannus non solùm fuit Credens, Receptator, & Fautor Hæreticorum, *sed etiam fuit* Hæreticus Consolatus. *Quod scit ex eo, quod circa prædictum tempus circa unum annum ante mor-*

A *tem prædicti Armanni*, Lanfrancus *Hæreticus*, *& dictus Armannus venerunt ad domum habitationis duarum Hæreticarum Consolatarum, quæ morabantur Ferrariæ in Contrata Sancti Silvestri: quarum una vocabatur Gisla, & alia Maria. Quæ Hæreticæ habebant unam Sociam, quæ similiter vocabatur Maria, quæ erat Credens, & serviens earum. Et quum dictæ Hæreticæ vellent, quod dicta Maria serviens earum reciperet Consolamentum, ipsæ Hæreticæ miserunt dictam Mariam servientem suam pro dicta teste. Quæ testis venit ad prædictam domum prædictarum Hæreticarum. Et ibi invenit prædicta testis prædictos Lanfrancum & Armannum. Et tunc præsente ipsa teste & dictâ Gislâ & dictâ Mariâ Hæreticis, dictus* (*) B Lanfrancus Hæreticus, & Armannus dederunt & fecerunt Consolamentum, & manus impositionem super caput, tenendo Librum in manibus secundùm morem Hæreticorum, dictæ Mariæ *servienti prædictarum Gislæ & Mariæ Hæreticarum. Et dicta testis videndo, quod ipse Armannus imposuit manum suam super caput in dicto Consolamento dictæ Mariæ, admirans dixit omnibus, qui erant ibi*: Ego credebam, quod iste Armannus esset solùm Credens. Sed videtur, quod ipse sit Hæreticus Consolatus. *Et dicti Lanfrancus & Armannus dixerunt ipsi testi, quod dictus Armannus fuerat Consolatus ab Hæreticis, secundùm ritum Hæ-* C *reticorum apud Veronam, ubi habuerat copiam bonorum virorum, idest Hæreticorum. Et hoc ipsum dixerunt dicti Lanfrancus & Armannus postea pluries ipsi testi. Item dicit ipsa testis, quod ipsi Lanfrancus & Armannus rogaverunt dictam testem, quod non manifestaret dictum Armannum de prædictis. Et hoc non dixit odio vel amore.*

Dominus Nicolaus filius quondam Domini Asiati de Brixia, qui stat Veronæ, in MCCLXXXV, die V. exeunte Aprili, juratus dicit, quod modò sunt octo anni vel circa, quod ipse testis erat Officialis Inquisitoris, & Cazzagazaro pro Ecclesia Veronæ. Et quum capti essent multi Hæretici in Sermione, propter quod quidam Frater Aldevrandinus Ordinis Prædica- D *torum, tunc Inquisitor Hæreticorum in provincia Lombardiæ, scripsit dicto testi, rogando eum, quod ipse deberet diligenter inquirere, si dicti Hæretici scirent aliquid de quondam Armanno, qui alio nomine dicitur Punzilupus, qui est sepultus in Ecclesia Cathedrali Ferrariæ. Et tunc dictus testis interrogavit Inquisitorem, qui tunc faciebat officium Veronæ, si aliquid invenisset a prædictis Hæreticis de dicto Punzilupo. Qui Inquisitor respondit ei tamquam Officiali suo, quod ipse invenerat per confessionem duorum Hæreticorum, quod dictus Punzilupus fuerat Consolatus per Hæreticos secundùm eorum ritum in Civitate Veronæ in Hospitio de Castello, vel in Domo de Spata, ut* E *credit de domo, quia propter longitudinem temporis non bene recordatur de nomine Domus. Item dicit, quod dictus Inquisitor promisit dicto testi de iis facere publicum instrumentum, causâ mittendi Fratri Aldevrandino Inquisitori prædicto. Sed quia dictus Inquisitor subitò recessit de Verona, & ivit ad Curiam Romanam, dictum Instrumentum non fuit factum.*

Simon Bonandreæ, Civis Veronæ, Notarius & Officialis Inquisitoris apud Veronam in MCCLXXXV. die IV. exeunte Aprili, juratus dicit, quod modò sunt septem anni vel octo, quod ipse testis in Civitate Veronæ in Camera Inquisitoris, & ipso Inquisitore præsente, vidit & legit quamdam scripturam in Actis Inquisitionis, in qua videbatur contineri, quod Punzilupus fuit Consolatus per Hæreticos in Civitate Veronæ secundùm eorum ritum. Determinabatur autem in ipsa scriptura domus, in qua fuerat Consolatus. Sed dictus testis non bene recordatur de nomine domus. Fuerunt autem hæretici, qui hæc dicebant, circa quatuor: sed de eorum nominibus non bene recordatur; quorum unus loquebatur de visu, ut ipse testis credit, alii verò videbantur inducere præsumptiones pro dicto facto. Item dicit dictus testis, quod non bene recordatur, quid factum sit de dicta scriptura, sed bene certus est, quod vidit & legit in Actis Inquisitionis.

Dominus Jacobinus de Cesso in MCCLXX. die ultimo Octobris, juratus dicit, quod habuit quemdam hominem, qui laborabat ad Fornacem, qui vocabatur Conradinus. Qui dixit ei, quod erat Patarenus, & de Secta Patarenorum. Et qui dixit ei, quod Fratres Prædicatores voluerunt eum semel capere, sed ipse natavit ultra Padum &c. Et dixit, quod idem Conradinus dixit sibi, quod Punzilupus erat de suis, & de Secta Patarenorum. Et dicit, quod fuit eo tempore, quo Punzilupus mortuus est.

Magister Castellanus Calegarius, qui fuit Credens Hæreticorum, in MCCLXXXVIII. die VI. intrante Majo, juratus dicit, quod quando Punzilupus erat mortuus, quum adhuc corpus ejus esset in Ecclesia Episcopali nondum traditum sepulturæ, ipse testis una cum quondam Oldeberto & Bonhomo iverunt ad videndum eum. Et quum dictus testis diceret de corpore Punzilupi, quod esset pejus quàm una bestia, ipse Oldebertus respondit: Cave, Compater, quid dicas, quia ipse Consolatus fuit cum Commatre tua; *intelligendo de uxore ipsius Oldeberti.*

Argumentum, quod Punzilupus Consolatus est, est, quod Pater & Mater & Uxor fuerunt Hæretici consolati, ut dicit Albertinus &c.

CAP. VII.

Quod Punzilupus habuit familiaritatem, conversationem, collocutionem & amicitiam cum Hæreticis, & visitavit eos.

M*agister Ferrarius in MCCLXX. die VIII. intrante Augusto, juratus dicit, quod Punzilupus erat Credens Hæreticorum & diligebat eos. Et vidit eum uti & stare cum Martino de Campitello Hæretico a tribus annis citra in carceribus. Et dicebat, quod ipse Martinus erat bonus homo. Et dicebat, quod si haberet bonos homines (loquendo de Patarenis) quod non permitteret eos comburi, nec alios. Item dicit, quod dictus Punzilupus dixit ei, quod iverat cum ipso Martino, quando ducebatur ad ignem, usque ad ripam flendo.*

Dominus Mutinensis, in MCCLXXII. die primo

(*) Consolamenti hæreticorum ritum heic vides per impiam manuum impositionem, simulque colligis, Consolamentum idem conlatum tantummodo ab iis Catharis fuisse, qui antea fuerant Consolati, seu Consolamentum ipsum ab aliis Sectæ suæ acceperant.

primo Decembris, juratus dicit, quod Dominus Maniapanis de Scajola, & Girardinus de Alfero, & Tancredus de Sancto Vitali, & Punzilupus habebant familiaritatem & domesticitatem (*) &c.

Manfredinus Notarius, qui fuit Credens Hæreticorum, in MCCLXXXV. die penultima Januarii, juratus dicit, quod Punzilupus fuit Credens, Amicus, & Familiaris Hæreticorum &c. Item dicit, quod postquam Punzilupus dixerat dicto testi, quod juraverat mandata Ecclesiæ, antequam ipse moreretur, per aliquod tempus, captus fuit quidam Hæreticus, qui vocabatur Johannes, & faciebat se dici Christianum, ut credit, de nomine. Et dum detineretur in carcere Episcopi Ferrariæ, dictus testis missus a patre suo ad ipsum hæreticum, frequenter visitavit dictum hæreticum in carcere, rogando eum, quod non accusaret patrem suum, & hortando eum, quod staret firmus in fide hæreticorum. Et tunc vidit frequenter dictum Punzilupum venientem ad visitandum dictum Hæreticum, sciens eum esse hæreticum in carcere, & loquentem cum eo familiariter. Sed quæ verba diceret non audiebat. Item dixit, quod postquam dictus Hæreticus relictus fuit in manibus Potestatis, & in carcere detineretur in Palatio Communis Ferrariæ, vidit frequenter dictum Punzilupum *euntem ad ipsum hæreticum, & loquentem cum eo familiariter, & private solum cum solo in camerula, in qua detinebatur dictus hæreticus. Sed quid diceret, nescit. Et infra. Item dicit, quod fama erat inter Credentes Hæreticorum, quod dictus Punzilupus erat Credens & Amicus Hæreticorum. Item dicit, quod audivit Jacobam, quæ tenebat Hæreticos in domo, & veniebat ad domum ipsius testis ad accipiendum victualia pro ipsis Hæreticis, dicentem:* Punzilupus est bene noster Amicus. Et quando vadit ante domum meam, vocat me, & dicit: Accipiatis istum panem album, & date illis bonis viris; *intelligendo de hæreticis:* & dicatis, quia bene mundus est. *Et aliquando etiam dabat ei ficus.*

Aymolinus in MCCLXXXV. die VII. intrante Februario, juratus dicit, quod vidit Punzilupum stantem & conversantem in domo Dominæ Marchesinæ, existentibus Hæreticis in dicta domo. Et vidit eum frequenter loquentem familiariter cum dicta Domina Marchesina, quæ erat Hæretica, & semper tenebat in domo sua Hæreticos.

Albertinus Sogarius in MCCLXX. die X. intrante Decembri, juratus dicit, quod Martinus de Campitello, qui fuit Hæreticus, dixit ei: Ego veni Ferrariam pro Punzilupo, quem credo meliorem Christianum de Terra ista.

Dominus Menabos parvus, qui fuit Credens Hæreticorum, in MCCLXX. die IX. intrante Decembri, juratus dixit, quod audivit ab Hæreticis, quod Punzilupus erat nutritus cum Hæreticis per viginti annos vel circa.

Rengarda de Veronâ, filia Garsendæ, quæ fuit Credens Hæreticorum, in MCCLXXXV. die VI. exeunte Aprili, jurata dixit, quod modò sunt octodecim anni vel circa, quod ipsa vidit Punzilupum in Civitate Veronæ. Et dicit, quod ipse tamquam Credens & Amicus Hæreticorum venit ad domum dictæ testis ad visitandam matrem ipsius testis pro eo quod & ipsa erat Credens & receptatrix Hæreticorum. Et ibi mansit duos dies & duas noctes, & ibi comedit & bibit. Et tunc audivit pluries Punzilupum loquentem & conferentem cum matre ipsius testis de fide & factis Hæreticorum. Et audivit, quod ipse nominavit Pauperes de Lugduno, & alias Sectas Hæreticorum. Sed de verbis, quæ dicebant, non recordatur. Item dicit, quod ipsa testis semel una cum matre & Punzilupo iverunt causâ videndi & visitandi Hæreticos ad domum quondam Dominæ Belliardæ, & ibidem in eadem domo invenerunt plures Hæreticos & Hæreticas. Et tunc vidit Punzilupum una cum matre ipsius testis scienter loquentem familiariter & diu cum ipsis Hæreticis. Sed dicta testis quid dicerent, non audiebat. Item dicit, quod eisdem diebus venit ad domum ipsius testis Bonaventura Belasmagra Episcopus Hæreticorum. *Et ibidem Punzilupus una cum matre ipsius testis loquuti sunt diu & private cum dicto Hæretico. Et dicit, quod non vidit Punzilupum facere reverentiam dicto Hæretico.*

Domina Beatrix uxor quondam Ægidii de Busso, in MCCLXX. die V. intrante Julio, jurata dixit, quod audivit a quadam sua vicina, quæ vocabatur Mira de Verona, quod Punzilupus dixit pluries Miræ: Ego volo, quod veniatis mecum ad Prædicationem Patarenorum, & audietis verba eorum, quæ sunt valde bona.

Domina Veneria, quæ fuit Credens Hæreticorum, in MCCLXXXIII. die penultimo mensis Novembris, jurata dixit, quod Punzilupus fuit Credens, Familiaris, & Receptator Hæreticorum. Quod scit ex eo, quod dictus Punzilupus duxit semel Lanfrancum de Monte Clero Hæreticum Consolatum, sciendo dictus Punzilupus ipsum esse Hæreticum, ad domum habitationis ipsius testis. Et quum quæreret a dicto Lanfranco, quis esset ille homo, quem duxerat secum, respondit Dominus Lanfrancus: Non timeatis, quia ipse est verus Amicus nostræ gentis, *intelligendo de Hæreticis:* Et quod Hæretici de Verona etiam habent eum pro Bono Amico. *Et dictus Lanfrancus dixit dictæ testi:* Dictus Punzilupus receptat me in domo habitationis suæ, quando indigeo; & servit mihi de rebus suis & bonis, & pluries associavit me per Civitatem Ferrariæ. *Et dicit, quod hoc fuit duobus annis vel circa ante mortem dicti Punzilupi. Item dicit, quod circa idem tempus Punzilupus duxit ad domum dictæ testis quamdam Hæreticam, nomine Elycam, sciens ipsam Hæreticam esse. Et tunc dictus Punzilupus dixit dictæ testi:* Ego duco vobis istam bonam mulierem, quæ rogavit me, quod ducerem eam ad vos. *Et tunc dicta Hæretica dixit Punzilupo:* Eatis cum Deo, quia ego volo remanere heic. *Et tunc dictus Punzilupus, antequam recederet, fecit dictæ Elycæ reverentiam, secundùm ritum Hæreticorum, vidente & præsente dicta teste. Et quum recessisset Punzilupus, dixit ipsa Elyca dictæ testi:* Iste Punzilupus est Bonus Amicus Noster. Et datus est mihi pro bono & legali Amico Nostro ab Hæreticis. Et associat me pro negotiis meis per Civitatem. Et receptat me in domo habitationis suæ, quando indigeo, & servit mihi de rebus suis &c.

Bonaventura de Sancto Georgio de Verona, in MCCLXXXV. die X. intrante Octobri, juratus dixit, quod potest esse circa vigintiquatuor annos, quod Ego ivi cum Punzilupo Vicentiam.

(*) *Vide supra Cap. Primum.*

centiam. Et ibidem in eadem Civitate in Contrata Sancti Petri intravi cum eo pluries domum cujusdam Hæretici nomine Francisci cum Hæretico Punzilupo, qui faciebat ei magnam reverentiam genuflectendo. Et tunc dictus Franciscus levabat eum, blandiendo ei multum. Et dictus Punzilupus instruebat me Bonaventuram facere hujusmodi reverentias; quæ & feci, nesciens quid facerem. *Item dicit, quod dictus Punzilupus semel comedit cum dicto Francisco, & ejus Uxore, & Filio. Et jejunavit tum illo die.* Et ego etiam comedi cum eis de illis cibis, de quibus comedebant. *Item dicit, quod quando Punzilupus intrabat domum dicti Francisci, & faciebat ei reverentiam, præsentes erant Uxor dicti Francisci, quæ mortua est, & Filius ejus, qui postmodum detentus fuit pro Hæresi, & modò mortuus est. Item quædam, quæ vocatur Spetia, & quædam, quæ vocabatur Bonaventura, ambæ de Contrata Sancti Petri, & quædam, quæ vocabatur Vincentia, quæ modò mortua est. Item dicit, quod intravit cum dicto Punzilupo plures alias domos in eadem Civitate ad tales personas, idest Hæreticos, quibus dictus Punzilupus semper faciebat reverentiam.*

Dominus Gabriel filius Dominæ Trivisanæ, qui ambo fuerunt Credentes Hæreticorum, in MCCLXXXV. die VII. Februarii, juratus dicit, quod audivit a matre sua pluries, quæ stabat cum Hæreticis, quod Punzilupus erat bonus homo, intelligendo de bonitate Hæreticorum, & quod erat Credens & Amicus eorum.

Magister Johannes Minister Fratrum de Pœnitentia, in MCCLXX. die XI. intrante Decembri juratus dicit, quod semel invenit Punzilupum in Contrata Sancti Pauli, & dixit ei dictus Punzilupus, quod veniebat de Arimino, & quod erant in Arimino multæ domus Patarenorum. Et quum ipse testis quæreret ab eo, quomodo cognosceret dictas domos, respondit ei: Ego bene cognosco eas, quia habent aliqua signa, per quæ cognosco eas. *Et quum ipse testis diceret:* Indicate illa; *ipse Punzilupus dixit:* Hoc ego nolo facere.

Dominus Jacobinus Judex, in MCCLXXIII. die V. intrante Julio, juratus dicit, quod fama erat, & a pluribus audivit, quod Punzilupus sæpe visitabat Hæreticos, qui erant in Romagnola, & maxime Arimini. *Et quod nuper ante mortem suam visitaverat quemdam Episcopum Hæreticorum.*

Bonmercatus, qui fuit Credens Hæreticorum in MCCLXXXVIII. die VII. Aprilis juratus dicit, quod Punzilupus fuit Credens, Amicus, & Familiaris Hæreticorum. Item quod circa quatuor annos, antequam Punzilupus moreretur, ipse testis una cum Oldeberto, Bertramino, & Alberto, qui omnes Credentes Hæreticorum erant, in domo una erat cum duobus Hæreticis. Et tunc Punzilupus transiens, inde vocatus intravit, ubi erant Hæretici. Et tunc Punzilupus videntibus omnibus prædictis, fecit magnas caritias, & ostendit magnam amicitiam & familiaritatem dictis Hæreticis. Et etiam omnibus prædictis. Et in præsentia omnium prædictorum fecit reverentiam uni de prædictis Hæreticis. Et recedentibus omnibus prædictis, Punzilupus remansit cum Hæreticis, & hortabatur & consolabatur, pro ut poterat, unum de prædictis Hæreticis, qui erat infirmus.

Castellanus, qui fuit Credens Hæreticorum, in MCCLXXXVIII. die XX. Maji, juratus dicit, quod Punzilupus fuit Credens, Amicus, & Familiaris Hæreticorum. Quod scit ex eo quod modò sunt circa viginti unus anni, quod ipse testis vidit & audivit, quod quondam Petrus de Romaninis ante domum ipsius testis dixit Punzilupo: Vultis vos videre unum Patarenum? *Cui respondit:* Ego utique veniam. Ita volo. *Et tunc dictus Petrus duxit Punzilupum in domum dicti testis, ut videret Patarenum; sed Patarenus non erat ibi. Et tunc Punzilupus recessit de domo prædicta. Item dicit, quod modò sunt circa vigintiduo anni, quod ipse testis vidit Punzilupum familiariter loquentem cum Johanne Bergamasco Hæretico, & cum Domina Bensavere sub porticu domus dictæ Dominæ. Et quum intrassent ostium dictæ domus, dicta Domina & Punzilupus, vidente & præsente dicto teste, adoraverunt, & reverentiam fecerunt dicto Hæretico. Item dicit, quod ipse Punzilupus dixit frequenter ipsi testi, si sciret, ubi essent Hæretici, vel si haberet in domo eos, quia eos volebat libenter videre, & loqui eis.*

Domina Jacoba uxor quondam Brexani, quæ fuit Credens Hæreticorum, in MCCLXXXVIII. die XXVIII. Maji, dicit suo juramento, quod quondam Zonta Merzarius Hæreticus, post mortem Punzilupi dixit dictæ testi, quod dictus Punzilupus, dum viveret, serviebat sibi, sciens eum esse Hæreticum, de rebus suis & bonis, & manutenebat eum, & tenebat eum in privato, & non manifestabat eum. Quum tamen ipse Punzilupus sciret, ubi dictus Zunta stabat in domo, & quum ipsa testis diceret dicto Zuntæ: Erat Punzilupus de gente vestra? *ipse dixit:* Erat bene de nostra gente, & Credens noster.

Magister Albertus de Gratiano, qui longo tempore fuit Credens Hæreticorum, in MCCLXXXVIII. die XVI. Julii, juratus dicit, quod jam sunt vigintiocto anni, quod Punzilupus dixit dicto testi pro eo, quod ipse sciebat, quod ipse testis erat Credens Hæreticorum, si cognoscebat Martinum de Campitello Hæreticum. Qui respondit, quod sic. Et tunc dictus Punzilupus dixit dicto testi cum magno affectu: Si Deus te salvet, salutabis eum ex parte mea, quando videbis eum. *Item dicit, quod circa idem tempus, quando tres Hæretici debebant comburi, quod horâ combustionis ipsi Hæretici dederunt calceos suos dicto Punzilupo, tamquam familiari & noto eorum. Item dicit, quod modo sunt circa triginta anni, quum ipse testis esset Mantuæ, quod Johannes de Casaloto Episcopus Sectæ Hæreticorum de Bagnolo, petivit ab ipso teste, quid faceret, & quomodo se haberet Armannus, qui dicitur Punzilupus. Et hoc petivit dictus Episcopus pro eo quod ipse Armannus erat amicus & familiaris ejus.*

Jacobinus Calegarius in MCCLXXXVIII. die IV. exeunte Julio, juratus dicit, quod sunt vigintiquatuor anni, vel circa, quod vidit semel, quod quondam Armannus, qui dicitur Punzilupus, & quondam Thomaxinus, qui fuit de Cremona, venerunt ad Gerardum Hæreticum, & familiariter & private loquuti fuerunt cum dicto Hæretico super ripam Padi. Et quum dictus testis esset juxta eos, dederunt sibi unum fasciolum de juncis de salice, & licentiaverunt eum. Et hoc fecerunt, ne ipse testis audiret eos quid dicerent.

Patet, quod Punzilupus fecit, quod dicitur in Rubrica, cum Hæreticis; *quibus fecit reverentiam.* Item cum Hæreticis, *a quibus accepit, & dedit Consolamentum. Item* cum Hæreticis, *quos sociavit, & quorum Nuntius fuit,*

&

& quos receptavit . Quæ omnia patent in propriis Rubricis .

CAP. VIII.

Quod Punzilupus loquutus est verba hæretica dicendo male , & detrahendo Ministris Ecclesiæ , appellando eos Dæmones & Lupos rapaces pro eo quod ipsi persequuntur bonos homines idest Hæreticos ; & commendando Hæreticos , appellando eos bonos homines ; & blasphemando & detestando justitiam , quæ fit de Hæreticis , dicendo per verba sua , quod *peccatum erat comburere bonos homines* , idest Hæreticos .

Frater Bonfadinus de Ordine Prædicatorum, in MCCLXX. die III. exeunte Decembri, juratus dicit , quod Punzilupus publice in Platea, quando videbat religiosos Fratres Prædicatores, vel Minores, flectebat genua , & dicebat: Ecce Dæmones . Ecce Lupi rapaces .

Frater Johannes Minister Fratrum de Pœnitentia , in MCCLXX. die XI. intrante Decembri , juratus dicit , quod audivit Punzilupum frequenter dicentem multa mala de Pastoribus Ecclesiæ , & viris Religiosis , & Ecclesiasticis. Et dicit , quod audivit eum dicentem , quod ex quo homines dediti erant Credentibus Hæreticorum , numquam poterant inde evelli .

Tancredus , qui fuit Credens Hæreticorum , in MCCLXXI. die XII. intrante Decembri, juratus dicit , quod tempore, quo Punzilupus fuit captus pro hæresi per Fratrem Aldevrandinum, audivit eum dicentem , quod numquam diligeret Fratrem Aldevrandinum , quia fecerat ignominiam de corpore suo; & quod Frater Aldevrandinus erat Lupus rapax .

Frater Albizo de Ordine Fratrum Prædicatorum , in MCCLXX. dicit verbo veritatis , quod quum semel iret ipse & alius Frater cum quondam Catharo , qui ducebatur ad ignem , prædicando eum , quod Punzilupus sequebatur eos , & ibat modò ad istum , modò ad illum , dicendo : Isti sunt Dæmones . Isti sunt Lupi rapaces , qui faciunt comburi bonos homines. *Item dicit , quod pluries vidit Punzilupum in Platea Civitatis Ferrariæ , & alibi flectendo genu , & dicendo :* Utinam Deus non parcat mihi, si ego umquam parcam sibi propter Fratrem Aldevrandinum , qui est Lupus rapax , & filius Diaboli , quia interficit bonos homines .

Manfredinus Notarius, qui fuit Credens Hæreticorum, in MCCLXXXV. die penultimo Januarii, juratus dicit , quod a vigintiseptem annis citra, plusquam centies audivit Punzilupum dicentem cum patre ipsius testis , qui erat Credens Hæreticorum , mala de Ministris Ecclesiæ, dicendo , quod erant mali homines , & non faciebant opera Dei , nec erat in eis , nec in Fide Romanæ Ecclesiæ salus; sed erant deceptores animarum ; & quod erant Lupi rapaces , qui persequebantur bonos homines, & Ecclesiam Dei, intelligendo de Ecclesia Hæreticorum . Item dicit , quod postquam audierat , quod Frater Aldevrandinus fecerat ipsum Punzilupum jurare mandata Ecclesiæ , per aliquod tempus combustus fuit quidam Hæreticus , nomine Martinus de Campitello . Et dum duceretur ad comburendum, audivit Punzilupum dicentem pluribus audientibus : Videte , qualia opera sunt ista ! comburere istum vetulum bonum hominem ! Terra non debet sustinere illos , qui faciunt talia .

A *Albertinus , qui fuit Hæreticus , in MCCLXXIII. die III. intrante Augusto, juratus dicit, quod Punzilupus venit Veronam, jam sunt sex anni . Et tunc ipse Punzilupus fuit Consolatus ab Hæreticis . Et tunc quæsierunt ab eodem Punzilupo, si acceperat pœnitentiam a Lupis rapacibus , qui persequuntur bonam gentem, hoc est ab aliquo Fratrum Prædicatorum vel Minorum, vel ab aliquo alio Sacerdote Romanæ Ecclesiæ . Et respondit , quod non accepit nec acciperet ab aliquo de Lupis rapacibus . Et dicit , quod tunc absolverunt eum a sacramento , quod fecerat Fratri Aldevrandino Inquisitori de stando mandatis Ecclesiæ Romanæ .*

B *Magister Ferrarinus de Lignamine in MCCLXX. die VIII. intrante Augusto , dicit, quod audivit Punzilupum dicentem , quod Martinus de Campitello , qui fuit Hæreticus , erat bonus homo . Et dicebat , quod si haberet bonos homines , loquendo de Patarenis , quod non permitteret eos comburi . Item dixit , quod dictus Martinus erat bonus homo , & si haberet ipsum in domo sua , quod non dimitteret eum comburi pro posse suo , nec alios . Item dicit , quod audivit Punzilupum dicentem , quod Fratres Minores & Eremitæ erant mali homines , & Fratres Prædicatores erant pejores , & quod ipsi erant Lupi rapaces , qui destruebant bonos homines , qui faciebant bona opera , loquendo de Patarenis .*

C *Tancredus , qui fuit Credens Hæreticorum , in MCCLXXI. die XII. exeunte Octobri , juratus dicit , quod tempore , quo combustus fuit quidam Hæreticus senex , jam sunt circa quatuor anni , audivit Punzilupum dicentem, quod combustus erat quidam sanctus Pater , loquendo de illo Hæretico .*

Domina Veneria , quæ fuit Credens Hæreticorum , in MCCLXXXIV. die penultimo mensis Novembris , jurata dicit, quod duobus annis vel circa ante mortem Punzilupi , quando ipse Punzilupus ibat quærendo eleemosynas pro carceratis, *frequenter intravit domum habitationis ipsius testis : & hortabatur ipsam testem , quod esset firma in fide Hæreticorum, dicendo , quod*
D *in ipsis solis erat salus , & quod erant boni homines . Et quum dicta testis aliquando diceret ei :* Quomodo decipitis Mundum , quia portatis Crucem , & videmini esse multum de illis de Ecclesia Romana? *ipse respondebat:* Non. Est ibi vis ; quia facio ad hoc, ut non cognoscar.

Dominus Jacobinus Judex, in MCCLXXIII. die IV. intrante Julio , juratus dicit , quod Punzilupus dicebat multa mala de Clericis .

Bonmercatus, qui fuit Credens Hæreticorum, in MCCLXXXVIII. die VII. Aprilis , juratus dicit , quod circa unum annum & dimidium ante mortem Punzilupi , ipse testis loquendo cum Punzilupo juxta domum Episcopalem de Ferra-
E *ria , petivit a dicto Punzilupo , quomodo staret cum Fratre Stephano Ordinis Prædicatorum . Qui respondit , quod male , eo quod erat malus homo ; & quod boni homines sunt solùm Hæretici , & qui tenent viam eorum , & quod ipsi soli sunt in via salutis , & nulli alii . Et hoc ipsum , & similia verba audivit ipse testis frequenter postea a dicto Punzilupo .*

CAP.

CAP. IX.

Quod Punzilupus fuerit diffamatus de Hæresi.

Dominus Henricus Officialis Inquisitoris, in MCCLXX. die III. exeunte Novembri, juratus dicit, quod audivit dici, & fama erat, quod Punzilupus erat Credens Hæreticorum.

Frater Johannes Minister Fratrum de Pœnitentia, in MCCLXX. die XI. intrante Decembri, juratus dicit, quod fama erat inter Credentes Hæreticorum, quod Punzilupus erat Credens & Amicus Hæreticorum.

Daniel, in MCCLXXIV. die VI. exeunte Junio, juratus dicit, quod fama erat in Ferraria ante mortem Punzilupi, quod ipse erat Credens Hæreticorum. Interrogatus, quomodo scit, hoc dicit: quod audivit a quodam Nepote Punzilupi, qui vocabatur Bonaventura Papardus, quod ipse Punzilupus non erat in Fide; & a multis aliis, de quibus non recordabatur.

Domina Bengepare, quæ fuit Credens Hæreticorum, in MCCLXXIV. die V. intrante Aprili, jurata dicit, quod audivit, a Catharis fieri multas truffas, & dici verba irrisoria de illis de Ecclesia Romana, dicentibus: Quid dicent postea illi de Ecclesia Romana, quod nos simus mali homines, quum ipsi fecerint unum de nostris Sanctum? *Et quod publica fama erat inter eos, quod Punzilupus erat de suis, & Credens eorum.*

Gavinus de Sacca, qui stetit cum Domino Menabove Parvo de Ferraria, in MCCLXXIV. die VI. intrante Aprili, juratus dicit, quod audivit Hæreticos dicentes: Quidquid dicatur per Fratres, & per illos de Ecclesia Romana, Punzilupus fuit bene de nostra gente, & fuit bene noster Credens. *Et de hoc erat publica fama inter eos.*

Frater Mutinensis de Pœnitentia, Notarius de Ferraria, in MCCLXXXV. die VII. Februarii, juratus dicit, quod modò sunt XXVIII. anni, vel pauci anni plus, ut credit de tempore, quo ipse testis fuit præsens, ubi quondam Punzilupus de Ferraria super crimine Hæresis, de quo erat infamatus, juravit mandata Ecclesiæ in manibus Fratris Aldevrandini Inquisitoris.

Frater Arasinus Pergamensis, Ordinis Prædicatorum, in MCCLXX. die VII. intrante Junio, dicit & confessus est verbo veritatis, quod quum esset de Conventu Pergamensi, quæsivit a quodam Mercatore Pergamensi, qui veniebat de Venetiis, quæ nova erant in partibus illis, unde veniebat. Respondit: Bona; quia unus Sanctus apparuit Ferrariæ. *Cui quum dixisset:* Hoc non est impossibile, *dixit:* Fratribus vestris, & Minoribus non placet, quia habebatur Suspectus de Hæresi,

Dominus Jacobinus Judex, in MCCLXXIII. die V. intrante Julio, juratus dicit, quod fama erat, & a pluribus audivit, quod Punzilupus sæpe visitabat Hæreticos, qui erant in Romandiola, & maxime Arimini. *Et quod nuper ante mortem suam visitaverat quemdam Episcopum Hæreticorum.*

Ad hoc etiam facit, quod dicitur infra in Rubrica. Ibi dicitur, quod Punzilupus juravit, & captus est pro crimine Hæresis.

CAP. X.

Quod Punzilupus relapsus fuit in crimen Hæresis, postquam juravit mandata Inquisitoris super eodem crimine.

Ad ostendendum, quod Punzilupus relapsus fuerit in crimen Hæresis, primo ostendendum est, quod ipse abjuravit Hæresim in manibus Inquisitorum. Secundo ostendendum est, quo tempore juravit. Tertio ostendendum est, quid post juramentum commisit in crimine Hæresis.

CAP. XI.

Quod Punzilupus abjuravit Hæresim in manibus Inquisitorum, & tempus, quo juravit.

In Christi nomine. Amen. Anno ejusdem Nativitatis Millesimo Ducentesimo Quinquagesimo Quarto, Indictione Duodecima, Ferrariæ, die Secundo exeunte Martio: in loco Fratrum Prædicatorum de Ferraria; præsentibus testibus vocatis & rogatis, Dondeo de Magnano, Albertino Guidonis Dente, Benevenuto de Belenzonis, Goffredo de Vassuris, Baldizone suo fratre, Villano de Rasuris, Bonfiglietto suo fratre, & multis aliis. Ibique Armannus, qui prænomine dicitur Punzilovo, *de Contrata Sancti Pauli de Ferraria, pro eo quod esset diffamatus de Hæresi, & propter hoc citatus, venit ad præsentiam Fratris Aldevrandini Prioris Fratrum Prædicatorum de Ferraria, & Fratris Ægidii, Inquisitorum Hæreticæ pravitatis in Provincia Lombardiæ ex auctoritate Apostolica. In quorum manibus dictus Armannus sive Punzilupus abjuravit omnem Hæresim, & juravit mandata Ecclesiæ, & dictorum Inquisitorum, & dicere veritatem super iis, de quibus fuerit interrogatus, & sub pœna Centum Librarum Ferrariensium. Quæ pœna toties committatur, & possit exigi cum effectu, quoties inventus fuerit veritatem non dixisse, & fecisse contra ea, quæ per eum abjurata & promissa sunt. Et pro iis omnibus observandis &c.*

CAP. XII.

Quod Punzilupus postquam juravit, commisit in crimine Hæresis.

Ad ostendendum, quod Punzilupus, postquam juravit, commisit in crimine Hæresis, sciendum est, quod Punzilupus mortuus est in MCCLXIX. die XVI. Decembris. Et per immediate præcedentem Rubricam probatur, quod ipse in MCCLIV. die II. exeunte Martio juravit super crimen Hæresis. Si ergo conferatur tempus mortis ad tempus, quo juravit, constat, quod juravit quindecim annis, antequam moreretur. Infra quod tempus commisit in crimen Hæresis omnia infrascripta. Si infrascriptæ Rubricæ in locis suis, & dicta testium diligenter inspiciantur, & conferatur tempus eorum, quæ dicuntur, ad tempus, quo Punzilupus juravit, & ad tempus, quo dictus Punzilupus mortuus est, invenietur, quod Punzilupus in crimine Hæresis comisit omnia infrascripta. Quod Punzilupus, postquam juravit

fuit

fuit Credens Hæreticorum. Quod Punzilupus, postquam juravit, fuit de Secta Ecclesiæ de Bagnolo. Quod postquam juravit, pluries adoravit, & fecit reverentiam Hæreticis, secundùm eorum ritum. Quod, postquam juravit, dixit, quod in Fide Romanæ Ecclesiæ non erat salus, sed in solis Hæreticis. Quod male sensit, & male loquutus est de Corpore Christi. Quod dedit & accepit Consolamentum ab Hæreticis secundùm eorum ritum. Quod habuit familiaritatem, conversationem, colloquutionem, & amicitiam cum Hæreticis, & visitavit eos. Quod loquutus est verba hæretica, dicendo male & detrahendo Ministris Ecclesiæ, appellando eos Dæmones & Lupos rapaces, pro eo quod ipsi persequuntur bonos homines, idest Hæreticos, & commendando Hæreticos, appellando eos bonos homines, blasphemando & detestando justitiam, quæ fit de Hæreticis, dicendo per verba sua, quod peccatum erat comburere bonos homines, *idest Hæreticos. Quod diffamatus fuit de Hæresi. Quod sociavit Hæreticos, Quod fuit receptator Hæreticorum.*

CAP. XIII.

Quod Punzilupus fuit Nuntius Hæreticorum, & portavit quibusdam panem benedictum ab Hæreticis.

Domina Trivisana mater Domini Gabrielis, in MCCLXX. die XI. intrante Augusto jurata dixit, quod habuit quemdam suum patruum, qui vocabatur nomine Cazzator, qui erat Catharus. Et dicit, quod stetit cum eo per V. annos. Et dicit, quod Domina Bonese uxor quondam Domini Bonincontri de Piscaria attendebat Catharis illo tempore. Tamen credit, quod non attendat modò eis. Et dicit, quod Punzilupus portabat dicto patruo suo panem benedictum Catharorum. Et ipsa comedit de illo pane, quem dabat ei prædictus patruus. Item dicit, quod ille, qui portabat prædictum panem Catharorum, vocabatur inter Catharos Punzilupus, quem vidit postea in prædicationibus.

Dominus Gabriel de Tabula in MCCLXXXV. die VII. Februarii, juratus dicit, quod modò sunt viginti sex anni & ultra, ut credit de tempore, quod ipse vidit pluries, quod Hæretici miserunt matri ipsius testis, quæ vocabatur Domina Trivisana, quæ erat Credens Hæreticorum, panem benedictum, secundùm eorum ritum in festo Nativitatis & Paschæ. Et ipse testis frequenter comedit de pane illo. Item dicit, quod semel vidit, quod quondam Armanpus, qui alio nomine dicitur Punzilupus de Ferraria, portavit panem benedictum ab Hæreticis secundùm prædictum ritum ad domum prædicti testis, & ipsum dedit matri prædicti testis, vidente ipso teste. Et ipsemet testis comedit de illo pane.

Zunta Marzarius, qui fuit Hæreticus, in MCCLXX. die VI. exeunte Novembri, juratus dicit, quod quando Arrivabene Hæreticus erat in carcere Ferrariæ, tunc Punzilupus venit ad eum Zuntam ex parte prædicti Arrivabene, & petiit ab eo quosdam denarios ex parte dicti Arrivabene. Et dixit ea insignia, secundùm quod dictus Arrivabene debebat habere dictos denarios ab ipso Zunta.

CAP. XIV.

Quod Punzilupus sociavit Hæreticos.

Domina Veneria, quæ fuit Credens Hæreticorum, in MCCLXXXIV. die penultimo mensis Novembris, jurata dicit, quod Punzilupus duobus annis vel circa ante mortem ipsius duxit scienter Lanfrancum Hæreticum ad domum habitationis ipsius testis in Civitate Ferrariæ. Et tunc ipsa testis fecit reverentiam dicto Hæretico, vidente & præsente dicto Punzilupo. Et quum dicta testis quæreret a dicto Lanfranco, qui esset ille homo, quem duxerat secum, respondit dictus Lanfrancus: Non timeatis, quia ipse est verus amicus nostræ gentis *&c. Item dicit, quod circa idem tempus Punzilupus duxit ad domum ipsius testis scienter Helycam Hæreticam, & dixit:* Ego duco vobis istam bonam mulierem, quæ rogavit me, ut ducerem eam ad vos. *Et tunc dicta Hæretica dixit Punzilupo:* Eatis cum Deo, quia ego volo remanere heic. *Et ipse Punzilupus, antequam recederet, fecit eidem Hæreticæ reverentiam &c. Item dicit ipsa testis, quod audivit a prædictis Hæreticis, quod Punzilupus associabat eos per Civitatem Ferrariæ, quando indigebant, & quod serviebat eis de rebus ac bonis suis.*

Magister Ferrarinus de Lignamine, in MCCLXX. die VIII. intrante Augusto, juratus dicit, quod Punzilupus erat Credens Hæreticorum, & diligebat eos, & vidit eum uti & stare cum Martino de Campitello, quando ducebatur ad ignem usque ad ripam Padi, flendo. Et audivit ipsum Punzilupum dicentem, quod Fratres Minores & Eremitæ erant mali homines.

CAP. XV.

Quod Punzilupus fuit receptator Hæreticorum.

Domina Veneria, quæ fuit Credens Hæreticorum, in MCCLXXXIV. die penultimo mensis Novembris, jurata dicit duobus annis vel circa ante mortem Punzilupi, quod ipse Punzilupus duxit scienter ad domum habitationis ipsius testis Lanfrancum Hæreticum &c. (*) *Et dixit dicta Helyca ipsi testi:* Iste Punzilupus est bonus amicus noster, & associat me pro negotiis meis per Civitatem, & receptat me in domo habitationis suæ, quando indigeo, & servit mihi de rebus suis.

Albertinus, qui fuit Hæreticus, in MCCLXXIII. die III. intrante Augusto, juratus dicit, quod Punzilupus & uxor sua pluries receptaverunt eum in domo sua & alios quam plures Hæreticos Consolatos, sicut ipsi eidem referebant.

Dominus Jacobinus Judex, in MCCLXXIII. intrante Januario juratus dicit, quod audivit dici, quod Punzilupus receptabat in domo sua aliquos ribaldos, & tamen latenter præparaverat hospitium illud ad recipiendum Hæreticos Consolatos, a quibus munuscula recipiebat.

Nicolaus filius quondam Domini Asiati de Brixia, in MCCLXXXVIII. die IV. exeunte Aprili, juratus dicit, quod modò sunt octo anni vel circa, quum esset Officialis Inquisitoris pro Communi Veronensi, & tunc essent multi Hæ-

(*) uti supra in præcedenti Capitulo.

Hæretici de Sermione capti, dictus testis ad sermonem Fratris Aldrovandini Ordinis Prædicatorum tunc Inquisitoris, petiit ab Inquisitore, qui tunc faciebat Officium Veronæ, si aliquid invenisset a dictis Hæreticis de facto Punzilupi. Qui Inquisitor respondit dicto testi, tamquam Officiali suo &c. Item dixit dictus Inquisitor, quod per alios Hæreticos multos, quos ceperat, invenit per eorum confessiones, quod dictus Punzilupus erat receptator Hæreticorum in Civitate Ferrariæ. Et quod Nuntios Hæreticorum, qui transibant per Ferrariam recipiebat. *Et ista audivit ipse testis ab ipso Inquisitore pluries.*

CAP. XVI.

Quod Credentes Hæreticorum veniebant ad Punzilupum, faciebant ei reverentiam post mortem ipsius,

Gratius Pergamensis, qui stat Ferrariæ, in MCCLXX. die XII. intrante Decembri, juratus dicit, quod tempore, quo mortuus fuit Punzilupus, quidam venerunt de Pergamo, qui hospitati sunt in domo sua. Inter quos erant quidam Hæretici; unus quorum simulavit se esse mutum & postmodum liberatum. Quum tamen bene sciat ipse testis, quod ante non erat mutus, nec consueverat esse. Et dicit, quod multi de Credentibus Hæreticorum de Pergamo, quos bene cognoscebat, venerunt Ferrariam, causâ videndi opera Punzilupi. Et faciebant ei magnam reverentiam.

Frater Atasius de Pergamo Ordinis Prædicatorum, in MCCLXX. die XII. intrante Januario, dicit verbo veritatis, quod quum esset de Conventu Ferrariæ, vidit multos Credentes Hæreticorum, qui numquam consueverant ire ad Ecclesiam, venire ad Corpus Punzilupi, portantes vota, & gloriantes de Punzilupo, quod unus de suis factus esset Sanctus.

Ex hoc complurium testium Examine colligimus, Catharorum, Patarenorum, seu Manichæorum Hæresim, Sæculo Christi Tertiodecimo virus suum nedum late in Civitate Ferrariensi effudisse, sed & pestiferâ contagione suâ Mantuanam, Veronensem, Bergomensem, Vicentinam Urbes, ac Sermionis Oppidum infecisse, atque per Romandiolam radices protendisse, & Arimini præsertim domicilium sibi quæsisse. Illud etiam hinc facile discimus, Hæreticis iis nimirum *Episcopos* per eas Civitates & loca non defuisse, ac insuper alios nequissimæ eorum Sectæ Ministros, *Filios Majores* puta (quos fortasse veluti Episcoporum Vicarios opinari non immeritò quis possit) *Visitatores*, *Nuntios*, & *Quæstores*. Certe Capitulo Secundo & Septimo memoratum videas *Johannem de Casalolto*, circiter Annum Christi MCCLVIII. Mantuæ agentem *Episcopum Hæreticorum Sectæ de Bagnolo*, & circiter Annum MCCLXVII. in Urbe Veronensi *Albertum Episcopum Sectæ de Bagnolo*, in Sermione verò degentem Anno MCCLXXIII. *Laurentium Episcopum Hæreticorum*. Capitulo eodem Septimo occurrit identidem *Bonaventura Belasmagra Episcopus Hæreticorum*, qui Veronæ morabatur circiter Annum MCCLXVIII. In Capitulis Secundo & Sexto memorantur *Dominus Michaël. qui est Filius Major in ipsa secta Bagnolensium*, & Albertinus Ferrariensis, *qui & ipse erat Filius Major & Visitator eorum in dicta Secta de Lombardia* Pungilupum quoque triplici, dum vivebat officio, Quæstoris scilicet, Visitatoris, ac Nuntii Hæreticorum, perfunctum fuisse satis constat ex Capitulo Tertio, ubi Bonmercatus testis affirmat, quod dum ipse *staret cum Hæreticis, contigit Pungilupum transire, Quærendo panem pro Carceratis*, Catharis nempe, in Catholicorum carceribus detentis. Capitulo autem Septimo dicitur *Armannus* ipse *sæpe Visitasse Hæreticos, qui erant in Romagnola, & maxime Arimini*. Ita quum de Ariminensi Civitate Ferrariam rediisset Pungilupus, is idem testatus fuit, *in Arimino* tunc extitisse *multas domos Patarenorum; quas ego* (ajebat) *bene cognosco, quia habent aliqua signa, per quæ cognosco eas*: verùm a Magistro Johanne Ministro Fratrum de Pœnitentia rogatus, ut eas sibi indicaret, respondit: *Hoc ego nolo facere*. Nuntium quoque Hæreticorum egisse eumdem Armannum legimus in Capitulo Duodecimo, ubi habetur, *quod Punzilupus portabat patruo* Dominæ Trivisanæ *panem benedictum Catharorum*; & in Capitulo Quinctodecimo Nicolaus Brixianus testatus est, Pungilupum *Nuntios Hæreticorum, qui transibant per Ferrariam*, hospitio recepisse. Ceterum quid peractis ejusmodi Examinis Actibus, sacræ Inquisitionis tribunal constituerit sententia ipsa prodet, quam e Prisciani Libris MStis descriptam coronidis loco subjicere placet; utpote quæ in Historia Ecclesiastica suum locum exigere possit. Cum his confer, quæ Bernardus Guidonis in Vita Bonifacii VIII. Tomo III. pag. 671. Rerum Italicarum de Armanno scripsit.

Sententia

Sentenția damnationis prolata in Armannum Pungilupum Hæreticum, Anno 1301.

IN Christi nomine. Amen. Noverint universi, præsentes Literas & Sententiam inspecturi, quod nos Frater Guido Vicentinus, Ordinis Prædicatorum, Inquisitor Hæreticæ pravitatis in provincia Lombardiæ, & Marchia Januensi, a Sede Apostolica deputati, existentes in Urbe, & in Curia Romana, a sanctissimo patre domino nostro, Domino Bonifacio Papa VIII. recepimus Literas, quarum tenor talis est.

Bonifacius Episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nostro Gidoni de Vicentia Ordinis Prædicatorum, Inquisitori pravitatis Hæreticæ in provincia Lombardiæ per Sedem Apostolicam deputato, salutem & Apostolicam benedictionem. Etsi multis & arduis, quæ jugiter in amplum Romanæ Curiæ alveum undique confluunt, quasi torrens, occupemur negotiis & distrahamur, illa tamen nos acrius stimulant, urgentque propensius mentem nostram, quæ statum & favorem Catholicæ Fidei respicere dignoscuntur. Propterea multiplici reddimur attentione soliciti, ut ad ea celeriter & efficaciter exsequenda operosæ solicitudinis studium per nos & alios, de quorum probitate confidimus, impendamus. Ab olim siquidem ad nostrum pervenit auditum, quod, quum quondam Armannus dictus Punzilupus de Ferraria, Laicus, fuisset, dum viveret, de Crimine Hæresis multipliciter diffamatus, quondam Fratres Aldebrandinus, & Ægidius, Ordinis Prædicatorum, tunc Inquisitores pravitatis Hæreticæ in Provincia Lombardiæ, per Sedem Apostolicam deputati, eum propter hoc ad suam præsentiam evocarunt. Qui tamdem coram eis personaliter constitutus, omnem Hæresim penitus abjuravit, corporali nihilominus præstito juramento, quod super iis, de quibus ipsum interrogari contingeret, referret plenius veritatem. Qui subsequenter ab iisdem Inquisitoribus requisitus asseruit, & confessione spontanea reseravit, quod duobus Hæreticis devote ad orationis præstandum obsequium, honorem reverentiæ humilis, secundùm morem Hæreticorum ordinatum in tabulis, duxerat impendendum. Quodque de glorioso Corpore Jesu Christi opprobria plura protulerat, fueratque multimode obloquutus. Sed hujusmodi ejus gravis quamtumlibet & horrenda confessio nullius punitionis seu pœnæ acredinem pertulit, & absolutionis cujuslibet gratiam recepit. Præfatus quoque Armannus per erroris viam, grandinis more quodam horribili, redire ad vomitum nullatenus erubescens, propriæque salutis oblitus, juramenti ab ipso, sicut præmittitur, præstiti religione contemtá, multa postmodum gravia, multaque scelesta in derogationem divini Nominis, ejusque injuriam & contemtum committere non expavit, in abjuratam Hæresim præsumtione damnabili relabendo, ac insuper pluribus dolosis inserviens, & operibus deceptionis insistens, quia sanctæ conversationis & vitæ, dum viveret, indicia prætendebat, quamquam sub agni specie, lupi astutiam gereret, ac suo quodam pietatis aspectu, impietatis nequitiam occultaret, quum tamdem naturæ debitum apud Ferrariam persolvisset, & ad clamorem Populi, quem juris ignorantia sive facti a tramite re-

A ctitudinis detinebat, traditus solemniter exstitit in Ferrariensi Ecclesia Ecclesiasticæ Sepulturæ. Quumque tantæ ac tam gravis temeritatis excessus ad ejusdem Fratris Aldebrandini Inquisitoris notitiam pervenisset, ipse Frater Archipresbytero & Capitulo ejusdem Ecclesiæ duxit districtius injungendum, ut sublato cujuslibet difficultatis objectu, ejusdem Armanni Corpus effodere vel extumulare curarent, ipsumque procul ejicerent extra Ecclesiam supradictam. Et quia præfati Archipresbyter & Capitulum, ejusdem Inquisitoris parere in hac parte mandatis contumaciter contemserunt, Inquisitor ipse in eumdem Archipresbyterum & nonnullos de Capitulo supradicto excommunicationis sententiam exigente justitiá promulgavit, & eorum

B Ecclesiam Ecclesiastico supposuit Interdicto. Postmodum autem quum per appellationem Archipresbyteri & Capituli prædictorum hujusmodi negotium tempore felicis recordationis Gregorii Papæ X. prædecessoris nostri fuisset ad Sedem Apostolicam devolutum, prædecessor ipse piæ memoriæ Nicolao Papæ III. prædecessori nostro, tunc Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diacono Cardinali, præfatum commisit negotium terminandum. Sed eodem prædecessore Gregorio, quasi per modici temporis spatium humanis rebus exemto, negotium ipsum non potuit terminari. Successu verò temporis, quum recolendæ memoriæ Honorius Papa IV. prædecessor noster

C assumtus in Summum Pontificem exstitisset, dilectus filius Frater Florius, ejusdem Prædicatorum Ordinis, qui eidem Fratri Aldebrandino in hujusmodi Inquisitionis officio fuit per ejusdem Sedis providentiam subrogatus, ad præfatam Sedem hujusmodi occasione negotii se personaliter conferens, negotium ipsum in ejusdem Honorii prædecessoris præsentia duxit publice proponendum. Idemque prædecessor negotium ipsum, bonæ memoriæ Bernardo Episcopo Portuensi audiendum commisit oraculo vivæ vocis. Qui ejus beneplacitis se coaptans, usque ad relationem faciendum, studuit in ipso procedere diligenter. Sed post Honorii prædecessoris obitum, negotii memorati relatio non exsti-

D tit subsequuta.

Tu verò post nostræ promotionis auspicia personaliter ad Apostolicam Sedem accedens, prælibatum negotium in nostra & Fratrum nostrorum præsentia seriose proponere curavisti. Nosque, illo benigne audito, ejusque statu solicite intellecto, præfatos Archipresbyterum & Capitulum, omnesque alios, qui sua credebant interesse, per venerabilem Fratrem nostrum..... Ferrariensem Episcopum citari mandavimus, ut infra certi temporis spatium, in nostris super hoc confectis Literis comprehensum, post citationem ipsius, per se vel Procuratorem idoneum, se nostro conspectui præsentarent, facturi & recepturi etiam super iis, quod justitia suaderet.

E Memorati verò Archipresbyter & Capitulum, quemdam ipsius Ferrariensis Ecclesiæ Clericum propter hoc ad nostram præsentiam destinarunt. Qui eorum nomine, tamquam Procurator ipsorum, ad fores nostri Palatii, in quo tunc temporis morabamur, exstitit publice protestatus

A (*), quod idem Archipresbyter & Capitulum nolebant, nec alio quatenus intendebant eumdem Armannum, vel ejus famam defendere vel tueri, sive tecum occasione hujusmodi subire litigium quoquo modo; immo jura omnia, quæ habebant, volebant omnino pro parte ipsius Armanni, nostro & Apostolicæ Sedis examini & judicio exhibere, ut eum absolvere vel condemnare, prout de beneplacito nostro procederet, curaremus. Idemque Procurator alium in hac parte sibi substituens, a Romana Curia illico se subtraxit. Nos autem auditis & plenius intellectis iis, quæ acta seu facta fuerant in præmissis, dilecto filio nostro Johanni, titulo Sanctorum Marcellini & Petri Presbytero Cardinali, hujusmodi duximus committendam, ut ipse B citatis partibus audire summarie absque oblatione libelli, ac juris qualibet solemnitate curaret, nobis, nostrisque Fratribus relaturus ea, quæ partes ipsæ coram eo super præmissis ducerent proponenda. Qui tamdem post habitum ab eo in hac parte processum, nobis & Fratribus ipsis, te tunc in nostra præsentia constituto, propositionem dictarum partium coram ipso factam repetere studuit diligenter. Nosque gerentes plenius cordi negotium, & volentes propterea majorem super hoc habere notitiam veritatis, præfato Cardinali venerabilem Fratrem Nicolaum Ostiensem & Velletrensem Episcopum, ac dilectum filium nostrum Guillelmum Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconum Cardinalem, C auctoritate Apostolicâ duximus adjungendos: ut omnes insimul prætactum negotium solerter & exacte discutere & examinare solicite procurarent, præsertim quo ad confessiones & abjurationes factas per Armannum prædictum; ac etiam quo ad attestationes & probationes contra eumdem factas & habitas, sicut superius est expressum: ipsamque de prædictis summarie, pleneque per eos veritatem elicitam nobis seriosiùs aperirent, nos & fratres nostros prædictos eorum fidelibus in hac parte relatis iis plenius informando. Prænominati verò Cardinales hujusmodi commissione receptâ, super jam dicto negotio juxta ipsius commissionis tenorem ferventer & exacte procedere curaverunt, nobis & dictis D Fratribus postmodum ea, quæ ipsorum in hac parte comperit curiosa solertia, referantes. Quum itaque de tuæ probatæ circumspectionis industria & experta prudentia, solidæque fidei puritate, fiduciam geramus in Domino specialem, firmaque nobis credulitas suggerat, quod ea, quæ tibi exsequenda committemus, ad effectum solicite perducentur, discretioni tuæ per Apostolica scripta districte præcipiendo mandamus, quatenus ad celerem & omnimodam ipsius expeditionem negotii, non obstantibus quibusvis appellationibus & processibus super eo, vel ipsius occasione per quoscumque hactenus habitis sive factis, de consilio venerabilis Fratris nostri Johannis Bononiensis Episcopi, & dilecti filii E Fratris Ramberti de Bononia Ordinis Prædicatorum, a te petito & obtento ab eis, quibus super hoc nostras Literas destinamus, libere, solerter, ac secure procedere non postponas; sic te in iis prudenter & provide habiturus, ut propter divinæ retributionis præmium, tibi proinde proventurum, famæ tuæ præconium incrementa suscipiat, & Apostolicæ Sedis favorem & gratiam uberius merearis.

Datum Laterani XIII. Calendas Januarii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

Præfatis itaque Literis humiliter & devote susceptis, & eis studiose perlectis, ac solicite intellectis, Apostolica mandata volentes cum diligentiâ adimplere, & ea cum debitâ obedientiâ exsequutioni mandare, post recessum nostrum de Curia supradicta, pervenientes Bononiam, venerabili patri Domino Fratri Johanni, Dei gratiâ Bononiensi Episcopo, & Fratri Ramberto de Bononia Ordinis Prædicatorum, personaliter & simul inventis Bononiæ in Episcopali Palatio, ejusdem sanctissimi patris, & Domini nostri, Domini Bonifacii Papæ VIII. Literas illas præsentavimus per nos ipsos, quarum tenor talis est.

Bonifacius Episcopus, servus servorum Dei, venerabili Fratri Johanni Episcopo Bononiensi, & dilecto filio Ramberto de Bononia Ordinis Prædicatorum, salutem & Apostolicam benedictionem. Probitatis merita grandia & virtutum dotes multiplices, quibus vos Dominus decoravit, quæ non solùm fama laudabilis publicat, sed etiam fide dignorum assertio profitetur, benignâ consideratione pensantes, firmâ spe ducimur in iis, quæ vobis committimus, ut prudenter & solerter vos gerere studeatis. Quum itaque dilecto filio Fratri Guidoni de Vicentia Ordinis Prædicatorum, Inquisitori hæreticæ pravitatis in provincia Lombardiæ, per Sedem Apostolicam deputato certum negotium, quod Catholicæ Fidei statum respicit & favorem, contra quemdam Armannum dictum Pungilupum de Ferraria Laicum, qui, dum viveret, de crimine Hæreseos exstitit multipliciter diffamatus, per nostras committimus Literas exsequendum; & velimus, ut ipse de consilio nostro, prout in eisdem exprimitur Literis, in negotio supradicto procedat: discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus prædicto Fratri Guidoni super eodem exsequendo negotio vestrum consilium, quod ille a vobis duxerit postulandum, sublato cujuslibet difficultatis obstaculo, liberaliter impendatis, sic vos in hoc efficaciter habituri, ut devotionem vestram dignis in Domino laudibus attollamus.

Datum Laterani XIII. Kalendas Januarii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

Sicut de præsentatione prædictarum Literarum constat per publicum Instrumentum scriptum per Albertum quondam Carbonis Notarium de Bononia. Ulterius per dictam præsentationem a prædictis Domino Fratre Johanne Bononiensi Episcopo; & Fratre Ramberto, secundùm Apostolicum mandatum, consilium per nos ipsos petivimus & requisivimus fideliter & instanter. Quorum consilio liberaliter ab eis habito & obtento, sicut patet per publicum Instrumentum scriptum per supradictum Albertum Notarium Inquisitiones & processus factos, habitos, & inventos contra quondam Armannum, dictum Pungilupum de Ferraria, Laicum; item abjurationem & confessionem dicti Armanni sive Pungilupi coram duobus Inquisitoribus in judicio factas; item probationes & attestationes factas, habitas & inventas contra dictum Armannum sive Pungilupum; item ex alia parte quasdam scripturas, in quibus contineri videbatur, quod per dictum Armannum sive Pungilupum, seu meritis ejus, fuissent facta quædam Mira-

(*) Primam Procuratoris Canonicorum Ferrariensium judicialem Protestationem habes supra descriptam. Hic verò seriem indicatam alterius Protestationis eâ occasione factæ.

Miraculi; & quod ipse Armannus sive Pungilupus, dum viveret, fuisset quibusdam Sacerdotibus sua peccata confessus: prædicta, inquam, omnia & singula cum studio multo & consilio magno discussimus & examinavimus diligenter; & manifeste ac legitime invenimus, dictum Armannum sive Pungilupum tam per suam confessionem, quàm etiam per attestationes legitimas fuisse & exstitisse, dum viveret, Credentem, fautorem, defensorem, & receptatorem Hæreticorum, & irretitum longo tempore crimine hæreticæ pravitatis, & perjurum, ac ipso jure excommunicatum, & relapsum in hæresim abjuratam, & numquam postea reconciliatum fuisse Ecclesiasticæ unitati, & mortuum in erroribus & perfidia hæreticæ pravitatis absque ulla pœnitentia, & Ecclesiastico sacramento, ut de prædictis omnibus & singulis ex forma ipsius Inquisitionis apparet. Unde visis & examinatis processibus habitis in Curia supradicta, tam coram summo Pontifice, quàm etiam coram Cardinalibus, quibus superius Summus Pontifex processus & inquisitiones prædictas examinandas commisit: visis etiam citationibus & requisitionibus factis de Archipresbytero & Canonicis Ecclesiæ Ferrariensis, & de aliis omnibus, qui sua crederent interesse, ut comparerent coram prædictis, facturi & recepturi, quod ordo rationis exigeret, & terminis assignatis eisdem seu Procuratoribus eorumdem, ut dicerent, allegarent, proponerent, & probarent quicquid ad excusationem & defensionem prædicti Armanni sive Pungilupi spectare credebant; nec apparuerit, dictum Archipresbyterum & Canonicos de Ferraria, vel aliquos alios, aliquam excusationem legitimam seu defensionem pro dicto Armanno sive Pungilupo fecisse, nec contra Inquisitionem prædictam aliquid legitime ostendisse: Visis & diligenter examinatis actis inquisitionis prædictæ, petitoque, habito & obtento super prædictis consilio diligenti prædictorum venerabilis Patris Domini Fratris Johannis Episcopi Bononiensis, & Fratris Ramberti de Bononia Ordinis Prædicatorum, sicut patet per publicum Instrumentum scriptum per supradictum Albertum Notarium; Habito etiam & obtento solerti consilio aliorum multorum Sapientum, Professorum, & Doctorum in jure Canonico & Civili, scilicet Domini Bernardi Bojardi Canonici Xantonensis, Domini Papæ Capellani, & ipsius sacri Palatii Causarum Auditoris, & Professoris juris Canonici & Civilis, Domini Guillielmi Accursii Sacristæ Caturcensis, Domini Papæ Capellani, & ipsius sacri Palatii Causarum Auditoris, Juris Canonici & Civilis Professoris, Domini Altegradi de Lendenaria Canonici Ravennatensis, Domini Papæ Capellani, & ipsius sacri Palatii Causarum Auditoris, Doctoris in Jure Canonico, Domini Guillielmi de Beroa Pergamensis, Professoris in Jure Civili, Domini Porrini de Casulis, Professoris in Jure Civili, sicut de prædicto Consilio scripto & sigillato sigillis dictorum Sapientum patet per publicum Instrumentum, scriptum per Nicolaum Raynerii de Interamnis Notarium; Habitâ etiam deliberatione plenaria per nos ipsos, prædictis Archipresbytero, Canonicis, & Capitulo de Ferraria, & aliis, qui sua crederent interesse prius legitime citatis ad sententiam audiendam: Christi nomine invocato, Apostolicâ auctoritate, qua fungimur ex speciali commissione & mandato præfati Sanctissimi patris & domini nostri. Domini Bonifacii Papæ VIII. pro tribunali sedentes, in his scriptis sententiamus & diffinitive pronuntiamus, sæpe dictum Armannum sive Pungilupum *longo tempore fuisse & exstitisse, dum viveret,* Credentem, Fautorem, Defensorem, & Receptatorem Hæreticorum, & irretitum crimine Hæreticæ pravitatis, ac perjurum, ac recidivam fecisse, ac fuisse relapsum in Hæresim abjuratam, & ipso jure excommunicatum, & numquam postea fuisse reconciliatum Ecclesiasticæ unitati, & mortuum esse in perfidia & erroribus Hæreticæ pravitatis absque ulla pœnitentia, & Ecclesiastico Sacramento, & incurrisse omnes pœnas Canonicas & legitimas contra hujusmodi institutas. *Et ipsum Armannum sive Pungilupum, licèt defunctum, judicamus & condemnamus secundùm Canonicas sanctiones, tamquam Hæreticum, & relapsum in Hæresim abjuratam, &* memoriam ipsius Armanni sive Pungilupi perpetuæ damnationi subjicimus. Et Corpus ejus profanum & ossa extumulari, & extra Ecclesiam projici, & ignibus concremari. *Et ipsum Armannum sive Pungilupum de cetero a nemine credi, vel reputari, nominari, seu appellari Sanctum, vel bonum hominem, vel amicum Dei, sed potius perfidum Hæreticum, sub excommunicationis pœna firmiter præcipimus & mandamus.* Et insuper Arcam lapideam, in qua reposita sunt, vel esse consueverunt ossa, seu Corpus ipsius Armanni sive Pungilupi, & Altare constructum juxta Arcam prædictam, cum omnibus & singulis sustentamentis & appendiciis, ad Arcam & Altare prædicta spectantibus, dirui, destrui, & penitus dissipari, *ita quod de cetero nullis possint esse usibus apta, sine ulla spe reædificationis, præcipimus &* mandamus. *Omnes etiam sculpturas, imagines & figuras, factas & inventas ad reverentiam & honorem dicti Armanni sive Pungilupi in Ecclesia Majori de Ferraria, & in omnibus & singulis aliis Ecclesiis Civitatis Ferrariæ & districtus, & in quibuscumque etiam aliis locis invenirentur vel apparerent prædictæ sculpturæ, statuæ, imagines, vel figuræ, per illos, in quorum Ecclesiis vel locis sunt, destrui, abradi, & penitus dissipari infra decem dies, postquam tenor præsentis sententiæ eis fuerit manifestus, seu postquam pervenerit ad notitiam eorumdem. Et insuper omnia & singula vota oblata, posita, vel appensa ad reverentiam & honorem dicti Armanni sive Pungilupi, in quacumque Ecclesia vel loco invenirentur vel apparerent, per illos, in quorum Ecclesiis vel locis sunt, tolli & auferri, ac in alios pios usus deputari, in virtute Spiritus Sancti, infra suprascriptum terminum decem dierum præcipimus & mandamus. Præterea ipsius Armanni sive Pungilupi bona omnia mobilia & immobilia, jura, nomina, & dictiones reales & personales, quæcumque, ubicumque, & apud quoscumque sint vel appareant, a tempore perpetrati sceleris per eumdem Armannum sive Pungilupum pronuntiamus, secundùm Canonicas sanctiones, deductis prius oneribus, Inquisitionis officio confiscata, & decernimus applicata. Omnes etiam contractus, & cujuscumque generis alienationes de dictis bonis a tempore contracti criminis per ipsum Armannum sive Pungilupum, vel per quoscumque alios nomine & vice ejus factos seu factas cuicumque personæ, Collegio, Universitati, vel Loco, cassandos sive cassandas, & irritandos sive irritandas esse pronuntiamus, atque cassamus & irritamus, & nullius firmitatis, momenti, roboris, aut valoris esse decernimus & sententialiter diffinimus.*

Ut

Ut autem prædicta sententia nostra, præcepta & mandata, debitum & intentum sortiantur effectum, & ut ignorantia nulli sit in excusationis velamen, vel occasionem præbeat alicui delinquendi, auctoritate nobis commissa per Apostolicam Sedem in his scriptis monemus pro primo, secundo, & tertio termino peremtorio; & præcipimus omnibus & singulis habitatoribus Civitatis Ferrariæ, & totius nostræ Inquisitionis, cujusque gradus, conditionis ac status seu dignitatis vel religionis existant, tam Clericis quàm Laicis, masculis & feminis, Collegio & Universitati, ne quis verbo vel facto, publice vel private, directe vel indirecte per se vel per alium, ullo modo vel ingenio debeat vel præsumat dictæ sententiæ nostræ, seu præceptis aut mandatis, vel aliis contentis in eâ, contradicere, vel aliquatenus obviare, nec nobis vel officio nostro, aut in exequutione ipsius officii, seu dictæ sententiæ nostræ, vel præceptis sive mandatis contentis in eâ, ne libere, plenarie & secure exsequutioni mandentur, aliquod impedimentum seu occasionem impedimenti præstare, nec aliis contravenientibus dare aliquod consilium, auxilium, vel favorem. Si quis autem contra prædicta vel aliquod prædictorum scienter præsumserit attentare, si fuerit Universitas vel Collegium, terram ipsam & ejus Ecclesiam in his scriptis Ecclesiastico subjicimus Interdicto. In singulares verò personas, cujuscumque status vel conditionis seu religionis existant, in his scriptis excommunicationis sententiam promulgamus. Si autem Clericus fuerit, privamus eum omni beneficio Ecclesiastico, quod obtinere constiterit vel habere. Declarantes etiam, quemlibet contra prædicta vel prædictorum aliquod facientem, pœnas incurrere infrascriptas, per rescripta & sanctiones Canonicas promulgatas. Constituit enim Apostolica Sedes, quod Potestas, Consul, Rector, seu quivis alius, qui Civitati præsit, qui contra prædicta venire tentaverit, præter notam perjurii & perpetuæ infamiæ jacturam, ducentarum Marcarum pœnam incurrat, quæ irremissibiliter exigatur ab eo; nihilominus ut perjurus & infamis, & tamquam Hæreticorum fautor, & de Fide suspectus, officio & honore sui regiminis spolietur; nec ulterius Potestas, Consul, seu Rector, habeatur in aliquo, aut de cetero ad aliquam dignitatem vel officium publicum ullatenus assumatur. Item quod prædicti vel quicumque alii contra prædicta vel aliquod prædictorum dederint auxilium, consilium, vel favorem, ex tunc ipso jure in perpetuum sint infames, nec ad publica officia vel consilia, vel ad eligendos alios ad hujusmodi, nec ad testimonium admittantur. Sint etiam intestabiles, ut nec testamenti liberam habeant factionem, nec ad hereditatis successionem accedere possint. Nullus præterea eis super quocumque negotio, sed ipsi aliis respondere cogantur. Quod si fortè Judex exstiterit, ejus sententia nullam obtineat firmitatem, nec causæ aliquæ ad ejus audientiam perferantur. Si fuerit Advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur. Si Tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius penitus sint momenti. Quas pœnas & mulctas omnes & singulas & alias ad negotium opportunas, contra rebelles & contumaces intendimus, Deo auctore, facere observari, invocando, si opus fuerit, auxilium brachii Sæcularis, ut talis ac tantus error & abominatio deleatur, malorum nequitia reprimatur, nec aliquis de cetero tale quid vel consimile attentare præsumat, & veritas Catholicæ Fidei semper in sua remaneat puritate. Nihilominus autem in omnibus prædictis & singulis mutandi, addendi, minuendi semel & pluries, prout de jure fieri poterit, quum nobis visum fuerit expedire, auctoritatem & facultatem nobis ac successoribus nostris plenariam reservamus. Omnibus autem & singulis, qui personaliter nobis adstiterint in negotio supradicto, & qui fideliter laboraverint, quod prædicta sententia nostra, & præcepta ac mandata in ipsâ contenta exsequutioni mandentur, & qui nobis ex animo in prædictis præstiterint consilium, auxilium, vel favorem, verè pœnitentibus & confessis, declaramus tres annos de injunctis sibi pœnitentiis auctoritate Apostolicâ relaxatos.

Lata fuit supradicta Sententia in Capitulo Fratrum Prædicatorum de Ferraria, currente Millesimo Trecentesimo Primo, Indictione XIV. die XXII. Martii, præsente Domino Johanne Archipresbytero Majoris Ecclesiæ Ferrariensis, Fratre Nicolao de Venetiis Priore in Conventu Ordinis Prædicatorum, Fratre Petro de Sclaveta Ordinis Prædicatorum Lectore in dicto Conventu, Fratre Guillelmo de Mainardis Ordinis Minorum, Fratre Ugolino Priore Fratrum Eremitarum de Ferraria, Fratre Bartholomæo de Tarvisio ejusdem Ordinis, Fratre Uberto Priore Fratrum Carmelitarum de Ferraria, Domino Margarito Judice, Domino Petro de Sifante Judice, Domino Gerardino de Aurifici Judice, Domino Bonaventura de Conte Judice, Fratre Guillielmo de Judicellis, Fratre Bonaventura, specialiter ambobus de Ordine Sancti Dominici, Domino Ziliolo de Pignatone, Domino Henrico de Signorellis Milite, Domino Francisco Campsore, Domino Vassallo Campsore, Benevenuto Notario de Tamagino, & Ferraresio Notario de Lambrusca, qui debet de hoc etiam simile facere Instrumentum, ad hæc vocatis & rogatis.

Ego Rolandinus de Sancta Cruce Notarius dicti Domini Inquisitoris, de ejus mandato scripsi.

Die XXIII. Martii, in domo Officii Inquisitoris, sita in loco Fratrum Prædicatorum, præsentibus Fratre Bonifacio Ferrariensi de Ordine Prædicatorum, Millarino, & Olivero Barberio, Officialibus Officii Inquisitoris, Benevenuto de Tamagnino Notario, Fratre Albertino de Placentia Converso Ordinis Prædicatorum, reverendus vir Dominus Frater Guido Vicentinus Ordinis Prædicatorum, Inquisitor Hæreticæ pravitatis in provincia Lombardiæ & Marchia Januensi, a Sede Apostolica deputatus, præcepit Domino . . . . . . Militi Domini Gerardi de Enzola, Potestatis Ferrariæ, *nomine & vice dicti Domini Potestatis, quod hinc ad tertium diem mandare debeat exsequutioni Sententiam latam per ipsum Inquisitorem contra quondam Armannum, sive Pungilupum, qui sepultus est in Ecclesia Ferrariensi, in iis, quæ tangunt officium Domini Potestatis, contentis & expressis in dicta sententia. Quæ sententia lecta fuit coram dicto Milite, & testibus præscriptis de mandato dicti Inquisitoris ibi præsentis. Et hoc sub pœna contenta & contentis in Sententia supradicta.*

At ne heic quidem vides insimulatum, damnatumve Armannum Hæreticum ob ullum carnalis libidinis crimen, quum tamen illius Sectam hoc etiam nomine multi olim traduxerint. Neque Armannum fatorem fuisse Sectæ Frati-

Fraticellorum (quod alii opinati sunt) ex his intelligere possumus . Quod certum est , circiter eadem tempora famam impietatis & sectatores non paucos sibi conciliavere *Gerardus Secarellus Parmensis*, tum *Dulcinus* ejus discipulus , qui Anno MCCCVII. gravissimis turbis per Vercellensem agrum suscitatis , Catholicorum tamdem armis dejectus fuit . Certiora documenta de illius Hæresi ac Tragœdia , vide in Tomo IX. Rerum Italicarum, a me edita : ibique consule , quæ erudite in Notis addidit Clariss. Saxius Ambrosianæ Bibliothecæ Præfectus . Ego verò in Præfatione animadverti, eosdem quoque Hæreticos, immo & reliquos id genus , a plerisque Scriptoribus depingi , veluti in omnium libidinum cœno volutatos , quum tamen synchroni Auctores execrandum hoc facimus nusquam eis objiciant . At sensim post Annum Christi MCCC. cœpit decrescere ejusmodi Sectarum pestilentia, quas A tamen unam Sectam sub variis nominibus , & parum diversæ doctrinæ appellare possis . Et curâ præcipue sacrorum Inquisitorum factum est , ut nullus deinceps a Catholicâ Fide deficiens asseclas per Italiam diu haberet , nulla Hæresis aut noviter procusa , aut renovata , apud Italos radices amplius egerit . Sed quando supra memoratum mihi fuit Opusculum *Gregorii* cujusdam, in Ambrosiana Bibliotheca adservatum , atque illuc ex Bobiensi Cœnobio translatum , juvat heic indicare , quæ ille argumenta pertractet , ut inde agnoscatur , quibus deliramentis olim *Patereni* , sive *Manichæi* oblectarentur . Quis fuerit iste *Gregorius* , quove tempore scripserit, decernere non ausim. B Quum tamen efferbuisse videamus hanc pestem præsentim Sæculo vulgaris Epochæ Tertiodecimo , ad ea tempora spectare , Opusculum mihi persuadeo . Et sane Codex ante annos tercentos quinquaginta exaratus mihi videbatur .

Specimen Opusculi , quod *Gregorius* quidam scripsit *contra Manichæos , qui Paterini dicuntur* , circiter Annum 1240.

PErgente ad Occiduum Mundo, & instantibus perditis temporibus , quibus multi discedentes a Fide confingunt sibi Sectam perditionis, congregantes sibi discipulos prurientes auribus , unusquisque fidelis , prout divisit Deus mensuram Fidei , in illos Hæreticos debet insurgere , qui Paterini vocantur , & non in uno solo Articulo Fidei errant , sed in omnibus . *Dicunt enim Christum phantasma fuisse, non Hominem ; & sic nec verè baptizatum , nec verè tentatum , non passum, non sepultum, non resurrexisse , non ascendisse credunt . De Personarum Trinitate male sentiunt , dicentes : Quod tres Personæ post Judicium erunt una persona tantùm , non attendentes illud Jacobi :* Apud Quem non est transmutatio &c. *Duos etiam Creatores , duo æterna Principia , duos Deos constituerunt , unum visibilium , alterum invisibilium . Quid plura ? In omnibus fidem corrumpunt. Ego autem, ut jam non dicam me murum pro domo Dei appositum , sed super muros Hierusalem, & auctoritates Euangelicas & Apostolicas ascendens , hos , quo insequentibus videbitis, lapides vivos contra jam dictos Hæreticos projiciam . Qui autem me fortiores sunt , cominus illos potentioribus armis expugnent . Non enim putavi, me coram superni Regis præsentia excusandum , si hostibus suis , saltem prout possum , non resistam .*

„ Incipit argumentum .

Ut Paterinis per hoc Opusculum via luceat resistendi , opponentium & respondentium more, hinc Hæreticum , inde Catholicum introducimus disputantes .

„ Capitula Libri .

1. *De Creatore visibilium , quem Patarenus a Diabolo, Catholicus a Deo esse dicit. Et de Unitate Dei . Sed Paterinus dicit etiam duos Deos , duoque Principia .*
2. *De Matrimonio, quod Catholicus approbat, Paterinus damnat .*
3. *De Patribus veteris Testamenti , & Scripturis eorum ; quæ Catholicus approbat , Paterinus damnat .*
4. *De Spiritibus hominum, quos Paterinus dicit esse Dæmones: Catholicus verò novos a Deo novis infundi Corporibus .*
5. C *De humanitate Christi , quam Paterinus phantasticam esse dicit, Catholicus veram confitetur .*
6. *De Johanne Baptista , quem Catholicus approbat , Paterinus damnat . Vel de Baptismo Aquæ , & de Baptismo puerorum, quem Paterinus damnat .*
7. *De Oratione pro Defunctis , quam Ecclesia facit , Paterinus damnat .*
8. *De Carnis resurrectione , quam Ecclesia credit , Paterinus damnat .*
9. *De juramento , quod Paterinus penitus prohibet , Ecclesia recipit .*
10. *De pœnis , quas Paterinus penitus in hoc Mundo fieri prohibet , sed Ecclesia recipit , & Regibus gladium materialem concedit .*
11. D *De Excommunicatione , quam facit Ecclesia, sed Paterinus dicit fieri non debere.*
12. *De distinctione ciborum , quam facit Paterinus , sed Ecclesia non .*
13. *De Blasphemia Crucis , quam Paterinus facit , sed Ecclesia * veneratur .*
14. *De Miraculis & Signis visibilibus , quæ Ecclesia facit, sed Paterinus dicit omnia esse a Diabolo .*
15. *De Blasphemia Ecclesiæ , & ejusdem humili defensione .*

Alterius Opusculi, itidem in Ambrosiana Bibliotheca adservati , atque illuc ex Bobiensi Bibliotheca translati , habenda est mihi mentio . E In eodem quippe argumento versatur illius Auctor . Hic titulus Libro : *Tractatus Magistri G. Pergamensis contra Catharos , & Pasagios , in quo eorum confunduntur errores auctoritatibus & argumentis*. Num Gregorius, an Guibertus , aut alio quoquam nomine Auctor nuncupatus fuerit , incertum est ex pessimo temporum illorum more , quibus unicâ primâ Literâ non raro signata videas nomina personarum . Non certe fuerit Guasparinus Barzizius Vir doctissimus , cujus ævo nulla ejusmodi Hæreticorum deliramenta confutationem poposcere . Opusculum non ita breve , quamquam mutilus sit Codex : ibique solide , erudite etiam , Auctor in adversarios pugnat . En prima illius verba .

Specimen

Specimen alterius Opusculi, quod G. Bergomensis contra Catharos & Pasagios elucubravit, circiter Annum 1230.

INutili quidem ac perniciosâ Scholasticarum quæstionum subtilitate postpositâ, eæ potius Quæstiones & Sententiæ, quæ de rebus saluti necessariis fiunt, quantâ possum diligentiâ pertractentur.

Errores confutati sunt. Hæreticus dicit, Deum omnipotentem sola invisibilia & incorporalia creasse: Diabolum verò, quem Deum tenebrarum appellant, visibilia & corporalia creasse &c. Addunt Hæretici, duo esse Principia, unum Boni, scilicet Deum omnipotentem, alterum Mali, scilicet Diabolum. Item duas esse Naturas, unam bonam incorporalium a Deo omnipotenti creatam; alteram malam (scilicet Diabolum) & mala corporalia a Diabolo fuisse creata.

Hæreticus ergo, qui dicebatur antiquitus Manichæus, *nunc verò* Catharus *appellatur, hanc suam opinionem nititur confirmare &c. Ajunt Hæretici, Deum omnipotentem nec Legem Moysi, nec vetus Testamentum hominibus tradidisse, sed potiùs Deum tenebrarum; & nullum ante Christum salvatum fuisse &c. Prædictis iidem addunt Hæretici, quod Christus nec veram Carnem habuit, nec verè mortuus fuit, nec etiam veraciter resurrexit. Dicunt etiam, quod nulla sit omnimodo futura Resurrectio Carnis &c. Addunt, Christum neque Animam habuisse, in quo quidam alii non concordant Hæretici &c. His addunt, neminem in Conjugio posse salvari, exercendo opera conjugalia &c. Dicto de Secta* Catharorum, *restat de Secta* Pasaginorum. *Dicunt enim, Christum esse primam & puram Creaturam: & vetus Testamentum esse observandum in solennibus & in Circumcisione, & in ciborum perceptione, & in aliis fere omnibus, exceptis in Sacrificiis &c.*

Mihi etiam occurrit in Ambrosiana Bibliotheca MStus *Tractatus super octo erroribus Begardorum, & Beghinarum in Clementinis Constitutionibus damnatis, ad nobilem & sapientem virum Lipoldum de Alamannia Doctorem Decretorum, & Canonicum Archipolensis Ecclesiæ.* Auctor Libri *Frater Gerardus de Senis Bacchellarius Parisiensis in sacra Pagina, ex Ordine Eremitarum Sancti Augustini.* Florebat ille Anno Christi MCCCXVII. ejusdem Scriptoris MStas vidi *Quæstiones de Præscriptione & Usuris*, dicatas *venerabili in Christo patri & Domino Donusdeo, divinâ miseratione Episcopo de nobili Malavoltorum de Senis progenie oriundo.* Unum denique moneo. Qui de hisce Hæresibus, earumque innumeris, ut ita dicam, surculis, propagatione, & occasu plura cupit, *Historiam Hæresum* adeat, editam hoc ipso Sæculo Decimo Octavo a doctissimo viro Dominico Bernino, qui monstra in unum veluti amphitheatrum erudito stilo conclusit.

DE CARDINALIUM INSTITUTIONE.

DISSERTATIO SEXAGESIMAPRIMA.

DISSERTATIO SEXAGESIMAPRIMA.

MUlti multa de *Cardinalibus*, eorumque origine atque institutione commentati sunt, ac præcipue Clarifs. Vir Ludovicus Thomaffinus Oratorii Gallicani Presbyter in infigni Opere de Benefic. Part. I. Lib. 2. Cap. 115. Actum agere non est mihi animus. Quare fpicilegium tantummodo poft aliorum meffem nunc dabo. Illud ergo apud Eruditos conftat, fingulis olim Urbium Ecclefiis diverfos Presbyteros, Diacones, & Subdiacones fuum addixiffe minifterium ac famulatum. Inter eos verò nonnulli *Cardinales* appellati memorantur, reliqui autem minime participes ejufdem tituli fuere. Sunt qui putant, eos dumtaxat ejufmodi appellatione diftinctos fuiffe, qui nunc *Parochi* appellantur, eo quod *Cardini* Ecclefiæ præeffent, inde non amovibiles, quum contra ceteri ejufdem Ecclefiæ Presbyteri facile amoveri poffent. Proinde reperiuntur apud veteres etiam *Epifcopi Cardinales*, ut ab iis diftinguerentur, qui tantummodo commendatam olim regebant Ecclefiam. Alii verò, inter quos Juretus, Pancirolius, & Salmafius, opinantur, ideo nonnullos *Cardinales* vocatos, quod *principales*, *præcipui*, ac primæ auctoritatis in Clero fuæ Ecclefiæ forent, qua etiam ratione *Cardinales* nuncupare confuevimus quafdam Virtutes, & Canonici Cathedralium Ecclefiarum alicubi *Cardinalium* nomine olim funt donati, non verò ceteri minores ejufdem Urbis Canonici. Occurrit etiam apud antiquos *Cardinalis ara*, *Cardinalis Miffa*, ideft *principalis*, *prima*. Poftremo Jacobus Gothofredus in Notis ad Legem Septimam Lib. 12. Tit. 6. Codic. Theodofian cenfet, exinde quofdam ita nuncupatos, quod fixi forent, fuoque Epifcopo, aut fuæ Ecclefiæ immobiles defervirent. Ego fententias hafce temperandas arbitror, atque ad unam redigendas. Hoc eft eos tantùm *Cardinalis* titulum antiquitus retuliffe, qui aut *Ecclefiarum Baptifmalium* (nunc Parochiales Ecclefias dicimus) aut *Diaconiarum* Rectores ftabiles fuere: olim enim piæ domus ad nutriendos pauperes, peregrinos, ac infirmos inftitutæ, & Ecclefiæ five Oratorio alicui conjunctæ, ac regimini cujufpiam Diaconi traditæ, appellabantur *Diaconiæ*. Priores ergo *Presbyteri Cardinales*, fecundi *Diaconi Cardinales* appellati. Quum verò Epifcopis olim Ecclefia fere femper regenda tamquam fua res traderetur, iique *Titulares* ac Paftores proprii nuncuparentur; interdum verò Ecclefiæ aliquæ, fuo viduatæ Paftore, alicui commendarentur, donec ibi conftitueretur proprius ac Titularis: hinc factum eft, ut qui Titulum revera obtineret, iis *incardinari* in ea Ecclefia, ibique *Cardinalis* conftitutus diceretur. Exinde verò is illic præcipuam auctoritatem exercebat, primafque tenebat; atque is in ea Ecclefia fixus ac immobilis erat. At non ideo folùm quifquam *Cardinalis* olim vocatus, quod in Ecclefia aliqua inter præcipuos ac principales numeraretur, neque quod Templo eidem inferviret con-

A ftanti ac immoto famulatu; fed quia ad illum unum proprie fpectabat cura ac regimen Parochiæ feu Diaconiæ fibi creditæ. Nam quod Cardinalis Bellarminus Tom. I. Cap. 16. de Clericis ait, reperiri in *Synodo Sancti Gregorii Magni tres Presbyteros Cardinales Tituli Sanctæ Bibianæ, duos Sancti Damafi, duos Sancti Silveftri, & duos Sanctorum Apoftolorum*, fruftra objicitur. Neque enim qui Synodo illi fubfcribunt, *Cardinales* appellantur, fed tantummodo exempli causâ *Presbyter Sanctæ Balbinæ*, atque ita reliqui. Porro, ut fupra ajebam, præter Parochum, five Diaconum Titularem, ideft alicui Ecclefiæ Baptifmali, aut Diaconiæ, ftabili titulo præfectum, erant

B & alii Presbyteri & Clerici, eifdem Ecclefiis, aut Diaconiis addicti, atque iis infervientes. Sub ea ratione fubfcribit Gregoriano Concilio *Laurentius Presbyter Tituli Sancti Silveftri*, & infra *Johannes Sancti Silveftri*. Hic minime Cardinalis, fed Presbyter tantummodo Deo inferviens in Æde Sancti Silveftri. Ita in Conciliabulo Papienfi Anni Chrifti MCLX. memoratos videas Clericos Romanos *de Cardinaliis*, ideft de Parochiis, aut Diaconiis Romanis. Quare ex hifce tenebris non eft petendum lumen. Hinc autem *Cardinalis* nomen originem duxiffe putandum eft, quod veteres *cardinare* & *incardinare* dicerent infigere, inferere, connectere, & incorporare. Sic enim

C Vitruvius Lib. 16. Cap. 20. Architect. *tignum cardinatum* appellat, qui infertus, infixufque erat *inter duos fcapos*. Ab eo quoque nominantur *fcapi Cardinales* in valvis compacti. Adde Caffiodorium, qui Lib. 7 Variar. Epiftolâ 31. hæc fcribit Regis nomine: *Ut quia Principem Cardinalem obfequiis noftris deeffe non patimur, tu ejus locum Vicarii nomine in Urbe Roma folemniter debeas continere*. Hoc eft: quum ad Palatium evocatus fuiffet *Princeps*, five *Præfectus Urbis Romæ*, ut fui laboris præmia ibi reciperet, propterea donec aut is ad fuam Præfecturam regrederetur, aut daretur ei in Officio Succeffor, Vicarium Rex conftituit, qui ejus vices ac munus interim

D impleret. Ubi vides eum appellari Præfectum five *Principem Cardinalem*, qui Præfecturam cum Dignitate ftabili, five ordinaria auctoritate, exercebat; *Vicarium* verò qui minime erat in eo Officio *incardinatus*, hoc eft non fixus aut immotus, fed qui fine Titulo, & cum dignitate fluxa atque inftabili, id muneris fuftinebat. In Notitia quoque utriufque Imperii Part. primâ, pag. 77. edition. Pancirolii, hæc legas: *Officium Magifteriæ in Præfenti poteftatis, Cardinale habetur*. Ita & in aliis locis Vocabulum hoc Pancirolius explicat *principale & præcipuum*: & in hanc rem laudat ille, & poft eum Voffius, Pitifcus, & alii, Epiftolam nunc 83. Lib. primi, Gregorii Ma-

E gni, ita fcribentis ad Januarium Archiepifcopum Ceralitanum, hoc eft, Caralitanum: *Liberatus, qui Diaconii fungi perhibetur officio, fi a deceffore tuo non factus eft Cardinalis, ordinatis a te Diaconibus nulla debet ratione præponi*.

poni. Non abnuo, quin primarium ac principalem *Cardinalis* vocabulum significarit: sed simul contendo, a Gregorio Magno heic pronuntiari, Liberatum, nisi Rector stabilis, & ut ita dicam, Sponsus ac Beneficiarius perpetuus Diaconiæ effectus fuerit, propter quam dignitatem reliquis Diaconis minime Titularibus esset præferendus, inique præeminentiam supra sodales suos appetere. Atque hæc pauca sufficiant ad hanc sententiam confirmandam, quam Thomassinus supra laudatus multâ eruditione statuit atque exornat. Nunc alia subjiciam ad idem argumentum spectantia.

Ex multis, quæ in Epistolis, & Vitâ Gregorii Magni summi Pontificis habentur, luculenter apparet, eos tantùm *Cardinalis* appellatione donatos, sive Episcopos, sive Presbyteros, aut Diaconos, qui Ecclesiam quamquam regendam perpetuò susciperent, Titulo simul ac Beneficio iis collato. Et quoniam *Episcopi Cardinales* jam tum memorantur in Civitatibus infimi subsellii, consequens est, non propterea illos hoc nomine insignitos, quod *primarii* ac *principales* forent inter Episcopos, sed quidem quod Cathedrales Ecclesias illas jure Pastorali perpetuo ac immoto, non autem temporario, delegato ac mobili possiderent. Neque ab una Ecclesia Romana tantùm vocabuli hujus usus processit; sed is etiam aliis Ecclesiis communis in Italia fuit. Non desunt, qui scribant, nullum ruralem Diaconorum, aut Parochum *Cardinalem* fuisse appellatum: sed eos dumtaxat, qui in Urbibus Episcopalibus Ecclesias Parochiales, aut Diaconias in Beneficium stabile acceperant. Ego hanc sententiam nutare, aut saltem non ad omnes Ecclesias extendendam reor. Zacharias Papa Epistolâ 7. ad Pippinum, postea Francorum Regem, Anno Christi DCCXLVII. hæc scribit: *Simili modo & Pretbyteri Cardinales Plebi quidem sibi subjectæ, præclariori veste induti, debitum prædicationis persolvant* &c. Ita ille de Parochis, seu Plebanis: neque distinguit inter urbanos atque rurales. Immo *Plebis* nomine plerumque rurales tantùm Ecclesiæ Baptismales designabantur. In Charta apud Ughellium Tom. 3. Ital. Sacr. in Episcop. Senensibus, Raynerius Senensis Antistes confirmat Lucensi Episcopo Ecclesiam Sancti Martini *Cardinalem*, juxta Burgum Senensis Civitatis positam. Adde etiam Johannem Diaconum Lib. 3. Cap. undecimo Vitæ Sancti Gregorii Magni, hæc scribentem: *Item Cardinales violenter in Parochiis ordinatos forensibus, in pristinum Cardinem Gregorius revocabat*. Ibi *Parochiæ Forenses* sunt rurales seu Plebes. Ad hæc post Annum Christi Millesimum in præstantioribus Italiæ Urbibus Cathedralium Ecclesiam Canonici *Cardinalitio Titulo* reperiuntur insigniti. Aribertus, sive Heribertus Archiepiscopus Mediolanensis in Privilegio apud Puricellium in Monumentis Basilic. Ambrosianæ ad Annum MXXXII. quædam constituit, *adhibitis sibi Senioribus superioris suæ Ecclesiæ Cardinalibus, Presbyteris, & Diaconibus* &c. Tum *hoc scriptum subscribendo firmavit, & suis Cardinalibus firmandum obtulit*. Subscribunt autem Archidiaconus, Vicedominus, Presbyteri duodecimi, & Diaconi duo. At nemo se *Cardinalem* appellat. In altero ejusdem Præsulis Privilegio hæc habentur: *Convocatis venerabilibus suæ Ecclesiæ Cardinalibus, Presbyteris videlicet & Diaconibus*. Et ad Annum MXXXIV. in altera Charta ejusdem Heriberti legimus: *Ita ut faciant Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi Cardinales de ordine Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ de fruge* &c. Cardinales ejusmodi passim appellantur *Ordinarii Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ*: quo vocabulo, deposito priori, adhuc distinguuntur Majores Metropolitani Templi Canonici, a *Presbyteris Decumanis* diversis, qui tamen & ipsi in Passione Sancti Arialdi *Decumani Canonici* nuncupantur; ac propterea non fuerunt, ut aliqui censent, quædam species Capellanorum. Idem Puricellius ad Annum MCV. profert Epistolam datam, absente Archiepiscopo, a Clero Mediolanensi, cujus exordium ita se habet: *Ordinarii Cardinales sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ, necnon Primicerius cum universo Sacerdotio & Clero Mediolanensis, omnisque Populus & omnis Ordo Laicorum, omnibus Sacerdotibus, & Clericis, & Laicis cujuscumque Ordinis in Diœcesi Mediolanensis Ecclesiæ constitutis pacem & salutem* &c. Denique ad Annum MCXXIII. legitur Sententia promulgata *in Curte Cardinalium Majoris Ecclesiæ, juxta Tribunam Sancti Stephani, qui dicitur ad Fontes*. Plura non adfero, quum satis hinc constet, fuisse & Ecclesiæ Mediolanensi suos *Cardinales*, eosque Canonicorum Collegium constituisse, atque habitos tamquam Fratres Archiepiscopi, a quo in subsidium & consilium Ecclesiastici regiminis fere semper adhibebantur. Eumdem quoque morem in Ravennate Ecclesia servatum novimus, uti Hieronymus Rubeus in Histor. Ravenn. Lib. V. pag. 232. ejusque Ecclesiæ monumenta testantur. Ego in hanc rem Chartam unam proferam, in qua *Gualterius Archiepiscopus* illius Urbis controversiam dirimit inter Clerum Cathedralis Regiensis, quæ tunc eidem Antistiti tamquam Metropolitano suberat, assidentibus sibi quatuor ex *Cardinalibus* suis.

Sententia

Sententia Gualterii Archiepiſcopi Ravennatis in controverſia vertente inter Archidiaconum & Canonicos Eccleſiæ Regienſis, Anno Chriſti 1141.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Sicut ad Paſtoris curam pertinet, ſupra gregem ſibi commiſſum impigre vigilare, & quæ ad animarum ſalutem ſpectant ſibi, vigilanti ſtudio miniſtrare: dum pro pace inter Reginos Cives & Capitaneos componenda, Domnus Gualterius *ſancte* Ravennatis Eccleſie *venerabilis* Archiepiſcopus *Regii eſſet, & in Canonica Sancte Marie Regienſis Eccleſie ſicut immo proprius Metropolitanus reſideret; aſſidentibus ſibi* Domno Alberio ejuſdem Eccleſie Epiſcopo, Johanne *quoque* Ravennatis Eccleſie Archipresbytero Cardinale, & Presbytero Fantulino Cardinale, *atque Andrea Presbytero Cantore,* Henrico Diacono Cardinale, & Buniolo Subdiacono Cardinale, *aſtantibus etiam ejuſdem Regine Eccleſie Canonicis & Capellanis; pluribus quoque de Archipresbyteris ejuſdem Epiſcopatus, coram eo ſedentibus; Cepit idem venerabilis Archiepiſcopus, igne caritatis divinitus accenſus, ut erat pio ac decenti eloquio eruditus, ac mira facundia repletus, prefatis Fratribus ſalubra celeſtis vite monita mirabiliter prædicare, & diverſarum ſcripturarum varia ſecula ad morum conformitatem, & vite honeſtatem, fraterne quoque dilectionis unitatem, ac bone converſationis ordines convenientiam predicando miniſtrare, ac melliflua celeſtium eloquiorum, celitus Spiritus Sancti rore perfuſus, dulciter propinare. Tunc Achilles ejuſdem Eccleſie Archidiaconus tam de officio, quàm de beneficio Archidiaconatus coram eodem Archiepiſcopo adverſum Canonicos cepit contendere. Contra quem Ogerius Archipresbiter cum reliquis Majoris Eccleſie Canonicis, &* Donnus Gratianus *cum ceteris Fratribus Eccleſie Sancti Proſperi, de Beneficiis Canonicarum prebendarum, quas Bernardus quondam Archidiaconus, & Sichelmus Sancti Proſperi Prepoſitus, & poſtea Archidiaconus, non pro Beneficio Archidiaconatus, ſet prebendario modo detinuerant, & de aliis inferius terminandis ceperunt proclamare. Quorum adverſum ſeſe tam allegationibus, quam contradictionibus hinc inde diligenter auditis, prefatus Archiepiſcopus, tam divinis quam humanis Legibus inſtructus, hujuſmodi ſententiam promulgavit. Videlicet Archidiaconem de omnibus aliis rebus, unde inter eum & Canonicos & Fratres Sancti Proſperi controverſabatur, tacitum eſſe debere, & eoſdem Fratres quiete ſine moleſtia poſſidere. De his vero, que in Privilegiis venerabilium* Epiſcoporum *bone memorie* Adelberti, & Sigefredi *ad Beneficium Archidiaconatus declarantur pertinere, contentum eſſe. Eo tamen tenore, quod ſi quando predictus Archidiaconus aliquid earum rerum, que a predictis Archidiaconibus aliquo titulo poſſeſſe fuere veris probationibus & argumentis tam Inſtrumentorum quam etiam teſtium, quibus fide ſit adhibenda, probare poterit ad Archidiaconatum pertinere: Fratres tam Canonice, quam Sancti Proſperi, nullam ſibi exinde inquietudinem faciant, calumpnioſis intentionibus ab utraque parte remotis. Precepit etiam, terras in uſum tugurii Canonice largitas per manus Ar-*

A *chipresbiteri & Archidiaconi debere diſponi. Terram quoque Manſionariorum, quam idem Archidiaconus a Manſionariis emerat Eccleſie Sancte Marie debere reſtitui, & ſecundùm tenorem largitoris, per manus Archipresbiteri & Archidiaconi debere diſponi: eo tamen tenore, quod ſi poſſet probari, eaſdem terras venditorum fore, nec ad Manſionariam pertinere, Archidiaconus eas deberet habere; alioquin cum venditoribus aget de evictione. Bona vero Eccleſie, que nomine Pheodi idem Archidiaconus dederat, revocari, & ut omnem ſuam auctoritatem Archidiaconus his, quibus dederat, auferret, precepit. Precium vero Planete, Anuli, & Amularum, quas Archidiaconus vendiderat, Eccle-*

B *ſie reſtitui debere judicavit: quod precium fuit ſecundùm ejus confeſſionem ſex Libre & quatuordecim Solidi, pro quorum reſtitutione quaſdam ſuas poſſeſſiones in pignore, donec debitum ſolveret, dedit Epiſcopo. Capellam preterea Sancti Jacobi ab Archidiacono fundatam, quam ſibi proprie vendicabat, que, ut leges divine & humane cenſent, in bonis nullius eſſe, quod eſt divini juris, ad Epiſcopi ſolius & Canonicorum pro velle Epiſcopi diſpoſitionem proprie judicavit pertinere. Precepit etiam, ut idem Archidiaconus pro ſuo ſpeciali ſervitio preter communes Servitores & Equos, nullum ſervitorem vel equum in Canonica de communi ad ſuum ſingulare ſervitium retineret: quod ſi vellet habere,*

C *de ſuis propriis expenſis regeret. Plebem vero Fabrice in deliberatione Epiſcopi dimiſit, ut pro beneplacito ſuo foret, utrum eidem Archidiacono eam concedere vel non concedere vellet. Hanc vero notitiam prefatus Archiepiſcopus ad futurorum memoriam fieri precepit, & prefato Andree Presbitero ſuo Cancellario ſcribendam mandavit, & proprio Sigillo firmari precepit.*

Acta Regii per manus Andree Presbiteri & Cancellarii, Anno Dominice Incarnationis Milleſimo. Centeſimo Quadrageſimo Primo, die XXI. Menſis Aprilis, Indictione IV. temporibus Domni Innocentii Pape II. & Conradi Regis *Anno III. Pontificatus Domni Gualterii Vigeſimo Tertio.*

D Ego Gualterius Archiepiſcopus *hanc notitiam confirmans, quia manu propria non potui, ſubſcribi mea vice precepi.*

Ego Johannes Archipresbiter ſancte Ravennatis Eccleſie ſubſcripſi.

Ego Henricus Cumiaclenſis Epiſcopus *manu mea ſubſcripſi.*

Ego Fantulinus Presbiter Cardinalis *ſancte* Ravennatis Eccleſiæ *ſubſcripſi.*

Buniolus Subdiaconus Cardinalis *ſubſcripſit.*


Ego Divizo Saxenas Epiſcopus *manu mea ſubſcripſi.*

Ego Benno Ceſenas Epiſcopus *manu mea ſubſcripſi.*

Ego Rambertus Faventinus Epiſcopus *manu*

E *mea ſubſcripſi.*

Monogramma

Monogramma  *Gualterii Archiepiſcopi.*

Teſte autem Rubeo in Hiſtoria Ravenn. Lib. 10. pag. 745. Anno tantùm MDLXVIII. Ravennates Canonici *Cardinalium* nomen abrogarunt. Non reticendum tamen, quod habet Alvarus Pelagius Epiſcopus Silvenſis. Scilicet ille circiter Annum MCCCXXX. in inſigni Libro *de Planctu Eccleſiæ* ſcribebat: *Sunt etiam in Eccleſia Compoſtellana Cardinales Presbyteri mitrati, & in Eccleſia Ravennati. Tales Cardinales ſunt deriſui potius quàm honori.* Eodem etiam Titulo inſignitos olim fuiſſe aliquot Eccleſiæ Neapolitanæ Canonicos, jampridem adnotavit Antonius Caracciolus. Ughellius quoque Tom. 6. Ital. Sacr. pag. 148. tabulas adfert Sergii Archiepiſcopi Neapolitani, quibus ſubſcribunt duo *Presbyteri Cardinales ſanctæ Neapolitanæ Eccleſiæ*. Alias etiam profert, in quibus adnotati ſunt ejuſmodi Cardinales. Iis addam & ego integram Chartam, quam mutilam ipſe produxit Tomo eodem pag. 139 ſpectantem ad Petrum ejus Urbis Archiepiſcopum. Adſervatur pergamena archetypa in Archivo Sanctimonialium Sancti Archangeli ad Bayanum Neapoli.

Charta commutationis terrarum inter Eccleſiam Neapolitanam Sanctæ Reſtitutæ, & Moniales Sancti Michaëlis Archangeli, Anno 1100.

IN nomine Dei Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Imperante Domno *noſtro* Alexio *magno* Imperatore . . . . . . *& Nono decimo, ſed &* Johanne Porphyrogenito, *magno* Imperatore *ejus filio, Anno* . . . . . *Indictione Octaba, Neapoli. Certum eſt, nos cunctas Congregationes Sacerdotum & Clericorum ſalutifera* . . . . . . *Congregationis Eccleſia Sanctæ Reſtitutæ de intus Epiſcopio ſanctæ Neapolitanæ Eccleſiæ a præſenti die* . . . . *vel commutavimus, & tradimus vobis* Domna Gemma *venerabilis* Abbatiſſa Monaſterii *beatiſſimi* Michaëlis Archangeli, *quod nominatur ad Bajane Prætorio beatorum venerabilium Ancillarum Dei* . . . . . *Furcellenſe. Vos autem unam cum cuncta veſtra congregatione Monacharum veſtri ſancti ac venerandi veſtri Monaſterii; vobis autem cum conſenſu & voluntate Domni Johannis, qui dicitur Falconario, & de Domno Landolfo uterinis germanis, filiis quondam Domni Gregorii Falconarii, & de Domno Sergio, qui nominatur Buccatorio; filio quondam Domni Johannis Buccatorii &c. ideſt integra petia de terra noſtra juris pertinentes ipſius noſtræ Congregationis* . . . . *ipſius Eccleſiæ Sanctæ Reſtitutæ, quæ nominatur Atrentula, ad illum certum poſita in loco, qui nominatur Fullotani, cum arboribus &c. de quibus nichil nobis, nec a ſupraſcripta ſancta noſtra Congregatione exinde aliquod remanxit, aut ſerbavimus, nec in aliena cujuſcumque perſona, quod abſit, commiſimus, aut jam commictimus poteſtatem &c. Et hæc Charta commutationis, ut ſupra legitur, ſit firma ſcriptura per manum Johannis Curialis per ſupraſcripta Indictione.*

Petrus Archiepiſcopus *ſubſcripſi*.

Sergius Conſul & Dux & Protoſebaſto *ſubſcripſi*.

Aligernus indignus Sacerdos, & ſanctæ Sedis Neapolitanæ Eccleſiæ . . . . . . *ſubſcripſi.*

Sergius *Archipresbyter, &* Cardenalis *ſanctæ* Sedis Neapolitanæ *ſubſcripſi*.

Petrus *Archidiaconus ſanctæ Neapolitanæ Eccleſiæ ſubſcripſi*

Johannes Diaconus ſanctæ Neapolitanæ Eccleſiæ ſubſcripſi.

Sergius Subdiaconus ſanctæ Neapolitanæ Eccleſiæ ſubſcripſi.

Ego Johannes filius Domni Sergii teſtis ſubſcripſi.

Ego Johannes Curialis complevi & abſolvi per ſupraſcripta Indictione.

Et heic vides unum Neapolitanæ Eccleſiæ *Cardinalem*. Cur unus tantùm, & non reliqui, alia mihi non ſe offert cauſſa, niſi quia ille quidem, ut infra dicam, non verò ceteri, alicui etiam Parochiali Eccleſiæ, aut Diaconiæ præeſſet. Sed & Lucenſi Eccleſiæ fuere ſui Cardinales: quod etſi monumenta probent, infra a me producenda in Diſſertatione LXXIV. *de Parochiis*, peculiari tamen exemplo confirmatum heic volo. In Archiepiſcopii ejuſdem Urbis Tabulario Chartam autographam vidi, ſcriptam *Anno Domini noſtri Berengariiglorioſi Imperatoris Auguſti, Anno Imperii ejus Octavo, Nonas Septembris, indictione XII.* ideſt Anno CCCCXXIII. in qua *Petrus Dei gratia hujus ſancte Lucane Eccleſie humilis Epiſcopus, una cum conſenſu Sacerdotum ſuorum, ſeo filiis ipſius Eccleſie*, Willeradum Presbyterum præficit Eccleſiæ illi, *cui vocabulum eſt beati Sancti Vincentii, ſito foras Civitate iſta Lucenſe, ubi humatum Corpus beati Sancti Fridiani quieſcit, pertinentes ipſius Eccleſie Epiſcbopatui Sancti Martini*. Pergamenæ ſubſcribunt *Andreas Presbiter & Cardinalis: Daiprandus Archidiaconus: Benedictus Presbyter & Cardinalis: Sichardus Presbiter & Cardinalis & Primicerius: Natalis Presbiter & Cardinalis: Teupertus Presbiter & Cardinalis*. Reliquos prætereo. Placentinæ quoque Eccleſiæ ſuos Cardinales non defuiſſe, complures Chartæ a Campio editæ in Hiſtoria illius Eccleſiæ oſtendunt. Idem in Veronenſi & Florentina animadvertas. Locus ſubobſcurus occurrit in Itinerario Ratherii celebris Epiſcopi Veronenſis, ſcripto circiter Anno Chriſti CCCCLXV. En ejus verba.

verba. *Ad quod quum Titularios omnes, & illos de Plebibus paratos, Deo gratias, invenissem, vos Cardinales, qui ut quondam Scribæ & Pharisæi populares, ita istos in perditionem mittitis omnes, ita hinc manere adhuc cerno rebelles*. Clarifs. Mabillonius Sæculo V. Benedictino, pag. 485. *Titularios, Beneficiatos* interpretatur: *illos de Plebe, Paræciarum Rectores*: *Cardinales* verò, *qui scilicet in Ecclesia Cathedrali incardinati erant*. Sed videndum, an *Titularii* potius appellati fuerint Parochi Urbis Veronensis: *Plebani*, Parochi Rurales: *Cardinales*, Canonici Cathedralis. Infra de *Titulis* loquar. Quæ sententia si firmo pede stet, intelligimus, necesse minime fuisse, Canonicos alicui Parochiali Ecclesiæ præfuisse, ut *Cardinalitio* titulo fruerentur. Verùm, uti præfatus sum, tenebrosus videtur is locus. Et quando Mabillonii interpretatio probanda sit, quum non alii *Plebium* Rectores mihi credantur, quàm Parochi matricibus Ecclesiis ruri præfecti: sub nomine *Cardinalium* venirent Canonici, qui simul urbanarum aliquot Paræciarum fuissent Rectores. In Concilio Meldensi, Anno DCCCXLV. Canone 66 statutum videas: *Ut Titulos Cardinales, in Urbibus, vel Suburbiis constitutos, Episcopi canonice & honeste ordinent & disponant*. Ita ex vetustis monumentis novimus, fuisse Cardinales in Ecclesiis Constantinopolitana, Aquilejensi, Beneventana, Pisana, Astensi, Bergomate, Senensi, Vercellensi, Capuana, Salernitana, Aurelianensi, Vilontina, Magdeburgensi, ac Londinensi, ut alias omittam.

Ego verò ab ea opinione nondum discedo, quam supra innui, videlicet Cardinales illos, qui extra Ecclesiam Romanam iis temporibus occurrunt in nonnullis Ecclesiis, Parochos etiam fuisse, aut alicui Capellæ aut Diaconiæ præfe- A ctos, non verò meros Canonicos: hoc est singulis eorum simul sacræ alicujus Ædis titulum fuisse collatum. Apud Ughellium Tomo 3. Ital. Sacr. in Episcop. Florentin. subscribunt Instrumento exarato Anno Christi DCCCCLXIV. nonnulli Florentiæ Ecclesiæ *Canonici*, uno hoc titulo decorati; at quinque ex eis se *Canonicos & Cardinales* inscribunt. Cur discrimen istud? nisi quia illi tantùm Canonici, hi & Canonici & Parochi, quorum nempe regimini Ecclesia aliqua commendata fuerat. Alteram Chartam refert ibidem Ughellius, Anno MLXXIII. scriptam, in qua Raynerius Florentinæ Ecclesiæ Episcopus Monasterio Ancillarum Dei confert sive confirmat *Ecclesiam Sancti Jo-* B *hannis Baptistæ Cardinalem, in honorem Sanctissimi Petri, non longe a Florentina Urbe positam ad Orientalem Portam*. Scilicet, ut ego interpretor, Ecclesia illa ad ea usque tempora ad Cathedralem Ecclesiam Sancti Johannis Baptistæ pertinuerat, & Canonico regenda tradebatur, qui propterea *Cardinalis* titulum ex illa Ecclesia referebat. Ita Anno Christi MCVIII. Raynerius alter, Senensis Episcopus, Canonicis Lucensibus Sancti Frigidiani tradidit *Ecclesiam Sancti Martini Cardinalem, juxta Burgum Senensis Civitatis positam, ejusque Ecclesiæ Xenodochium*. Hæc autem Ecclesia ex iis erat, quæ Rectori stabili titulo ibi manenti, *Cardinalis* titulum conferebant. In Tabulario Ca- C pituli Canonicorum Regiensium exsistunt Literæ Petri Episcopi, quibus ille unam *Plebem* ruralem, & alteram *Ecclesiam* urbanam Archipresbytero majoris Ecclesiæ pro more Prædecessorum suorum confirmat. Quibus ille verbis usus fuerit, animadverte ex ipso textu, quem ex Historia Regiensi MSta Fulvii Azzarii descripsi.

Bulla Petri Regiensis Episcopi, confirmantis Porfilio Archipresbytero Cathedralis Ecclesiæ Plebem de Cerreto, aliaque jura, Anno 1188.

IN *nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno ejus Millesimo Centesimo Octuagesimo Octavo, die Mercurii ultimo exeunte Mense Madii, Indictione VIII.* Petrus *Dei gratiâ sanctæ* Regiensis Ecclesiæ Episcopus, *ac provisor indignus. Si dignus nostrorum fidelium prebuerimus assensum, devotionis fidelitatis.... eos afferre minime dubitamus: unde omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrisque fidelibus, præsentibus scilicet & futuris notum fore volumus, quendam Ecclesiæ nostræ* Canonicum & Archipresbiterum *eidem Ecclesiæ nomine* Porfilium *nostram supplex petendo addisse fraternitatem, quatenus ei anticum Beneficium, quod habuerunt Archipresbiteri a nostris Predecessoribus confirmaremus, & novum largiremur. Unde tua fili Archipresbiter, servicia considerantes*, Plebem de Cereto cum Capella sua de Monticello, & Ecclesiam Sancti Petri de Civitate Regii cum omni jure suo, *& omnibus pertinentiis, & Mansum de Cadregnano in Curte Albineti, qui detinetur per Artiolum & Martinum & consortes eorum, & medium Mansum in Masenzatico, qui detinetur per Oldevrandos & Tinellum, & Mansum unum in Civitate in Plebe Quirmtule, qui detinetur per Rodulfinum & ejus consortes, & Mansum de Brolo, qui* D *est in Insula Luzariæ, qui detinetur per filios Gandulfi de Cella & eorum consortes, & Mansum unum alium in eadem Insula, qui est in Villa, quæ dicitur Villa Giberti Rataldi, & detinetur per Faletinos & Tulios: quæ omnia cognovimus antecessores tuos detinuisse, nostra largitate concedimus, largimur, & confirmamus tibi, & tuis successoribus in perpetuum. Insuper donando addimus tibi ac tuis successoribus in perpetuum Decimam, quam habemus in Curte Rivi juxta Campaniolam, quæ colligitur per Ciriolum; ut habeas in perpetuum tu Archipresbiter Porfilius, & tui successores, & fruaris cum omnibus accessionibus & ingressibus & redditibus eorum & earum in integrum, sine* E *omni nostra, nostrorumque Successorum contradictione vel molestatione: & facias quicquid tibi oportunum fuerit. Si quis autem hanc nostræ constitutionis, largicionis, confirmacionis paginam infringere temptaverit, maledictionem Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus Sancti habeat. Et ut hoc verius habeatur, & firmius ab omnibus Successoribus nostris credatur, propria manu nostra firmavimus; & hoc per Janellum filium quondam Aimerici Notarium nostrum Tabelionem fieri jussimus.*

Actum Regii in Capella Sancti Andree feliciter.

Testes

Testes rogati interfuerunt Joannes Rodulfus Reginæ Ecclesiæ Canonicus , Albertus Cambiatore .

Ego Petrus Reginus Episcopus *subscripsi* .

Ego Janellus , sacri Imperii Notarius rogatus interfui , & hæc omnia scripsi , complevi , & dedi .

Quod Porfilio Archipresbytero Cathedralis Regiensis factum vides ab Antistite Petro, idem quoque opinari licet factum ab aliis Episcopis erga alios Canonicos, quos propterea non tantùm appellare consueverunt *Canonicos* , sed & *Cardinales* . Proinde quum legimus Diplomate Caroli Crassi Augusti , Anni DCCCLXXXIII. & in altero Ludovici III. Augusti , Anno DCCCCI. Bergomati Ecclesiæ concesso , molestiam nullam inferendam esse *Monasteriis, Xenodochiis , vel Ecclesiis Baptismalibus , aut Cardinalibus , seu Oraculis* &c. ejusdem Ecclesiæ , sub titulo *Cardinalis Ecclesiæ* intelligere debemus Capellas Parochiales , aut Diaconias; latior quippe significatio fuit vocis *Cardinalis* , quàm *Baptismalis* . Idem , sed aliis verbis repetitum videas in Diplomate Arnulfi Regis Anno DCCCXCV. ubi immunitas conceditur *Plebibus , Monasteriis, Titulis , Curtibus* &c. Bergomatis Ecclesiæ . Ita in Diplomate Ludovici II. Augusti apud Campium , Tomo primo , pag. 460. Histor. Eccles. Placentinæ , eadem formula occurrit in *Plebibus , seu Monasteriis, Titulis aliisque Ecclesiis , vel domibus* &c. *Titulorum* nomine veniunt urbanæ Ecclesiæ Parochiales : uti sub *Plebium* vocabulo Ecclesiæ Baptismales rurales . Scilicet Capitulo suorum Canonicorum Episcopi conferre consueverunt Ecclesias quasdam , sive Parochiales sive Diaconales. Parochiales collatæ quibusdam ex ipsis Canonicis Titulum *Cardinalis* eisdem proprium adferebant . Et revera Adelbertus Episcopus Bergomas Anno DCCCCVIII. Canonicis suis , eorumque Collegio contulit *Basilicam beati Cassiani Martyris Christi , sitam infra Civitatem , ea ratione , ut singulis diebus refectio fiat Presbytero & Diacono & , Subdiacono & Ostiario, qui hebdomadam in ipsa custodierint Ecclesia* . Immo ullum vix fuit olim Canonicorum Collegium , ad quod non spectarent variæ in suis Urbibus Ecclesiæ . Neque enim tunc nefas fuit , duas Præbendas habere, aut geminis Ecclesiis uno tempore famulari . Quum ergo Lotharius II. Italiæ Rex , Tom. V. Ital. Sacr. confirmat *sanctæ Cumanæ Ecclesiæ gregi* (hoc est , Canonicis Novocomensibus) *tam de Cardine , quamque omnibus Sacerdotibus , Clusas & Pontem de Clavenna* , explicanda hæc esse videntur , ut ex ipsis Canonicis quidam *Cardinales* essent, hoc est titulo singularis alicujus Ecclesiæ donati ; reliqui verò dumtaxat *Canonici* . Exemplum sanctæ Romanæ Ecclesiæ , cujus æmulatione quadam , aut si mavis , imitatione , ducebantur illustriores in Italia Ecclesiæ , edocere nos potest , quid sentiendum nunc nobis sit *de Cardinalibus* reliquis, qui per Italiam occurrunt in veterum monumentis . Nimirum liquet, non minus nostris, quàm antiquis temporibus , Romanæ Ecclesiæ Cardinales Titulo alicujus Ecclesiæ fuisse in Urbe insignitos ; atque in ea si Presbyteri erant , veros fuisse Parochos ; si verò Diacones , aut Subdiacones erant, creditæ sibi alicujus Diaconalis sive Subdiaconalis Ecclesiæ veros fuisse , proprios , ac stabiles Rectores . Atque heic posset aliquis laudare Bullam Johannis III. Papæ, Anno Christi DLX. scriptam , quam Turrigius evulgavit in Libro de Cryptis Vaticanis Part. 2. Cap. 8. in qua ait : *Ecclesiam Duodecim Apostolorum (nunc Sancti Apostoli) Titulum Cardinalatus constituimus , nec non & Parochiam , sicut ceteri Tituli Urbis habent* &c. Sed sunt , quæ Bullam illam recentiorum Sæculorum fœtum indicant : quod & sapiunt verba ipsa nunc adducta , & *peccatorum remissio Capituli hujus , & Privilegii observatoribus & coadjutoribus condonata*, ut alia prætercam . Dubiis hisce documentis minime opus est ad agnoscendam Cardinalium sanctæ Romanæ Ecclesiæ , ac Titulorum in Urbe antiquitatem . Quum verò *Titulum* audis , rem adnotatione dignam non præteribo. Videlicet hoc nomine donatas olim fuisse *Ecclesias Parochiales* dumtaxat, non verò *Diaconias* . In Romana Synodo Anni DCCCLIII. mentio est *Titulorum , vel Diaconiarum* . Et in Annalibus Ecclesiasticis Cardinalis Baronii ad Annum DCCCLXXXII. exhibetur Constitutio Johannis VIII. Pontificis maximi de Cardinalibus , ubi hæc verba : *Bis in mense , vel eo amplius , vel apud illum vel illum Titulum , sive apud illam vel illam Diaconiam , sive apud alias quaslibet Ecclesias vos convenire mandamus* . Ubi diserte vides sub *Tituli* vocabulo venire Parochiales quidem Ecclesias , non autem Diaconias . Tum Anastasius de Euaristo Papa scribit : *Hic Titulos in Urbe divisit Presbyteris* . Idem repetit in Sancti Marcelli Papæ Vitâ , & alibi . Et profectò Bullas quamplurimas Romanorum Pontificum sive editas sive ineditas vidi, quibus subscribunt sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales , Presbyteris *Titulum* suæ Ecclesiæ præferentibus , non verò Diaconis . Exempli caussâ Bullam Adriani IV. Papæ vidi pro Monasterio Pomposiano , *Datam Romæ apud Sanctum Petrum , per manum Rolandi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis & Cancellarii , V. Idus Aprilis , Indictione III. Incarnationis Dominicæ Anno MCLV. Pontificatus verò Domni Adriani Papæ IV. Anno Primo* . Huic post Episcopos subscribunt .

Ego Guido Presbyter Cardinalis Titulo *Sancti Grisogoni* .

Ego Hubaldus Presbyter Cardinalis Titulo *Sanctæ Praxedis* .

Ego Mathias Presbyter Cardinalis Titulo *Sanctæ Savinæ* .

Ego Julius Presbyter Cardinalis Titulo *Sancti Marcelli* .

Ego Octavianus Presbyter Cardinalis Titulo *Sanctæ Cæciliæ* .

Ego Girardus Presbyter Cardinalis Titulo *Sancti Stephani in Celio Monte* .

Ego Johannes Presbyter Cardinalis *Johannis & Pauli* Titulo *Pamachii* .

Ego Johannes Presbyter Cardinalis Titulo *Sanctorum Silvestri & Martini* .

Ego Rodulfus Diaconus Cardinalis *Sanctæ Luciæ in Septisolio* .

Ego Gerardus Diaconus Cardinalis *Sanctæ Mariæ in Via Lata* .

Ego Odo Diaconus Cardinalis *Sancti Nicolai in Carcere Tulliano* .

Accipe & alterum exemplum . Ughellius in Appendice ad Tomum Quinctum Ital. Sacr. primæ editionis , Bullam Lucii II. Papæ evulgavit pro Alberio , sive Alberone Episcopo Regiensi , scriptam Anno Christi MCXLIV. sed omissis Cardinalium subscriptionibus , quæ ita se habeat .

Ego

Ego Lucius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus *subscripsi* .

Ego Conradus Sabinensis Episcopus subscripsi.

Ego Gregorius Cardinalis Sanctorum Sergii & Bacchi subscripsi .

Ego Gregorius Cardinalis Tituli *Sancti Sixti subscripsi* .

Ego Ymarus Tusculanus Episcopus subscripsi.

Ego Petrus Albanus subscripsi .

Ego Thomas Presbyter Cardinalis Titulo *Vestinæ subscripsi* .

Ego Ubaldus Titulo *Sanctæ Praxedis subscripsi* .

Ego Manfredus Presbyter Cardinalis Titulo *Sanctæ Savinæ subscripsi* .

Ego Nicolaus Presbyter Cardinalis Titulo *Sancti Ciriaci subscripsi* .

Ego Guido Diaconus Cardinalis *Sanctorum Cosmi & Damiani subscripsi* .

Ego Rodulfus Diaconus Cardinalis *Sanctæ Luciæ in Serabulis subscripsi* .

Ego Johannes Diaconus Cardinalis *Sancti Adriani subscripsi* .

Ego Gregorius sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus *subscripsi* .


Ego Hugo Romanæ Ecclesiæ Diaconus *in Sancta Lucia in Horfia* .

Alias Bullas in hoc ipso Opere produxi: plurimas item habes in Bullario Casinensi Margarini, in Italia Sacra Ughellii, & Tomo primo Veter. Scriptor. Martene, ut alios omittam. Ibi Cardinales Presbyteri, idest Parochialis alicujus Rectores, *Titulum* suum indicant; atque ab eo abstinent Diaconi. Quare si quando occurrant nonnullæ aliæ Bullæ apud nuper memoratos Scriptores, in quibus Diaconi quoque *Titulum* præferant, diligentiùs inquirendum erit, num ita in autographis legatur, an potius Librariorum incuriâ, aut audaciâ *Titulus* ille Diaconorum subscriptioni fuerit adjectus. Mihi non vacat intimius in quæstionem istam penetrare.

Antiquis autem Sæculis accesserunt etiam ad veterum Cardinalium Romanorum chorum quidam Episcopi Romanæ Urbi contermini, ac demum exteri etiam Episcopi, sed Titulo alicujus urbanæ Ecclesiæ donati: ex quibus Ordinibus tamdem conflatum est amplissimum a multis Sæculis, & nunc Eminentissimum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Collegium. Animadvertendum ergo est, olim Presbyteros Urbis Cardinales, utpote qui essent Parochi, ad residentiam obligatos fuisse; idque deduci ex Romana Synodo Anni DCCCLIII. sub Leone IV. Papa, ubi *Anastasius*, non ille quidem, cui Vitas Romanorum Pontificum adscribere solemus, sed alter *Tituli Sancti Marcelli Presbyter Cardinalis* depositus est, eo quod *Parochiam* suam *per annos quinque* contra Canonum instituta deseruisset. Quo exemplo luculentius ostenditur, *Cardinalem* ac *Titularem alicujus Ecclesiæ*, idem olim fuisse, quum contra nullus Canon ad residendum adigeret reliquos Presbyteros aut Diaconos non Titulares, hoc est sive Vicarios, sive Capellanos, aut alteri mobili ministerio addictos. Illud etiam animadvertendum, antea, hoc est Anno DCCLXIX. in altera Synodo Romana interdictum fuisse, *ne ullus umquam præsumat Laicorum, neque ex alio Ordine, nisi per distinctos gradus ascendens, Diaconus aut Presbyter Cardinalis factus fuerit, ad sacrum Pontificatus honorem possit promoveri*. Hæc Anastasius Bibliothecarius in Vita Stephani IV. Papæ, quem *Tertium* alii appellant. Itidem in Ecclesia Romana olim erant *Cardinales septem Collaterales, & Hebdomadarii, quod singulis Hebdomadis explerent munus Pontificis*, ut habetur ex antiqua Notitia, a Baronio edita ad Annum MLVII. Quod & ab ipso Anastasio antea memoratum fuerat in Vitâ ejusdem Stephani IV. Papæ. His præmissis, facile intelligamus, quid censendum sit de Cardinalibus quoque ceterarum illustrium Ecclesiarum Italiæ. Johannes VIII. Papa Anno DCCCLXXIX. dedit Epistolam 221. ad Clerum Mediolanensis Ecclesiæ, ut Ansperto Archiepiscopo rejecto, ad electionem alterius procederent, eumque deligerent, *qui de Cardinalibus Presbyteris, aut Diaconibus* (utique Mediolanensis Ecclesiæ) *dignior fuerit repertus*. Eadem habet Arnulphus Mediolanensis Lib primo Cap. primo Historiæ suæ. Rursus ad Annum MLIII. refert Puricellius tabulas, in queis *Hebdomadarii Majoris Ordinis* occurrunt, iidem certe ac *Ordinarii Cardinales* Mediolanensis Ecclesiæ: hos autem *Cardinalibus Hebdomadariis* Romanæ similes puto. Mediolanenses tamen Cardinales fuisse Canonicos Majores Metropolitanæ Ecclesiæ, Charta nuper laudata nos docuit, quum ibi legatur: *Constituerunt, ut Oridnarii in Ecclesia Majore, ita ipsi in Monasterio integrum adimplerent Officium*; ac propterea in aliis tabulis dicuntur *Sanctæ Mariæ Cardinales*. Quod si contendas, numquam fuisse Canonici nomen inditum Romanis Cardinalibus, ego tibi objicio Ordericum Vitalem Ecclesiastic. Histor. Lib. 4. pag. 516. apud Du-Chesnium Scriptor. Normann. Nempe is narrat, Alexandrum II. Papam Anno MLXIX. misisse ad Guillielmum Angliæ Regem *duos Canonicos Cardinales*, quos idem aperte etiam vocat *Cardinales Romanæ Ecclesiæ*. Ceterum Cardinales etiam Mediolanenses alicujus Ecclesiæ titulo olim insignitos fuisse conjicere possumus ex monumento vicinæ Ecclesiæ, nempe Ticinensis, quod nunc evulgare congruum duco, desumtum ex pervetusto exemplo exsistente in Archivo Episcopii Ticinensis.

Diploma Hugonis & Lotharii Regum Italiæ conceſſum Liutefredo Epiſcopo Ticinenſi, Anno, ut creditur, 943.

IN nomine *Sanctæ & individuæ Trinitatis*. Hugo & Lotharius *divina providente clementia* Reges. *Regum decet excellentiam, ſanctis ac venerabilibus Locis ex ſuis largiri, & largita confirmare, ac ſub defenſionis munimine cuncta corroborare. Quapropter omnium Sanctæ Dei Eccleſiæ fidelium, noſtrorumque præſentium ac futurorum noverit ſolertia, qualiter petitione & interventu* Sigefredi Parmenſis Epiſcopi, *atque* Eliſiardi Comitis, *beato Syro ſacerrimo Confeſſori, ſuæque ſanctæ Ticinenſi Eccleſiæ, cui* Luithefredus Præſul *præeſſe videtur, omnes res & familias, Abbatias, videlicet, Plebes & Cortes, cunctaque quæ ad eamdem Ticinenſem Eccleſiam pertinere vel reſpicere videbantur, eo tempore, quo eadem Ticinenſis Civitas cælitus furore miſſo conſumpta eſt, per hoc noſtrum Præceptum concedimus, largimur, confirmamus, & corroboramus, nominative videlicet Abbatiam in honore Domini Salvatoris in Campanea, non longe a Ticino ſitam; Sanctæque Mariæ ad Perticam; & Sancti Michaëlis, quæ dicitur Major; Sancti Romuli; & Sanctæ Chriſtinæ; Sanctæque Muſtiolæ;* omneſque Cardinales Capellas tam extra, quam infra Urbem *poſitas; necnon etiam Monaſterium Vetus, Annonis, & Sigemarii, & unum Monaſterium in Cariade; Cortes etiam Ceccimam, Montem Velleris, Summi, Sarianum, Robuſchaletam, Cugulo, Teneſi; & ſuper Lacum Cumanum, Cernobium, Menaſi, & Maximo, que eſt in Valle Tellina; verum etiam & Vada Piſcaria, atque Petrus, ideſt Navicella Epiſcopi, & Portum Sculasitium in Ticino. Inſuper etiam concedimus, ut a Portu Ticini uſque ad Portum, qui dicitur Burigo, & a capite Vernabulæ uſque ad Vadum Farigenicum. Inſulis & piſcationibus & molendinis, cum omnibus, quæ dici & nominari poſſunt infra ipſas fines, ſint in jure & poteſtate prælibatæ Eccleſiæ; & neque Ripaticum, neque Terraticum, neque Teloneum, neque Paliſicturam, neque aliquam functionem ullo in loco ad publicam Partem perſolvat, ſed cuncta ſicut jam dictum eſt, ante incendium Ticinenſis Urbis, undecumque aut quomodocumque eadem Ticinenſis Eccleſia inveſtita fuit ſeu per Precepta a noſtris Prædeceſſoribus, ſeu per quæcumque Inſtrumenta Cartarum a fidelibus collata, per hoc noſtrum Præceptum concedimus, largimur, confirmamus, & corroboramus una cum Monaſteriis, Abbatiis, Cortibus, Plebibus, Sortibus, Maſſaritiis, Servis & Ancillis, Aldionibus & Aldianis, omnibuſque rebus, quæ dici vel nominari poſſunt, ad eamdem Ticinenſem Eccleſiam pertinentibus, in integrum concedimus: etiam ut ſi ex quibuslibet rebus vel familiis præfatæ Eccleſiæ aliqua contentio orta fuerit, per inquiſitionem trium bonorum hominum ex filiis ejuſdem Eccleſiæ per ſacramentum confirmetur, quod pars ipſius Eccleſiæ, unde inveſtita fuerit, & ſic firmiter in poſterum poſſideat. Statuentes itaque jubemus, ut nullus Dux, neque Marchio, Comes, etiam Vicecomes, Scudacius, vel aliquis Miniſter publicus, aut aliqua perſona diſveſtire, aut invadere de rebus prædictæ Eccleſiæ ſine legali judicio, Teloneum quoque, aut ullam publicam functionem exigere, aut Manſionaticum præſumtive accipere audeat; ſed eadem Eccleſia cum rebus atque familiis, noſtræ, noſtrumque Succeſſorum defenſionis munimine perfrui, & pacifice manere queat. Si quis igitur hoc noſtrum Præceptum violare tentaverit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi Libras mille, medietatem Cameræ noſtræ, & medietatem Vicario ipſius Eccleſiæ, ſuiſque Succeſſoribus. Quod ut verius credatur, diligentiuſque ab omnibus obſervetur, manu propria roborantes, de anulo noſtro ſubter juſſimus ſigillari.*

Signa Domnorum Regum  *Hugonis atque Lotharii.*

Giſeprandus Cancellarius ad vicem Boſonis Epiſcopi Archicancellarii recognovi, & ſubſcripſi.

Confirmantur heic Epiſcopo *omnes Cardinales Capellæ*. At quid aliud has opinari poſſumus, niſi Eccleſias, quarum Titulum quiſquis obtinebat, *Cardinalis* deinde appellabatur? Neque negotium faceſſat *Capellæ* vocabulum, quo Oratoria tantùm deſignari videntur; nam uti in Diſſertatione LXXIV. *de Parochiis* oſtendam, Capellæ interdum appellabantur ipſæ quoque Parochiales Eccleſiæ. Præterea nunc addo, Paſchalem II. Papam in Bulla, qua Anno MV. Privilegia confirmat Guidoni Epiſcopo Ticinenſi apud Ughellium Tomo primo Ital. Sacr. pag. 21. Appendicis, in hæc verba loqui: *Sane Monaſteriis, aut Capellis aliquibus, præter Matricem Eccleſiam, Baptiſmum generalem fieri penitus prohibemus*: quæ itidem confirmata fuere in altera Bulla Honorii III. Papæ data Anno MCCXVII. Hinc autem intelligas, *Capellarum* nomine Eccleſias etiam Parochiales Ticinenſi in Urbe ſignificari, quibus interdicitur Baptiſmi collatio, atque uni Cathedrali reſervatur, utpote cui ad hoc ſingulare munus erat Eccleſia Sancti Johannis ad Fontes fabricata: qui mos in nonnullis aliis Civitatibus olim invaluit, & nunc etiam obtinet. Adjunctam his nunc volo Chartam alteram, in qua innuitur fundatio Baſilicæ Sanctæ Mariæ, quæ nunc *Sancta Maria Falcorina* Mediolani appellatur, Collegio Sacerdotum, juribuſque Parochialibus decorata. Chartam deſcripſi ex MSto Codice Franciſci Caſtelli in Ambroſiana Bibliotheca adſervato.

Donatio

Donatio Ecclesiæ Sanctæ Mariæ facta Mediolani Fulcuyno ejus fundatore, Anno 1107.

IN *nomine Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi.* Henricus *gratia Dei* Rex, *Anno Regni ejus Quarto, VIII. die Mensis Octobris, Indictione ingrediente VI. Manifeste profiteor ego* Fulcuynus, *filius bonæ memoriæ Bernardi de Civitate Mediolani, qui professus sum ex natione mea, Lege vivere Salica. Ego namque habeo ædificatam* Capellam *unam juris mei in terra propria mea intra hanc Civitatem prope locum, ubi Theatrum nominatur,* in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, *quæ est Mater Domini nostri Jesu Christi, ubi nunc Presbiteri tres ibidem ordinati, & Officiales esse videntur. Propterea prævidi ordinare & judicare ipsam Capellam, & medietatem ex omnibus rebus illis juris mei rejacentibus in loco & fundo Vicogeni, quæ est medietas Mansos duos. Primum rectum & laboratum per Protasium, & alium per Lunfredum: & sunt ipsæ res nominatæ per sedimina per mensuram perticarum sex, de vineis juges tres, de campis per mensuram juges triginta, de pratis juges quatuor, de silvis castaneis juges tres, de silvis sullareis & roboreis, seu zerbis juges decem, Eo ordine, ut sic exinde permaneant a præsenti & deinceps, qualiter ego hic subtus statuero & judicabo pro animæ meæ remedio; ita ut ipsa Capella in mea sit potestate ad faciendum qualiter mea decreverit voluntas. Tamen volo & judico, ut unum ex ipsis Mansis supra dictis rejacentibus in eodem loco, quod rectum & laboratum esse videtur per jam dictum Protasium, presentialiter deveniat in potestatem illius Presbyteri, qui major esse videatur in eadem Basilica, ad faciendum ex frugibus, vel censum redditum, quibus ex ipso Manso annue exierit, usufructuario nomine: eo tamen ordine, ut si Presbyter, & Diaconus, seu Subdiaconus, atque Magister Ebdomadarius, & Lector Primicerius, seu Lectores duo, & Clericus, atque Schola Sancti Ambrosii in Vigilia in Nativitate Sanctæ Mariæ ad Vesperum canendum in eadem Basilica venerint, quæ venit in ipsa Vigilia septimo die Mensis Septembris, ab ipso Majori Presbytero fruges & vinum accipiant. Insuper si mane psallendo in eadem Basilica advenerint, & ibidem Officium Missæ celebraverint secundùm consuetudinem, Clerici panem & vinum accipiant, & ipsi Septimanarii ab ipso Presbytero invitati prandium accipiant. Prandio finito det ipse Presbyter* Cardinali Presbytero *Denarios sex, Diacono sex, Subdiacono quatuor, Magistro Ebdomadario tres, Primicerio Lectorum tres, duobus Lectoribus binos Denarios, Clerico Denarium unum, prædictæ Scholæ Sancti Ambrosii panes quinque segalitios, casei Libras duas, vini Sexstarios duos, Custodibus duos frumentitios panes, & duos segalitios, casei Libram unam, vini Sestarium unum. Hæc autem omnia adimpleantur pro animæ meæ remedio. At si evenerit, quod ipse prædictus Presbiter, Sathanâ compellente, sicut superius a me dijudicatum est, non adimpleverit, eodem anno eamdem Capellam perdat: neque in antea ejusdem Ecclesiæ fungatur Officio; fruges verò, & de censu suprascripto Manso ipso anno in potestate* Cardinalis Presbiteri, *& Diaconi deveniant usque ad expletum annum, eo ordine, ut quod sacrilegus Presbiter neglexit, ab Septimanariis recuperetur. Expleto itaque anno Presbiter, qui secundo a primo in eadem Capella præordinatum esse videatur, ad ipsum Mansum recipiatur, & adimpleatur quod a me dijudicatum est. Et si quis Presbiter deinceps hoc neglexerit, sempiternaliter id ipsum patiatur detrimentum. De reliquo Manso, ut supra legitur, qui rectum esse videtur per ipsum Lunfredum, a præsenti die deveniat in manibus & potestatem ipsorum trium Presbiterorum, qui in ipsa mea Capella Officiales & præordinati fuerint, faciendum tam ipsi, quàm eorum posteris de frugibus & censu, qui exinde exierint, inter se æqualiter ad eorum usum & benedictionem quamcumque voluerint pro animæ meæ remedio, quia sic est mea voluntas. Quæ autem res, ut supra legitur, cum superioribus & inferioribus suorum, confinibus & accessionibus suis in integrum ab hac die in antea volo ego Fulcuynus, ut sic exinde permaneat, qualiter ego Fulcuynus superius judicavi. Et taliter per cultellum,* wantonem, wasone *terræ, & frondes arborum, seu festuchum nodatum, pars ejusdem Basilicæ Sanctæ Mariæ legiptimam facio traditionem, & corporalem investitam: habendum & tenendum, sicut supra habere institui, sine mea, meorumque heredum contradictione. Et me exinde foris* waspivi *de rebus ipsis a parte ejusdem Basilicæ, & absentem me facio. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si ego ipse Fulcuynus, quod absit, vel ullus de heredibus ac proheredibus meis, seu quislibet nostra supposita persona contra hoc meum testamentum ire, aut eum irrumpere quæsierimus, tunc componamus ad partem ejusdem Basilicæ, & eosdem Presbiteros multa, quæ est pœna, auro optimo ontias tres, & argenti pondera sex, & quod repetierimus, vindicare non valeamus; sed præsens hæc Cartula Judicati diuturnis temporibus firmum, & inconvulsum permaneat cum stipulatione subnixa. Et pergamela cum atramentario de terra levavi; Arialdi Notarius & Judex sacri Palatii dedi, exscribere rogavi, & ad testibus roborandum.*

Actum suprascripta Civitate Mediolani.

Fulcuynus a me facto subscripsi.

Leo Judex sacri Palatii rogatus subscripsi.

Lanfranchus Notarius sacri Palatii rogatus subscripsi.

Signum ✠ ✠ *manibus Marini & Arduini, Pater & filius, Lege viventes Salicha, testes.*

Ego qui supra Arialdus Notarius, & Missus Domni Secundi Conradi Regis, autenticum hujus exempli vidi, & legi, & sic in eo continebatur, sicut in isto legitur exemplo, præter litera plus vel minus.

Ego Gualdricus Paliarius Notarius sacri Palatii autenticum &c.

Ego Suzo Judex de Marliano autenticum &c.

Ego Passaguerra Judex autenticum &c.

Ego Petrus sacri Palatii Notarius, qui dicor Abbas hoc exemplum ex autentico exemplavi, & sic in eo &c.

En ut quæ *Capella* dicebatur, postea *Basilica* non semel appellatur, ut jam intelligere possis, interdum non tantùm Oratoria, sed & nobiliores Ecclesias hoc nomine donatas, ac facile

facile has *Cardinales Capellas* tum Papiæ, tum Mediolani Canonicis majoris Ordinis collatas, Cardinalitium Titulum iis peperisse. Atque ad ejusmodi usum allusisse videtur Sanctus Johannes Gualbertus, ut est in Cap. 3. Vitæ illius, editæ ad diem XII Julii a Clarissimis Patribus Soc. Jesu in Actis Sanctorum. Is enim Monachos suos *prohibuit accipere Capellas, ad hoc quod aliquando a Monachis regi deberent. Canonicorum, non Monachorum, hoc esse officium dicebat*. Vide etiam in subsequenti Dissertatione verba Concilii III. Aurelianensis. Ac proinde non incongrue statui jam posse videtur, ideo *Cardinalium* nomenclaturâ ornatos olim fuisse quarumdam Urbium Canonicos, quod Rectores quoque forent Ecclesiæ alicujus Cardinalis, in eâdem plerumque Urbe sitæ. Fortassis etiam nihil opus fuit, ut Ecclesia A illa Baptismalis foret. Et revera Diaconias Cardinales olim non fuisse Baptismales, arbitror. Neque Baptismales quævis inter Cardinales Ecclesias recensebantur: nam plerumque Urbanis tantummodo Parochiis & Diaconiis hic titulus conferebatur. Idque etiam elucere videtur ex Diplomate Caroli Crassi, spectante ad Annum DCCCLXXXI. apud Campium, Tomo primo, pag. 467. Histor. Ecclesiæ Placentinæ, ubi hæc verba: *Cum Monasteriis, & Cellis, vel Ecclesiis Baptismalibus, quæ intra Civitatem prædictam Cardinales habentur, sive quæ extra Civitatem existunt*. Sed hisce adjungenda est Charta ex Archivo Metropolitanæ Senensis deprompta, quam communem mecum voluit mei, dum vivebat, amantissimus vir, Hubertus Benvoglientus, sæpe in hoc Opere laudatus.

Donatio a Rodulpho Episcopo Senensi facta Capitulo Canonicorum Senensis Ecclesiæ, Anno 1081.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Anno Dominice Incarnationis Millesimo Octuagesimo Primo, IV. die Novembris, Indictione V. Beatissime venerabilis Regule Canonice Sancte Marie Senensis Episcopatus, in qua, nos Deo defendente, Domnus Lambertus Archipresbiter preesse videtur, omnibusque Canonicis ibidem regulariter viventibus. Ego quidem in Dei nomine Domnus Rodulfus *sancte* Senensis Ecclesie Episcopus, *donator in præfata Canonica pro oblatione & inluminatione, seu eterna remuneratione anime mee, &* Johannis Episcopi, *successorumque meorum, prono animo, ac spontanea mea voluntate, nullo me penitus cogente, neque compellente, vel vim inferente, sed meo proprio deliberationis arbitrio dono, concedo, trado, & transfero prefate Canonice, & ad prefatum Archipresbiterum, Lambertum nomine, qui modo huic prefate Canonice preest, & ad suos posteros successores, qui pro tempore ibidem ordinati fuerint, una cum suis Fratribus, qui nunc ibidem sunt, & in antea ordinati fuerint, & insimul ad unam mensam vixerint, de bonis Ecclesie Sancte Marie, idest integram terram, & Vineam prope prefatam Canonicam, positam in loco, qui dicitur* al Cancello, *& est ab omni circuitu designata; ex uno latere est Via, que modo vadit ad Fomtem, que vocatur Vitrice; ex alio vero latere est terra Contile, quam detinet Rainerio Dippie, & fossatum desuper usque ad casas & mura Civitatis; desuptus est fossatum, qui procedit a fromte Bramda. Ut ammodo a presenti die liceat tibi prefato Archipresbitero, tuisque successoribus, omnibusque in prefata Canonica regulariter viventibus & futuris, ibidem introire, & in perpetuum abire, & tenere, laborare, & fruere ad vestrum, vestrorumque successorum usum, ad faciendum exinde, quod volueritis, sine omni mea Rodulfi Episcopi, meorumque Successorum contradictione. Et ab ac die numquam liceat mihi Rodulfo Episcopo, meisque successoribus ullo umquam in tempore prefatam integram terram & Vineam una cum accessione & ingresso suo, seu cum superioribus & inferioribus suis, de jam dicta Canonica tollere, contendere, suptraere, minuere, sive Libellario nomine transcribere, sive pro quocumque ingenio alienare, aut aliquam repetitionem facere: sed liceat vo-* B *bis omni tempore quiete abere & tenere sine omni mea Rodulfi Episcopi, meorumque successorum contradictione. Quod si, quod absit, & avertat Divina potentia, & omnia, que superius legitur, ego Rodulfus Episcopus, meique posteri successores non observaverimus, aut contrahire, aut infringere voluerimus: tunc obligo, promitto, me, meosque successores tibi prefato Archipresbitero, tuisque posteris successoribus, prefate Canonice daturos & composituros penam numerum centum Librarum optimi argenti. Et post etiam data pena & absoluta hoc scriptum in perpetuum manere stabile & firmum. Et insuper omnipotenti Deo, & Beate Marie semper Virgini, & beati Petri Apostolorum Principis, & beati Severini Confessoris occurrat offensa.* C *Et a trecentis decem & octo Patribus anathematizetur, excomunicetur, & condepnetur, & cum Juda traditore participetur. Unde hoc scriptum in sancta nostra Sinodo corroboratum & conlaudatum, scribere rogavi Petrum Notarium & Judicem sacri Palatii.*

Actum Senâ intus Ecclesia Sancte Marie Domui Episcopio Senense.

Ego Rodulfus *Dei gratia sancte* Senensis Ecclesie Episcopus, *in hoc scripto a me facto, & in sancta Synodo est laudato & corroborato, subscripsi.*

Simgnum ✠ ✠ *manuum* Ugonis *&* Raineri *germanis &* Comitibus *rogati testes.*

Simgnum ✠ ✠ ✠ *manus* Ugonis Vicecomitis, *& Raineri fili quondam Pacci, & Rol-* D *landini filius quondam Raineri de Malignano, rogati testes.*

☧ *Ubertus Vicedominus subscripsi.*

✠ *Ego Vicido Clericus & Primicerius interfui & subscripsi.*

✠ *Ego Raimundo Abbas subscripsi.*

✠ *Ego Rodulfus Medicus & Clericus subscripsi.*

✠ *Ego Azzo Archidiaconus subscripsi.*

✠ *Rollandus Clericus & Prior Scole subscripsi.*

✠ *Ego Joannes Medicus subscripsi.*

✠ *Ego Andreas Clericus subscripsi.*

✠ *Ego Martinus Clericus & Canonicus subscripsi.*

Ego Rollandus Judex sacri Palatii subscripsi.

Ego

Ego Rollandus Judex sacri Palatii interfui & subscripsi.
Subscripsit factis his Wido jure peractis.
Simgnum ✠✠✠✠✠✠✠ *manuum Patroni, & Antonini germanis filiis quondam Johanni Vicedomini, & Rainerius filius quondam Punizoni, Willelmulo filius Civitucci, & Purporini germano suo, & Vividuccio filius quondam Corboli Olive, & Rozzi filius quondam Baldrighi, rogati testes.*
Ego Rolandinus Judex sacri Palatii interfui, manu mea subscripsi.
✠ *Ego Rainaldo subscripsi.*
✠ *Ego Capo subscripsi.*
✠ *Ego Maizo* M *ibi fui & subscripsi.*
Ego Rusticus Presbiter & Plebanus Canonice de Punzano subscripsi.
Ego Leo Presbiter & Plebanus Sancte Innocentie subscripsi.
Ego Guido Presbiter & Plebanus Marmoriu subscripsi.
Ego Ceccio Presbiter & Plebanus de Saturgnano subscripsi.
Ego Petrus Presbiter & Plebanus de Carli subscripsi.
Ego Martinus Presbiter & Plebanus de Sancto Justo subscripsi.
Ego Leus Presbiter Sancti Valentini subscripsi.
Ego Wido Presbiter & Plebanus de Valli subscripsi.
Ego Pepo Presbiter & Plebanus de Gragina subscripsi.
Ego Stefanus Presbiter & Plebanus de Sciata subscripsi.
Ego Joanni Presbiter & Plebanus de Lornano subscripsi.
Ego Benedictus Presbiter & Plebanus de Ancajano subscripsi.
Ego Arnulfus Presbiter de Lentisculo subscripsi.
Ego Bonizo Presbiter de Cardine Sancti Laurentii *subscripsi.*
Ego Petrus Canonicus, & Cardine Sancta Petronilla *subscripsi.*
Cardine Sancti Donati & Ilariani Presbiter *Bonofilio subscripsi.*
Ego Presbiter de Sancto Martino subscripsi.
Ego Presbiter *Grimaldo* de Cardine Sancti Georgii *subscripsi.*
Ego Teuzo Presbiter & Plebitaneus de Liliano interfui & subscripsi.
Ego Johannes Presbiter de Cardine Sancte Eugenie *subscripsi.*
Ego Petrus Notarius & Judex sacri Palatii, postradita complevi & dedi.

Heic tenebræ. Primo Canonici nonnulli subscribunt, & nemo ex eis *Cardinalem*, sese inscribit. Succedunt *Plebani* complures, & de iis ne ullus quidem *Cardinalis* dicitur. Parochos Baptismalium Ecclesiarum extra Urbem sitarum vox ista significare consuevit, Sed ubinam Parochi Urbani? Fortassis in Urbe Senensi, præter Cathedralem Ecclesiam, nulla alia tunc temporis Baptismum conferebat. Fuerunt etiam Civitates, quæ Capellanos amovibiles plerosque, paucos verò Parochos stabiles, & nullum quandoque habuere. Subcribunt deinde *Presbyteri* quidam *de Cardine Sancti Laurentii, Sancti Georgi,* & *Sanctæ Eugeniæ.* Hæc formula num Parochum designat, an Presbyterum dumtaxat inservientem in aliqua *Cardinali* Ecclesia? Prodibit hoc isto Opere Charta Gauslini Episcopi Patavini scripta Anno DCCCCLXXVIII. ubi dicitur *convocata Sacerdotum, Levitarum, reliquorumque caterva, tam ex Cardine Urbis, quamque ex singulis Plebibus vel Oraculis Synodo.* Otto etiam III. Imperator in Diplomate Novocomensi Ecclesiæ concesso, Anno DCCCCXCIX. apud Ughellium, privilegia confirmat *Gregi sanctæ Cumanæ Ecclesiæ tam de Cardine, quamque omnibus Sacerdotibus* &c. Præterea in Senensi Charta mox supra descriptâ unus occurrit *Petrus Canonicus, & Cardine Sanctæ Petronillæ*: quæ verba innuunt unum, qui Canonicus Ecclesiæ Cathedralis fuit, simulque stabili titulo præfuit Ecclesiæ Sanctæ Petronillæ. Demum animadverte, quid scripserit Richardus Cluniacensis Monachus in calce Catalogi Romanorum Pontificum heic a me editi. Scilicet Pontificalia acta describens ait: *Isti decem & octo Diacones* (scilicet Cardinales) *totidem Ecclesias habent infra muros Civitatis, & tamen omnes isti Canonici sunt Patriarchalis Ecclesiæ Lateranensis.* Atque hactenus commemoratis uberiorem lucem præ ceteris præbebunt Chartæ Mutinenses, rem complexæ multiplici animadversione dignam. Quod in Ecclesia Romana factum monui, ut Episcopi etiam exteri Sæculo, uti creditur, Ch. XI. aut XII. Titulum Cardinalem sibi in Urbe conquirere cœperint, quo fulti ad electionem Romani Pontificis jus haberent, immo & ipsi facilius secundùm Canones ad summum Pontificatum deligi possent, id in Ravennate quoque Ecclesia Sæculo eodem XII. factum deprehendi. Etenim Dodo Mutinensis Episcopus adlectus fuit Anno Christi MCXXII. *Cardinalis Ecclesiæ Sanctæ Agnetis*, in Civitate Ravennate sitæ. Templum hoc Ravennæ excitatum fuisse Anno CCCCXVII. testis est Agnellus Historicus in Vita Exuperantii Archiepiscopi, Part. I. Tom. II. Rer. Italicar. pag. 62. *Abbatia* aliquando appellata est, Rubeo teste, qui & tradit, *Canonicos* in ea se reperisse. Atque heic (quod & alibi innui) animadverte, Ravennatum Archiepiscoporum morem, qui non suo nomine expresso, sed hac una voce *Legimus*, suis Chartis subscribere consueverunt. Hujus consuetudinis exempla non pauca præsto mihi sunt in Archivo Estensi, ubi ingens copia servatur Chartarum ejusmodi. Sed ne heic quidem constitit Gualterii Archiepiscopi liberalitas erga Dodonem Mutinensem Episcopum; adjecit enim, atque subjunxit Ecclesiæ Sanctæ Agnetis, *Capellam Sancti Mammæ*, positam in agro Forolivienſi, ac Plebe Sancti Pancratii, hoc est Ecclesiam, Archipresbytero ejusdem Plebis antea subjectam. Tabulas ipsas autographas vidi, atque heic earum exemplum adnecto, ex Archivo Canonicorum Mutinensium depromtum.

Gualterii

Gualterii Archiepiſcopi Ravennatis Bulla, per quam Dodonem Epiſcopum Mutinenſem conſtituit Cardinalem Ravennatis Eccleſiæ, traditâ ei Eccleſiâ Sanctæ Agnetis, Anno 1122.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Anno Dominice Incarnacionis Milleſimo Centeſimo Vigeſimo Secundo, temporibus Domni Caliſti Pape, & Inrichi Imperatoris, die XV. Menſis Madii Indictione XV. Ravenne. Gualterius ſervus ſervorum Dei, divinâ gratiâ Archiepiſcopus, Dodoni Motinenſis Eccleſie Epiſcopo, atque ſanctæ Ravennatis Eccleſie Presbitero Cardinali, & pro te, tuiſque Succeſſoribus Epiſcopis, qui per tempora in Eccleſia Mutinenſi fuerint in perpetuum, largimur & concedimus, conſencientibus Fratribus noſtris Cardinalibus, Presbyteris videlicet, Diaconibus, & Subdiaconibus, preſente etiam & aſtante Ildebrando Epiſcopo Comiaclenſi, & preſentibus multis aliis Clericis & Laicis, ideſt Eccleſiam Sancte Agnetis Virginis & Martiris, poſitam in ac Civitate Ravenne in Regione Erculana juſta Orologium, cum omnibus rebus & poſſeſſionibus ſuis tam in ac Civitate Ravenne, quamque foris: ut ab ac ora in futuro liceat tibi, tuiſque Succeſſoribus predictam Eccleſiam cum omnibus rebus & poſſeſſionibus ſuis ordinare & diſponere. Et non liceat tibi, neque tuis ſucceſſoribus predictam Eccleſiam cum rebus & poſſeſſionibus ſuis vendere, neque donare, vel comutuare, aut alio modo alienare, vel in alio venerabili Loco relinquere per ullum ingenium vel argumentum: ſed ad lucrum & utilitatem ſub Titulo Cardinalatus tibi tuiſque Succeſſoribus in perpetuum permanendam. Ita tamen, ut tu, & ſucceſſores tui ab inc in poſtremum

A quociensſcunque Eccleſiam Ravennatem viſitaveritis, & loco & officio Cardinalium fungi debeatis tu & ſucceſſores tui in perpetuum, ut ſupra dictum eſt.

Quam precepcionis noſtre paginam Gerardus Notarius ſancte noſtre Ravennatis Eccleſie ſcribendum juſſimus, in qua nos ſuſcripſimus hujus ſub die, Menſe, ſupraſcripta Indicione, in Dei nomine, Ravenne.

✠. LEGIMVS ✠.

✠ Ego Johannes Archipresbiter ſancte Ravennatis Eccleſie, & Cardinalis Sancti Petri majoris Tituli, ſubſcripſi.

✠ Ego Johannes Presbiter & Cardinalis B Sancti Salvatoris manu mea ſubſcripſi.

✠ Ego Johannes Presbiter & Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Rodulfus Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Albertus Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Paulus Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Paganus Diaconus ſubſcripſi.

Ego Guido Primicerius Subdiaconorum ſubſcripſi.

Ego Azo Subdiaconus ſubſcripſi.

Ego Wilelmus Diaconus ſubſcripſi.

Ego Sigefredus Subdiaconus Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Randoinus Subdiaconus ſubſcripſi.

Ego Bellictus Subdiaconus ſubſcripſi.

Ejuſdem Gualterii Archiepiſcopi Ravennatis altera Bulla, per quam concedit Eccleſiam Sancti Mammæ nuper memorato Epiſcopo Mutinenſi Dodoni, Anno 1122.

IN nomine Domini. Anno ab incarnatione Domini Milleſimo Centeſimo Vigeſimo Secundo, temporibus Domni Caliſti Pape, & Einrici Imperatoris, & Viceſimo ſexto Menſe Julii, Indictione Prima, Ravenne: Gualterius, ſervus ſervorum Dei, divinâ gratiâ Archiepiſcopus ſancte Ravennatis Eccleſie, Dodoni Epiſcopo ſancte Mutinenſis Eccleſie, & Cardinali Sancte Agnetis, tibi, tuiſque Succeſſoribus Catolicis, pro ſalute anime mee, remiſſione peccatorum meorum. Ex conſenſu Cardinalium, atque Cantorum, aliorumque fidelium meorum, concedo, dono, atque confirmo tibi, tuiſque ſucceſſoribus, & predicte Eccleſie Sancte Agnetis, Capellam ſcilicet Sancti Mame, cum omnibus pertinenciis ſuis, & cum oblationibus vivorum, quamque & mortuorum, atque cum toto Manſo ſuo, cum terris & vineis, campis, ſilvis, arbuſtis, arboribus, & cum omnibus ſibi pertinentibus, conſtituta teritorio Livienſi, Plebe Sancti Panchraci, trado hec & concedo in predicta Eccleſia Sancte Agnetis, & tranſacto in perpetuum; ea denique condicione

C prefixa, ut ſupraſcriptas res veſtris expenſis ſeu laboribus renovare, & in omnibus meliorare Deo debeatis adjutore. Ita tamen quod nec unquam preſens Preceptum aut predictas res alicui omini dare vel vendere, ſeu transferre aut oponere, vel comutuare, aut Eccleſie Sancte Agnetis auferre, ſeu in alio venerabili Loco relinquere audeatis per ullam occaſionem neque ingenium vel argumentum: ſet ad lucrum & utilitatem tuorumque ſucceſſorum, ſicut ſuperius legitur. Et liceat tibi, tuiſque ſucceſſoribus poteſtatem abere ordinandi & diſponendi in omnibus, tam in ſpiritualibus quàm & in temporalibus, pro ut vobis melius viſum fuerit. Et ſi quis predictam rem tollere aut diſtraere a D vobis, vel ab Eccleſia Sancte Agnetis agere preſumpſerit, ſit anathema & maranata, & cum Juda traditore damnetur, niſi reſipuerit ad ſupplicium eternum. Et ego ſupraſcriptus Archiepiſcopus cum meis Succeſſoribus tibi tuiſque Succeſſoribus ſupraſcriptas auctoriare & defendere promitto, ſub pene auri Unciarum decem, & ſolutâ penâ maneat firmum. Quam vero Precepti

A *cepti paginam Raimberto Notario sancte nostre Ravennatis Ecclesie scribendam jussimus, sub die, & Mense, & Indictione suprascripta Prima, Ravenne.*

✠ LEGIMVS

Ego Guido Archidiaconus confirmans subscripsi.

Ad latus Chartæ hujus autographæ, pone exordium, scriptæ sunt Notæ Chronologicæ, Diei, Mensis, Anni, & Indictionis: quem ritum, fortasse singularem, Ravennatis Cancellariæ, in aliis bene multis pergamenis inspexi. Et sane eamdem prærogativam per multos subinde annos confirmarunt Archiepiscopi Ravennates Mutinensibus Episcopis, uti constabit e tabulis subsequentibus, quæ authenticæ & ipsæ in Chartario Capituli Canonicorum Mutinensium adservantur.

Gerardus Archiepiscopus Ravennas Ecclesiam Sanctæ Agnetis, & Capellam Sancti Mammæ, in Forolivienſi Diœcesi positam, confirmat Henrico Episcopo Mutinensi, Anno 1172.

IN *nomine Domini. Ab Incarnatione ejus Millesimo Centesimo Septuagesimo Secundo, die penultimo Mensis Aprilis, Indictione V. Ravenne, in Palacio Domni Archiepiscopi.* Gerardus *diviná gratiâ sancte* Ravennatis Ecclesie Archiepiscopus Henrico Mutinensi Episcopo, *dilecto Confratri nostro, tuisque Successoribus Catholicis in perpetuum do & confirmo atque concedo tibi, tuisque successoribus Precepta & Cartulas donationis, que olim fecerunt* Gualterius, Moyses, & Anselmus *Predecessores mei beate memorie & pie recordationis* Dodoni, & Bibaldo *Antecessoribus tuis, tueque Mutinensis Ecclesie. Idest de* Ecclesia Sancte Agnetis, & *de* Capella Sancti Mame, *cum omnibus pertinentiis suis, cum oblationibus suis vivorum & mortuorum, atque cum toto Manso suo, cum terris, vineis, arbustiis, arboribus, atque cum omnibus sibi pertinentibus, constituta teritorio Liviensi, Plebe Sancti Pancracii. Et confirmo atque concedo in Ecclesia Sancte Agnetis totum hoc, quod predicti Antecessores mei tibi, tuisque Antecessoribus dederunt in Corte nostra, que vocatur Russi, & Braide: quantum tenent heredes quondam Petri Tabellionis & fratres ejus Bonivicini & Marie consobrine eorum, a primo latere istius petie terre Pissinullus; a secundo latere detinent heredes Guidonis Manfredi de jure sancte nostre Ravennatis Ecclesie; a tertio Vitalis de Fuscardo nostro jure; a quarto latere ultra flumen Strata Fantina: & aliam petiolam terre quam detinent heredes quondam Albertini, & Johannis Murigara: & in suprascripta Curte unam petiam terre, quam tenebant Petrus Villanus, & Petrus Cinamus, & Fuscolinus. Confirmamus omnes suprascriptas res jam dicte Ecclesie Sancte Agnetis tibi, tuisque successoribus in perpetuum: ita tamen quod numquam suprascriptas res alicui homini dare vel vendere, aut opponere vel transferre aut commutuare, aut suprascripte Ecclesie Sancte Agnetis auferre, aut per feudum, vel beneficium alicui dare, aut in alio venerabili Loco relinquere audeatis per ullum ingenium vel argumentum: set ad lucrum & ad utilitatem vestram, & Clericorum jam dicte Sancte Agnetis, ibi aput ipsam Ecclesiam habitantibus, & divinum Officium assidue facientibus. Et in his omnibus suprascriptis habeas integram potestatem ordinandi & disponendi in omnibus, tam in spiritualibus quàm in temporalibus, prout vobis melius visum fuerit. Et non liceat mihi,*

B *hanc nostram confirmationem aliquam litem, vel contrarium, aut aliquam minorationem de suprascriptis rebus facere. Et si quis fecerit, aut de suprascripta re totam vel partem tollere, aut distrahere vel minuere a vobis, vel ab Ecclesia Sanctæ Agnetis secundùm ea, que diximus, anathema trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum vinculo feriatur, & cum Juda traditore dapnetur, nisi resipuerit. Et ego suprascriptus Gerardus Archiepiscopus una cum meis successoribus tibi, tuisque successoribus suprascriptas res ab omni persona hominis defensare & auctorizare promitto sub pena auri Unciarum decem, & solutâ penâ maneat hec concessio firma. Quam vero paginam concessionis* C *& confirmationis Ego Ubaldus Ravenne Tabellio, & Notarius sancte Ravennatis Ecclesie scripsi atque complevi.*

✠ LEGIMVS

✠ *Ego Henricus sancte Ravennatis Ecclesie Archidiaconus subscripsi.*
✠ *Ego Manfredus* Presbyter Cardinalis *subscripsi.*
✠ *Ego Teuzo* Diaconus Cardinalis *subscripsi.*
✠ *Ego Ugo* Diaconus Cardinalis *subscripsi.*
✠ *Ego Morandus* Diaconus Cardinalis *subscripsi.*
✠ *Ego Ugo sancte Ravennatis Ecclesie Pre-* D *positus subscripsi.*
✠ *Ego Mazolinus Diaconus & Cantor subscripsi.*
Ego Jacobus Diaconus & Cantor subscripsi.
Ego Presbiter Johannes & Cantor subscripsi.
Ego Johannes Diaconus & Cantor subscripsi.

Ut igitur hæc monumenta produnt, Mutinenses Episcopi olim censebantur inter Cardinales Ecclesiæ Ravennatis, eo quod collata eis fuerat Ecclesia Sanctæ Agnetis, Ravennæ sita, cujus Titulus *Cardinalitius* erat. Idem in Romana Urbe, ut supra dixi, factum fuit: nam & remotarum partium Episcopis datus est Titulus alicujus Ecclesiæ Cardinalis in Urbe, E iique propterea adlecti in Collegium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium. Ita in Meldensi Concilio Anni DCCCXLV. Canone 54. nominatos videas *Titulos Cardinales*, hoc est, Ecclesias, quas qui in Beneficium recipiebat, *Cardinalis* dicebatur. An Mediolani, aliisque in Urbibus, ubi Cardinalium nomen ac digni-

fuerit, exploratum certe non habeo; sed conjecturæ, ut dixi, non desunt, quæ suadeant. Reliqua ad Cardinales sanctæ Romanæ Ecclesiæ spectantia, & quamdiu ipsis præcesserint Episcopi, & quando sacrâ Purpurâ, biretto, & pileo rubeo uti cœperint, aliaque ad insigne illorum munus pertinentia, aliunde petat Lector. Neque enim argumentum hoc, ab aliis jam uberime pertractatum, ego ex professo discutiendum suscepi. Hoc unum monebo, in Ambrosiana Mediolanensi Bibliotheca Codicem MStum adservari cum hocce titulo; *Liber de statu, auctoritate, & potestate Reverendorum in Christo Patrum & Dominorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & de eorum Collegio sacrosancto. Compositus fuit Liber Romæ,* A *Pontificatus Domini Eugenii Papæ Quarti Anno Decimosexto*, idest MCCCCXLVI. *per venerabilem Patrem Magistrum Bernardum de Rosergio in Theologia Magistrum, & utriusque Juris Doctorem, Canonum Comitem in alma Universitate Studii Tolosani, illustrem effectum Præpositum Metropolitanæ Ecclesiæ Tolosanæ; præfato sacro Collegio, per eumdem Actorem publicatus & oblatus eodem Anno, in Palatio Sancti Petri Romæ*. Liber non mediocrem eruditionem præfert, & luce dignus, nisi jam lucem viderit. Quid denique in sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus circiter Annum MCCCXXX. desideraret Alvarus Pelagius Episcopus supra laudatus, ex ejus Lib 2. Cap. 16. *de Planctu Ecclesiæ*, Lector intelliget.

DE
CANONICIS.
DISSERTATIO
SEXAGESIMASECUNDA.

DISSERTATIO SEXAGESIMASECUNDA.

Qui in Ecclesiastica Eruditione versati sunt, satis jam norunt, vel antiquis post Christum Sæculis unamquamque Ecclesiam (matricem intelligo, sive Cathedralem & Parochiales) ad suum ministerium varios delegisse Presbyteros, Diaconos, & Clericos, qui ejusdem gremio inserti atque albo inscripti, perpetuo famulatu illic Deo ac Populo inserviebant. Paucis erant contentæ Parochiales Ecclesiæ, multis Ecclesia Cathedralis; atque ita conformatus Clerus istius, ut Collegium constitueret, ac formam quamdam Senatus, cujus caput Episcopus fuit. Erant autem ejusmodi Clero alimenta ex Ecclesiæ reditibus, uti & Episcopo, atque Pauperibus. Adstabant autem præcipui Sacerdotes & Diaconi Episcopo ad sacra ministranda, & ad varias Ecclesiastici regiminis opportunitates. Aderant & Episcopalibus Conciliis; majorisque momenti negotia non sine illorum consilio expediebantur. Attamen in sacra ejusmodi Republica nondum quidem perspicis, nisi levia lineamenta *Canonicorum*, de quibus nunc mihi futurus est sermo. Eorum originem plerique statuunt post Annum a Christo nato Septingentesimum, immo etiam seriùs apud Francos, unde in Italiam sensim postea penetravit laudabilis illorum institutio. Mihi tamen videtur altius repetenda illorum origo, ipsamque ex Italia æquius esse arcessendam. Scilicet Sæculo Christi Quarto mihi pæne certum est, Eusebium Vercellensem Episcopum, virum sanctissimum (uti Sanctus Ambrosius Epistolâ nunc 63. olim 82. & Auctor Sermonis olim 69. eidem Ambrosio tributi, quem Sanctum Maximum puto, nos jam docuerunt) sacri hujus instituti fundamenta jecisse. Nam Clerum suum ad instar Monachorum in unam atque eamdem domum aggregavit, omnibusque communem mensam fecit: & quod pluris faciendum est, eosdem sub certis regulis ad austerioris vitæ disciplinam, atque ad omnium Virtutum curriculum ita instruxit, ut Clerici ejus Ecclesiæ Monachi, eorum verò ædes Monasterium plane viderentur. Neque heic adsentior Clariss. Thomassino, qui Part. I. Lib. 3. Cap. 4. de Beneficiis, in eam sententiam fertur, ut credat, non Clericos illic Monachorum more vixisse, sed quidem Monachos pro Clero munia omnia Ecclesiastica peregisse. Quæ ille adfert ex Ambrosio, atque ex memorato Sermone, opinioni meæ nequaquam adversantur. Manifeste verò eamdem statuere possunt, quæ nunc subjiciam. Edidi ego Tomo IV. Anecdotor. Latinor. nonnullos alios Sermones de *Sancto Eusebio*, quorum Auctor dicitur *Sanctus Maximus*. In eorum Septimo pag. 82. vetustissimus ille, & ferme æqualis Panegyristes, hæc de eodem Sancto viro habet: *Hic docuit intra unius diversorii septum varios cohabitantium mores in unam coire concordiam; tantaque apud illos fuit mensura & disciplina vivendi, ut quotidiano adcrescente profectu habitaculum illud non jam diversorum Congregatio Clericorum, sed Consacerdotum Collegium*

A *videretur, in tantùm, ut tamquam de seminario optimi germinis per complurimas Civitates expetentibus Populis largiretur lectissimos de sua institutione Patres. Erat enim in omnibus, tanto principe præcedente, spiritalium officiorum indefessa sedulitas, parsimoniæ, sobrietatisque sanitas, Caritatis dulcedo, mansuetudinis gratia, custodia castitatis*. Ex his intelligis, factam ab Eusebio *diversorum Congregationem Clericorum*, non autem Monachorum; eosque ita unanimi studio ac disciplina simul vixisse, ut *Consacerdotum Collegium* dicere potuisses, hoc est *Coëpiscoporum*: *Sacerdotis* enim appellatione iis temporibus fere Episcopi uni designabantur. Et siquidem *Sacerdotis*
B vocabulo *Presbyteros* intelligendos dumtaxat putes, memineris etiam velim, quàm rari tunc essent Monachi ad Presbyteratus Ordinem evecti. Attamen rursus eumdem Auctorem audi in Sermone 9. de eodem Sancto viro in hæc verba loquentem: *Ut universo Clero suo spiritualium institutionum speculum se cæleste præberet, Omnes illos secum intra unius septum Habitaculi congregavit, ut quorum erat unum atque indivisum in Religione propositum, fieret Vita, Victusque Communis. Quatenus in illa sanctissima Societate vivendo invicem sibi essent conversationis suæ & judices & custodes &c.* Nullum heic de Monachis verbum: immo de unis *Clericis* apertissime est sermo. Quam-
C obrem quum Sanctus Ambrosius in Epistola supra memorata inquit, in Clero, sive *in Ecclesia Vercellensi* servatam fuisse *Monasterii continentiam, & Monachorum instituta*: & rursus, quum Auctor Sermonis Sancto Ambrosio attributi scribit; *eosdem Monachos instituit, quos Clericos*: nihil aliud hæc significant, nisi Vercellensem Clerum ad instar Orientalium Monachorum fuisse a Sancto Eusebio compositum, nempe ad communem vitam, & ad omnium Virtutum professionem.

Statuendum ergo Canonicorum specimen primum in Italia sub Sancto Eusebio Vercellensi Episcopo apparuisse, videlicet conjunctam in Clero Sæculari Monasticam vivendi for-
D mam. Atque ex hujus sanctissimi Antistitis fonte credendus est hausisse Sanctus Augustinus Regularem illam morum ac vitæ communis normam, quam is postea in Hipponensem Ecclesiam invexit, instituto Clericorum, hoc est Presbyterorum & Diaconorum Ecclesiæ suæ inservientium, veluti Monasterio, sive Seminario. Cum iis semper Augustinus; Possidio teste in ejus Vitâ, unâ domo, unâ mensâ, sumtibusque communibus alebatur, & vestiebatur; & quemadmodum in primitiva Ecclesia sub Apostolis factum, nihil proprium sed omnia inter Clericos suos voluit communia. *Monasterium* Possidio appellatur sacra ejusmodi Congregatio, non quod revera Mo-
E nachi essent, quales tunc Oriens bene multos habebat, & Sanctus Martinus Sæculo eodem, quo Sanctus Eusebius floruit, in Italiam invexit, ac postea Sanctus Benedictus meliori successu instituit; sed quod Clerici ii Monachorum more in ea societate pie ac religiose degerent,

rent; ac voluntariam potissimum paupertatem exercerent. *Monasterii* nomen ædibus quoque Canonicorum postea tributum, non uno exemplo infra ostendemus. Sed ut non tam sero Canonicos in Ecclesia Dei institutos edifcas, consule postremas tabulas Bertichramni Episcopi Cenomannensis circiter Annum Christi DCXV. confectas, ut est in Vitis Antistitum Cenomannensium apud Mabillonium. Ibi memoratur *Agerious Episcopus Turonensis*, qui portionem *Villæ, quæ Sancti Martini fuit, nobis vendidit, & venditionem cum Canonicis suis nobis fecit*. Vides jam sub initiis Septimi Sæculi a Christo nato, Turonense Sancti Martini *Monasterium* excultum fuisse a *Canonicis*. Accedat etiam testis vetustior Gregorius ejusdem Turonensis Ecclesiæ Episcopus, rerum suæ Civitatis certe peritissimus. Ille nimirum in Vitis Patrum & Lib. 10. Histor. Francor. commemorat *Mensam Canonicorum* in Ecclesia *Bituricensi*; atque in *Turonensi*: ita ut habeamus vel ipso Sæculo Sexto apud Gallos nomen saltem *Canonicorum*, fortassis & institutum. Ad hæc infra vide Concilii Tertii Aurelianensis locum. Præterea in nuper laudatis Cenomannensium Præsulum Vitis Charta occurrit Lonegisili Monachi, scripta Anno Christi DCXXV. in qua pollicetur, se persoluturum *ad opus Canonicorum* Cenomannensium *duo modia Vini ad caritatem faciendam*. Ergo tunc etiam nomen & Collegium *Canonicorum* in usu fuerit oportet. Et in Chartis quidem subsequentibus Sæculi Septimi in eodem Chronico, ipsorum *Canonicorum* mentio recurrit. Quare ex ejusmodi Ecclesiis petitum omnino videtur exemplum atque ipsum nomen Canonicorum, qui Sæculo Octavo in aliis Ecclesiis instituti fuere, & quorum præstantissimus Ordo latius Sæculo Nono per Gallias, per Italiam, & per reliqua Christianorum Regna pervasit. Potissimùm verò ex ejusmodi studio meritum apud Deum, magnamque apud homines famam sibi conquisivit Chrodogangus Metensis Episcopus. Is enim teste Paullo Diacono in Vitis Episcoporum Metensium, ut disciplinam sacram in Ecclesia sua restauraret. Pippino regnante in Galliis, *Clerum adunavit, & ad instar Cœnobii intra Claustrorum septa conversari fecit, normamque eis instituit, qualiter in Ecclesia militare deberent: quibus annonas vitæque subsidia sufficienter, largitus est; ut perituris vacare negotiis non indigentes, divinis solummodo officiis excubarent. Ipsumque Clerum abundanter lege divina, Romanâque imbutum cantilenâ, morem atque ordinem Romanæ Ecclesiæ servare præcepit*. Habes heic veram imaginem Canonicorum postea celebrium, in Metensem Ecclesiam jam tunc inductorum. Et quoniam ad eum usque diem nullis certis, scriptisve legibus sancta hæc institutio regebatur, primus fuisse traditur Chrodogangus, qui *Normam*, hoc est *Regulam Clericorum*. sive *Canonicorum* conscripsit, in Concilio postea Moguntinensi Anno Christi DCCCXIII. laudatam. Is verò non ad communem tantùm vitam Clericos suos adtraxit, sed etiam ad laudes Dei in Choro canendas, prout Romæ in usu jam erat. Incongruum nempe, ut opinor, vir summe pius arbitratus est, Monachos in suis Templis (Psalmos decantando & Hymnos) cum tanta ædificatione Populi vacare divinis rebus quotidie, Templum verò præcipuum suæ Urbis hujusmodi carere decore. Porro sensim sub eodem Pippino, ejusque filio Carolo Magno, propagatum est per Gallias Canonicorum institutum, curantibus præcipue ipsis religiosissimis Regibus, ut unaquæque Cathedralis Ecclesia Canonicos suos haberet.

Cur verò appellati ii fuerint *Canonici*, non facile statuas. Nonnulli censent, iis obvenisse hoc nomen, quia *Canoni*, seu Matriculæ Ecclesiæ adscripti ex ejusdem Ecclesiæ stipendiis alerentur. Putant alii, ideo denominatos, quod *Canones*, sive *Canonicas Regulas* arctius observandas sibi susciperent; aut quod *Canonice*, hoc est, *Regulariter* viverent. *Canonicus* enim *Regularem* significat, ut sic Clerici illi a reliquis distinguerentur, qui domi suæ nullâ adstricti Regulâ versabantur. Denique aliis ea opinio placuit, nuncupatos ita Clericos illos, quod a *Canone frumentario*, seu a sportulis, ac reditibus Ecclesiæ victum perciperent. Ego in ancipiti relinquam originem nominis, quando rem ipsam tenemus. Id exploratum est eos *Canonicorum* appellatione donatos, qui *Regulam Clericorum* professi, intra Claustrum unum communis vitæ formam eligebant, ac Deo laudes in Choro concinentes, Virtutibus, aliisque Ecclesiasticis muniis operam dabant, Sæculares adhuc, & non Monachi: Monachorum tamen vitam ac disciplinam non modicâ ex parte æmulantes. Hinc *Horæ Canonicæ* appellatum divinum Officium, ab hisce Clericis quotidie statis horis decantatum. Hinc *Canonica*, scilicet domus, aut *Canonicæ* hoc est, ædes, nuncupatum est Claustrum illud, quod ab ejusmodi Clericorum Collegio incolebatur. Nihil autem est, quod ego in hanc rem congeram varia monumenta ex Capitularibus Regum Francorum, aut ex Conciliis habitis in Gallia sub Imperatoribus Francis. Jamdiu hoc præstitit Eruditissimus vir Ludovicus Thomassinus supra laudatus, Part. I. Lib. 3. Cap. 9. de Beneficiis. Unum pro omnibus sit decretum Eugenii II. Papæ in Synodo Romana Anni DCCCXXVI. Cap. 7. apud Labbeum, Tom. 8. Conciliorum: *Necessaria res existit, ut juxta Ecclesiam Claustra constituantur, in quibus Clerici disciplinis Ecclesiasticis vacent. Itaque omnibus unum sit Refectorium ac Dormitorium* &c. Hæc de omnibus Sacerdotibus & Clericis uni Ecclesiæ addictis constituta videntur; sed præcipue *Canonicos*, Sacerdotes & Diaconos respiciunt, quorum institutio tunc maxime fervebat. Et sane *Clerici* potissimum iis temporibus appellati fuere *Canonici*, ut exemplis multis confirmare possem. Sed progredi necesse est. Quod nunc omnino animadvertendum, etiamsi Pippino, ejusque filio Carolo Magno, jugis cura studiumque fuerit, ut per unamquamque Civitatem propagaretur Canonicorum institutio, eorumque vita a succrescentibus vitiis identidem purgaretur: attamen Ludovico Pio Imperatori, Caroli Magni Augusti filio, præcipue tribuendum, quod aucta sit ac effloruerit, non in Galliis solùm, sed & per omnem fere Italiam, egregia hæc in Clero norma vivendi. Is ergo in Concilio Aquisgranensi Anni DCCCXVI. indixit Patribus, ut ex variis Canonibus, sanctorumque Patrum Libris colligerent, quidquid pertinere videretur ad recte instituendam Clericorum vitam; & Regulam *Canonicis* & *Canonicabus* servandam in sacro illo conventu constituendam curavit. Nullum denique lapidem non movit, quo sacra Canonicorum Collegia ubique efformarentur, ac virtutibus efflorerent. Exstant apud Labbeum Tom. 7. Concilior.

Acta

Acta illius Synodi, ibique singula referuntur ad eosdem Clericos atque Canonicos rite instituendos spectantia. Idem verò Imperator in Capitulari Anno eodem edito apud Baluzium, Tom. I. pag. 564. Capitular. Reg. Francor. in hæc verba loquutus est: *Quia verò Canonica professio a multis partim ignorantiâ, partim desidiâ dehonestabatur, operæ prætium duximus, Deo annuente, apud sacrum conventum ex dictis Sanctorum Patrum in unam Regulam Canonicorum & Canonicarum congerere, & Canonicis, vel Sanctimonialibus servandam contradere, ut per eam Canonicus Ordo absque ambiguitate possit servari* &c. Amalarius Diaconus, inter Scriptores Ecclesiasticos perquam celebris, hanc in rem præ ceteris insudavit, Ademaro teste in Chronico suo ad Annum DCCCXVI. Tanta ergo Imperatoris piissimi cura, tantumque Patrum Aquisgranensium studium, brevi effecit, ut in Italia quoque sensim instituta fuerint Canonicorum Collegia eo successu, ut vix ulla saltem Cathedralis Ecclesia tamdem fuerit, ubi Canonicorum Congregatio non haberetur, sub eodem Claustro, & ad eamdem Mensam convivens. Nam quod censet eruditissimus Du-Cangius in Glossar. Latin. ad vocem *Canonici*, iis etiam Sæculis institutos fuisse *Canonicos Regulares*, hoc est, qui Regulam Sancto Augustino attributam observarent, & a *Canonicis Sæcularibus* diversi essent, vereor, ut id solidis fundamentis nitatur. Dicebantur & Sæculares Canonici *vivere regulariter*, aut *vivere secundùm Regulam*, quippe ipsis quoque præscripta erat Regula; & in actis eorum temporum aut *Monachi*, aut *Canonici* tantummodo occurrere solent. Et quoniam ad Canonicorum Claustra, sive Monasteria ædificanda plerumque pone Templum, ubi Episcopalis Cathedra sedebat, multa interdum obstabant, negantibus nonnullis divendere in tam laudabile opus ædificia sua, aut terram opportunam, statuit idem Imperator, ut necessaria loca iisdem concederentur, per Capitulare editum Anno Christi DCCCXIX. *De locis dandis* (ita ille scribit) *ad claustra Canonicorum facienda, si terra de ejusdem Ecclesiæ rebus fuerit, reddatur ibi. Si de alterius Ecclesiæ vel liberorum hominum, commutetur. Si autem de Fisco nostro fuerit, nostrâ libertate concedatur*. Fortassis heic *nostrâ largitate* legendum est.

A

Neque levis momenti res fuit ejusmodi Collegiorum institutio, quum ad alimenta Canonicorum & Monasterii regimen multis opus foret. Et religiosi quidem Urbium Antistites Ecclesiæ reditibus, prædiis, ac Decimis non levem portionem in eorum usum concesserunt. Tum nonnullas iis elargiti sunt Beneficii loco aut urbanas, aut rusticanas Ecclesias, videlicet Oratoria, atque Plebes, sive Parochiales Ecclesias, ut veluti præbendæ in commodum singulorum cederent, aut earum proventus ad communem Collegii mensam deferrentur. Id etiam poscebat interdum necessitas, quum nempe Cathedralis Ecclesia sufficientibus stipendiis alere non posset Canonicorum suorum ac Ministrorum cœtum. Dum supra de *Cardinalibus* agerem, quos in nonnullis Ecclesiis eosdem atque *Canonicos* fuisse vidimus, in eam declinavi sententiam, alicujus peculiaris Ecclesiæ titulum conferri consuevisse iis, qui *Cardinales* nuncuparentur, hoc est, qui stabili jure alicui Ecclesiæ præficiebantur. Et profectò vel in Aurelianensi Concilio III. Anni DXXXVIII. aperte innuitur Canone 18. Clericis Civitatensis Ecclesiæ, idest, ut conjicio, *Majoris Ecclesiæ, traditas fuisse Basilicas ordinandas in quibuscumque locis positas, idest sive in territoriis, sive in ipsis Civitatibus*. In eo autem Concilio, quamquam tamdiu ante Pippinum & Carolum Magnum celebrato, *Canonicorum Clericorum* mentio habetur, iique ex *stipendiis* Ecclesiæ enutriti dicuntur. Quare nil mirum, si idem etiam mos continuatus postea fuerit, concedendi singularis cujuspiam Ecclesiæ regimen Canonicis, vel postquam communem vitam agere cœperunt. In Archivo Capituli Canonicorum Mutinensium legi olim vetustissimum exemplum Chartæ, quam heic evulgare, non ingratum Lectoribus fore puto.

B

C

Deusdedit

Deusdedit Episcopus Mutinensis Leoni Archipresbytero Plebem Sancti Petri in Siculo concedit, ut eâ utatur ad ministerium sui Archipresbyteratus. Anno Christi 828.

Deusdedit *per misericordiam Dei* Mutinensis Episcopus. *Omnibus filiis nostræ Æcclesiæ notum esse volumus, quia residentibus nobis in Curte nostra Solaria, in Plebe Sancti Geminiani, Anno* Domnorum *nostrorum* Lodovici *&* Lotharii *filio ejus, Decimo V. & Septimo, die XIV. mensis Augusto, per Indictione Sexta*. Donavimus ordinantes Plebem nostram in Siculo, *que dicitur* Sancti Petri, *consentiente Sacerdotio & Clero nostro, nec non ipsius Æcclesiæ Populo*, Leoni Archipresbitero *nostro, ea siquidem ratione, ut ipse locum regiminis teneat, & secundùm Canonicam octoritatem ministerium Archipresbiteratus subministret*. *Idest* in sartatectis Æcclesiis restaurandis, in Clericis congregandis, in Scola habenda, & Offitio divino persolvendo, *cujus locum firma stabilitate ei concedimus, ut secundùm Canonicam auctoritatem a nullo Successorum nostrorum nullatenus ex hujusmodi firmitate possit amoveri, nisi fortè talia perpetraverit, que digna sint, Canonico juditio examinari. Annualem autem ipsius Plebis nobis & Successoribus nostris debitam pensionem, quæ est Solidos triginta per singulos annos, statuimus per hanc noticiam, ut in Pascha Domini annualiter persolvatur, custodita solita consuetudine, salvo pacto, quod* pro circanda Parrœchia semper tertio anno *nobis donetur*. *De quibus si negligens fuerit, duplici datione, ut Leges censeant, puniatur*.

Deusdedit Episcopus *sanctæ* Æcclesiæ Motinensis *huic privilegio subscripsi*.

Ego Garipertus Presbiter manu mea subscripsi.

Leo Diaconus manu mea subscripsi.

Ego Johannes Subdiaconus manu mea subscripsi.

A *Ego Marinus Clericus manu mea subscripsi*.

Ratpertus Presbiter & Notarius sanctæ Æcclesiæ Motinensis scriptor istius Privilegio, postquam tradito complevit & dedi.

Agitur heic de Parochiali Ecclesia, sive *Plebe*, Archipresbytero Leoni concessâ, quem Collegio Canonicorum Mutinensium præfuisse facile intelligas. Atque hic elucere videtur, quale Archipresbyteri munus foret ac onus; nempe curare, ut sartatecta Ecclesiæ restaurarentur; Clerici, sive Canonici ad Chorum & mensam convenirent; Schola minoribus Clericis haberetur; & divina Officia in Templo rite persolverentur. Insuper hinc haurias, B consuevisse vel iis temporibus Episcopos *tertio* quoque *anno circare Parrœchiam*, hoc est, visitare Diœcesim (id enim ea vox significat, & inde Italicum *Cercare*, & Gallicum *Chercher* prodierunt) secundum Canones Conciliorum. Quod heic factum erga unum vides, nempe commendatam Canonicorum Antesignano singularem Ecclesiam regendam, idem si non reliquis, saltem præcipuis Canonicis obtigisse puto. Datas quoque ab Episcopis & perpetuo concessas alias Ecclesias ipsi Canonicorum Capitulo, veterum monumenta testantur. Hasce postea in Titulum ac Beneficium ab ipso Capitulo traditas identidem fuisse alicui ex Canonicis par est credere. Et sane pauca reperias C Canonicorum Collegia, ad quorum jus non pertinerent olim complures aut saltem aliquot Ecclesiæ, sive urbanæ, sive suburbanæ. Ego hujusce rei aliquot exempla proferam. Primum ex archetypo Diplomate, existente in insigni Tabulario Capituli Canonicorum Regiensium.

Ludovici II. Imperatoris Diploma, quo Canonicis Ecclesiæ Regiensis confirmantur omnia iis donata a Sigefredo illorum constitutore. Anno 857.

In *nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni*, Hluduvicus *gratiâ Dei* Imperator Augustus. *Imperiali satis congruit excellentiæ, ut petitionibus servorum Dei aures libenter accommodet, & eorum affectus devote tractando, utiliter instituat, quatenus id agendo & eos in divinis cultibus ferventiores reddat, & pro his apud Dominum devotis eorum precibus æternam remunerationem percipiat. Igitur omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, ac nostrorum præsentium scilicet & futurorum comperiat industria, quia* Sigefredus *venerabilis* sacræ Sedis Regiensis Episcopus *nostræ suggessit mansuetudini, ut quasdam res ejusdem suæ Ecclesiæ, quas ipse in* Canonicorum *ibidem Deo militantium usibus cotidianis, ad utiliorem ordinem transferens, divina inspiratione constituit, nos pro amore Dei & æternæ remunerationis præmio, nostra Imperiali auctoritate, id* D *plenius in Dei nomine perpetuò statuentes corroboraremus: quatenus eisdem Dei famulis, nostris fultis præsidiis, & devotius Dei famulatum exsequi & pro nobis adtentius Domini misericordiam exorare delectet. Nos autem ejus petitioni libenter adsentientes, id pleniter concessimus, & hos nostræ Imperialis munificentiæ apices exinde fieri jussimus. Per quos omnino stabilientes decernimus, ut ab hinc in futurum præfatæ res*, ubi ipsa Canonica præfatus Sigefredus Episcopus a fundamentis edificavit, Ecclesia *videlicet* Sancti Peregrini, *nec non & alia* Sancti Michaëlis Archangeli; tertie *quoque* Sancti Faustini, *siquidem &* Sancti Vitalis Basilica, *cum omnibus adjacentiis vel pertinentiis* E *earum*; Ecclesia *denique* Sancti Ambrosii, *& Corticella, atque Rivofrigido, cum omnibus adpenditiis, vel pertinentiis earum. Preterea in Gavassa Massarii duo, & de parte* Heriberti Comitis

Comitis unum, & in Fanio massaritia una, quæ regitur per Traseverto cum nepotibus suis, una cum ipsis famulis, & omnes res illas de Dominico Presbitero. Case quoque Alberici & Ajoaldi de Pineto cum pertinentia sibi massaritia Ermefredi Presbiteri, atque res Geminiani Sacerdotis, quas in Regio, vel in Sableta habere videtur. Omnes quoque res, quas Romoaldus Presbiter tenet, vinea una de quodam Leoviardo in Prato Pauli, seu massaritia una in Maxentiatico, sive famulis in predicta Canonica deservientibus. Et ea omnia cum plenissima integritate; & cuncta quæcumque in futurum a benignis largitoribus inibi deo favente auctum fuerit, per hanc nostram Imperialem institutionem & inviolabilem approbationem in eodem ordine sine alicujus retractatione firmiter absque eorum consilio & voluntate corroboratæ permaneant. Et nullus Successor ejusdem Sedis ullo umquam tempore hanc nostram institutionem removere aut irrumpere quoquo modo conetur; nec commutationem de prefatis rebus faciendi

A *habeat potestatem, sed juste & legaliter secundùm nostrum preceptum ab ipsis Canonicis sint possessa juxta hanc nostram institutionem; utque prefati venerabilis ejusdem Sedis Sigefredi Episcopi ordinationem statutum fore dinoscitur, perpetuis temporibus maneat inconvulsum. Quod si quis umquam ullo tempore prefatæ Sedis Episcopus contra hanc nostram auctoritatem insurgere temptaverit, aut aliquam violentiam in eadem Canonica, vel in ipsis Canonicis, aut in eorum hominibus liberis, aut servis, vel in omnibus rebus eorum mobilibus, aut immobilibus, vel territoriis, tam Ecclesiasticis, quàm proprietariis, vel si aliquis Dux aut Comes, aut aliqua judiciaria Potestas, vel Minister Reipublicæ facere quesierit:* B *centum Libras auri se compositurum sciat, medietatem nostræ parti, & medietatem in ipsa Canonica. Et ut hæc nostra auctoritas inviolabiliter permaneat, manu propria firmavimus, & de anulo nostro subter sigillari jussimus*

Signum *Domni Hludowici serenissimi Augusti.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Teodacrus Notarius ad vicem Ductemiri recognovi.

Data III. Idus Januarii, Anno Imperii Hludowici serenissimi Augusti VII. Indictione V.

Actum Mantua Palatio Regio feliciter in Domino.

Itaque *Sigefredus Episcopus* primus fuit, qui Regiensi in Urbe Canonicorum *Monasterium* (ita quippe non raro Canonicorum Ædes appellari videas) atque uti verisimile est, ipsos etiam Canonicos constituit, inter alia elargitus nonnullas Ecclesias perpetuo jure ipsis in posterum possidendas. Alterum nunc juvat ostendere Canonicalis Collegii circiter eadem C fere tempora institutorem, *Petrum* videlicet *Antistitem Arretinum*, collataque tum ab eodem Præsule, tum a Lothario I. Augusto prædia, ut ex eorum proventibus Canonici quotidianum victum perciperent. Id constabit ex authentico Diplomate, quod in nobili Archivo Capituli Canonicorum Arretii sub oculis habui.


Lotharius I. Imperator Capitulo Canonicorum Arretinorum omnia eorum bona confirmat, & nova donat, Anno 843.

IN *nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni* Hlotarius *divina ordinante providentia* Imperator Augustus. *Si petitionibus &c. Idcirco omnium fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ, ac nostrorum præsentium videlicet ac futurorum comperiat magnitudo, quia vir venerabilis* Petrus Arreciensis Urbis Episcopus *adiens serenitatem culminis nostri, retulit celsitudini nostræ, quod in Sede tibi Deo auctore commissa* Fratres, ut sub Canonica inibi consistant auctoritate, constituerit, *atque ex rebus ac familiis Episcopii sui, prout eorum exposcit utilitas, per decretum suæ sanctionis ditaverit, Villas scilicet tres, quæ Durna, Speja, atque Plica nominantur, quasque Burgundis matrona, & Elbungus eidem Ecclesiæ contulerunt, nec non & Mercatum, quemadmodum per decretum suæ confirmationis præfatis*

D *contulit Fratribus, nostræ sanctionis auctoritate eis confirmaremus. Cujus petitioni adsensum præbere statuentes, hos nostros Imperiales apices fieri jussimus, quibus decernimus atque sancimus, ut prænominatæ Villæ, atque præscriptum Mercatum cum omnibus sibi pertinentibus, in stipendiis supradictorum Fratrum cum . . . . quidquid vel in eis exigi, vel adquiri potuerit, jure perpetuo cadant; ita ut videlicet nec Rector ejusdem Sedis, nec cujuslibet potestatis persona de præfatis rebus ac familiis, seu de his, quæ divina pietas inibi augeri voluerit, aliquam inferre præsumat contrarietatem, vel diminorationem ullam ingerere adtemptet. Sed & nos pro mercedis nostræ augmento, & ut in* E *hoc opere nostra quoque fiat mercedis amplificatio, quandam Villam juris nostri memoratæ Ecclesiæ, quæ est constructa in honore Beati Donati*

6

nati Confessoris Christi, ad necessitates Fratrum inibi consulendas, quæ vocatur Caminina, & consistit in Castro Felicitatis, cum Ecclesia, quæ constructa est in honore Beati Andreæ Apostoli, sicut Ragino quondam Vassallus noster A *ordine Beneficiario eam habuisse noscitur, una cum campo, qui vocatur Piscinulæ, & consistit in pago Areciense, cum caitoribus suis, atque omnibus ad se juste &c.*

Signum  *Hlotharii serenissimi Augusti.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Remigius Notarius ad vicem Volmari recognovi & subscripsi.

Data IIII. Kalendas Septembris, Anno Christo propitio Imperii Hlotharii pii Imperatoris in Italia XXIIII. in Francia IIII. Indictione VI.

Actum Romarici Monte, in Dei nomine feliciter. Amen.

Tertium exemplum præbebit Charta, quam ex Archivo Archiepiscopii Taurinensis describendam mihi curavit Excellentissimus vir Ludovicus Caisottus Regii Senatus Præses. At- B que inde intelliges, quanta Decimarum, sacrarum Ædium, & fundorum copia in sacrum Taurinense Canonicorum Collegium antea fluxisset.

Henrici III. Regis, inter Imperatores Secundi Diploma, quo Canonicis Taurinensibus Sancti Salvatoris jura ac bona omnia confirmat. Anno 1047.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.* Heinricus *divina favente clementia* Romanorum Imperator Augustus. *Omnium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque fidelium tam futurorum quàm præsentium noverit universitas, qualiter nos pro amore divino, animæque nostræ remedio* Canonicis Taurinensis Ecclesiæ *per hoc nostræ confirmationis Præceptum, prout juste & legaliter possumus, concedimus & confirmamus, stabilimus* in Canonica & Claustra in Domini Salvatoris honorem constructo infra Taurinensem Civitatem, nec non & Canonicis ibidem pro tempore militantibus, *omnia a beatæ memoriæ* Regnimiro ejusdem Sedis Episcopo Institutore ejusdem Canonicæ Domini Salvatoris *collata, & quæ per Præcepta Regum & Imperatorum, vel per firmitates succedentium Episcoporum, seu quæque collatione religiosorum hominum ibidem collata sunt, vel conferenda:* Ecclesias *scilicet* intra eamdem Civitatem Taurini, *unam in honorem* Sanctorum Apostolorum Philippi & Jacobi, *aliam in honorem* Sanctorum Apostolorum Simonis & Jude, *tertiam in honorem* Sancti Stephani Martiris, *quartam in honorem* Sancti Martiniani, *quintam in honorem* Sancti Eusebii, *sextam in honorem* Sancti Martini. *Castrum etiam super Portam ejusdem Civitatis, quæ dicitur Turrianica, & omnem Decimam tam intus quàm foris ejus Civitatis, cum molendinis & piscationibus in ipso fluvio Turia. Insuper etiam omnes res ejusdem Canonicæ tam intus quàm foris, cum suis solariis, casis, hortis, accessibus, terris, servis, & ancillis, omnibusque præfatæ Canonicæ pertinentibus. Largimur etiam omnes* Decimas *indomnicatas ejusdem Sedis Episcopi, & Decimas Beneficiorum omnium fidelium ejusdem Episcopi.* Ecclesiam *quoque* Cardinalem *in honorem* Sancti Maximi in Quinto, & Ecclesiam Sancti Stephani in Malialco, Ecclesiam Sanctæ Mariæ, Ecclesiam C Sancti Petri, Ecclesiam Sancti Laurentii, *cum omni Decima prædictæ Villæ: Cortem in Alpiniano cum Castro &* Capella Sancti Petri *infra ipsum Castrum sita: altera verò trans Turiam flumen* Sanctæ Mariæ, *cum molendinis, piscationibus, & omnibus appendiciis ad eumdem aspicientibus: Cortem in Lisiniasco, cum Castro &* Capella Sancti Mauritii *in eodem Castro, cum omnibus ad se pertinentibus:* Ecclesiam Sancti Victoris & Coronæ, *cum omni Decima in Marcomeda, & cum terris ac mansis ad prædictam Canonicam pertinentibus:* Ecclesiam Sancti Macharii *in Vilasco cum terris & Decimis ejusdem Villæ:* Plebem *verò in Durione* Sanctæ Mariæ, *cum omni Decima ad eum* D *pertinente in planitiis, casis, terris, vineis, &* Capellam Sancti Solutoris in Monte Pharrato: Ecclesiam Sancti Viti in Villa, *quæ dicitur* Arsitias, *cum Corte tota, & Decima, & portibus, piscationibus, omnibusque sibi adjacentibus:* Ecclesiam Sancti Georgii *cum Monte, ubi extat in Villaparso, cum omni Decima ejusdem Villæ, & Mansis eidem Canonicæ pertinentibus: Decimam in Malavasio* cum duabus Ecclesiis, *unam in honorem* Sanctæ Mariæ, *alteram in honorem* Sancti Martini, *& omnem Decimam in Valleplana, & in Vallesurda, & in Milionico, & inde Ligadino, cum terris & vineis ad præfatam Canonicam pertinentibus: Cortem in Saxinas cum* Ecclesia *in honore* E Sancti Johannis *cum omni Decima, molendinis, silvis, buscaliis, palariis, & omnibus appendiciis; omnemque Decimam ejusdem Cortis: Cortem in Martiriasco cum* Capella Sancti Martini, *cum silvis, buscaliis, & omnibus appendiciis suis: Cortem in Pavatiano cum omnibus suis pertinentiis.* Capellam *in Romaniano in honorem* Sancti Remigii: *Cortem in Pavariolo cum Castro &* Capella *in eodem Castro in honore* Sancti Secundi, *cum omnibus suis pertinentiis: Cortem in Audisello, & Mandego,*

dego , cum suis pertinentiis : Cortem in Patiano cum Castro , & duabus Capellis*: Cortem in Balbiano cum* Capella una : *Cortem in Altniano , cum Castro, &* Capella *in eodem Castro in honorem* Sancti Remigii : Capellam , *mansos , vineas , atque casas in Orsenasco : Cortem in Santena , cum Castro, &* Capella *in eodem Castro in honore* Sancti Pauli , *cum omni sua Decima ejusdem Cortis: Cortem in Bulgare , & partem in Castro cum Portibus , molendinis , piscationibus , silvis , & omnibus sibi pertinentibus : medietatem Cortis Buriadis , cum medietate* Capellæ *in honore* Sancti Michaëlis : *Cortem in Scandaltico , cum* Plebe *in honore* Sancti Dalmatii, *&* Capellis quatuor *in eadem Corte , unam in honorem* Sancti Michaëlis , *aliam* Sancti Johannis, *tertiam* Sancti Andreæ, *quartam* Sancti Martini , *cum omni decima, & molendinis , silvis , pascuis , pratis communibus & privatis , omnibusque ad prædictam Canonicam pertinentibus :* Capellam *in Polengaria in honore* Sancti Remigii, *cum omnibus ad eam pertinentibus in Sablone , cum Mansis quinque, & medietate Decima ejusdem Villæ , una cum terris, Castris, Capellis , vineis, campis , pratis , pascuis , silvis, molendinis , portibus , ripatiis , aquis , aquarumque decursibus , piscationibus , servis & ancillis , Aldionibus , decimis , Fictis , reditibus , paludibus communibus & incommunibus , ripis , rupinis, cultis & incultis , mobilibus & immobilibus , ad jus præfatæ Canonicæ , Canonicorumque usus & sumptus , qui pro tempore fuerint, pertinentibus vel aspicientibus in integrum, nostræ confirmationis auctoritate , & quæ collata sunt , & conferenda, concedimus , largimur , ac stabilimus , omnium hominum controversiâ remotâ & procul abdicatâ .*

Insuper quoque per hanc nostri Præcepti paginam præcipimus , atque jubemus , ut nemo Episcopus , etiam Judex publicus , aut Missus discurrens , aut Marchio , Comes , Sculderius, Gastaldus , vel cujuslibet potestatis magna, parvaque persona has prælibatæ Canonicæ res audeat invadere , diripere , vel quocumque molimine de potestate Canonicorum, ibidem Domino militantium , ausu nefario auferre , nec in beneficium cuiquam dare præter voluntatem prædictorum Canonicorum , neque ad causas judiciario more , ut aliqua suprapostita , aut violentia faciendum ullo umquam tempore ingredi audeat . Sed liceat , eos cum omnibus rebus ac familiis suis sub nostra consistere tuitione , atque immunitatis defensione . Si verò querimoniæ adversùs jam dictos Canonicos tam de liberis hominibus , quàm de servis , seu de rebus ortæ fuerint , jubemus , ut ante Præpositum & Canonicos ejusdem Ecclesiæ finiantur, & ad finem usque deducantur . Si quis igitur contra hanc nostri Præcepti paginam, nostræque jussionis auctoritatem aliquid agere aliquando tentaverit , aut ex his , quæ supra scripta sunt , quippiam violare præsumpserit , sciat se auri optimi Libras ducentas compositurum , medietatem Cameræ nostræ , & medietatem parti prædictorum Canonicorum , nostræque insuper incidisse Majestatis offensam . Et ut hoc nostræ immunitatis Præceptum inviolabilem & inconvulsam obtineat firmitatem , manu propria subtus illud firmavimus , & annuli nostri impressione assignari jussimus .

Signum Domini Henrici Romanorum Imperatoris invictissimi .

Heinricus Cancellarius vice Ermanni Archicancellarii recognovi .

Acta Kalendis Maji, Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Quadragesimo Septimo , Indictione XV. Anno autem Domni Heinrici , seu ordinationis ejus Decimo octavo , Imperantis verò Primo .

Actum Mantuæ , in Dei nomine feliciter .

Canonicæ istius dicitur *Institutor beatæ memoriæ Regnimirus Episcopus* Taurinensis. Verba ista hominem indicare videntur jam vitâ functum : quum tamen Regnimirus, si Ughellio fides Tom. 4. Ital. Sacr. Anno præcedenti MXLVI. (is *Reguimirum* appellat) Taurinensis Episcopatus habenas ceperit . Immo , si Pingonium auscultamus , Regnimirus idem usque ad Annum Christi MLXX. vitam produxit . Sed uti deceptus fuit Pingonius in tamdiu protrahenda Regnimiri Episcopi Vitâ (quod Ughellius animadvertit) ita a Pingonio ipso deceptum ego opinor eumdem Ughellium in signando exordio Episcopatus Regnimiri . Is longe ante Annum MXLVI. Cathedram illam conscendisse mihi creditur , ac desiisse vivere eodem Anno MXLVI. aut primis mensibus subsequentis MXLVII Quamvis enim fatear , uti alibi monui , formulam *beatæ memoriæ*, atque alias similes, de viventibus etiam usurpatas : nihilominus veri similius est , in Diplomate Henrici , a me nunc promulgato , innui illius mortem. Et profectò non ea fuit diligentia Pignonio , ut ejus unâ auctoritate , nisi quum tabulas profert , nos duci velimus .

Et hæc quidem de Sæculo Christi Undecimo . Vetustiora prostant institutorum Canonicorum exempla . Ita credi possunt jam invecti Canonici in Novocomensem Civitatem ante Annum Christi DCCCIII. si germanum est Diploma Caroli Magni Imperatoris Tom. V. pag. 245. Ital Sacr. in quo nonnulla occurrunt , aliquam suspicionem falsi mihi ingerentia . Idemque perspicias in aliis Italiæ Urbibus , in quibus fere omnibus Sæculo Christi Nono Canonicorum Collegia in Cathedrali Templo sunt constituta . Quod tamen præcipue animadvertas velim , ipso ineunte Sæculo Octavo non ignota fuere in Italia Canonicorum Collegia , dum certa sit Charta donationis factæ a Speciosa Episcopo Florentino *Canonicis* Sancti Johannis Baptistæ , sive Cathedralis suæ , *Anno XII. Liutprandi Regis*, hoc est Anno DCCXXIV. Chartam protulit Ughellius Tom. 3. Ital. Sacræ . Equidem tantam in Italia Canonicorum antiquitatem sum demiratus. Florentiæ quoque in Bibliotheca Strozziana MStum Codicem vidi , in quem conjecta fuerant complura Chartarum veterum monumenta , inter quæ nonnulla autographa . Ibi verò legebatur Diploma Ludovici II. Augusti , quem Lotharius I. Imperator genuerat, ubi *Canonicis* Florentinis bona quæque & jura confirmat . Sed quoniam nuper egimus de Canonicis Arretinis , nunc addendum est, primo eorum sedes sive Claustra constituta fuisse extra Urbem , quod nempe illic in Basilica quiesceret Corpus Sancti Donati Martyris , & Domus sive sedes Episcopi sita foret . Carolus verò Calvus , dum Romam pergeret , Imperialem Coronam suscepturus , Arretium veniens , rem improbavit , & auctor fuit, ut intra ipsius Urbis mœnia , Canonicorum Collegium eorumque Cœnobium ædificaretur, quam in rem ex liberalitate sua Johanni Episcopo loca quædam publica contulit. Donationis hujus authenticam membranam in Archivo Canonicorum illius Urbis adservatam legi atque descripsi, & nunc in omnium usum evulgatam volo .

Caroli Calvi Imperatoris Diploma, quo Johanni Episcopo Arretino locum concedit intra Urbem ad ædificandum Templum Dei, cum Ædibus Canonicorum. Anno 876.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis*. Karolus *gratiâ ejusdem Dei* Imperator Augustus. *Ad hoc nobis divinam gratiam Imperii fastigium contulisse credimus, ut clementiæ nostræ meritum cunctiformiter in his, quæ pietatis sunt, adcumulemus. Ideoque comperiat presentium & futurorum industria, dum Romam a summo* Pontifice Johanne *vocati proficisceremur, nos Aretium devenisse, &* cur intra mœnia Civitatis, more ceterarum, Domus Dei, Sede pollens Antistitis, non emineret, perspicacius inquisisse. *Et quamvis Sancti Donati Martiris gloriosi responderetur & videretur in hoc specialiter locus electus, quod monimentis omnibus ejusdem Ecclesiæ pariter astipulatur, elegantius tamen nobis visum est*, ut Aretium intra muros Ecclesiæ culmine fulgeat, Claustrali munitione Clericos contineat, & decentibus habitationibus sese distinguat. *Ad quod opus concedimus Sancto Donato*, ejusque Rectori venerabili Johanni, *ac ejus Successoribus Forum, quod muro adjacet intra terminos ex uno latere domus, quæ dicitur Orrea, ex altero Ecclesia quondam Beati Benedicti, a tertio latere est murus Civitatis, a quarto verò latere est terra Sancti Petri, & Via publica*: ut Episcopo in sua Sede apud Sanctum Donatum residente, ibi nihilominus per ejus ordinationem divinæ laudis Canonicæ fiant concelebrationes, ubi actenus Mallationum ventilatæ sunt lites. *Sancimus autem, ut nullus cujuslibet potestatis vel ordinis intra præfixos terminos aliquam molestiam vel invasionem amodo facere præsumat. Quod quicumque facere presumpserit, duplicem immunitatem eidem Ecclesiæ persolvat.*

Signum Karoli (R K S L) *gloriosissimi Imperatoris.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Audacher Notarius ad vicem Gauzilini recognovit & subscripsit.

Datum Kalendis Martii, Anno XXXVI. Regnante Carolo Imperatore in Francia, & Imperii ejus Anno Primo.


Actum Vercellis Civitate.

In Concilio Ticinensi, quod paucos ante dies celebratum fuerat, præsente ipso Carolo Calvo Augusto, qui & ibi electus, sive confirmatus fuit Italiæ Rex, uti constat ex Actis editis Part.II. Tomi II. Rer. Italicar. pag. 153. decretum fuerat: *Uti Episcopi in Civitatibus suis proximum Ecclesiæ Claustrum instituant, in quo ipsi cum Clero secundùm Canonicam Regulam Deo militent.* Aderat & *Johannes Arretinæ Ecclesiæ Episcopus*, uti ex subscriptionibus patet. Is ergo nihil cunctatus, ab Augusto jam Vercellas profecto petiit atque impetravit *Forum muro* Civitatis Arretinæ *adjacens*, ad Canonicorum ædes in ipsa Civitate fundandas, de quibus sermo fuit in Diplomate a me publici juris nunc facto. Equidem conjicio, ex hoc Imperatoris dono non Ædes solùm Canonicorum, sed & ipsum maximum Templum Arretinæ Urbis, tunc ædificata fuisse, atque illuc translatum subinde Corpus Sancti Donati, nempe in eum ipsum locum, ubi nunc Cathedralis Basilica cernitur, intra Civitatem, & prope mœnia Urbis sita. Sciscitatus autem est *Carolus Calvus, cur intra mœnia Civitatis, more ceterarum, Domus Dei, Sede pollens Antistitis, non emineret*. Viden', unde ortum habuerit vocabulum Italicum *Duomo*? Nimirum Templum Civitatis primarium, ubi Sedes Episcopi erat, *Domus Dei* per antonomasiam appellabatur. Antiquitus etiam usurpata est vox ipsa eâdem significatione, ut videre est in Sermone Sancti Zenonis Veronensis Episcopi de Psalmo 126. *Conventus Ecclesiarum* (ita ille scribit) *sive Templi, quos ad secretam Sacramentorum religionem, ædificiorum septa concludunt, consuetudo nostra vel Domum Dei solita est nuncupare, vel Templum.* Aliis exemplis parco. Concessus autem est in hoc opus laudabile locus, *ubi hactenus Mallationum ventilatæ sunt lites*, publici quippe olim conventus (*Malli* Germanico vocabulo nuncupati) fiebant, in quibus majores caussæ agitabantur coram Comite, aliisque publicis Magistratibus, ac dirimebantur. De his actum supra fuit in Dissertatione XXXI. *de Placitis*. Postremo hinc tamdem intelligas, Cathedrale Templum in omnibus fere Civitatibus intra mœnia collocatum olim quoque fuisse: idque ad majus Populi commodum. Simulque palam fit *Claustrali munitione Canonicos* conjunctos insimul vixisse, atque ab iis *divinæ laudis* peractas fuisse concelebrationes. Quibus verbis innuuntur divina Officia, sive Horæ ab ipsis Canonicis in Choro diu noctuque decantatæ, ideoque *Canonicæ* appellatæ. In Adelhardi Episcopi Regiensis Charta infra videbimus, *Dormitorium* Canonicis Castri Olariani (nunc nobis *Castellarano*) constructum, *ut ii diligentius nocturnis horis ad divinum Officium occurrere possint*. Ergo Monachorum more & ipsi Canonici noctu quoque divinas laudes persolvebant in Choro. Paria legas in Literis Adel-

Adelberti Bergomatis Episcopi, Anno Christi DCCCCVIII. scriptis, Tom. 4 Ital. Sacr. ab Ughellio editis. Is enim ad constituendas Ædes Canonicorum elegit *Claustrum juxta Ecclesiam, ut cum Officium compleverint, opportune ad reficiendum, cibum & potum accipiant, & in nocturnis horis ibidem Dormiendo, nocturnis Officiis facilius occurrant*. Dormitorii quoque communis Sæculis etiam posterioribus mentio est in Literis circiter Annum MCLVII. datis A ab Hadriano IV. Papa apud Campium in Histor. Eccles. Placent. Canonicis Placentinis. Ibi nimirum præcipit Pontifex, *quatenus omnes de uno Cellario insimul in uno Refectorio comedatis, & in communi Dormitorio dormientes, in Capitulo conveniatis quotidie* &c. Quæ verò Dignitates in Arretino Capitulo vel ipsis antiquis Sæculis numerarentur, e subsequenti Diplomate palam fiet, quod authenticum mihi visum fuit inter ejus sacri loci membranas.

Confirmatio cujusdam terræ facta ab Ottone III. Imperatore Canonicis Ecclesiæ Arretinæ, Anno 996.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis*. Otto *divina favente clementia* Imperator Augustus. *Quia Imperialis magnificentia pia & larga erga Dei cultores, & Ecclesiarum Dei recuperatrix &c. qualiter nos consultu ac interventu* Helmpraxi *venerabilis* Episcopi *nostrique fidelis aliquantam terram, quam bonæ memoriæ* Petrus Episcopus *&c.* (ut in Privilegio Ottonis Primi) *Canonicis, qui nunc ibi* B *serviunt*, Willehelmo *scilicet* Archidiacono, *& Berahardo Presbytero &* Primicerio, *Martino Clerico &* Custodem Sancti Donati, *Sigizonem* Scolæ Cantorem, *Michaël Presbytero, Ato Presbytero, Winizoni Presbytero, Johanni Presbytero, Girardo Presbytero, Bertò Presbytero, Ludoni Presbytero, Leoni Presbytero, & reliquis, qui in præsenti serviunt &c.*

Signum Domni Ottonis invictissimi  *Imperatoris Augusti*.

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Heribertus Cancellarius vice Petri Episcopi & Archicancellarii notavi.

Data IIII. Idus Julii, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCVI. Indictione VIIII. Anno veri Tertii Ottonis Regnantis XIII. Imperii autem Primo.

Actum in Ecclesia Sancti Donati feliciter. Amen.

Neque solùm in Cathedralibus Templis, sed & in aliis Urbium præstantioribus Ecclesiis cœpta sunt institui Canonicorum Collegia. Hoc est, qui Clerici in aliqua illustri Basilica Deo inserviebant, communi vitæ, uniquè claustro sese obligantes, novas Congregationes antiquitus etiam efformarunt. Hinc ergo ortum habuere, quæ nunc vulgo *Collegiatæ* appellantur. In Ambrosiana Mediolanensi C Basilica, ubi Sanctorum Martyrum Gervasii ac Protasii Corpora quiescunt, nunc præclarissimus Canonicorum cœtus, præter Monachos ab iis divisos, laudes quotidie Deo canit. Horum vestigia animadvertat Lector volo vel Anno Christi DCCCXCIV. in quodam Berengarii Primi Diplomate, quod ex pervetusto apographo Archivi Monachorum Cisterciensium ibidem sacra facientium descripsi.

Berengarius I. Italiæ Rex Presbyteris & Officialibus Basilicæ Sancti Ambrosii Mediolanensis, Mansum in Cornelade largitur Anno 894.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni. Berengarius gratia Dei Rex. Si circa Dei famulos nostræ concessionis benignitatem impendimus, devotiores illos pro nobis ad divinum implorandum auxilium reddimus, ac per hoc supernam pietatem nostro Regno proficere non diffidimus. Ideoque omnium sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorum fidelium presentium ac futurorum nosse volumus cognitionem Hermenulfum nostræ Militiæ Comitem nostræ suggessisse sublimitati pro quibusdam Presbyteris atque Officialibus Sancti Ambroxii, ubi ejus Corpus venerabiliter tumulatum est, quatenus eis, vel eorum successoribus, ob nostræ mercedis cumulum, concessâ nostrâ largitatis benivolentiâ, Mansum illud, quod est in Cornalede, pertinens, ex Comitatu Frazionensi, cum finibus & subjacentiis suis ex integro, omni aliorum impeditione postpositâ, ad habendum debiti causâ concedamus officii. Quod nos ratum & congruum omnimodis arbitrantes, ejus petitioni concessum prebuimus. Si ergo contra hoc Regale Preceptum temerario ausu aliquid contrarium suæ presumptione stultitiæ facere, quod absit, temptaverit, a nobis statuto dampnetur judicio, scilicet mancosos auri duo milia cogatur persolvere, medietatem Regiæ Cameræ, & medietatem ipsis Presbyteris, quibus ausus fuerit impedire nequissimus. Et ut hoc nostræ Celsitudinis inviolabile Preceptum firmum & inconvulsum habeatur imposterum, proprie manus A subscriptione innotatum, atque, ut mos est, roboratum Anulo nostro, subtus jussimus sigillari.

Restaldus Notarius jussione Regiâ ad vicem Adelardi Episcopi & Archicangellarii recognovi.

Data IIII. Nonas Decembris, Anno Incarnationis Dominicæ DCCCXCIIII. Anno verò Regni Domni Berengarii gloriosissimi Regis VII. Indictione XIII.

Actum in Mediolano ad Sanctum Ambrosium, in Dei nomine feliciter. Amen, Amen, Amen.

Vides, jam præter Monachos olim Benedictinos celeberrimi Ambrosiani Monasterii ad cultum Dei introductos, fuisse in Templo Ambrosiano quosdam etiam *Presbyteros atque Officiales* ante Annum Christi DCCCXCIV. eosque B jam in unam coaluisse Congregationem ab ipsis Monachis sejunctam. His denique *Canonicorum* appellatio accessit. Quem autem locum designet in hocce Diplomate *Comitatus Frazionensis*, supra investigavi in Dissertatione XXI. *de Italiæ Statu*. Ad hæc non unis tantùm in Urbibus, sed etiam in ruralibus Ecclesiis, hoc est intra Castella, antiquitus inspicere erat instituta Canonicorum Collegia. Hujusce consuetudinis testes etiam dabo tabulas Adelardi Episcopi Regiensis, quæ adhuc in Archivo Capituli Canonicorum illius Urbis adservantur, atque ego descripsi e Chronico MSto Fulvii Azzarii, in Estensi Bibliotheca adservato.

Adelardus Episcopus Regiensis Canonicis Castri Olariani vetera bona ac jura confirmat, & nova largitur, Anno 944.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Adhelardus humilis Episcopus sanctæ Regiensis Ecclesiæ, servus servorum Dei. Quoniam quidem a Catholicis constitutum omnibus notissimum patet fidelibus rectum fore arbitratum, & nos pro nostræ scientiæ modulo cunctis Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, nostrisque præsentibus ac futuris innotescere volumus, eo quod res Ecclesiæ, prout in sanctis continetur Canonibus, vota sunt fidelium, & redemtio peccatorum. Fideles namque per amorem Christi succensi ob remedium animarum suarum, & cœlestis patriæ desiderium, de suis propriis facultatibus Sanctam Ecclesiam fecerunt locupletem, ut de his Christi milites pascantur, & Ecclesiæ ornentur, pauperes refocillentur, & captivi pro temporum opportunitate redimantur. Idcirco decessorum nostrorum, videlicet Azzonis & Petri divæ memoriæ ejusdem nostræ Sedis Episcoporum, providentes Canonicam constitutam a sua providentia, & sanctissima industria in Plebe Sanctæ Mariæ sita in Castro Olariano, tam illud confirmare, quod ipsi statuerunt, quamque amplificare pro posse decre- C vimus, idest Ecclesiam Sancti Rufini positam in loco Ventuso cum casis & omnibus rebus suis, universasque Decimas de prædicto loco exigendas in integrum, sicut ad nostram Ecclesiam legaliter pertinere videtur. Oblationes quoque fidelium, seu dona pro defunctorum Sepulcris, necnon & omnes Decimas, quæ pro tempore redduntur de Curte, quæ dicitur Foliano, seu ex Massaritiis ipsius Curtis atque Precariis, seu Massaricium unum de jure ipsius Plebis in loco qui dicitur Domnitio, cum omnibus pertinentiis suis in integrum. Nos autem pro divino amore & animæ nostræ remedio, & facultatibus sanctæ Dei Ecclesiæ nostræ, cui Deo auctore præsumus, concedimus in jam dicta Canonica ad supplementum Canonicorum ibidem D omnipotenti Deo die noctuque famulantium: idest omnes Decimas de Villa, quæ vocatur Casalegrande, cum omnibus pertinentiis suis in integrum. Hæc ergo omnia prædictis Canonicis in sæpe dicta Canonica constitutis, & pro tempore ordinandis donamus; & quæ hactenus ibidem tam a nostris Antecessoribus, quàm & quibuscumque hominibus de voluntate sua, modis

dis

dis omnibus confirmamus, quatenus Clerici canonice ibidem servientes, *& in supradictis rebus, vel ceteris undecumque, quas donante Domino adquirere potuerunt, stipendia pro tempore accipiant, debitumque suæ servitutis officium in ipsa Ecclesia, votis, ut credimus, fidelium quotidie augmentandâ, adimpleant, ac sanctæ conversationis exemplo clarescant per dies & tempora, bonis operibus redundando, in sancta religione atque doctrina crescentes*. Et ut diligentius nocturnis horis ad divinum Officium occurrere possint, ad ipsum Dormitorium construendum concedimus omnem terram, quæ est in circuitu jam dictæ Ecclesiæ.

Actum Civitate Regii, Anno Domni Hugoni *serenissimi* Regis *XVIIII.* Lotharii *verò filii ejus similiter* Rex *XIV. Kalendis Januarii, Indictione II. in Dei nomine feliciter Amen*.

Adhelardus Episcopus *hunc Privilegium propria manu roboravi & subscripsi*.

Ego Rimpertus Archipresbyter subscripsi.

Ego Reudenicus Archidiaconus manu mea subscripsi.

Ego Petrus Presbyter manu mea subscripsi.

Ego Restanus Presbyter manu mea subscripsi.

Ego Radaldus Presbyter manu mea subscripsi.

Ego Ingelbertus Presbyter manu mea subscripsi.

Ego Rotmundus Presbyter manu mea subscripsi.

Ego Dominicus Presbyter manu mea subscripsi.

Ego Adelbertus Diaconus subscripsi.

Ego Ribaldus Diaconus manu mea subscripsi.

Ego Johannes Diaconus manu mea subscripsi.

Ego Bernerius Subdiaconus manu mea subscripsi.

Ego Martinus Presbyter & Præpositus ex jussu Domni Adhelardi venerabilis Episcopi hunc Privilegium recognovi & subscripsi.

Castrum Olariani heic memoratum, idem est atque *Castellarano* in Regiensi Comitatu ac Diœcesi ad Gabellum fluvium, sive Siclam, vulgo *Secchia*, positum. Et quoniam illic vel tempore *Azzonis*, & *Petri* Episcoporum Regiensium, Canonici fuerant instituti, consequens est, eorum exordium cadere in An-

A num circiter DCCCXC. Atque inde intelligas, quàm felici successu completa fuerint vota piissima Francorum Regum, ut ubique Clerici, Monachorum ad instar, socialem & communem vitam agerent, & ad Regulæ suæ normam mores componerent. Hisce addenda est fundatio alterius Canonicorum Collegii in eadem Diœcesi serius tamen facta, hoc est in arce *Canusii*, nunc *Canossa*, cui loco gesta Comitissæ Mathildis, ejusque Majorum nomen æternum comparavere. *Adalbertus, qui & Atto Comes*, Thedaldi Marchionis pater, & ipsius Comitissæ proavus, ille fuit, cui Templum Sancti Apollonii, & Canonici illic Deo famulantes, suam institutionem in eodem Castro seu Arce debuerunt. Hoc idem in Vita

B Mathildis Cap. 2. tradiderat Donizo Poëta, de Attone scribens & de Canusina Arce:

Post hæc excelsum statuit sibi fingere Templum,
Divinasque Scholas, canerent quæ dulciter Horas
Nocte die Christo. - - - - - - - - -

Quibus verbis Canonicorum institutio innuitur. Tum auctor est idem Scriptor Cap. 17. sublato e vivis Bonifacio Marchione, Beatricem ejus conjugem cum filia Mathilda sustulisse inde Canonicos, eorumque locum Benedictinis Monachis dedisse.

C *Esse quia Monachos plusquam Clericos, venerandos*
Credebant ambæ, Canusinæ quoque sanctæ
Ecclesiæ nomen mutaverunt & honorem
In melius, dudum cui Præpositus fuit unus,
Usum cum Clericis non nisi tantùm duodenis
Deservire quidem. Nunc Abbas servit ibidem.

Cuncta hæc mire conveniunt, ac potissimùm de numero duodenario Canonicorum cum monumento, quod sum producturus, hoc est, cum Bulla Benedicti VII. Papæ, cujus antiquum exemplum in membrana scriptum, quamvis in nonnullis mancum suppeditavit mihi Archivum Estense. Et quia in eâdem pergamenâ subjiciebantur fragmenta aliarum

D duarum largitionum ad idem Canusinum Templum Sancti Apollonii spectantia, ea quoque describere, publicique juris facere statui.

Bulla

Bulla Benedicti VII. Papæ, qua fundationem Ecclesiæ Sancti Apollonii, & institutionem duodecim Canonicorum, ibi factam ab Adelberto Comite in Castello Canusino, confirmat ad petitionem Teudaldi Comitis ejus filii, Anno 976.

A Benedictus Episcopus, *servus servorum Dei. Omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus pateat, qualiter* Teudaldus Comes, filius Adelberti jam Comitis, *limina Apostolorum dignâ devocione visitans, ex parte sui Patris hujusmodi a nostra Apostolica auctoritate petiit, ut Ecclesiam in honorem Sanctorum Confessorum Dei, Apollonii videlicet, Ursicini, atque Rusticiani, Martyrum quoque Mauricii, Alexandri, & Victoris consecratam, quam ipse Adelbertus in suis propriis rebus, videlicet in rupe, quæ Canuxia vocatur, ab imis fundamentis construxerat, & ad divinum cultum varia specie dedicaverat, eidemque Deo & Sanctis obtulit proprietario jure omnis territorii sive prædii sui Decimam ad usum fruendi* Duodecim Canonicorum, qui ibidem pro futuris temporibus ab ipso, seu a filiis suis, nepotibus ac pronepotibus suis ordinati fuerint, *Apostolicâ nostri Privilegii auctoritate confirmare ac roborare dignaremur. Cujus igitur devotæ petitioni annuentes, & bono voto & condigno sincerum assensum præbentes, Apostolica hoc Privilegium auctoritate fulcitum ei fieri decrevimus, & quatenus secundùm petitionem ejusdem Teudaldi Comitis, suique Patris institutionem & donationem jam dicta Ecclesia a nobis corroborata modis omnibus persistat. . . . .* Reliqua desiderantur.

Scriptum per manum Stephani Notarii sacri Scrinei sanctæ Romanæ Ecclesiæ . . . . Indictione Quarta.

B *Datum IIII. Kalendas Januarii per manus Guidonis Episcopi & Bibliothecarii sancte Sedis Apostolice, Anno Pontificatus* Domni Benedicti *sanctissimi* VII. Papæ *Secundo, Imperii verò* Domni Ottonis *Tertio.*

Donatio Canossino Templo facta a Mathilde Comitissa, Anno 1102.

C IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi MCII. Quintodecimo Kalendas Novembris, Indictione X. Ego* Mathilda *Dei gratiâ* Comitissa, *una cum* Bernardo Cardinale & Legato Domni Paschalis, *concedimus & largimur* Ecclesie Sancti Apolonii, *que sita est in Rocha Canuxi . . . . . . Abatis Boschum unum, quod priùs erat Forestum prope Villam de Lachini, & Milliaria, sicut designatum per suos confines fuit.*

Ego Guido &c.

Chartula donationis factæ Canossino Monasterio ab Alberio Episcopo Regiensi, Anno 1153.

D IN *nomine Sancte & individue Trinitatis. Ego* Alberius *Dei gratiâ* Regiensis Ecclesie Episcopus . . . . Domni Manfredi *Karissimi* Fratris nostri . . . . Sancti Apolonii de Canuxio, & Abbatis ejusdem Monasterii. *Fratrum necessitati subvenientes, aliquantas Decimas, quas præfatum* Monasterium *habet & tenet de domnicatis, que fuerunt* Marchionis Bonifacii . . . . *propriis domnicatis ejusdem* Monasterii in Curte Canosse, *& de domnicato Serzani, jure proprio per hanc nostre institutionis seu concessionis paginam concedimus & largimur.*

MCLIII. Octavo die intrante Mense Aprili, Indictione Prima.

Ego Americus &c.

Vidimus impetratum *Canusinis Canonicis* Apostolicæ Sedis Privilegium. Addere nunc juvat paris indulti exemplum, quo simul pateat, Diœcesim quoque Mutinensem antiquitus non caruisse hisce ruralibus Canonicorum cœtibus. Est autem Bulla Cælestini III. Papæ, concessa *Canonicis Ganaceti*, quorum nullum ampliùs vestigium superest, solâ Parochiali Ecclesiâ, ac titulo Præpositurae illæsis, prædiis verò, ac juribus, per varios Comitatus olim diffusis, pæne omnibus deperditis, uti humanarum rerum conditio fert, quæ quotidie mutationibus & excidiis obnoxiæ sunt. Ex Collectaneis MStis Peregrini Prisciani, in Estensi Bibliotheca adservatis, Chartam hanc descripsi.

Cælestini

Cœleſtini III. Papæ Bulla, qua Præpoſito & Canonicis Sancti Georgii de Ganaceto in Diœceſi Mutinenſi, omnia illorum bona ac privilegia confirmantur, Anno 1195.

CŒleſtinus Epiſcopus, *ſervus ſervorum Dei dilectis filiis* Petro Prepoſito Eccleſie Sancti Georgii de Ganaceto, ejuſque Fratribus Canonice ſubſtituendis in perpetuum. *Pie poſtulatio voluntatis effectu debet proſequente compleri, ut & devotionis ſinceritas laudabiliter enitefcat, & utiliter poſtulata vires indubitanter aſſumant. Eapropter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & prefatam Eccleſiam* Sancti Georgii de Ganaceto, *in qua divino eſtis obſequio mancipati, ad exemplar Predeceſſorum noſtrorum felicis recordationis* Lucii, Urbani, Gregorii, & Clementis Romanorum Pontificum, *ſub Beati Petri, & noſtrâ protectione ſuſcipimus, & preſentis ſcripti Privilegio communimus. Statuentes, ut quaſcunque poſſeſſiones, quecumque bona eadem Eccleſia in preſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, preſtante Domino, poterit adipiſci, firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipſum, in quo prefata Eccleſia ſita eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis, & aliis, que in Curte Ganaceti, & Parochia veſtra habetis. Quecunque habetis in Villanova, Saliceto, Soleria, in Curte Lamine, Campo Galliani, Albareti, Citanova, Bajoaria, Pirradelle, Curli, Cugnenti, Rammi, Fredi, Malliagalli, in Nirano, Monte Urſi, Caſale, Cugnone, & Montegibio. Eccleſiam Sancti Zenonis de Lamma: Eccleſiam Sancti Mathei, que eſt juxta fluvium Situle, cum omnibus eorum pertinentiis. In Epiſcopatu Bononienſi poſſeſſiones, quas habetis in Curtibus Sancti Marci, Reſtalini, Manzolini, & Montebelii. In Epiſcopatu Regino poſſeſſiones, quas habetis in loco, qui dicitur Sanctus Fabianus, Fontana, Subſtiliolo, Caſale Montalto, & Querzole. In Epiſcopatu Ferrarienſi poſſeſſiones, quas habetis in Comitatu Ficaroli, & in Sadriano, & in Curtibus Manegii, & Trecente, & in Villa Sancti Anaſtaſii, & Lacum, qui dicitur Dampnarolo. Sane novalium veſtrorum, que propriis manibus aut ſumptibus colitis, ſive de nutrimentis animalium veſtrorum, nullus a vobis Decimas exigere vel extorquere preſumat. Liceat quoque vobis Clericos vel Laicos e Seculo fugientes, liberos & abſolutos, ad converſionem recipere, & eos abſque contradictione aliqua retinere. Ad hec, quia Decime Miniſtris Eccleſiarum tam veteri, quàm novâ Lege noſcuntur eſſe indulte, vos Decimarum exactione per Laicos vexari ſub interpoſitione anathematis prohibemus. Interdicimus inſuper, ut nullus infra Parochiam veſtram, que Curtem Ganaceti retinet, ſine Diœceſani Epiſcopi & veſtro aſſenſu, Eccleſiam vel Oratorium de novo edificare preſumat, ſalvis tamen Privilegiis Romanorum Pontificum. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis, clauſis januis, exclufis excommunicatis & interdictis, non pulſatis campanis, ſuppreſſâ voce divina Officia celebrare.*

Libertates quoque & immunitates, necnon antiquas & rationabiles conſuetudines a Mutinenſibus Epiſcopis, & aliis perſonis Eccleſie veſtre juſte conceſſas & hactenus obſervatas, ratas habemus, & eas futuris temporibus illibatas manere ſancimus. Cauſas etiam Matrimoniorum agendi Parochianis veſtris: privatas & publicas Penitentias dandi: eligendi etiam Prelatum & Fratres, ſicut a quadraginta annis in veſtra Eccleſia rationabiliter & pacifice noſcitur obſervatum, vobis liberam concedimus facultatem. Sane & inſtrumento ſupradictorum Predeceſſorum noſtrorum Lucii, Urbani, Gregorii, & Clementis, *accepimus, quod de voluntate bone memorie* Gerardi *quondam* Archiepiſcopi Ravennatis, *deliberatione provida ſtatuiſtis*, ut Eccleſia veſtra octo tantùm Canonicis ſit contenta, *cum ipſis facultates non ſuppetant, quibus plures valeant congrue ſuſtentari. Nos verò, qui bene acta cunctorum ex injuncto nobis officio debemus & volumus approbare, ad inſtar jam dictorum Anteceſſorum noſtrorum, conſtitutionem ipſam, ſicut a vobis Canonice facta eſt, & in autentico ejuſdem Archiepiſcopi continetur, ratam eſſe decernimus, & preſentis ſcripti paginâ communimus; niſi facultates ejuſdem Eccleſie contigerit ex proceſſu temporis ampliari, quod pluribus neceſſaria poſſent congruâ ſufficientiâ miniſtrare. Ad hec auctoritate Apoſtolica conſtituimus, ut nullus in Eccleſiam veſtram interdicti, aut in vos excommunicationis vinculi, ſuſpenſionis ſententiam ſine manifeſta & rationabili cauſâ promulgare preſumat. Sententias quoque a bone memorie* .... Mutinenſi Epiſcopo *ſub cauſa, que vertebatur inter vos & Preſbiterum Stephanum, pro Eccleſia Sancti Jacobi de Aqualonga ſuper jure Parochiali, & a bone memorie* Theobaldo Ferrarienſi Epiſcopo, *ex delegatione* Lucii Papæ, *ſuper queſtione, que inter vos &* Yſaac quondam Abbatem de Vangaditio *agebatur, Canonice latas, ſicut in eorum ſcriptis autenticis rationabiliter continetur, que executioni mandate ſunt, ratas habemus, & auctoritate Apoſtolica confirmamus. Sepulturam preterea illius Loci liberam eſſe decernimus, ut eorum devotioni & extreme voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi fortè ſint excõmunicati vel interdicti ſint, nullus obſiſtat. Decernimus ergo, ut nulli omnium hominum liceat prefatam Eccleſiam temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum, pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalvâ Sedis Apoſtolice auctoritate, & Diœceſani Epiſcopi Canonicâ juſtitiâ. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica, Seculariſve perſona, hanc noſtre conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita,*

ta, nisi reatum suum dignâ satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in A *extremo examine divine ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bone actionis percipiat, & apud districtum Judicem premia eterne pacis inveniat. Amen, Amen, Amen.*



Ego Celestinus Catholice Ecclesie Episcopus *subscripsi*.

Ego Albinus Albanensis Episcopus subscripsi.
Ego Octavianus Hostiensis & Veletrensis Episcopus subscripsi.
Ego Johannes Prenestinus Episcopus subscripsi.
Ego Petrus Portuensis Episcopus subscripsi.
Ego Pand. Basilice XII. Apostolorum Presbyter Cardinalis subscripsi.
Ego Petrus tituli Sancte Cecilie Presbyter Cardinalis subscripsi.
Ego Jordanus Presbyter Cardinalis Sancte Pudentiane Past. tituli subscripsi.
Ego Ugo Presbyter Cardinalis Sancti Martini tituli manu mea subscripsi.
Ego Sofridus tituli Sancte Praxedis Presbyter Cardinalis subscripsi.
Ego Bernardus Sancti Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis subscripsi.
Ego Gra..... Sanctorum Cosme & Damiani Diaconus Cardinalis subscripsi.

Data Laterani per manum Centii Sancte ..... in Orthea Diaconi Cardinalis, Domni Pape Camerarii, VII. Kalendas Maji, Indictione XIII. Incarnationis Dominice Anno MCXCV. Pontificatus verò Domni Celestini Pape Tertii Anno Quinto.

Animadvertas velim, nunc apud multos Italicorum *Fratris* nomen pæne sordere, itaut relegatum videatur intra Mendicantium Religiosorum claustra. Immo ne ibi quidem tutus est locus, quum *Patris*, non *Fratris*, titulum ea quoque gens cariorem habeat. At olim certum est, Monachos etiam Benedictinos *Fratrum* appellationem minime dedignatos fuisse: cujus rei innumera prostant exempla, quæ B utique consonant *Fratris* seu *Fratrum* titulo, quo asseclas suos in Monastica sua Regula nuncupavit sanctissimus eorum Pater Benedictus. Sed & *Canonici* appellabantur *Fratres*, uti fidem facere possunt Historiæ ac monumenta veteris ævi. Ego unum proferam, ubi de insigni Capitulo Canonicorum Vercellensium, res est.

Friderici I. Romanorum Regis Diploma confirmantis jura ac privilegia omnia Canonicis Vercellensibus, Anno 1152.

I*N nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.* Federicus *Dei gratia* Romanorum Rex Augustus. *Imperii nostri nos hortatur auctoritas, Ecclesiis per Regnum constitutis congruâ in Domino provisione consulere, earumque possessiones debitâ protectione fovere. Præsentibus igitur ac futuris dilectis fidelibus volumus esse cognitum, quod petitione carissimi Cancellarii nostri Arnoldi, & aliorum plurimorum Principum*, Canonicos Sancti Eusebii in Civitate Vercellensi *tam futuros quàm præsentes, cum omnibus suis possessionibus, in Regiam protectionem suscipimus, & præsentis Privilegii paginâ communimus. Quæcunque itaque in Privilegiis a nostris Prædecessoribus Regibus seu Imperatoribus eis collata contineri noscuntur, & quæ largitione Regum, concessione Pontificum, seu quorumlibet fidelium oblatione memorati* Fratres *hactenus obtinuerunt, aut in posterum rationabiliter obtinere poterunt, præsenti paginâ confirmamus, ex quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Caresianam cum districtu, & omnibus publicis functionibus: utrumque Montanarium: Portum Sicidæ, quo itur ad Bolgarum & quodcunque detinetur in Caresiana, tam in districtu, quàm alias publi-* C *cas functiones: Caracetum cum omni integritate sua: Campalorcuum cum omnibus, quæ ad dictas Præbendas pertinent cum omni integritate: & omnia, quæ tenentur in Viverone tam in Castello, quàm in Villa, cum districtu, & omnibus Regalibus. Similiter tres partes de Portu Scriviæ, cujus quarta pars est Sanctæ Mariæ: tres partes de Montegallano cum suis pertinentiis, cujus quarta pars similiter est Sanctæ Mariæ: quæcunque fidelium magna seu parva persona prædictis Ecclesiis aliqua contulerit; & si qua in aliis eisdem donis seu Villis Regalia contineri noscuntur, Regiâ eis auctoritate concedimus. Præterea præscriptionem centum annorum prædictis Ecclesiis, quemadmodum &* D *Episcopo, concedimus in perpetuum. Decernimus igitur, ut nullus Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, aut alia magna vel parva persona huic Privilegio temere contraire præsumat. Et ut hæc omnia in perpetuum firma & inconvulsa permaneant, præsentem paginam Sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Statuentes, ut nulla magna vel parva persona, vel Commune Civitatis, aliquando audeat ab utraque Ecclesia exactionem tollere. Quod si quis temere huic Privilegio con-*

contraire tentaverit, *centum Libras auri Cameræ nostræ persolvat*. *Testes fuere præsentes*, *quorum nomina subscripta cernuntur*: *Hartwiscus Bremensis Archiepiscopus*, *Geboardus Wirtziburgensis Episcopus*, *Eberhardus Bambergensis Episcopus*, *Gunterius Spirensis Episcopus*, Dux Welpho, Henricus Dux Saxoniæ, *Adelbertus & Conradus Marchiones Saxoniæ*, *Odocharo Marchio de Stiria*, *Guido Comes de Blandrado*, *& alii plurimi*.

Signum Domini Federici Romanorum Regis invictissimi.

Ego Arnoldus vice Henrici Maguntini Archiepiscopi & Archicancellarii recognovi.

A *Datum Wirzburg*, *XV. Calendas Novembris*, *Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Centesimo Quinquagesimo Secundo*, *Indictione XV. Regnante Federico Romanorum Rege glorioso*, *Anno verò Regni ejus Primo*.

Nunc autem prodendum est, qua formula olim uterentur Clerici, quando in consortium Canonicorum recipiebantur. Eam mihi suppeditavit Archivum Capituli Canonicorum Arretii, ubi autographum vidi, & Eruditorum interest heic nunc evulgari.

Formula, qua Farulfus Presbyter offert se Capitulo Canonicorum Arretinorum, ad serviendum Ecclesiæ secundùm Canonicam Regulam, Anno 1075.

I*N nomine Domini nostri Jesu Christi*. *Ego* Farolfus Presbyter *spontaneamea voluntate offero me ipsum Deo*, *& Ecclesiæ Sancti Donati*, *&* Jocundo Preposito atque Archidiacono secundùm Regulam Canonicam fideliter serviturum, pallio Altaris manibus involutum, *cum oblationibus mearum rerum mobilium & immobilium*, ita ut ab hac die non liceat mihi collum excutere a jugo Regule Canonice, sed magis ejusdem Regule statuta fideliter servare, *& Deo cum ceteris grato animo militare*, *ut cum ipsis premium eterne remunerationis ab illo recipiam*, *qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat unus Deus in secula seculorum*. *Amen*.

✠ *Ego Farolfus Presbyter confirmavi & subscripsi*.

Ego Jocundus Archidiaconus & Prepositus subscripsi.

Ego Azo Presbiter interfuit.

Insalutata dimittenda non sunt hujus Chartæ verba: *Pallio Altaris manibus involutum*. In institutione Canonici, sive in oblatione sui facta a Clerico Canonicatum adepturo, idem planè factum est, quod in oblatione puerorum ad Monasteria fieri consuevit, uti infra videbis in Dissertatione LXV. *de Monasterior. Erection.* Nimirum *pueri* oblati a parentibus, ut in Monasterium reciperentur, *Pallâ Altaris involvebant manus*: simulque oblationis formula e scripto legebatur coram Abbate. Ejusmodi ritus mentio habetur in Regula Sancti Benedicti Cap. *66.* & nomine *Pallæ*, sive *Pallii*, designatum puto velum illud sericeum, quod adhuc in sacris adhibetur, quum oblata ad Altare deferuntur, & quo oblata olim tegebantur. Nempe uti panis & vinum velamine illo contecta Deo offerebantur, ita & pueri in Monasteriis & Clerici in majoribus Ecclesiis. Neque tantùm in pueris offerendis servatus hic ritus, sed etiam quum veste Monastica induendus quisquam erat, & in Monachum recipiendus. In antiquo Rituali Monasterii Anianensis apud Martene de antiquis Monachor. Ritib. Lib. 2. Cap. 2. hæc leguntur: *Adducatur in veste seculari ante Altare*, *præsente Abbate & conventu*; *& tunc ibi a parentibus offeratur Deo*, *& involvant manus ejus in Palla Altaris*. Puerorum verò oblatio ita describitur in MSto Codice Monasterii Farfensis apud eum-

B dem Martene Lib. 5. Cap. 5. *Tunc veniat puer ante Altare*, *vel ad gradus*, *& detur in manus illius offertorium cum hostia & ampulla vini*. *Et unus de fratribus*, *cui Abbas jusserit*, *legat hanc schedulam*: *Ego Frater*, *ille*, *offero hunc Puerum nomine illius cum oblatione in manu atque petitione*, *Altaris Palla ejus manus involutam*, *ad normam Sanctorum &c.* Pari modo in Codice MSto Monasterii Beccensis hæc legimus: *Postquam obtulerit Cantor*, *offerat & Puer*. *Quo facto*, *recipiat Secretarius offertorium*. *Et parentes accedant*, *& involvant dextram manum pueri in Palla Altaris*, *& ita involutam tradant manibus Sacerdotis &c.* Quod tamen potissimùm in Charta nuper evulgata animadvertendum, illud est *cum oblationibus mearum rerum mobilium & immobilium*. Ergo

C non se tantùm, sed suas etiam fortunas novitii Canonici Deo offerebant, & in jus ac ærarium Ecclesiæ transferebant, ut vitæ communis contubernium deinde in Fratrum Collegio & Claustro ducerent. Hoc etiam a Monachis didicere Canonici, uti infra ostendam in Dissertatione LXVII. *De Modis acquirendi*. Præterea Monachi sodales suos *Fratres* appellabant. Canonicos quoque *Fratrum* nomenclaustrâ sæpe donatos invenias. Dixi, communem vitam, victum scilicet & habitationem fuisse Canonicis. Aberant ii tamen plerisque in locis a perfectâ vivendi formâ, quam veri Monachi

D olim amplectebantur. Raro quippe sui patrimonii abdicatio plena & fere numquam germana Paupertatis professio, in Canonicorum cœtibus obtinuit. Scilicet iis licuit, quamquam regularem societatem, unamque mensam ac tectum servarent, proprio patrimonio uti ac frui. Et fortasse ne Arretii quidem secus factum. Potuit enim offerri patrimonium, cujus tamen, dum vita comes foret, usufructus esset penes offerentem.

Verùm quid stabile, quid firmum in rebus humanis? Sanctissime instituta, amplissime propagata fuere Canonicorum Collegia, ita ut nulla Civitas ejusmodi ornamento, ac tam vivo disciplinæ Ecclesiasticæ exemplo careret.

E Sed quæ natura in malum prona vel ipsos sæpissime Monachos, quamquam rigidissimis legibus ad virtutem educatos, in ima dejecit, eadem Canonicos quoque in omnibus fere Urbibus a Virtutis semitâ avertit. Eoque faciliùs hos quàm Monachos ad vitia ac mores vi-

ris Deo sacratis indignos traxit, quo minus Canonici ad perfectam Monachorum vitam accedebant. Neque enim severæ disciplinæ se addixere Canonici, & absolutam Paupertatem, ut nuper dixi, minime profitebantur; & quamvis in claustro degentes, Sæculum tamen omnino ejurasse nequaquam videbantur. Factus hinc locus avaritiæ, factus & luxuriæ: & sic sensim eo res deducta, ut deterior quàm Laicorum in nonnullis locis haberetur Canonicorum vita, eorumque claustra tamdem inhospita redderentur. Accidit id potissimùm Sæculo Christi Undecimo, quo Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos multis in Urbibus, & præsertim Mediolani, invasit Nicolaitarum hæ- A resis, & uxores Græco more ducendi improbata semper in Occidente prurigo. Ut hunc morbum evellerent eodem Sæculo Romani Pontifices Nicolaus II Alexander II. Gregorius VII. alique Præsules, nullum lapidem non moverunt. Neque frustra fuit eorum zelus; nam & repurgati fuere plerique mores Cleri, & rursus cum Ecclesiasticæ continentiæ voto restituta est multis in locis communis Canonicorum vita. Quid præstiterit in Urbe sua *Herimannus Episcopus Volaterranus*, e sequenti Charta Lector intelliget, quam authenticam vidi in Archivo Capituli Canonicorum Volaterris.

Constitutio Herimanni Episcopi Volaterrani in Synodo suæ Diœcesis facta, ad restituendam vitam communem Canonicorum Ecclesiæ suæ, circiter Annum 1070.

Quoniam in istius Mundi statu nichil certum, nichil firmum cognoscamus, neque aliquid fidei, vel quicquam spei in illo esse videmus, sed omnia, quæ in eo sunt, caduca esse & momentanea cernimus, nobis pro certo est necessarium, non solùm vitare, sed etiam fugere quicquid est anime contrarium, & illud appetere, quod est sibi salutiferum &c. Cujus amore, cujusque dilectione EGO HERIMANNVS, *licèt omnium Episcoporum infimus, Dei tamen nutu* Episcopus, *semper gubernor, quamquam cunctis hominibus sim nequior, & ultra quàm credi possit, sim peccator. Ob hoc verò ut mihi subvenire divina dignetur gratia, commertium hujus sanctæ Ecclesiæ huc usque detestabile volo ad salubre & cœleste remedium transferre.* Patet namque istius Ecclesiæ Ordines, videlicet Archidiaconatum, Prepposituram, & reliquos Ordines hactenus esse usurpatos, ac male fuisse dispositos. *Et idcirco, Deo opitulante, & istius Sinodalis Concilii conventu corroborante, Ordines predictos dispono ita manere, quatenus ad unum redeant, & generales habeantur. Quocumque enim tempore hujus sanctæ Ecclesiæ quilibet* Fratrum *ab isto migraverit Seculo, sua* Canonica, *que usque modò abusive & falso appellatur nomine, deinceps nuncupetur vero & proprio vocabulo, eum scilicet ut illi habeant Clerici, qui secundùm suam scientiam* hìc regulariter vivent, *donec alter hujuscemodi Clericus veniat*, qui cum ceteris Fratribus regulariter vivat. *Quis est umquam mortalium tam beatus, quàm ille, qui ad hoc nititur, ut celorum gaudia contemplari queat, Sanctorumque beatitudine perfrui valeat? Ad illam tantæ claritatis felicitatem* EGO HERIMANNVS, *Dei gratia Episcopus pertingere cupio, si illius est voluntas, qui nostrarum mentium est inspector, nostrorumque secretorum cognitor. Fisus sum namque de illa nostri Redemptoris benigna promissione*: Peccator quacumque horâ conversus fuerit, vitâ vivet, & non morietur. *Propter ergo superne remunerationis beatitudinem, & propter animarum meorum Successorum Episcoporum salutem, communi consensu corroborante Sinodalis Concilium, ad honorem hujus Sancte Ecclesie* EGO HERIMANNVS DEI GRATIA EPI- B SCOPVS statuo & confirmo Ordines prefatos Clericis his regulariter degentibus habituros. *Hoc tamen illa ratione assero, quod postquam aliquis istorum* Fratrum *ex isto obierit Seculo, nulla alia adhibeatur sententia*, nisi ut Fratres in isto loco Canonice viventes, Ordines jam memoratos habeant communes, *donec reperiantur Clerici Deum timentes, quibus participentur spiritualiter*. *Sive* Ordines, *hoc est* Canonica, Archidiaconatura, Prepositura, *& ceterorum Æclesiasticorum Ordinum misteria, qui fuerint eorum*, qui stare videntur Seculariter, *sive eorum*, cernuntur vivere Regulariter, Fratribus tamen accidant Canonice degentibus. *Curtem enim Sanctæ Agathæ Virginis cum omnibus pertinentiis suis infra & extra se habentibus, simili modo supra dictis* Fratribus *concedimus*. C *Curtem Sancti Octabiani cum omnibus sibi pertinentiis, & vineam decurrente cum laboratoribus, qui eam laborare debent, quæ* Fratribus regulariter viventibus *sunt concessa a ceteris* Fratribus, *eos habere laudamus. Insuper omnia, quæ illis data sunt, vel in antea danda sunt, seu conquirenda sunt, eos tenere confirmamus. Si quis verò fraude maligna imbutus, vel felle diabolico fuerit infectus, tale dans consilium, quod istud salubre constitutum removeatur, vel aliter commutetur, nisi ut supra dictum est, Auctoritate Apostolorum Petri & Pauli, & ex potestate mihi a Deo concessa, illum segrego a Fidelium consortio, illum separo a sanctæ Ecclesiæ gremio, illum damno, maledico, & excommunico &c.* D

EGO HERIMANNVS DEI GRATIA EPISCOPVS *confirmavi & subscripsi*.

EGO WGO ARCHIDIACONVS CONFIRMAVI MANV MEA ME SVBSCRIPSI.

Ego Farolfo Archipresbiter confirmavi & subscripsi.

Ego Petrus Presbiter confirmavi & subscripsi.

Ego Azzo Diaconus & Canonicus subscripsi.

Ego Adelmus Diaconus subscripsi.

Ego Albertus Diaconus subscripsi.

Ego Andreas Diaconus subscripsi.

Ego Drudo Prepositus subscripsi.

Ego Christianus Presbiter subscripsi.

Hego Einricus Cantor subscripsi.

Nunc

Nunc ejusdem calamitatis exemplum alterum proferre juvat, ut palam fiat, quid Arretino Clero olim contigerit, ex cujus fortuna reliquarum pæne Urbium iufelicem statum metiri A facile possis. Monumentum autem, quod nunc editurus sum, multiplici consideratione dignum, ego olim ex antiqua pergamena descripsi adservata in Archivo Canonicorum Arretii.

Enarratio eorum, quæ perverse gesta sunt a Custodibus Ecclesiarum Sancti Stephani & Sancti Donati, in Civitate Arretina, & quomodo Canonici tamdem eas Ecclesias acquisierunt. Scripta circiter Annum 1092.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Regnante* Lodovico filio prioris Caroli *factus est Conventus Synodi, eo præcipiente, in loco, qui dicitur Aquisgrani; multisque præceptis ab eo rite compositis, præceptum præ omnibus hoc salutiferum statuit*, præcipiens cunctis congregatis Episcopis, ut omnes darent studium Canonicam construendi. *Filius autem ejus* Lotharius *post mortem illius, Patrem secutus, per Regnum transiens*, non inveniens Ecclesias Episcopales ordinatas cum Canonica Congregatione, *sicut ipse & Pater ejus præceperat, condoluit. Veniensque Aritium, & causâ orationis ad Sanctum Donatum, non reperiens, quod præceperat, contra* Episcopum *illius Ecclesiæ, nomine* Petrum, *est indignatus quamplurimum*. Iterum præmonuit Episcopos, præcipue ipsum Petrum Antistitem Aretinum, per se & suos Optimates, ut præceptis suis & Patris obedirent. *Ipse autem Dei famulus Petrus obedivit, & eam construxit. Congregatione ab eo factâ, aliquanta bona ibi concessit. Insuper & quatuor manuales personas ad serviendum dedit, scilicet Pistorem, Cocum, Lavandarum, & Bifulcum, sicut in suo scripto continetur. Deinde auctâ famâ* illius Congregationis communiter viventis, *per multa loca terrarum, a bonis hominibus ibi bona Mundi plurima sunt concessa. Denique* Ugo Rex *cum* Lothario filio suo, *ob devotionem ad Corpus Sancti Donati veniens, talibus auditis, magna prædia contulit* ipsis Canonicis, *sicut in Præceptis ejus scripta sunt, ut inopiâ procul ab eis remotâ in Dei & Sancti Donati* talis Congregatio *maneret semper servitio constituta, & ut perpetuum Regem exorarent cotidie pro incolumitate Regni & pro eorum salute*. Plurima post tempora evoluta, exardescente Diaboli nequitiâ, Canonicorum talis Congregatio, & Ecclesiæ Officia diu fuerunt dispersa. *Et hoc evenit pro Episcoporum desidia, & pro Rectorum negligentia, ac pravorum hominum cupiditate, qui eis abstulerant, unde tunc usque vixerant. Sicque permansit pæne mortua usque ad* Helperti *digni* Pastoris *religiosam prudentiam. Eo quidem præsidente in Ecclesia prædicta, cum maximo labore reædificavit Ecclesiam Sanctæ Mariæ. Et veniente ibi Romano Pontifice, cum maximo bonore ac desiderio consecrare eam ab eo fecit*. Insuper etiam Canonicam reædificavit, & Clericos, quantos potuit, ad communem vitam congregavit, aliquando precibus, aliquando minis, & quasi bonus pater ad Fraternam Societatem constituit. *Qui etiam, quæ erant suæ utilita-*

B *tis, plurima bona eis concessit. Inter hæc & quartam partem Ecclesiæ, quæ Antecessores sui sibi reservaverant, sine refragatione donavit, sicut in Privilegio suo invenitur. Insuper etiam,* Otto Imperator *cum transiret per Tusciam, deveniens ad Corpus Sancti Donati causâ orationis*, conduxit suos Canonicos, quos ordinaverat, *ante Imperatorem, & Præceptum ab eo accepit de omnibus, quæ ad illos pertinebant, vel quæcunque adquisituri erant, sicut legitur in ipso Præcepto. Et plurima* (*) *que fuerunt prædicta priscis temporibus*, ex antiqua Canonica, *cum adjutorio suo, & Imperatoris receperunt*.

C *Sed ut retro redeamus, ne Episcopi antecessores prædicti Helperti Præsulis ex toto viderentur esse gregum suorum dispersores, quartam partem omnium obligationum* (**) *Ecclesiæ propria manu retinuerunt; tres alias partes* Presbyteris & Clericis, quos continuerant in ipsa Ecclesia, *cum aliis beneficiis dederant. De tribus ipsis partibus quatuor partes factæ sunt. Tali pacto & tenore illis* Clericis *hoc beneficium ab Episcopis fuit concessum, ut Ecclesiæ pavimenta mundarent, ac lampadas accenderent, & studerent, & Campanas horis competentibus sonarent, atque Ecclesiæ januas cum omni ejus thesauro vicissim custodirent, & pro Ecclesiæ custodia cum suspenso somno noctibus singulis requiescerent. Ita factum est, ut pro tali bene-*

D *ficio ipsis concesso divites effecti, mulieres conduxerunt, filiosque ex eis generaverunt, & dehinc Ecclesiam in se diviserunt, sicut in antea dicetur. Sed quoniam solitum est, ut divitiæ homines in superbiam elevent, pro quo beneficium habuerant, dedignabantur studere. Illis autem curam Ecclesiæ male tractantibus, contra eos clamor Populi exarsit. Tunc illi pro pavore ejus Ecclesiæ tunc Episcopi, atque Populi, inito consilio, quendam Monachum aquisiverunt, ut eorum vice Ecclesiæ deserviret, & omnia, quæ necessaria erant, ibi studeret. Et hoc constituerunt, ut pro beneficio tempore messis & vindemiæ ei sexdecim Sextaria de grano similiter & de vino pro unaquaque parte, & de of-*

E *fertione, sicut videretur. Diebus verò festis, vel Letaniis, vel si aliquo modo oblatio aderat,* (***) *mittebatur unusquisque illorum servum vel mercenarium, aut ipse per se, ad ea requirenda. Tunc fiebant furta, rapinæ, rixæ, garritiones, & divisiones, ita ut multoties unum panem per quatuor partes dividerent, & candelam simul cum altercatione. Prædicto Custode post parvum tempus mortuo, vice illius intromiserunt Ursum Presbyterum, qui Torellus vocaba-*

(*) Legendum puto *quæ perdita fuerant*.
(**) Scribe: *oblationum*.

(***) Scribendum: *mittebat unusquisque illorum*, idest Canonicorum &c.

cabatur, cum supradicto beneficio. Ille autem Presbyter inscius, nec campanas noverat sonare horis Matutinalibus, nec per horas constitutas diei, neque hoc facere in Ecclesia, quod decebat. Inter hæc fames in Comitatu Castellano maxima orta est. Quidam Presbyter, nomine Teuzo inde veniens, ejecto supradicto Custode Torello a Presbyteris & ...... esse per se debuerant, in Ecclesia Custos factus est. Hic namque Presbyter justus, bonus, & studiosus in officio erat. Inspirante autem Domino, quamplures homines ex Aritio Hierosolymam perrexerunt. Ipse Presbyter Teuzo cum eis perrexit. Tunc ipsi Custodes, non habentes alium, remiserunt eumdem Ursum Presbyterum. Reverso itaque Teuzone Presbytero ex Hierosolymis, propter suam bonam conversationem Canonicus *factus est. Igitur supradictus Ursus nihil sciebat facere, sicut prius. Hinc omnis Populus per Custodum summissionem* Episcopum Teodaldum, *qui tunc temporis erat, imploraverunt, ut eundem Teuzonem ad Ecclesiæ custodiam reverti juberet. Quia* Canonicus *factus erat* Canonici *talia facere non consentiebant, Ad ultimum tamen propter Episcopi jussionem & Populi obsecrationem consenserunt. Sed & hoc toto Anno contradixerunt, ne cum eis comederet, ne deveniret in malam consuetudinem. Tunc prædicti Custodes super* Canonicam *se vindicabant in prædis, & quæ facere poterant. Inde etiam post Populi obsecrationem, ejusdem Episcopi & Populi statutum est, ut ipse Teuzo Presbyter in Ecclesia ebdomadam Missarum, sicut* Canonici Presbyteri *faceret, & ebdomadam Coquinæ similiter, & Custodis officia impleret. Sicut permissum est ei tantùm comedere. Adquisito autem cibo, abstulerunt supradicti Custodes medietatem de grano, quod soliti erant dare. Quo mortuo, intromiserunt Johannem Turphum, Nepotem illius, quem secum duxerat ac nutrierat. Deinde maxima concertatio inter* Canonicos *& ipsos Custodes iterum exorta est de victu ipsius. Custodes, sicut Avunculum, illum facere volebant, sed omni nisu* Canonici *repugnabant. Hoc antem* Canonicis *opponebant, quod quartam partem tunc haberent de Ecclesiæ oblatione.* Canonici *econtra talia respondebant:* Quando Elpertus Episcopus, suique antecessores quartam partem manu sua habebant, quam postea ipsi nobis concesserunt, Custodes victum ab eis non requirebant. Insuper beneficium aliud vobis est concessum pro Ecclesiæ Custodia. *Denique prædictus Johannes Turphus, eo quod victum non habebat aliqua parte, nec campanas sonabat, sæpius per tres dies vel quatuor, vel plures. Illi interim causam* Canonicorum, *ubicumque poterant, male tractabant. Interea* Episcopus Immo, *quia tunc temporis fuerat partim clamor Populi, partim mala voluntate atque virtute, & quia Ecclesiæ injuriam non valens sustinere, in Claustrum veniens cum Populo maximâ altercatione; hoc inter* Canonicos *& Custodes diffinitum est, ut per cotidianos dies unam coppam de vino, & unum panem* Canonici *Custodi illi darent ad fenestram Coquinæ: Dominicis & Festis diebus ad Tertiam cum eis pranderet. Revertente tempore messis & vindemiæ, Custodes supradicti Vicario suo, quod soliti erant dare de vino & grano, aut non dabant, vel si eorum aliquis dabat, alius non dabat; vel si forte dabant, cum maxima importunitate præbebant. Quando autem non accipiebat, nec campanas sonabat, nec quæ erant in Ecclesiâ facienda faciebat. Talia passa est Ecclesia, usque dum ad Canonicos devenerat, & cetera alia mala, quæ Deo juvante dicentur ad memoriam,*

Superius diximus, quia Custodes illi filios generaverunt. Nunc dicendum est, qui fuerint, & quomodo Ecclesiam inter se diviserint. Fuit quidam Presbyter Petrus, qui a loco, De Nuce vocabatur, qui plures filios habuit, sicut alii Custodes. Sed nolumus dicere, nisi de illis, qui Ecclesiam habuerunt. De Petro Presbytero geniti sunt Presbyter Salomon, & Andreas Clericus. Qui Presbyter Salomon habuit quartam partem ex quatuor supradictis partibus, quam diviserunt inter se Filii sui & Nepotes. De Salomone illo geniti sunt Leo Laicus & Sizzo Clericus. De Leone genitus est Bonicus. Bonicus in senectute sua factus est Canonicus. *Partem suam ipsis* Canonicis *concessit. Ex Sigizone genitus est Ungarinus Laicus. De Ungarino geniti sunt Teuzo Clericus, & Raginerius, & Salomon Laici, qui simul partes suas dederunt* Canonicis *pro uno modiore de terra in Agare in comcambio, quod dedit Paganus filius Suppi de Montercle pro anima filii sui Guberti. Andreas Clericus frater Salomonis Presbyteri habuit aliam quartam partem, quam diviserunt Filii ejus & Nepotes. De Andrea geniti sunt Blancus Clericus, & Mannulus Laicus. De Blanco geniti sunt Ucellittolus, & Guidolus Laici. Ucellittolus judicavit medietatem suæ partis* Canonicis *pro anima sua, & accepit decem Solidos pro altera medietate. Widolus accepit viginti Solidos pro sua parte. De Mannulo geniti sunt Priccus & Pincus. De Bicco geniti sunt Widolus Clericus & Bertus & Mincus. Widolus accepit pretium quatuor Solidorum pro sua parte. Bertus & Mincus vendiderunt partem suam Picuccio Medico. Moriente Picuccio Medico judicavit Canonicis Solidos viginti. Post mortem ejus filius Helias non habens unde daret, dedit suam partem Ecclesiæ. De Pinco geniti sunt Japhus & Guidolus Laici, & Bonattus Clericus. Japhus pro sua parte accepit quatuor Solidos a* Canonicis. *Partem Guidonis & Bonatti Presbyteri habuerunt pro anima ipsius Bonatti Presbyteri. Leo quidam Presbiter fuit, qui habuit filios Pecionem, & Johannem Presbyterum, Canem dictum, propter iracundiam, qui habuit quartam partem de Ecclesia. Qui Presbyter Johannes genuit filium Johannem Blancum Laicum. Johannes Blancus non habuit filium sed filias. Una ex illis, quæ Cara vocabatur, dedit suam partem de Ecclesia Sanctæ Mariæ; & dedit eam in conjugium Signorello filio Aritii: ex qua natus est Ugolinus, quem pater & mater fecere* Canonicum, *& pro ipso in* Canonicam *dederunt ipsam Ecclesiam. De Pecione geniti sunt Martinus & Johannes Clerici. De Martino genitus est Cunizellus Clericus. De Cunizello genitus est Brittolus, & Bosolus Laici. De Britolo genitus est Gunigildolus, & Guiducius Laici. De Johanne Peci geniti sunt Johannes Clericus, & Rodulfus, & Boso Laici. Suprascriptus Johannes Blancus dedit suam partem de Altario Sancti Stephani nepotibus suis supradictis, scilicet Cunizoni Clerico, & Johanni Clerico, & Rodulfo, & Bosoni Laicis fratribus. Prædicto Johanne Clerico moriente, judicavit Canonicis viginti Solidos. Fratres ejus Boso & Rodulfus pro ipsis Solidis dederunt partes suas de Altario Sancti Stephani* Canonicis. *Cunizellus Clericus judicavit Canonicis*

nonicis medietatem suæ partis ejusdem Altaris. Pro alia medietate filius ejus Bosus & nepotes sui, filii Brittoli, acceperunt duodecim Solidos ab ipsis. Johannes Presbyter filius Atai genuit filium Gerardum Presbyterum, qui habuit aliam quartam partem. Idem Gerardus Laicus, qui Gerardus habuit filios & filias. Unam quidem ex eis nomine Antilia, dedit in conjugium Ubaldulo filio Gerardi Furchi de Monte Pupe. Postea ipse Ubaldus dedit socero suo unum modiorem de terra in loco, qui dicitur Ropone, & in Scarniceto, pro ipsa parte Ecclesiæ, & misit fratrem suum Ugolinum cum ipsa in Canonicam.

Hactenus quæ mala in Ecclesia Sancti Stephani perpetrata, & qualiter ad Canonicos devenerit, sub brevitate memoravimus. Nunc juvante Domino quid in Ecclesia Sancti Donati gestum fuerit, antequam ad Canonicos deveniret, ad memoriam nostris posteris relinquemus. Ex eo tempore, quo Belasius Præsul, qui Oratorium Sancti Donati parvum ædificavit, sic autem permansit per plurimum tempus usque ad Albertum hujus Ecclesiæ Episcopum. Denique ipse secutus Antecessorem suum Helpertum, qui Ecclesiam Sanctæ Mariæ a fundamentis renovaverat, sic & iste a fundamentis Ecclesiam construxit Sancti Donati, eamque ad medietatem deduxit. Sed preventus morte, successor quidam Teodaldus perfecit. Usque ad horum tempora ordinarii Clerici celebrabant omnia sacra misteria in Ecclesia Sancti Stephani, ubi manet Sedes Episcopi. Consecratâ verò Ecclesiâ ipsâ a Teodaldo Præsule cum maximo honore, ab eo constitutum est, ut Canonici manentes in prædicta Canonica a die Consecrationis usque in Cœna Domini, majora Officia ibidem peragerent propter honorem Sancti Corporis, minora quoque in Ecclesia, ubi est Sedes Episcopalis. A Cœna Domini usque ad Consecrationis Anniversarium propter honorem Episcopi, faciant majora & minora in Ecclesia Sancti Donati. Sed quia superius diximus, quomodo Præsules posuerunt Custodes in Ecclesia Sancti Stephani, & quomodo suam custodiam ad desidiam & ad suam utilitatem conduxerunt; nunc conscribendum similiter est de Sancti Donati Custodibus. Fuit quidam Presbyter Monachus, nomine Petrus, cui datæ sunt a Præsulibus tres partes oblationis Ecclesiæ cum alio beneficio, propter illius Ecclesiæ custodiam: quartam verò sic de ipsa Ecclesia . . . . . . & de aliâ retinuerunt propria manu, quam etiam superius scriptus Helpertus Episcopus dedit Canonicis. De Petro Monacho genitus est Martinus Clericus, qui vice sua adhibuit Vicarium. Eo defuncto, sigillatim constituit alios, ut facerent Ecclesiæ necessaria, adjuncto beneficio de ipsa tantùm oblatione, sicut & inter eos complacuit. Igitur propter abundantiam oblationis unus ex Servis ipsius semper morabatur cum ipsis. De Martino genitus est Cucius. Cujus temporibus translatum est Corpus beati Donati, & Ecclesia ipsius consecrata, factaque ibi sunt plurima Miracula meritis beati Donati, quæ nec valent cujusquam linguâ enumerari. Propterea concurrit tota Tuscia cum infinitis oblationibus, ad ejus impetranda suffragia. Tunc quasi pro Custodia omnes Servi & Mercenarii prædicti Cucii altare circumdabant. Demum cupiditas insatiabilis, quæ nec in quopiam expleri valet, talia facere pæne totum Populum circa Ecclesiam stantem commovit. In tantum quippe talis malitia rapinæ crevit, ut multoties

A illis trahentibus aliquid cum intentione, Altare totum discoperirent. Sic consuetudo mala aucta est, adeo ut rustici & feminæ, ob devotionem ibi venientes, deprædabantur; & volentes se adjuvare, cædebantur, &, quod nequius est, vulnerabantur, & sanguis ante Altare effundebatur. Ministri verò Ecclesiæ circa Altare opponebant artificium lignorum cum firmis trabibus, sed semper a raptoribus fuerat exterminatum. Heu heu, quanta mala non solùm ante Altare, sed per totam Ecclesiam, & per totum Mercatum fuerunt tunc temporis perpetrata! Insuper etiam rustici, qui suis saccis frumentum cujuslibet generis deferebant, si non poterant auferri, saccos eorum cultellis

B scindebant. Sic & adhuc nostris oculis cernimus. Unde etiam bella sæpius orta sunt. Episcopi, qui tunc erant, venientes in Ecclesiam, si quos poterant invenire raptores, flagellis cædebant; illisque recedentibus pejora fiebant. Nec hoc solùm autem, sed qui videbantur adjuvare, ut melius rapere posset ac fugere, pro sacco retinendo, ad oblationem annualiter. Tortam cum gallinis, & tres vel quatuor Solidos, sicut adquisitum sibi videbatur, deferebat suo Domino Custodi. Cetera Altaria, quæ erant infra Ecclesiam, supradictus Cucius quædam vendidit, & quædam donavit Laicis. Altare scilicet Sancti Johannis Baptistæ dedit Brigiclo Aquatico, & Ildibrando filio Petri. Sancti

C Petri Altare dedit filiis Brichi. Altare Sanctæ Luciæ dedit Gizoni Teuzorum, & Letanias de Gropina.

Canonici autem videntes tanta mala, & quia eorum pars quarta ad nichilum devenerat, consilio cum Cucio facto, dederunt sibi unum Mansum, & quemdam modiorem de terra juxta Civitatem pro unaquaque parte. Aliam etenim quartam partem antiquitus habebant ab Episcopo Helperto concessam. Convento cum Canonicis facto, spontanee in manu Episcopi Immonis ipsam tantùm quartam partem refutavit. Idem Episcopus Immo acceptis viginti Libris denariorum Lucensium a Canonicis, facto Privilegio, concessit eam ipsis. Hucusque in scriptis inveni-

D mus: & quæ ab idoneis testibus didicimus, & quæ ex parte vidimus, brevi stilo tradidimus. Nunc mala, quæ Ecclesia inde cotidie patiebatur, scribenda curabimus. Mos erat, ut quandocunque Letaniæ veniebant ad Sanctum Donatum causâ orationis, audiebant Missam ad Altare Sancti Stephani, & omnes candelas accensas Cucius habere solitus erat. De ipsis candelis regebat Ecclesiam per omnes Matutinas horas a Festivitate Sancti Donati usque ad Festivitatem Sancti Stephani. Mensura cotidianæ Candelæ erat a cubito usque ad pollicis summitatem, & accendebantur Matutino inhoante. In festivis diebus augebatur mensura. In festivitate Sancti Stephani non est solitum in Civitate Missa

E cantari, donec finiatur Euangelium in Episcopali Ecclesia Sancti Stephani. Et hoc ad majorem Missam omnes Cives sunt soliti venire, & propter honorem & devotionem, ac magnas Candelas ibi offerre. Similiter & in Domini Resurrectione. De prædictis Candelis Sancti Stephani regebatur Ecclesia usque ad Resurrectionem Domini. Cum Candelis etiam de Resurrectione usque ad festivitatem Sancti Donati. Mortuo verò supradicto Cucio, filius ejus Raginaldus paternum suscepit dominium. Oblatione præfatæ Ecclesiæ parumper deficiente, moreque rapinarum nec decrescente, Raginaldus Cucii filius, quod beneficium paternum, ut consuetudo

suetudo erat, non haberet, multoties Candelas, & corrigias linguis Campanarum non dabat, nec funes, & quidquid Ecclesiæ competebat, nec faciebat, nec suis subjectis Custodibus facere videbat. Episcopus igitur Constantinus, qui eo tempore Aretinæ Ecclesiæ residebat, cum omni conventu Clericorum & Laicorum, ex prædicta causa, Raginaldum in præsentiam jussit assisti. Interrogatus illico est: Cum ipse Raginaldus Ecclesiæ beneficium haberet, cur eam non studiose, & ut solitum erat, regeret? Responsum ab eo est: Custodes Sancti Stephani, & alii homines, quæ mea & Ecclesiæ sunt, tollunt: regere eam idcirco non possum. Tunc Raginaldo, consilio accepto a suis fidelibus & amicis, & quia ingeniosus erat, reputans qualiter sibi prodesset, & Ecclesiæ decus auferret, hoc visum sibi melius esse, ut Candelas prædictas in manu Episcopi refutaret, exceptis duodecim optimis Candelis sibi retentis in Festivitate Sancti Stephani, & similiter duodecim in Resurrectione Domini, sicque completum est. Post idem Raginaldus, acceptis viginti Solidis, Canonicis tradidit eas. Videns interea Raginaldus oblationem Ecclesiæ deficere, cotidie timens in horrendum Dei judicium incidere, & quod sibi parum prodesset, & quia verecundiam inde multoties passus esset: accepto & invento salubri consilio, suam Custodiam, & partem Ecclesiæ, coram Clero & Populo in manu Episcopi refutavit, acceptis inde a Canonicis Libris quadraginta quinque ex Lucensibus denariis.

Tunc præfatus Episcopus Privilegio facto, eam Canonicis concessit (*) eo tempore, ut Canonici semper in Cœna Domini Oleum pro Chrismi, & Oleum pro Exorcismis, & Oleum pro Infirmis darent, & Lampadam ardentem omne nocte ante Altare Sancti Donati, & corrigias Campanarum & funes ad Campanas minores sonandas, & ceræ viginti Libras similiter, quam Raginaldus sibi consueverat dare. Postea Episcopus acceptis a Canonicis quatuor Libris denariorum Lucensium, per scriptum prædictam ceram illis concessit, quatuor Libris propter Missas, quas ipse Episcopus Gerardo Primicerio dederat. Deinde Canonicis decem Solidos Primicerio dantibus, illis concessit suam partem ceræ. Revertente autem Berardo Clerico filio ipsius Raginaldi de Scholis, cœpit ex hoc indignari, & infringere factum patris voluit. Dicebat se ab Episcopo investitum de eadem Ecclesia, quando est factus Clericus. Canonici autem videntes astutiam Berardi, & calliditatem Raginaldi, pro pace adjunxerunt eis decem Libras Lucensium denariorum. Iterumque ab patre & ipso filio receptum scriptum, cum omni definitione Ecclesiæ, & de aliis caussis, quibus contra eos agere videbantur, sicut in eorum scripto legitur. Sed & ipsi Canonici omnia cum pace habere volentes, adquisierunt Altaria, quæ erant in ea Ecclesia, a nepotibus Briguli & Ildebrandi, quorum (**) Avibus Cuccius dederat, & a Guiniguldo filio Giti Teuzi. Ildebrando filio Cani, nepoti Ildebrandi pro sua parte Altaris Sancti Johannis, dederunt octo Solidos. Filius Rusticelli consobrinus illius suam partem ejusdem Altaris dedit ipsis Canonicis pro anima sui patris. Nepotibus Briguli Teuderico & Bosoni dederunt sexdecim Solidos. In Altare Sanctæ Luciæ, & Letanias de Gropina dederunt Guinigildo sexdecim Solidos. Nunc de Confessione, quam prætermisimus, quæ est sub Altare Sanctæ Mariæ, prout Dominus donaverit, veritatem dicamus. Denique sicut præfati sumus, prædicti Pontifices tres partes de Altare Confessionis similiter Clericis dederunt. Idem Gebizoni Presbytero filio Peci, & Bosoni Clerico filio Ropulti, quem secum Elpertus Episcopus conduxit, & Viventio Clerico filio Johannis Ati. Vebiro Presbyter non habens filium, sed filias, unam ex illis Teuza nomine Grifoni Notario in domo sua in conjugium dedit cum sua parte illius Altaris, & cum omnibus terris suis. Ex qua natus est Ildibrandus, qui accipiens quindecim Solidos, dedit eam Canonicis. De Bosone geniti sunt Guidolus, & Carellus. Guidolus adquisivit partem fratris, & post utrasque dedit Canonicis pro anima sua. Tamen recepit inde vestimentum bambacinum. Viventius Clericus, & Signorellus fratres non habentes filios, reliquerunt partem illius Altaris & omnia sua nepotibus suis filiis fratris sui Tezzonis, scilicet Bosoni & Jocundo, qui fuit Archidiaconus & Præpositus, qui & reliquit omnia sua Bosoni fratri suo, cum prædicta parte Altaris. Boso autem dedit illam Canonicis & accepit pro ea terram de Villalba, quam dedit Sophia Comitissa pro anima Henrici filii Uguizonis mariti sui.

Ne fallaces compositores judicemur, qualiter partes oblationis Ecclesiæ Sancti Stephani & Sanctæ Mariæ ante nostris oculis multoties divisæ fuerint, breviter dicamus. Si essent sexaginta quatuor Panes, aut quilibet, in primis Canonici tollebant ex eis sexdecim, quæ erat quarta pars. Relinquebantur quadraginta octo, & fiebant ex eis quatuor partes. Tunc ex ipsis Gerardus Mascari tollebat duodecim, & duodecim Johannes Blancus. Duodecim erant inter Sizonem & Bonicum. Alii duodecim, qui remanebant, taliter divisi erant. Ucellitus, & Widolus filii Blanchi habebant undecim. Alios undecim, qui remanserant, habebant Pincus & Briccus fratres. Alter eorum habebat tres filios & tres panes, & alius similiter.

Omnia, quæ a nobis hic scripta sunt, testem Dominum secretorum agnitorem habemus, nihil esse adjunctum studiose. Sed compendiose descripsimus veritatem.

Multa heic, ut vides, occurrunt ad prodendos veteris Cleri ritus, simulque perditos nonnullorum mores, quibus insistere in præsentia non juvat. Id tantummodo addam, diu post Sæculum Christi Undecimum perdurasse aliquibus in locis, numquam antea interruptam, aut ibi restitutam communem Canonicorum vitam atque habitationem. In hanc rem duas Chartas proferam, quarum primam ex Archivo Capituli Canonicorum Cremonensium & ex apographo pervetusto descripsi.

Callisti

(*) Scribendo: eo tenore, ut

(**) Pro Avis.

Callisti II. Papæ Bulla, qua discordiam inter Obertum Cremonensem Episcopum & Canonicos illius Ecclesiæ componit, Anno 1124.

CAlixtus Episcopus, *servus servorum Dei. Venerabili Fratri* Oberto Cremonensi Episcopo *salutem & Apostolicam benedictionem. Nec capud cum membris opportunum est diffidere, nec a subjectione & famulatu capitis membra condecet dissentire. Humani namque compago corporis diutius non poterit permanere incolumis, si capud concordi & rationabili non utatur regimine, & membra propriis non fungantur officiis. Pari igitur proportione dignum est, Episcopum cum paterne Caritatis discretione Clerum & Populum sibi commissum regere, & ipsos ei tamquam capiti proprio cum devotionis humilitate concorditer obedire. Auctori enim Deo, & amatori pacis aliter gratum non potest inpendi servitium, nisi mentes hominum in radice fundate fuerint Caritatis. Unde nos inter te, &* Majoris Ecclesie Cremonensis Canonicos *audientes ortam esse discordiam, habito Fratrum nostrorum Episcoporum & Cardinalium consilio; hanc inter vos concordiam composuimus. Ut videlicet nullus in Majori Ecclesia constituatur preter assensum & voluntatem Episcopi, qui sicut Ecclesie capud est, ita voluntas ejus & ratio debet precedere. Canonici Episcopo obedientiam in manu ejus promittant & teneant.* Ad mensam Canonicorum, quando cum Canonicis comederit, cum uno Clerico, & uno Serviente, vel cum duobus Clericis veniat, *& tamquam Episcopus honoretur. De Altario Sancti Imerii omnem oblationem recipiat, preter edenda, que ad pedem Altaris offerentur, & ea ad usum Canonicorum reserventur, & preter medietatem cere & incensi, que ibi offeruntur, que ad Ecclesie servitium reserventur. Archidiaconum, Canterem, & alias personas Episcopus consensu*

A *Canonicorum constituat. Ecclesiam Sancti Michaëlis, & predia & possessiones, quas Episcopus per idoneos testes proprie ad Episcopatum pertinere probaverit, quiete pacificeque obtineat.* Et quia Canonici domum, in qua olim habitaverant, ad ampliandam Ecclesiam concesserunt, domum, in qua modo habitant, licèt juris Episcopi fuerit, pro concordia tamen & caritate deinceps ad Communis Vite cohabitationem retineant, *& hospites, quando voluerint, in ea recipiant.*

Ego Calixtus Catholice Ecclesie Episcopus *laudans.*

Datum Laterani per manus Aimerici sancte Romane Ecclesie Diaconi Cardinalis & Cancel-
B *larii, XI. Kalendas Aprilis, Indictione XI. Incarnationis Dominice MCXXIV. Pontificatus autem Domni Calixti Secundi Pape Anno VI.*

Hæc de Episcopo in præsenti Bullâ dicta animadverteris: *Ad mensam Canonicorum, quando cum Canonicis comederit, cum uno Clerico, & uno Serviente, vel cum duobus Clericis veniat.* Communem adhuc Canonicorum mensam hæc produnt. Sed apertiora sunt, quæ in fine de Canonicis leguntur: *Domum, in qua modo habitant, licèt juris Episcopi fuerit, pro concordia tamen & Caritate deinceps ad Communis Vitæ cohabitationem retineant.* En disertis verbis indicata constans adhuc in Monasterio, sive Claustro, socialis Canonicorum Vita. Accedat & altera Charta *Grifonis*
C *Episcopi Ferrariensis* jussu scripta, & numquam antea edita. Suppeditavit illam mihi Peregrinus Priscianus in Annalibus MStis Ferrariensibus, quos Estensis Bibliotheca adservat.

Donatio multarum rerum facta a Grifone Episcopo Ferrarienſi Canonicis ſuæ Eccleſiæ, Anno 1141.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Anno Dominice Nativitatis MCXXXXI. Apoſtolatus verò Innocentii Pape Anno XII. Conrado quoque in Italia Regnante Anno IV. die Menſis Madii XI. Indictione IV. ultra Padum, ſub Porticu Eccleſie Sancti Georgii. Voluntarie quidem donationis titulus quamquam ordine verborum rationabiliter poſſit firmari, tamen propter ſecuturi temporis cautelam oportet ſcripturarum ſtipulatione roborari, ne in poſterum humane voluntatis mutabilitas adversùm ſe machinari moliatur injuriam; ſeu inter litigantes, & unanimes ſuſcipientes diſſidium, animi & cordis jurgia generentur, preſertim illius donationis, que Canonicâ auctoritate acta dignoſcitur, & pro pace & tranquillitate venerabilibus locis tribuitur. Quapropter ego GRIFO, Dei gratiâ ſancte Romane Eccleſie filius, & per eandem Ferrarienſium humilis Epiſcopus, pietate motus, Apoſtolice Sedis precepto & auctoritate fultus, perpetue ſalutis cauſâ, per hanc donationis paginam de meo jure & dominio ac poteſtate, jure ſuſcepti, ſuſcipiendique beneficii largior, concedo, ſeu dono, atque inperpetuum translato res Eccleſie mei Epiſcopii, pro remedio ſcilicet anime mee, meorumque omnium Predeceſſorum vel Succeſſorum Epiſcoporum, qui in poſterum predicto Epiſcopio ordinati fuerint, & pro remiſſione peccatorum noſtrorum, vobis preſentibus Domno Ugoni Sacerdoti, Johanni Subdiacono Tranſpadane Sancti Georgii Eccleſie Canonicis, in qua Ferrarienſis Epiſcopatus Sedes olim viguit, per vos autem in prefatam Eccleſiam, veſtriſque futuris Succeſſoribus regulariter promovendis Canoniceque viventibus, in perpetuum poſſidendas res inferius legendas, ideſt: Palatium meum Domnicatum cum Eccleſia Sancti Apoſtoli Dei Thome; Capella mea in eo ſita, ſeu etiam cum toto & integro Cimiterio, & vacuamento circa jam dictam Sancti Georgii Martyris Chriſti Eccleſiam poſita. Similiter dono Caſalem illum cum Cocquina & Curte, in quo bone memorie LANDVLFVS Epiſcopus Predeceſſor meus habitare viſus fuit. Quem ſcilicet Caſalem cum Cocquina, Oldo & filii Caude-raſe, atque Albrigetus nunc tenere videntur: nec non Ortum, quondam Canonicorum, prope & retro jam dictum Caſalem poſitum. Similiter concedo Broilum meum Domnicatum, arboribus pomiferis conſitum, foſſato & ſepibus circumdatum. Hec quidem, que predicta leguntur, in ſuperiori parte prememorate ſanctiſſimi Georgii Chriſti Martyris Eccleſie conſtare noſcuntur. Inſuper do & dono, & ſicut ſuperius legitur, jure beneficii largior vobis res in inferiori parte Eccleſie jam dicti Martyris poſitas, ſcilicet: Domum meam ſoleratam, que vocatur Hoſpitium: Domum quoque Canonicorum cum Porticu & Cimiterio circa jam dictam Eccleſiam poſito: nec non & terram illam, quam Fiſulus a prenominatis Canonicis tenere videbatur: totamque etiam illam, in qua olim Domus Preſbiteri Petri fuit, & Cocquina Canonicorum extitit. Quorum omnium hi ſunt fines. Primo latere de ſupra jus Monaſterii Sancti Silveſtri, quod tenet Media-barba, & jus noſtri Ferrarienſis Epiſcopatus, quod tenet Rolandus de Ruſticello. Secundo latere de ſubtus via publica percurrente, juxta quam puteus eſt, primo capite Fluvius, qui Gabiana nuncupatur, percurrit: ſecundo capite Johannes Caſtaldio de jure Canonicorum, & Roſellus cum Nepote ſuo, & filii Caude-raſe de eodem jure noſtre Ferrarienſis Eccleſie.

Hec omnia, que ſunt infra preſcripta latera, de meo jure, meoque dominio ac poteſtate transferens, donans, concedens atque largiens vobis prefatis Canonicis, veſtriſque Succeſſoribus, & per vos in predictam Eccleſiam prememorati Martyris Chriſti Georgii, ſicut ſuperius legitur. Super hec quidem omnia dono, & ſicut jam ſupra dictum eſt, jure beneficii largior vobis Manſos in Maſſa Quartiſiane poſitos, & duos Manſos amaſatos in Capite Rede, & duos Manſos ſimiliter amaſatos in Contra-padum, Plebe Sancti Martini, territorio Ferrarienſi. Necnon totas & integras Decimationes Cone, & Cocomarii, & ipſam ſimiliter Eccleſiam Sanctæ Dei Genitricis Virginis Marie de prenominato Cocomario, cum Eccleſia ſimiliter Sancti Confeſſoris Chriſti Nicolai cum Cimiteriis atque circuitibus ad jam dictas Eccleſias pertinentibus. Simili modo concedo vobis atque trado Eccleſiam Sancti Michaëlis de Ripa-Padi, cum Cimiterio & circuitu ſuo, rebuſque omnibus ad eam pertinentibus. Similiter do vobis totum Policinum, ante predictam Eccleſiam Sancti Georgii poſitum, preter vineam meam domnicatam. Preterea do vobis, & jure proprio largior Bradiam Antine cum Decimis ejuſdem Bradie, cujus latera hec ſunt. Primo latere Borarii: ſecundo latere Filii quondam Petri Bila poſſident, & Fantulus, & Petrus Batacla. Primo capite Via publica, ſecundo Via & Foſſa. Et totam & integram Bradiam Foſſe-nove, cum Eccleſia Sancti Marci, & cum hominibus ſuper eam ſedentibus, cujus confines hi ſunt. Primo latere Filii quondam Signorelli de Creſcentio poſſident, ſecundo latere Godo de Ganaceto. Primo Capite Gabiana percurrit, ſecundo capite Albericus Grata-colum. Inſuper concedo vobis Decimarum partem, ad jam dicti Martyris Chriſti Georgii Eccleſiam pertinentem cum primiciis & oblationibus omnibus. Pro his quidem omnibus præſcriptis inveſtitorem vobis dedi, & coram inferius legendis teſtibus in veſtris miſi manibus Presbyterum Petrum hujus noſtre ſancte Ferrarienſis Eccleſie Cantorem & Primicerium, atque Bonumfilium Vicedominum meos Miſſos, qui vos in ipſas res corporaliter inveſtiant. Ad habendum, tenendum, poſſidendum, & ordinandum, diſponendum, & quicquid vobis veſtriſque Succeſſoribus Canonice viventibus, ad utilitatem preſcripte Chriſti Martyris Georgii Eccleſie, placuerit faciendum. Promitto preterea ego jam dictus Epiſcopus donator atque conceditor, cum meis futuris Succeſſoribus, ſicut ſupra dictum eſt, pro remedio animarum noſtrarum, ac remiſſione peccatorum noſtrorum, hanc Donationis paginam inviolabiliter vobis, veſtriſque Succeſſoribus ſub pena auri optimi Libra-

Librarum quatuor conservaturum, & auctorizaturum, & post pene solutionem in perpetuum taciturum. Quam verò paginam Donationis, Angelbertum in Dei nomine Ferrariensem Notarium scribendam rogavi, & manu mea firmavi in Die, & Indictione præscripta.

Ad hec fuerunt testes presentes Ambrosius Abbas Monasterii Sancti Bartolomei, *Gerardus Monachus ejusdem Monasterii*, Gerardus Archipresbyter Ferrariensis Episcopatus, *&* Johannes Archidiaconus, *Presbyter Martinus, Presbyter Amicus, Presbyter Alfanus, Guitaclinus, Egidius Diaconus, Donusdei Archipresbyter de Coppario, Presbyter Gerardus de Sancto Paulo, Presbyter Stephanus Sancti Michaëlis, Casotus, Linguita, Albertus de Adegerio, Ubertus filius quondam Gulielmi Tabellionis, Peregrinus Guidonis de Uberto, Verardus Caligarius, Liupertus, Johannes Castaldius, Ruffus filius ejus, Musardus, Paganellus ejus frater, Albertus Mala-corona, Guigene, Henricus, Artvicus, Fisulus, Raginaldus, Rosellus, Rolandus de Rusticello, Rainaldus de Sassa, Martinus de Aunestis, Scarpa, Martinus Clossus, Ungarus de Bellio, Fantulus, Mansus, & filius ejus Rodolfinus, Albertus, Sikelmus, Panigalis, Fusculus de Potrullis.*

Et ego Angelbertus, divino nutu Ferrariensis Notarius presens coram predictis testibus manu propria scripsi atque complevi, dedique & exemplavi.

Concedit ista Ferrariensis Episcopus Canonicis suis, eorumque *Successoribus regulariter promovendis, Canoniceque viventibus*: quibus verbis satis innuitur, servatam fuisse adhuc Regulam Canonicis olim præscriptam, eosque commune contubernium habuisse in ædibus, quæ, ut infra dicitur, *Domus Canonicorum* appellabantur. Posteriorum etiam temporum documenta proferri possent, quibus palam fieret, Canonicos uni mensæ assedisse, unâque domo, atque uno ærario usos fuisse. Et certe ætate etiam Innocentii III. Papæ, atque Anno Christi MCCV. in eodem Claustro convivebant Canonici Patriarchalis Ecclesiæ Lateranensis, ut constat ex Literis ejusdem Pontificis, a Turrigio evulgatis in Libro de Cryptis Vaticanis Part. 2. Cap 8. Verùm eo tamdem deventura est oratio, ut dicamus, eorum vitam, habitationemque communem in aliquibus locis citius, in aliis serius, demum prorsus excidisse. Dum sua quisque quærit, dum nulla disciplinæ Ecclesiasticæ, exigua continentiæ ac temperantiæ cura est, ferreis potissimum Sæculis, & in omnia vitia facile ruentibus, satius visum est Episcopis, Canonicos dimittere, ut sibi quisque viveret, quo saltem scandala vitarentur, quæ antea in omnium oculos incurrebant. Ex Charta spectante ad Annum circiter MCCLII. quam protuli in Dissertatione XIV. *de Servis*, evidenter colligitur, non multis ante annis Canonicos Ferrarienses *divisisse possessiones Canonicæ inter se*: quæ verba innuunt, jam sublatam fuisse Vitam Communem. Medio quoque Sæculo præcedenti Duodecimo floruit Gerohus Præpositus Reicherspergensis, cujus Librum de Corrupto Ecclesiæ Statu evulgavit Baluzius Lib. V. Miscellaneorum. Is autem pag. 96. in hæc verba loquitur: *Nonne similiter & Canonici Episcopalium Ecclesiarum vivunt de stipendio, Regulariter viventibus constituto? Et ipsi nullam penitus observant Regulam, neque saltem illam dissolutam, quam sibi a Ludowico dicunt propositam, seu impositam. Quæ quum eos jubeat in Claustris suis insimul habitare, nec permittat illis extra Dormitoria sua dormire, absque inevitabili causâ, non ita fit, sed unusquisque discurrit, & dormit ubi vult!* Quamobrem in cunctis quidem ferme Urbibus prostant adhuc vetera Canonicorum Claustra, & pleraque penes Ecclesias Cathedrales sita, quæ *Canonicæ* Ædes etiamnum nuncupantur. Attamen nullum ampliùs inter eos communis & olim pæne Monasticæ vitæ vestigium superest, ita ut servatâ tantùm in sacris faciendis societate, unusquisque domi suæ degat liber in Sæculo. Supra autem monui, ejusmodi Canonicorum Claustra appellata fuisse *Monasteria*, non secùs ac domicilia Monachorum. Multis veterum testimoniis parco, ut periculum faciam, an idem confirmari possit tabulâ marmoreâ, quæ Mediolani visebatur in Sancti Simpliciani Cœnobio, uti e Schedis MStis Ambrosianæ Bibliothecæ didici. En ejus verba.

✠ HIC REQVIESCAT IN PACE...... E MEMOR ERIS.....
DECVMANVS PRESBITER, HVJVS MONASTERII
CANONICVS, QVI DVM VIXIT IN CORPORE.......
CVNCTA DEI PROMTVM OBSERVANS, POST VITÆ TRANSITVS...
QVEM SEMPER DILEXIT, MESTISSIMO CORDE PORREXIT.
VNDE PRECAMVR TRANSEVNTES, QVI IN HAC BREVI
TABVLA SVVM NOMEN DESCRIPTVM CERNITIS
PRO IPSO DIGNVS DEO PRECES FVNDERE DIGNEMINI.
ANNO DCCCC.

Antiquissimus est in Mediolanensi Ecclesia *Ordo Presbyterorum Decumanorum*, de quibus videndus Landulphus senior Lib. I. Cap. 8. Histor. Mediolanens Tom. IV. Rer. Italicar. Scribebat ille circiter Annum Christi MLXXX. Ejusdem autem Ecclesiæ Presbyter Decumanus iste, simul & Canonicus fuit Monasterii Sancti Simpliciani. At heic mihi in oppositum venit Epistola 254. Johannis VIII. Papæ, qui Anno Christi DCCCLXXXI. sub sua protectione recipit *Hadericum venerabilem Presbyterum & Abbatem sacrorum Monasteriorum, beatorum scili-*


cet Gervasii & Protasii, *atque Simpliciani*, *nec non & Xenodochii Sanctorum Cosmæ & Damiani* &c. Hinc Puricellius in Monument. Basilic. Ambrosian. num. 120. & Mabillonius in Annalib. Benedictin. ad Annum DCCCLXXXI. deducunt, ante illum Annum nobile Sancti Simpliciani Cœnobium in Mediolanensi Urbe traditum fuisse Monachis, qui adhuc ibi servire Deo pergunt. Quid est ergo, quod heic nobis occurrit *Presbyter Decumanus Canonicus hujus Monasterii*? Nihil aliud mihi dicendum succurrit, nisi aut Monasterium Sancti Simpliciani tunc minime diversum fuisse a Ravennatibus quibusdam, in quibus nulli Monachi, sed Presbyteri tantùm Sæculares sub suo Abbate degebant. Qua de re infra agam in Dissertatione LXV. Aut simul Monachos & Canonicos in Basilica & Monasterio Sancti Simpliciani laudes Deo persolvisse. Non me sane fugit, Præbendas interdum Monachis datas in Ecclesiis minime Monasticis. Monachos quoque in Cathedralibus Canonicorum munere functos reperi. At simul novi, uti Puricellius in eodem Libro, nuper memorato num. ostendit, *Ecclesiæ Metropolitanæ Decumanos simul etiam fuisse aliarum istius Urbis Ecclesiarum Officiales*: quod etiam ostendunt tabulæ Anni DCCCCXCVII. ab ipso laudatæ.

A Ex quo autem communio mensæ & domicilii a Canonicis disrupta est, invaluere Ecclesiasticæ *Præbendæ*: quo nomine designabatur portio illa redituum, quam singulis Canonicis domi suæ degentibus Ecclesia præbebat ad eorum victum atque vestitum. Neque dubito, quin & longe ante Sæculum Christi Undecimum si non nomen, certe res in usu fuerit. Ratherius Veronensis Episcopus Sæculo Decimo in Opusculo de *Abbatiola* scribit: *Ordinavi, ut quisque Presbyterorum annuatim acciperet inter frumentum & Segallum* (idest Secale) *modia decem, inter legumina & milium modia decem* &c. Sed his immorari non vacat. Ceterum ad dissipandas, minuendasve ejusmodi B Collegiorum fortunas conspiravit olim & ipsorum Episcoporum impotentia, qui non suis contenti reditibus, Canonicorum quoque patrimonia, pleraque a præcedentibus piissimis Episcopis donata, usurpabant, aut in emphyteusim tradendo dissipabant. Quare tempora fuere, quibus Canonici, quum Privilegia ab Imperatoribus aut Regibus quærebant, hoc etiam addendum curavere, ne cuiquam Antistitum liceret eorum bona invadere aut eripere. Id præcipue a Lucensibus Canonicis factum, uti constabit ex tribus Diplomatis, quorum priorum antiqua apographa, & tertii autographum vidi in eorum Tabulario, nunc evulganda.

Hugonis & Lotharii Regum Italiæ Diploma, quo Canonicis Lucensibus Curtem Sanctæ Petronillæ largiuntur, Anno 941.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis*. Hugo & Lotharius *divina favente clementia* Reges. *Si sanctis ac venerabilibus ex* . . . . *nostrorum rebus aliquid Locis offerimus, instantis & future vite premium adipisci non titubamus. Quapropter omnium sancte Dei Ecclesie fidelium, nostrorumque presentium ac futurorum noverit universitas, qualiter pro Dei amore, animarumque* Adelberti Marchionis, matrisque nostre Berte conjugis ejus, *ac nostrarum animarum remedio, quamdam Curtem juris nostri Sancte Petronille nomine, que nobis hereditario jure ex parte ejusdem Matris nostre evenit prope Massam Macinariam conjacentem cum Capella in honore ejusdem Sancte Petronille, cum mansis viginti in Massa Macinaria, & duobus in loco Colugnole, nec non & pratis in Cepto & in Turignona, atque vinea & campis in loco Turingo; nec non vinea & terris in Palatiano, & aliquantula terra in Ponte-tecto, cum servis & ancillis, omnibusque rebus & familiis, ad eamdem Curtem & Capellam pertinentibus*, Ecclesie beati Martini, ubi caput Lucani Episcopi esse dinoscitur, in usum & sumptum Canonicorum, ibidem pro tempore Deo militantium, *prout juste & legaliter possumus, concedimus, donamus, atque largimur, & de nostro jure & dominio in eorum jus & dominium omnino transfundimus & delegamus, una cum casis, sediminibus, campis, terris, vineis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, montibus, vallibus, planiciebus, servis, & ancillis, aldionibus & aldianis, cunctisque rebus & familiis juste & legaliter ad* C *eandem Curtem pertinentibus & respicientibus in integrum: quatenus* Canonici in Ecclesia beati Martini, *Deo famulantes, & pro animabus Adelberti Marchioni, matrisque nostre Berte conjugis ejus, & pro nobis Dominum exorantes, prefatam Curtem cum omnibus ad se pertinentibus, in integrum habeant, teneant, firmiterque possideant. Insuper etiam Cortem illam, que Massa-grausi dicitur, quam Mater nostra de Patris nostri suoque pretio comparavit, quam etiam nos dudum prefate Ecclesie beati Martini* in usum & sumptum Canonicorum, *pro animabus Adelberti Marchionis, Matrisque nostre Berte contulimus, per hanc nostre preceptionis paginam confirmamus, pleniterque cor-* D *roboramus, ut habeant, teneant, firmiterque possideant*. Statuimus, ut Episcopus loci nullam quoquam in tempore de prefatis Cortibus potestatem habeat, neque inde se intromittat, nisi ad Canonicorum auxilium & salvationem. Et si, quod absit, a potestate eorum prefatas Cortes, cum omnibus ad se pertinentibus, Episcopus loci, *aut ullus invasor*, tulerit aut subtraxerit, tunc deveniant in jus & potestatum unius ex propinquioribus parentibus meis tamdiu, donec talis Episcopus veniat, qui prefatas Cortes in jure & potestate Canonicorum esse permittat. *Denique & Plebem de Sugruminio in honore Sancti Laurentii constructam, quam* Conradus *sancte* Lucane Ecclesie E Episcopus, *ex parte Episcopii, loco quarte portionis* ex decimis predicte Canonice in usum & sumptum Canonicorum per scriptum concessit; *per hoc nostrum Preceptum confirmamus & corroboramus*: statuentes, ut nullus Episcoporum

porum eamdem Plebem a poteſtate Canonicorum tollere præſumat. *De cetero totius ordinis Canonicos, predictaſque Cortes, & Plebem cum omnibus rebus & familiis ad eaſdem Cortes & Plebem pertinentibus, cunctaſque res & familias Canonicorum, ſub noſtram defenſionem & mundiburdum recepimus. Atque precipientes jubemus, ut nullus Dux, Marchio, Comes, Epiſcopus &c. Si quis igitur hujus Precepti violator extiterit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi Libras centum, medietatem Kamere noſtre, & medietatem Canonicis in memorata Eccleſia pro tempore Deo famulantibus, & inſuper eterne damnationis &c.*

Signa piiſſimorum  *Hugonis & Lotharii Regum.*

Giſeprandus Cancellarius ad vicem Boſonis Epiſcopi & Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.


Data VII. Kalendas Aprilis Anno Dominice Incarnationis DCCCCXLI. Regni verò Domni Hugonis Regis XV. filii ejus Lotharii item Regis X. Indictione XIIII.

Actum Luce feliciter. Amen.

Ottonis Magni Imperatoris Præceptum, quo confirmantur Canonicis Lucenſibus omnia eorum bona & jura, Anno 962.

IN *nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Regis eterni.* Otto *Dei gratia* Imperator Auguſtus. *Quia decet regali magnificentie Loca ſancta ditari atque venerari, & omnibus Chriſtianis de animabus ſuis curam atque ſollicitudinem gerere, ideo dignum duximus modò in præſenti ſanctiſſimi Martini Epiſcopi Locum Luce ſitum in aliquid locupletari, ut & ipſis, pro quibus donatum eſt, ad refrigerium, & nobis ad remedium proficiat ſempiternum. Quapropter conſiderantes nos hoc, & in animo volventes, prece & admonitione dilecte* noſtre Conjugis Adelehide, Regnique noſtri conſortis, *concedimus atque donamus predicto ſancto Loco, ſicuti olim* Hugo & Lotharius *noſtri predeceſſores* Reges *pro remedio animarum* Adelberti Marchionis & Berte Comitiſſe, *nec non & ſuarum, dederunt beato Martino Pontifici,* Eccleſieque ſue ſite Luce, ſuiſque fidelibus ibi pro tempore Deo famulantibus, Sacerdotibus ſcilicet, & Diaconibus, Subdiaconibuſque, ceteriſque ibi pro tempore ordinatis, *videlicet Cortes duas, unam, quam predicta Berta ſuo pretio comparavit, & dicitur Maſſa-gauſi, conſiſtens in ipſo Comitatu Lucenſi, cum terris & maſſariciis ibi pertinentibus, videlicet in loco Mozatico manentes duos, in Arſitulo manentes duos, in Montiſano manentem unum, in Fioccle manentes quattuor, in Caſule manentes tres &c. cum omnibus pertinentiis ejuſdem Cortis noſtra preceptaria auctoritate jam dicto ſancto Loco concedimus, funditusque largimur. Inſuper etiam Curtem aliam in eodem Comitatu Lucenſi adjacentem, Sancta Petronilla nomine prope Maſſam Macinariam conjacentem cum Capella in honore ejuſdem Sancte Petronille, cum manſis viginti in Maſſa Macinaria, & duobus in Colugnule cum ſervis & ancillis &c. Sicut* Ugo & Lotharius *prenominati* Reges *preceptali auctoritate obtulerunt Eccleſie beati Martini, ubi caput Lucani Epiſcopatus eſſe dinoſcitur,* in uſum & ſumptum Canonicorum ibidem pro tempore Deo militantium, *ita nos ibidem concedimus, donamus, atque largimur, & de noſtro jure & dominio in eorum jus & dominium omnino transfundimus ac delegamus una cum caſis, ſediminibus, campis, vineis, pratis &c. Quatenus* Canonici *in Eccleſia beati Martini Deo famulantes, & pro animabus ſuperius nominatis, & pro nobis Deum exorantes, prefatas Cortes cum omnibus ad eas pertinentibus, in integrum illis concedimus, ut habeant, teneant, firmiterque poſſideant.* Statuimus, ut Epiſcopus loci nullā quoquam in tempore de prefatis Cortibus poteſtatem habeat, neque ſe intromittat, niſi ad Canonicorum auxilium & ſalvationem. Et ſi, quod abſit, a poteſtate eorum prefatas Cortes cum omnibus ad ſe pertinentibus Epiſcopus Locis, *aut ullus invaſor,* tulerit, aut aliquid ſubtraxerit, tunc deveniant in poteſtatem Ducis & Marchionis Luce Civitatis tandiu, donec talis Epiſcopus venerit, qui prefatas Cortes in jure & poteſtate Canonicorum eſſe permittat. *Denique & Plebem de Sugrominio in honore Sancti Laurentii conſtructam, quam* Conradus ejuſdem Civitatis Epiſcopus *ex parte Epiſcopii, loco quarte portionis ex Decimis* prædicte Canonice in uſum & ſumptum Canonicorum *per ſcriptum conceſſit, per hoc noſtrum Preceptum confirmamus & corroboramus.* Statuentes, ut nullus Epiſcoporum eamdem Plebem a poteſtate Canonicorum tollere preſumat: *De cetero totius ordinis Canonicos, predictaſque Cortes & Plebem, atque omnes illorum offerſiones, quaſcumque homines religioſi pro animabus parentum ſuorum in eodem loco dederunt, vel qui in antea ibidem daturi ſunt, cum omnibus rebus & familiis ad eaſdem Cortes & Plebem, ſeu offerſiones pertinentibus, cunctaſque res & familias Canonicorum, ſub noſtram*

ſtram defenſionem & Mundburdum recipimus; atque precipientes jubemus, ut nullus Dux, A *Marchio, Comes, Epiſcopus &c. Si quis igitur hujus precepti &c.*

Signum Domni Hottonis  *ſereniſſimi Imperataris.*

Liutgerius Cancellarius ad vicem Brunonis Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.
Data III. Idus Martii, Anno Dominice Incarnationis DCCCCLXII. Anno verò Imperii Domni Ottonis Primo, Indictione V.
Actum Luce feliciter. Amen.

Ottonis Secundi Diploma autographum confirmantis Privilegia Canonicis Lucenſibus. Anno 982.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis.* Otto *divina favente clementia* Imperator Auguſtus. *Quia decet Imperiali munificentiæ loca ſacra ditari, atque venerari &c. Quapropter conſiderantes nos hoc, & in animis noſtris volventes, prece & admonitione dilectæ* noſtræ Conjugis Theophanis, Imperiique noſtri Conſortis, *concedimus atque donamus & confirmamus predicto ſancto Loco ſicut olim* Hugo, Lotharius, noſterque Genitor, *atque predeceſſores noſtri Reges & Imperatores pro remedio animarum* Adelberti Marchionis & Bertæ Comitiſſæ, *necnon & ſuarum, dederunt beato Martino Pontifici, Eccleſiæque ſuæ ſitæ Lucæ, ſuiſque fidelibus ibi pro tempore Deo famulantibus,* Sacerdotibus ſcilicet, & Diaconibus, B Subdiaconibuſque, ceteriſque ibi pro tempore ordinatis, *videlicet Cortes duas, unam quam predicta Berta ſuo pretio comparavit &c.* (*) Statuentes ut Epiſcopus Loci nullam quoquam in tempore de præfatis Cortibus poteſtatem habeat, neque ſe intromittat, niſi ad Canonicorum auxilium & ſalvationem. Et ſi, quod abſit, a poteſtate eorum prefatas Cortes cum omnibus ad ſe pertinentibus, Epiſcopus Loci, aut ullus invaſor, tulerit, aut aliquid ſubtraxerit, tunc deveniant in poteſtatem Ducis & Marchionis Lucæ Civitatis, tandiu, donec talis Epiſcopus venerit, qui prefatas Cortes in jure & poteſtate Canonicorum eſſe permittat. *Denique & Plebem &c.*

Signum Domni Ottonis Secundi Imperatoris & inviĉtiſſimi Auguſti.



Adelbertus Cancellarius ad vicem Petri Epiſcopi & Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.
Data XII. Kalendas Januarias Anno Dominice Incarnationis DCCCCLXXXII. Indictione X. Anno verò Regni Secundi Ottonis XXV. Imperii quoque ejus XV.
Actum juxta Civitatem Salernum.

E chordula pendet fragmentum cerei Sigilli præ vetuſtate confracti.




Neque ſegniores fuere Arretinæ, & Volaterranæ Eccleſiarum Canonici in impetrando Regum & Imperatorum patrocinio, quo contra omnes uſurpatores uterentur. Hujus rei C fidem facient Diplomata duo, quorum archetypa in earum Eccleſiarum Tabulariis vidi atque deſcripſi.

(*) Eadem heic repetuntur, quæ in Diplomate Ottonis Primi ſupra deſcripto leguntur.

Confirmatio

Confirmatio quorumdam bonorum ad Canonicos Arretinæ Ecclesiæ spectantium facta ab Hugone & Lothario Regibus Italiæ, additis aliis donis, Anno 933.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Regis æterni Hugo & Lotharius gratia Dei Reges. Quia Regalis magnificentia pia & larga erga Dei cultores, & Ecclesiarum Dei recuperatrix esse debet, ut id agendo præmia mereatur consequi sempiterna; ideoque venientibus nobis ad Domum Sancti Donati Confessoris & Martyris Christi pro timore Dei omnipotentis, & ipsius sanctissimi loci veneratione, animarumque nostrarum, seu parentum nostrorum salvatione, simulque precibus karissimi Fratris nostri Bosonis incliti Marchionis adquiescentibus, aliquantum terræ, quam bonæ memoriæ Petrus Episcopus ad utilitatem Canonicorum ibi pro tempore Deo servientium distribuit, & Serenissimus Avus noster Lotharius Imperator in aliquid postea confirmavit, & in aliquid suo proprio dono concessit, sed deinde Pastorum neglegentia, & pravorum hominum cupiditate illis subtracta fuit, videlicet vineam unam ad Pinum cum Campo ibi prope similiter ad Pinum nominante, & Campum alterum, qui dicitur Pratum Solæ, necnon Corticellam unam, quæ dicitur ad Clane A cum sua pertinentia, & aliam Corticellam, quæ vocatur Majona, sub integritate, sicut decernitur in scripto a jam nominato Petro Episcopo &c. (*) scilicet Leoni Archidiacono, Dodoni Archipresbytero, Petro Presbytero, qui fuit Vicedominus, & item Petro Monacho Presbytero & Sacristæ, Sapienti Grammatico, Suaverico & Willelmo Diaconibus, Arnulfo Diacono, Petro, Atoni, atque Leoni Presbyteris, Stephano quoque Diacono, & reliquis &c. De jure insuper Regni nostri donamus prædicti loci Canonicis Campum unum, qui dicitur Longoria conjacentem prope Perilasium &c. Sed & nos pro mercedis nostræ augmento, & ut in hoc opere nostro, nostrorumque fratrum, reli- B corumque parentum fiat mercedis amplificatio, quamdam Terram, quam Mater nostra suo pretio comparavit, scilicet Campum de Punta, & Campum de Graticiata, & prædictum Campum de Longora jam memoratæ Ecclesiæ, quæ est constructa in honore beati Donati Confessoris & Martyris Christi, ad necessitates Fratrum consulendas, proprietario jure concedimus &c.

Signum serenissimorum  Hugoni & Lotharii Regum.

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Petrus Cancellarius ad vicem Gerlanni Abbatis & Archicancellarii recognovi & subscripsi.

Data Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXXIII. Sexto decimo Kalendas Februarii, Regni autem Domni Hugonis piissimi Regis VIII. Domnique Lotharii item Regis III. Indictione VI.

Actum in Domo Sancti Donati feliciter.


Henricus I. Imperator Canonicis Ecclesiæ Volaterranæ omnia illorum jura & Privilegia confirmat. Anno 1015.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Heinricus divina favente clementia Imperator Augustus. Noverit omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque præsentium scilicet ac futurorum sagacitatis industria, qualiter nos ob interventu Benedicti Volterrensis Ecclesiæ Episcopi, nostrique dilecti fidelis, per hanc nostram præceptalem paginam recepisse suos Canonicos ordinatos sanctæ Vultterrensis Ecclesiæ pro anima nostra in nostra tuicione ac defensione, prout juste & legaliter possumus. Nomina denique illorum Rodulfus Archidiaconus, Petrus Archipresbiterus, Sighifredus Primicerius, Adelmo Vicedomui, Lamberto Cantor, Andreas Presbiterus, Teud....... Presbiterum, Johannem Presbiterum, & alium C Johannem, Albertum, Albizonem Diaconus, necnon & Azonem, Widonem, Almari, Petrus, Wandalmari, Donato, Teuzonem, & Teuzonem, Albertum, Wiaderi, Urso, Willelmo, Berardo, Ildibrando, Petrus, & Petrus, Sabatino, Andrea, Anselmo, Baruncio, Corbulo, & ceteri Canonici, scilicet quadraginta, quos in honore priscis temporibus constituti fuerunt Sanctæ Dei Genitricis Mariæ semperque Virginis, & Sancti Octabiani, hac Sanctorum aliorum commemorationem, nostra recepimus sub tuicione, ac etiam omnium illorum proprietatem, quæ ad Canonica pertinet, oblationes, quæ singulis diebus in Episcopio, & in Ecclesia Sanctæ Mariæ, & D Sancti Octabiani, & Sancti Johannis Baptistæ a fo-

(*) Ut in Privilegio Ottonis Magni edito in hoc Opere.

a forensis oblatæ fuerint, vel super Altaria jam dictæ Ecclesiæ omnes oblationes tam auri quàm argenti positæ fuerint, una cum Cimiteriis, ipsaque . . . . simul & mortuorum; necnon & Plebs Sanctæ Felicitatis & Sancti Johannis in Villa-magna, & Plebs Sancti Laurentii, & Sancti Johannis in Trescle, cum Cortis & rebus & oblationibus, & decimationibus & mortuorum, que pertinent ad prefatas Plebes, & Ecclesia Sanctæ Mariæ in Petriolo cum sua pertinentia, & Ecclesia Sancti Octabiani in Collina cum sua pertinentia, & Cortem in Ulignano, & Cortem in Flabiano, & Cortem in Castagnitulo, Cortem Cusignano, Cortem in Isclito, Cortem in Corrente, Cortem in Anchajano, Cortem in Tavernule, domnicato in Monte Alipertuli, domnicato in Pulveraria, Cortem in Ducia cum suis pertinentiis. Has Cortes, quas Benedictus predictus Episcopus sue prenominate Ecclesie atquisivit & condonavit, nominative hec sunt: Cortem Sancti Georgii juxta fluvio Cecina, & Ecclesia Sancti Mammæ in Cornino cum duodecim modiorum de terra juxta ipsa Ecclesia, & Salinis atque Ecclesia in Cabianula, Ecclesia . . . . . . in Paterno, Ecclesia . . . . in Caprile, Ecclesia in Mortitulo, Ecclesia in Personate, Corte, que fuit Gherardi de Serina, in Macarro, Cortem medietatem in Rozano cum piscaria, Cortem in Molazano cum Salinis, & Cortem in Scandale cum rebus suis, Cortem Ciunano, Cortem que fuit Azi Judicis, Cortem in Majano, que fuit Teudici, Cortem in Vignano, que fuit Widoni, Cortem medietatem in Mezana, Cortem in Rivo Odoli, cum rebus novem, que fuit Davizi, Cortem in Granato, Cortem in Mazonula, Cortem in Lapiano cum piscareis, Cortem, que dedit Ansualdo, Cortem in Linaria, que sita est in Paratine, Casa cum terra, que posita est a Porta Civitatis Lucensis juxta Ecclesiam Sancti Gervasii, que recta est

A *per . . . . . . Hec omnia cum omnibus eorum pertinentiis presenti confirmamus præceptali auctoritate; eâ denique ratione, ut nemo eos dilaniare vel disvestire præsumat de proprietatibus aut servis, necnon ancillis, acquisitis vel acquirendis judicialiter. Insuper eis concessimus ac liberam concedimus facultatem, quo habeant potestatem eorum Canonicam, & cuique eidem Canonice, vel Clericis secundum predictum numerum ibidem pro tempore ordinatis de elemosinis vel aliis rebus ac pertinentibus de oblationibus scilicet, atque mortuorum functione ordinandi, disponendi, abendi, tenendi, vel quicquit eorum voluntas decreverit faciendi.* Nec liceat prefate Sedis Episcopum, qui nunc vel B pro tempore fuerit, in eadem Canonica Canonicos augere supra prescriptum numerum, vel aliquam molestiam, aut violentiam presentibus vel futuris inferre: Sed liceat, illos per hanc nostram preceptalem auctoritatem quiete ac tute seu secure vivere, Deo servire, ac nostra pro anima orationem fundere, & predictam Canonicam & omnes res ei vel prescripti numeri Canonicis justa pertinentes, dominare, ut predictum est, remotâ omnium ominum contrarietate vel molestatione. *Precipientes igitur jubemus, ut nullus Dux, Marchio, Episcopus, Comes, vel Vicecomes, Sculdassius, Decanus, Castaldio, seu Villicus, alia magna, parvaque persona audeat, sua* C *cum presumptione molestare hos jam dictos, vel disvestire, vel aliquam inferre molestationem. Sed si quis hoc nostre concessionis Preceptum temere infringere temptaverit, sciat se compositurum auri optimi Libras Centum, medietatem Cameræ nostræ, aliamque medietatem prelibatæ Ecclesiæ Canonicis, vel illorum successoribus. Quod ut verius credatur diligentiusque ab omnibus observetur, manu propria hoc Preceptum corroborantes, Sigilli nostri impressione inferius jussimus insigniri.*

Signum Domni Henrici serenissimi  *& invictissimi Imperatoris Augusti.*

Signum ✠ Sigilli.

Henricus Cancellarius vice Everardi Episcopi & Archicancellarii recognovit.


Datum Anno Dominicæ Incarnationis MXV. Indictione XII. Anno Domni Heinrici Imperatoris Augusti Regnorum XII. Imperii ejus I.

Actum in Comitatu Pisano in Villa, quæ dicitur Fasiano feliciter. Amen.

Soliciti quoque fuere Canonici Ferrariensis Cathedralis in sibi conquirendis Privilegiis ac patrocinio Ottonis III. Augusti. Legitur adhuc in eorum Tabulario Diploma, quod ad me missum a Joseph Antenore Scalabrinio Ferra- D riensi, Rectore Sanctæ Mariæ de Bucca, & publico Sacrarum Literarum Professore, sæpius mihi in hoc Opere memorato, in publicam lucem efferendum heic censeo.

Ottonis III. Augusti Diploma, per quod Canonicis Ecclesiæ Ferrariensis cuncta eorum bona ac jura confirmat, Anno 998.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis. Amen*. Otto, *gratia Dei Romanorum* Imperator Augustus. *Si Ecclesiarum Dei curam gerimus, & Ecclesias dilatare studuerimus, nostri Imperii fastigium augmentari minime diffidimus. Quocirca omnium Sancte Dei Ecclesie fidelium, nostrorumque presentium ac futurorum noverit industria, qualiter* Canonici *sancte* Ferrariensis Ecclesie in honore Sancti venerabilis Georgii constructe, *nostram adiere Celsitudinem, nominative* Martinus Archipresbyter, Bernardus Archidiaconus, Georgius Presbiter, Ursus Presbiter, cunctique ipsius Canonice ordine constituti, *humiliter deprecantes, quatenus nos pro Dei amore, nostreque animæ remedio omnes res & proprietates, que eidem Ecclesie pertinere . . . . Villa, que dicitur Quartisiana, & fundo Contra-padum, & loco . . . . Cuculi, & Caput-Reda, & Baniolo, &* Warciaria, *& cetera quæ jam dictæ Ecclesiæ ad partem Canonicorum pertinent, Villas, Castella, terras, vineas, prata, agros cultos & incultos, aquas, aquarumque decursus, piscationes, venationes, seu molendina, servos & ancillas, Aldiones & Aldianas, montes, planities, silvas, seu cunctas res mobiles & immobiles, quæ dici vel nominari possunt, & omnem suppellectilem, seu quod tenent, possident, habent tam de parte Ecclesiæ, quam de sua suorumque parentum hereditate, vel conquisitum per aliqua Cartarum munimina. Eâ videlicet ratione, ut nullus injuriam residentibus super terras ipsorum Canonicorum colonis, cotonabusque facere audeat, ac nec ipsos jam dictos Clericos destringere, molestare . . . . . sine voluntate & consensu ipsius Ecclesie Presulis, perpetuo confirmationis, & roborationis . . . . . firmare dignaremur, & sub nostra . . . . . homines ipsius Civitatis sub nostra . . . . . . fensione reciperemus, qui eos navigio ducant quocunque usum eorum Canonicorum fuerit sine omni precio. Quorum dignis postulationibus consentientes, prout juste & legaliter possumus, confirmamus & corroboramus omnes eorum res mobiles & immobiles tam de parte Ecclesiæ Dei, quàm de suorum proprietatibus. Sive concedimus ipsis, ut aliquis in prelibatos Canonicos non injuriare presumat de suis facultatibus, neque minuat, sed liceat eis hæc omnia, quæ superius leguntur, quietè pacifice tenere, possidere, omnium hominum contradictione remota. Precipientes denique jubemus, ut nullus Dux, Archiepiscopus, Episcopus, Marchio, Comes, Vicecomes, nullaque nostri Regni magna vel parva persona de cunctis prenominatis rebus tam de Ecclesiasticis, quàm de suis, eos molestet, sive in Placitum colonos & colonas distringere, seu aliquam publicam functionem solvere cogat, nisi ipsis Canonicis. Et nullus eos de rebus adquisitis vel adquirendis disvestire sine legali presumat judicio. Si quis autem hujus nostræ auctoritatis paginam violare temptaverit, sciat se compositurum auri optimi Libras centum, medietatem Kameræ nostræ, & medietatem jam dictis Canonicis, eorumque Successoribus. Quod ut verius credatur, & diligentius ab omnibus observetur, manu propria roborantes, subter Sigillo nostro signari jussimus.*

Signum OTTONIS  *invictissimi Imperatoris Augusti.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Heribertus Cancellarius vice Petri Cumani Episcopi & Archicancellarii recognovit.

Data V. Idus Februarii, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCVIII. Indictione XI. Anno Tercii Ottonis Regni . . . . . . Imperii II.

Actum Ravenna, feliciter. Amen.

Quid etiam pro sua tutela Canonici Cremonenses egerint, nos docebit Diploma, quod in eorum Archivo autographum adservatur, atque ego inde exscripsi.

Lotharius

Lotharius III. Romanorum Rex Canonicis Cremonensibus omnia illorum bona & jura confirmat. Anno 1133.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis*. Lotharius *divina favente clementia* Romanorum Rex Augustus. *Si his, qui ad loca sacra destinati divinis officiis inserviunt, nostræ Regalis munificentiæ benevolentiam in suis petitionibus clementer ac benigne demonstramus, a Deo omnium rerum inspectore meritam & condignam retributionem nos recipere speramus. Unde omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque fidelium tam futurorum, quàm presentium diligens industria noverit, qualiter pro remedio animæ nostræ, & ob interventum dilectissimæ* Reginæ Richinzæ Conjugis nostræ, *necnon propter incrementum Regni nostri*, Canonicorum *sanctæ* Cremonensis Ecclesiæ, *in honore beatissimæ Dei Genitricis Mariæ constructæ*, B *necessitatibus providentes, illis confirmamus, ac nostra Regali auctoritate corroboramus terras* A *suas*, quas prefatæ Canonicæ, Presules ejusdem Eccclesiæ vi & injuste tulerant, *scilicet Butaningum, Castrum-vetus, Insulam, Raduldiscum, Casam-novam, Butalianum, Athanellum, Fontanellam, Capellam Sancti Salvatoris, necnon Oratorium Sancti Mauritii, cum eorum pertinentiis, Altare quoque Sancti Ymerii Confessoris* cum oblationibus ejusdem Altaris, quæ ad usum cyborum pertinent, *& ceteras terras, quas predicti Canonici in Cremonensi Episcopatu, vel alicubi secundùm instrumenta Cartarum, vel documenta Legum nunc vel in futuro juste ac legaliter per loca detinere videntur cum districtu, cum porcis & vervecibus, cum operibus & albergariis, & omnibus scufiis. Preterea sancimus atque precipimus, ut nullus Episcopus &c.* (*)

Signum Domni Lotharii Tertii  *Romanorum Regis invictissimi.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Ego Ekkerardus vice Brunonis Archicancellarii recognovi:

Data Anno Incarnationis Domini MCXXXIII. Indictione X. Anno verò Regni & ordinationis Regis Lotharii VIII.

Actum apud Fontanam in Episcopatu Placentino feliciter. Amen.


Animadverte, quæso, confirmari Cremonensibus Canonicis terras, *quas præfatæ Canonicæ, Præsules ejusdem Ecclesiæ vi & injuste tulerant, scilicet Butaningum, Castrum-vetus, Insulam, Raduldiscum &c.* Is fuit *Odelricus Cremonensis Episcopus*, qui sub Ottonibus Secundo, ac Tertio Augustis gravissimas turbas adversùs Canonicos ob impotentiam suam in ea Urbe excitavit, succesoremque C habuit *Landulphum*, pejora molitum. Vide Ughellium, qui tabulas refert ejusdem Ottonis III. pro ipso Episcopo, conquerente, *eo quia a pravis hominibus multa pateretur adversa &c.* Sed illum habere mihi videor reum: idque ipse Lector facile intelliget ex Diplomate subsequenti, quod in antememorato Canonicorum Cremonensium Archivo in Regesto perquam vetusto legitur.

(*) uti in consuetis formulis aliorum Imperialium, Regaliumque Diplomatum.

Otto II. Imperator Odelrico Episcopo Cremonensi, ejusque Ecclesiæ, Castrum Redaldescum, atque alia bona confirmat, Anno 982.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis*. Otto *divina providente clementia* Imperator Augustus. *Si sancta ac venerabilia* &c. Odolricum *sancte* Cremonensis Ecclesie Antistitem, *nostrumque dilectum fidelem, adisse nostre Imperialis Majestatis celsitudinem, humiliterque implorasse, quatinus pro Omnipotentis Dei honore, ejusque tam presentem, quàm futuram fidelitatem, predicte Cremonensi Ecclesie, in tuitionem Sancte Dei Genitricis & perpetue Virginis Marie constructe, confirmationis Preceptum juberemus conscribi* &c. *Cujus non spernendis petitionibus aurem nostre Celsitudinis inclinantes, interventu quoque & rogatu nostri dilectissimi fidelis* Petri Papiensis Episcopi A & Archicancellarii, *Preceptum confirmationis prenominate Ecclesie fieri decrevimus, & hac nostra auctoritate confirmamus omnes res & proprietates suas, de quibus usque ad tempus nostri Imperii vestita fuisse cernitur. Nominative* de Castro, quod vocatur Redaldesco, quam divisionem contulit & dedit Anselmus, & inscriptione Carte Canonicis jam dicte Ecclesie pro remedio anime sue, ac suorum parentum obtulit *&c. De Silva quoque, que nominatur Bonella, atque de omnibus illis locis, que* Karolus, & Lodoicus, *atque* Berengarius Imperatores *sepe dicto Episcopio per Precepta contulerunt* &c.

Signum Domni Secundi Ottonis Romanorum Imperatoris & invictissimi Augusti.



Johannes Cancellarius ad vicem Domni Petri Episcopi & Archicancellarii recognovi.

Data XVII. Kalendas Aprilis, Anno Dominice Incarnationis DCCCCLXXXII. Indictione X. Regni Domni Secundi Ottonis XX. (*) *Imperii quoque XIIII.*

Actum justa Civitatem Tarentum in Christi nomine feliciter. Amen.


Nisi fallor, Diploma non pro Canonicis scriptum fuit; neque enim id Charta ipsa ostendit, sed quidem pro Episcopo Odelrico. Atqui is sibi confirmandum curat *Castrum, quod vocatur Redaldescum*; quum tamen Castrum illud *Anselmus in scriptione Chartæ Canonicis jam dictæ Ecclesiæ pro remedio animæ suæ* contulisset. Et sane in Præcepto Lotharii III. nuper a me evulgato, confirmatum vides Canonicis Cremonensibus *Raduldiscum*, quod idem esse cum *Redaldesco* nullus ambigo. Quare non immeritò Odelricus ille Episcopus, primus videtur, qui terras Canonicorum *vi, & injuste abstulerat*. Atque hi fructus frequentes erant infelicissimi Sæculi Decimi. Eadem verò bona Capituli Canonicorum Cremonensium confirmata vidi in altero Diplomate, quod mihi prima facie archetypum omnino visum fuit, in eorumdem Archivo. Pertinet illud B ad Conradum Henrici IV. Regis, & Tertii inter Augustos filium, qui a patre deficiens, curâ Comitissæ Mathildis, *Italiæ Rex* consalutatus est. Rara sunt ejus monumenta, ac propterea lubentiùs istud exero. Sed minime dissimulandum: *Annus Regni Conradi istius Secundi Regis Quartodecimus* negotium non leve facessere potest. Diploma namque datum est Octobri Mense Anni MXCVII. Conradus autem Anno tantùm MXCIII. Regnum Italiæ iniit. Et quamquam Annalista Saxone teste antea, idest Anno MLXXXVII. idem *Conradus filius Imperatoris à Sigewino Coloniensi Archiepiscopo consecratur in Regem Aquisgrani*: attamen non desinunt nutare, ac tenebras mihi C saltem offundere, Chronologicæ Notæ ejusdem Diplomatis, quod nihilo minus edere statui.

(*) Error Amanuensis. Scribendum *XXV.* quemadmodum constat ex autographo Diplomate ejusdem Ottonis II. Lucensibus Canonicis eodem Anno DCCCCLXXXII. dato, quod supra exscripsi.

Chonradi II. Regis Italiæ Diploma, quo Canonicis Ecclesiæ Cremonensis omnia illorum bona ac jura confirmat, Anno 1097.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis*. Chounradus *divina favente clementia* Rex Italicus. *Quoniam apud divinum rerum inspectorem meritam & condignam retributionem nos recipere minime dubitamus, si nostræ Regalis munificentiæ benivolentiam Deo devote servientium petitionibus clementer, ac benigne accommodamus: volumus, ut omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque fidelium tam futurorum, quàm presentium diligens industria noscat, qualiter nos pro remedio animæ nostræ*, nostræque Genitricis beatæ memoriæ Bertæ, *& ob incrementum Regni nostri*, Canonicorum *Sanctæ* Cremonensis Ecclesiæ, *in honore Beatissimæ Dei Genitricis Mariæ constructæ, necessitatibus providentes, illis confirmamus* &c. (*)

Signum Domni Chounradi Secundi Regis invictissimi.



Data Undecimo Kalendas Novembris, Indictione VI. Epactâ verò XV. Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Nonagesimo Septimo, Anno verò Regni Domni Chounradi Secundi Regis Quartodecimo.

Actum Cremone feliciter.


Iidem quoque Canonici Cremonenses a Callisto II. Papa confirmationis Bullam, ex eorum Archivo a me depromtam, impetrarunt, quam nunc subjicio, ex apographo pervetusto descriptam.

Callisti Papæ II. Bulla, qua Canonicis Ecclesiæ Cremonensis Privilegia & bona confirmat, Anno 1123.


CAlixtus Episcopus, *servus servorum Dei, dilectis filiis* Cremonensis Ecclesiæ Canonicis, *eorumque successoribus in perpetuum. Officii nostri nos hortatur auctoritas, paternam pro Ecclesiarum statu sollicitudinem gerere, & quæ ad earum quietem & pacem constituta sunt, stabilire. Quapropter, carissimi in Christo Filii, petitionibus vestris clementi benignitate impertientes assensum, ad* Domni *prædecessoris nostri sanctæ memoriæ* Papæ Urbani *exemplar, vestram Beatæ Mariæ Dei Genitricis Ecclesiam, cum omnibus rebus suis, Apostolicæ Sedis tuitione ac patrocinio defensamus. Statuimus enim, ut quæcunque bona, quascunque possessiones Congregationis vestræ unitas hactenus possedisse per autentica & legitima scripta cognoscitur, vel Episcoporum donatione, vel Regum, aut ceterorum Fidelium oblatione, vobis, vestrisque Successoribus firma semper, & illibata permaneant. In quibus hec propriis nominibus exprimenda signamus, videlicet:* Butaningum, Castrum-vetus, Insulam, Radaldiscum, Casam-novam, Butalinnum, Atunellum, Fontanellam: *Capellam Sancti Salvatoris, Ecclesias Sancti Petri de Curticella ultra Padum, Sanctæ Mariæ de Mareulingo, Sancti Michaëlis de Marasse, & Sancti Michaëlis de suburbio Civitatis, cum pertinentiis earum. Nec non Oratorium Sancti Mauritii cum eorum pertinentiis. Oblationes etiam Altaris Sancti Imerii, & ceterorum Altarium vestræ Ecclesiæ, Communitatis vestræ usibus in perpetuum semper exhibendas fore censemus. Quicquid præterea in futurum ad Congregationis vestræ regimen juste, legaliterque conferri contigerit, firmum semper & integrum stabilitate perpetua conservetur, eorum, pro quorum sustentatione & gubernatione concessum est, usibus omnimodis profuturum. Ad hec adjicientes* precipimus, ut nullus Episcopus, Comes, Vicecomes, sive Procurator de ipsa vos Canonica infestare, aut de Terris ejus fodrum, vel aliquam dationem, vobis invitis, tollere, seu vos, vestrosque Successores de ipsis Terris aliquando sine legali judicio molestare vel disvestire presumat. *Preterea, ut omnipotentis Dei servitio per ipsius gratiam quietius insistatis,* vos & prefatam Ecclesiam, ab Episcoporum gravamine removentes, decernimus, ut eis non liceat, invitis Fratribus, in vestra Canonica habitare. *Vos autem filii in Domino dilectissimi, oportet mores vestros ab omni malo corrigere, & conversationem vestram ad normam institutionis Canonicæ custodire, ut, quod nomine censemini, re etiam in divinæ Majestatis oculis esse possitis. Si quis igitur in crastinum Archiepiscopus, Episcopus, Imperator, aut Rex, Princeps, Dux, Marchio, aut Comes, Vicecomes, Judex, aut Ecclesiastica quelibet, Secularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam venire temere temptaverit, secundo, tertiove commonita, si non satis-*

(*) Reliqua, a quibus heic repetendis abstineo, habes in Diplomate nuper evulgato Lotharii III Romanorum Regis, dato Anno MCXXXIII.

satisfactione congrua emendaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a Sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Reddentoris nostri Jesu Christi alliena fiat, atque in extremo examine districte A *ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem Loco juxta servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonae actionis percipiat, & apud districtum Judicem premia eterne pacis inveniat. Amen. Amen. Amen.*



Ego Calixtus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.



Datum Laterani per manum Hugonis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconi, Secundo Nonas Martii, Indictione Prima, Incarnationis Dominicæ Anno MCXXIII. Pontificatus autem Domini Calixti Secundi Papæ Anno V.

Sed ne ista quidem satis videbantur olim ad Canonicorum tutelam. Quare fuerunt, qui ut ab Archiepiscopis jura sua confirmarentur, sibique adesset eorum patrocinium curarunt. B Habeo & heic testimonium tabularum, quas in Chartophylacio Capituli Canonicorum Regiensium olim legebam.

Gualterius Archiepiscopus Ravennæ, Canonicis Cathedralis Regiensis omnia illorum bona & jura confirmat, Anno 1140.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis. Anno Dominice Incarnationis Millesimo Centesimo Quadragesimo, temporibus* Domni Innocentii Romanæ Ecclesiæ Papæ *sanctissimi,* & Conradi Regis Romanorum, *die XIV. mensis Marcii, Indictione Tercia, infra Canonicam Sancte Marie in Regio. Inter cetera, que divine dispositionis consilio disponuntur, Pontificalis promotionis sublimitas Deo, a quo omne datum optimum procedit, celitus predestinante ac largiente conceditur. Decet itaque eos, quos summe dispositionis providentia Ecclesiastici regiminis celsitudine mirabiliter sublimat, ac Metropolitane Sedis Cathedra decenter exhornat, sic subditis Ecclesiis ac* Fratribus *eisdem Ecclesiis famulantibus utiliter necessaria providere, eorumque justis petitionibus libenter annuere, suaque Privilegio perpetuo corroborare, quatenus de bono in melius proficere, divinis quoque officiis promptius intenti Deo devotissime servire, & suo Metropolitano, ejusque Successoribus valeant fidelius obedire. Cujus rei gratia nos quidem in Dei nomine* Gualterius *sancte* Ravennatis Ecclesiæ Archiepiscopus, *licèt indignus, cognitis his, quæ per Privilegia venerabilium Antistitum sancte Regiensis Ecclesie,* ejusdem Ecclesie Canonicis *rationabiliter sunt concessa, vobis* Ogerio *venerabili* Archipresbytero, & Achilli *reverendo* Archidiacono, vestrisque Successoribus Regiensis Ecclesie Canonicis *presentis Privilegii pagina rem inferiùs dicendam perpetuo corroboramus & inviolabiliter confirmamus. Idest Ecclesiam Sancti Petri sitam in suburbio prope Civitatem Regii, & suburbii ipsius, sicuti de antiqua consuetudine, & jure Canonico detinetis. Oblationem quoque fidelium tam in Missis vivorum, quàm defunctorum sive presente, sive absente Episcopo, & in Urbe & extra in cera & in monetis. Insu-* C *per confirmamus vobis oblationes consecrationum Ecclesiarum Episcopatus vestri tam infra Urbem, quàmque & extra, & in suburbiis tam & in montanis, quàm & in plano, sicut eas rationabiliter consuevistis habere, & nunc habere noscimini. Confirmamus etiam vobis Curtem Sancti Stephani cum Plebe ipsius, & cum omni honore & integritate sue dignitatis. Similiter confirmamus vobis terram de Civitate, sitam Plebe Quarantulæ. Preterea confirmamus vobis duos mansos de Broilo in Curte Suzarie, & totum hoc, quod vobis pertinet in Lecto Benano, & terram, que vobis pertinet in loco, qui vocatur Trecentula.*

Insuper confirmamus vobis Decimam quatuor D *mansorum in loco, qui dicitur Fabrica: Decimam etiam Nuvellarie cum Plebe ipsius, & cum omnibus ad eamdem Plebem integre pertinentibus. Eodem modo confirmamus vobis terram, que vobis pertinet in loco, qui dicitur Campagnola, & totum quod habetis in Curte, que vocatur Canole. Item confirmamus quicquid vobis pertinet in Curte Corrigie; & quod detinet Johannes Bordone in Corviaco, jure Canonice vestre: & mansum Moronis, qui est in Novellaria: mansum quoque Bazoarii, qui est positus in Curte Nova. Simili modo confirmamus vobis terram Fredulfini de Gurgo, & mansum positum in Bagnolo, & quicquid detinet Ildebrandus, jure Canonice vestre in Massanza-* E *tico: duos etiam mansos in loco, qui dicitur Pinizo: & unum in loco, qui vocatur Magnum Casale. Preter hoc vero confirmamus vobis Curtem Ripe Alte cum Plebe ejusdem, & cum Decimis suis: & terram, quam detinetis in Cubiliolo, & in Mutilena: & mansum, quem detinetis in Albineta: & mansum de Aliano: & mansum positum in Querzola: & mansum positum in Castelliunculo prope Castrum Gipsi; &* quam-

quamdam terram prope Arcem Guiberti. Nec non confirmamus vobis Curtem Masse cum omni sua integritate: Curtem etiam de Campilia cum omnibus ad eamdem Curtem integriter pertinentibus: Curticellam quoque de Villa, & Villam, que vocatur in Siliaco: & quicquid vobis pertinet in loco, qui dicitur Goa: & mansum positum in Minocio juxta Alpem: & quod vobis pertinet in Casellis & Casulis: Decimas Gavasse. Insuper confirmamus omnia, que pertinent ad officium & Beneficium Archipresbyteratus & Archidiaconatus, & Præposituræ, Magistri quoque Scolarum, vobis, qui nunc estis, vestrisque Successoribus in perpetuum. Hec autem omnia, que superius leguntur, cum suis justis & certis finibus, vobis prefato Archipresbytero, & jam dicto Archidiacono, ceterisque predicte Canonice Sancte Marie Fratribus, vestrisque Successoribus jugiter servientibus, auctoritate Dei, & Beate Marie semper Virginis, necnon & Beati Apollenaris Pontificis & Martiris Christi, omniumque Sanctorum, & nostrâ, habendum, tenendum, fruendum perpetuo confirmamus, & presenti Privilegio irrefragabiliter corroboramus. Quod si, quod absit, & avertat divina clementia, hanc nostri Privilegii paginam aliquis infringere, vel temere violare presumpserit, maledictionem Dei

A Patris omnipotentis & Filii & Spiritus Sancti, & Beate Marie Virginis, & Beati Apollenaris, omniumque Sanctorum, & nostram incurrat: trecentorum quoque decem & octo Patrum anathemate obligatus, perpetuis ignibus cum Juda traditore cruciandus, nisi resipuerit, perpetuo subjaceat, hoc tamen scripto in suo robore firmiter permanente. Ut autem hoc verius credatur, & firmissime teneatur, manus nostre inscriptione firmavimus, & sigilli nostri impressione pro vestro munimine inviolabiliter custodiendum signavimus.

Actum Regii per manus Andree Presbiteri & Canonici Sancte Ravennatis Ecclesie, & tunc Domni Gualterii Ravennatis Archiepiscopi Scri-
B ptoris & Capellani, jubente eodem venerabili Patre, cum esset ibi pro ordinando Episcopo, ceterisque negociis Ecclesiasticis spiritualiter disponendis, ac Secularibus, salvo sue dignitatis honore, reformandis. Sub die, mense, & Indictione suprascripta, infra Canonicam Sancte Marie.


Addo etiam Apostolicæ Sedis patrocinium eisdem Canonicis Regiensibus impensum, uti ex authentica Bulla in eodem Tabulario adservata constat.

Alexandri III. Papæ Bulla, qua Canonicis Regiensibus omnia illorum jura & bona confirmat, Anno 1178.

ALexander Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Jacobo Archidiacono, & Canonicis Regine Ecclesie tam presentibus, quàm futuris Canonice substituendis N. P. P. M. Quotiens illud a nobis petitur, quod Religioni & honestati convenire dinoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prefatam Ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti Privilegio communimus. Statuentes &c. hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Curtem Sancti Stephani cum omni honore: Plebem ipsius cum integritate sue dignitatis: Terram de Civitate, sitam in Plebe Quarantule: Terram, que vobis pertinet in loco Trecentula: Decimas quatuor mansorum in loco Fabrica: Decimas Nuvellarie, & Plebem ipsius, cum omnibus ad eandem Plebem integre pertinentibus. Terram, que vobis pertinet in loco Campagnola: Et totum, quod habetis in Curte Canole: & quicquid vobis pertinet in Curte Corrigie: & quod detinet Johannes Burdonus in Curviatico juris Canonice vestre: & mansum Moronis, qui est in Nuvellaria: Mansum Bazoarii, qui est positus in Curte Nova: Terram Fredulfini de Gurgo: Mansum positum in Bagnolo: & quicquid detinent Ildebrandi in Massenzatico: duos Mansos in loco, qui dicitur Pinizo, & unum in loco, qui dicitur Magnum Casale: Curtem Ripe Alte cum Plebe ejus, & cum Decimis suis:

C Terram, quam detinetis in Cubiliolo, & in Mutilena: Mansum in Albineto: Mansum in Alliano: Mansos positos in Querzola: Mansum positum in Castelliunculo prope Castrum Gipsi; & quandam Terram prope Arcem Timberti. Curtem Masse cum omni sua integritate. Curtem de Campilia cum omnibus ad eandem Curtem integre pertinentibus: Curticellam quoque de Villa, & Villam, que vocatur Visiliaco: & quicquid vobis pertinet in loco, qui dicitur Goa: & Mansum positum in Minotio; & quod vobis pertinet in Castellis, & in Montebluto, & in Casulis: Decimas de Gavassa: & Decimas in Runcoris ejusdem Gavasse in Manipulis: & ea que ibidem a Gerardo Rangono acquisi-
D stis: preterea Decimas Civitatis vestre, ac pertinentie ipsius, sicut de antiqua consuetudine & jure Canonico detinetis: oblationes quoque fidelium tam in Missis vivorum, quàm defunctorum, sive presente Episcopo, sive absente, & in Urbe & extra: Oblationes etiam Consecrationum Ecclesiarum Episcopatus vestri tam infra Urbem, quàm extra, sicut eas rationabiliter consuevistis habere, & nunc habere noscimini. Insuper omnia que pertinent ad officium & Beneficium Archipresbiteratus, Archidiaconatus, Prepositure, atque Magistri Scolarum ejusdem Ecclesie. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat supradictam Ecclesiam temere perturbare &c. salvâ Sedis Apostolicæ aucto-
E ritate & reverentiâ, & Canonicâ justitiâ Regini Episcopi. Si qua igitur in futurum &c. potestatis honorisque sui dignitate careat &c. Amen, Amen, Amen.

Ego



Ego Alexander Catholice Ecclefie Epifcopus *fubfcripfi* .



Ego Hubaldus Hoftienfis Epifcopus fubfcripfi .
Ego Johannes Presbiter Cardinalis Sanctorum Johannis & Pauli titulo Pamachii , fubfcripfi .
Ego Bofo Presbiter Cardinalis Sancte Pudentiane titulo Paftoris , fubfcripfi .
Ego Jacobus Diaconus Cardinalis Sancte Marie in Cofmydin fubfcripfi .
Ego Ardicio Diaconus Cardinalis Sancti Theodori fubfcripfi .
Ego Hugo Diaconus Cardinalis Sancti Angeli fubfcripfi .
Ego Laborans Diaconus Cardinalis Sancte Marie in Porticu fubfcripfi .
Ego Rainerius Diaconus Cardinalis Sancti Georgii ad Velum Aureum fubfcripfi .
Datum Laterani per manum Alberti Sancte Romane Ecclefie Presbiteri Cardinalis , & Cancellarii , Nonis Aprilis , Indictione XI. Incarnationis Dominice Anno MCLXXVIII. Pontificatus verò Domni Alexandri Pape III. Anno XVIIII.

Pendet e chordula hæc Bulla plumbea.



A Et fane confueverunt quæque Canonicorum Collegia validiffimam femper Apoftolicæ Sedis protectionem implorare . Quod & factum a Canonicis Suanenfis Ecclefiæ, uti nos edocebit Bulla, exiftens in Archivo Operæ , feu Fabricæ Metropolitanæ Senenfis , cujus exemplum debeo toties a me laudato viro optimæ memoriæ olim Huberto Benvoglicnto , Senenfis patriæ fuæ , dum vixit , illuftri ornamento .


Nicolai II. Papæ Bulla , confirmantis Privilegia Capitulo Canonicorum Suanenfium, Anno 1061.

NIkolaus Epifcopus , *fervus fervorum* Dei , Vitali *Sancte* Suanenfis Ecclefie Prepofito , *ad honorem B. Petri Apoftolorum Principis dedicatæ, tibique fucceffuris, regulariter promovendis , & in fancto propofito permanfuris in perpetuum . Quoniam omnipotentis dignatio fuo gratuito munere , nullo digno previdente opere , ad hoc noftram humilitatem dignata eft provehere , quatinus per nos ubique terrarum proprio fanguine redempte Ecclefie lumen amminiftraremus indeficiens , profecto rationabile ducimus , cooperante ipfo , de quo loqui prefumimus , fecundùm proprias vires unicuique acceptum talentum diftribuere , ne apparente ipfius Majeftate , quod abfit , fine* B *acquifito lucro, velut inutilis fervus , videamur remeare . Quod utique per divinam mifericordiam confequi poffe fperamus , fi membris ejus adhuc per fidem in terra celeftia anhelantibus , prefidia , quæ poffumus , fereno affectu fuppeditare curamus . Sic enim , fic profecto , & fupernum noftre fragilitati conciliamus auxilium , & purâ intra cordis hofpitium manente intentione , hominum confequemur favorem honeftum, cum , licèt univerfis debitores fimus gentibus fidei lumine clarentibus ,* Matricibus tamen Ecclefiis fedulo fervientibus , & divina officia eis religiofe quotidie perfolventibus , & apud eas Canonice viventibus , *benevolentie ftudio majorem curam, quàm ceteris fubjectioribus Clericis,*

impendimus. Canonicam *itaque* Sancti Petri in Suanensi Urbe, *quondam* a Rainerio *ejusdem* Suanensis Ecclesie *sancte memorie* Episcopo piâ religione edificatam, *& postea* a Johanne Successore ejus, *interveniente* Anselmo eorum Successore, *venerabili* Episcopo, *qui nunc prelibatam, disponente Deo, gubernat Ecclesiam, in tuitione Sancti Petri sub nostra, nostrorumque Successorum defensione, cum omnibus, que juste habet, & in futurum est habitura, salvâ predicti Anselmi Episcopi auctoritate & reverentiâ, suscipimus*: non tamen ut sibi, que Apostolicâ auctoritate roboramus, liceat cassare, nec alicui suorum Successorum res prefate Canonice venundare, vel aliquo pacto alienare, contrahere, vel alicui in predicta Canonica ordinato Clerico aliquam violentiam juste liceat irrogare. *Sed, ut evidentius que a prenominatis ejusdem Sancte Ecclesie Episcopis prefatis Canonicè concessa sunt, & nos hac nostri Privilegii pagina confirmamus, intelligantur, nominatim exprimimus Plebem in Pitiliano sitam, cum terris, Decimis, redditibus, & oblationibus suis: Curtem sitam Palmule vestram, cum omnibus pertinentiis & redditibus suis, & omnes Decimas vestrarum terrarum in omnibus locis, ubicunque sunt: Terras, quas dedit sibi Osso pro anima sua: Terras, quas optulit sibi Guidolfus in Baranello & Oliano: Terras, quas donavit sibi Gotifredus cis Calisinam fluvium: Terras, quas tradidit sibi Anselmus Rainerii filius in Calonico: Terras, quas adhibuit sibi Bonizo in Supano: Terras, quas exhibuit sibi Eurardus Notarius: Terram, quam concesserunt sibi Episcopi juxta eandem Urbem: Ecclesiam Sancti Martini in Coronzano sitam, cum omnibus pertinentiis suis*

A *atque redditibus: Ecclesiam Sancti Georgii in Pertitio sitam, cum omnibus, que sibi pertinent: Mansos tres, scilicet* Corbulo Clerico, Presbitero Dominico, *&* Sigizo *ibidem* Presbitero, *olim custos de Plebe in Urbe posita: Omnes prorsus Decimationes, his exceptis, que quibusdam Militibus dudum ab Episcopis in beneficio date sunt: Et dimidium omnium oblationum, & helemosinarum prelibate Plebi oblatarum & offerendarum, cum etiam dimidia parte omnium terrarum, quas habuit Giso pater Johannis Episcopi, qui videlicet prenominate Ecclesie & Canonicis cum una Domo in Urbe dedit; scilicet Ecclesiam Sancte Marie in Lapegi sitam, & duos Mansos in Ilci, & vineam & terram in plano Suanensi.* B *Hec omnia & que sepe dicte Canonice a fidelibus oblata, vel ammodo offerenda sunt, tibi, Vitalis dilecte fili, tuisque Successoribus, Clericisque in ea ordinatis & ordinandis, & in sancto proposito permansuris concedimus, & concessa confirmamus. Ut nullus unquam Episcopus, nullus Imperator, nullus Rex, nullus Dux, nullus Marchio, nullus Vicecomes, nullus Castaldus, nulla magna, parvaque persona ea inde audeat auferre vel retollere, aut vos inquietare, aut molestias inferre; sed quiete permittamini vivere, & Deo servire. Si quis autem temerarie ausu hanc Apostolicam sanctionem infringere temptaverit, nisi ammonitus resipuerit & emendaverit,* C *gladio anathematis percutiatur, & in presenti carne pereat, & Deus, dum judicare venerit, spiritu oris sui eum interficiat. Qui verò pius conservator extiterit, Sancti Petri, nostramque benedictionem, a Domino Jesu Christo promereatur eternam remunerationem.*





Datum per manus Humberti Cardinalis Episcopi Ecclesie Sancte Silve Candide, V. Calendas Majas, Anno ab Incarnatione Domini Millesimo Sexagesimo Primo, Anno III. Pontificatus Nikolai Pape II., Indictione XIIII.

Aliquid nunc addendum est de *Canonicis Regularibus*, quos nonnulli a Sancto Augustino institutos, & continuata successione ad nostra usque tempora deductos censuere: quod alii constantissime negant. Neque enim successio ista, ut ajunt, bonis tabulis ostenditur, iique tantummodo per analogiam quamdam a Sancto Augustino originem duxisse dicendi sunt. Ego aliis dimissam volo quæstionem hujusmodi, qui rogandi sunt, ne ad hoc argumentum se conferant partium studio præoccupati, sed unico adducti veritatis amore. Fluxa enim, & inanis est laus, quæ a fictis manat; solida autem & immortalis ex una veritate exspectanda est. Quod novi ego, a quamplurimis Sæculis, post Annum tamen a Christo nato Mil-

D lesimum, *Canonicorum Regularium* nomen, ac institutum celebre evasit. Nam uti postquam Monachorum mores in nimiam corruptelam deflexerant, suscitavit Deus Romualdum, Johannem Gualbertum, Bernardum Clarævallensem, aliosque sanctitate celebres Viros, qui Monasticam disciplinam & decorem restaurarunt (quod & subinde factum fuit in Ordine Minorum, atque in aliis militantis Ecclesiæ membris) ita ubi invaluere vitia in Canonicorum cœtibus, enati sunt, Deo inspirante, qui non solùm veterem disciplinam & Regulam illius Ordinis restituerunt, sed arctioribus legibus vitam suam constrinxerunt, eam componentes ad normam, quam Sanctus Augustinus olim tenuit. Ii propterea *Canonici Regu-*

Regulares appellari subinde cœpti sunt, ad *Sæcularium Canonicorum* discrimen. Et novum quidem institutum, ut fieri solet, quidam ex hisce Canonicis Sæcularibus, quidam etiam ex Monachis, insectari ac lacerare non desinebant. Urebat nempe homines in deteriora lapsos sanctimonia morum, qua sese a reliquis Canonicis Regulares distinguebant. Habemus a Clariss. P. Pezio Benedictino edita duo Opuscula, Sæculo Christi Duodecimo composita pro ipsis Canonicis Regularibus, alterum a Gerhoho Præposito Reichersporgensi, alterum ab Anselmo Episcopo Havelbergensi. Quei verò *Canonici Regulares* a *Sæcularibus* in veterum Diplomatis ac Bullis secerni possint, accipe. Ut id ego deprehendam, hac ratione uti consuevi. Scilicet ii suberant *Priori*, ita ut quotiescumque in antiquis monumentis occurrat *Prior Canonicorum*, ii ferme semper censendi sint vixisse *secundùm Regulam Sancti Augustini.*

A Vide Dissertationem LXXIV. *de Parochiis* sub finem, ubi sermo est de Ecclesia Lucensi Sanctorum Johannis Baptistæ & Reparatæ, Collegio Canonicorum ornatâ. Interdum etiam istius *Regulæ* mentio fit, aut *Regularis observantiæ*; ac celebres olim fuere variæ istorum Congregationes, Portuensis, Lucensis Sancti Fridiani, Mortariensis &c. Pauca exempla accipito. Ecclesiam Sancti Cæsarii, sitam in Castro ejusdem nominis, atque in agro Mutinensi, incolendam dederat Comitissa Mathildis Canonicis Regularibus. Verùm post ejus mortem Nonantulani Monachi controversiam excitarunt adversùs Canonicos; quæ agitata in Romana Curia tamdem Callisti II. Papæ sen-
B tentiâ diremta est. Ejus literas profero, quarum archetypum in Tabulario Monachorum Benedictinorum Mutinensium Sancti Petri ego reperi.

Callisti II. Papæ Bulla, qua prædium Wilzaccaræ, cum Ecclesia Sancti Cæsarii in agro Mutinensi, ad Canonicos Regulares pertinere contra petitionem Monachorum Nonantulensium decernit, Anno 1123.

CAlixtus Episcopus, *servus servorum Dei*, Canonicis Ecclesiæ Sancti Cæsarii, que sita est in Curte, que dicitur Wilzacara *tam presentibus, quàm futuris*, sub Regulari observantia permansuris *in perpetuum*. *Officii nostri nos hortatur auctoritas, pro Ecclesiarum statu satagere, & quæ recte statuta sunt, auxiliante Domino, stabilire*. Comitissa siquidem Matildis, singularis Beati Petri Filia, in paterni juris predio, quod Wilzacara dicitur, jamdiu Regulares Fratres congregare proposuit. *Porro cum a Nonantulensibus Monachis de eodem predio questio fieret, eadem Illustris Domina sollicitius procuravit, ne quid calumpniæ* Fratribus illic viventibus *superesset*. *Parato enim juxta preceptum Domni Predecessoris nostri sancte memorie* Paschalis Papæ *judicio, legitimis testibus jurejurando sancitum est, supradictum predium quadraginta annis a* Marchione Bonifacio, *&* ejus filia Matilda *possessum esse*. Beati verò Cæsarii Ecclesiam in eodem predio sitam, *cum suis possessionibus per quadraginta annos nullâ Monachorum dominatione, vel legitimâ litis illatione interpositâ, liberam ab eis perseverasse*. *Nos igitur ad predicti Domni Predecessoris nostri exemplar locum ipsum & Congregationem vestram in jus & tutelam sanctæ Sedis Apostolicæ suscipientes, ab*

C *omnium deinceps personarum exactione liberam permanere censemus. Statuentes, ut quecumque bona per supradictam Comitissam in usus Fratrum illic Deo servientium concessa sunt, aut in futurum, largiente Deo, per alios fideles legitime dari, offerrive contigerit, quieta semper & integra conserventur. Nulli ergo omnino liceat Ecclesiam ipsam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis exactionibus fatigare: sed omnia integre conserventur, eorum, pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Crisma, Oleum Sanctum, Consecrationes Altarium, sive Basilicarum, Ordinationes Clericorum, qui ad*
D *sacros fuerint Ordines promovendi, a quo malueritis, Catholico accipietis Episcopo. Ad indicium autem perceptæ a Romana Ecclesia libertatis, Bisantium aureum quotannis Lateranensi Palatio persolvetis. Si quis igitur Ecclesiastica Secularisve persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonitus, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio &c.*

Scriptum per manum Gervasii Scriniarii Regionarii, & Notarii Sacri Palatii.



Ego Calixtus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus *subscripsi*.

Datum Laterani per manum HUGONIS *Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconi, Quarto Kalendas Martii, Indictione Primâ, Incarnationis Dominicæ Anno MCXXIII. Pontificatus autem Domini* CALIXTI *Secundi Papæ Anno V.*

Signum Bullæ pendentis deperditæ

Sed


Sed non multi abierunt anni, quum Canonici ejusmodi sive aliorum impotentiâ, sive proprio defectu, digni reputati sunt, quibus Ecclesia illa auferretur, ac traderetur Monachis Padolironensis Monasterii. Quod tamen in Canonicorum tunc temporis oprobrium minime convertas velim. Si enim aliqua eorum Collegia olim in corruptelam deflexere, innumera alia erant, quæ honestas vitæ ac pietas summopere commendabat. Idemque etiam de Monachis dicendum est. Hos quamquam Mathildis Comitissa, ejusque mater Beatrix, ut supra Donizo tradidit, *credebant, plusquam Clericos, venerandos*, Donizonis tamen ipsius ævo, hoc est Anno Christi MCXXVII Bernardus Veronensis Episcopus Monachos e Monasterio Sancti Georgii in Braida expulit, atque illuc induxit Canonicos Regulares. Episcopi ipsius verba accipe, ab Ughellio Tom. V. Italiæ Sacræ, ita descripta: *Ecclesiam Dei & Sancti Georgii in Braida sitam, sed tam in spiritualibus, quàm in temporalibus in ultimo destructam, ob Dei amorem, & animæ meæ* A *redemptionem restaurare ac ordinare disposui. Fuerat enim quondam & prius Puellarum, & postmodum Monachorum Cœnobium. Sed in utrisque Veneris postribulum, Diaboli potiùs quàm Dei extiterat Templum. Expulsis ergo exinde Dei blasphematoribus, religiosos ibi Clericos ordinavi, qui Dei gratiâ Canonicorum cælibem ducunt vitam, & Regulam observant Canonicam Dei.* Hi fructus miseræ conditionis humanæ, quos antiqua ætas produxit, & nostra quoque ac ventura nullo negotio producere poterit. Nonnulla etiam fuere olim Canonicorum Collegia, quæ sponte Monastico instituto ac vestitui sese addixere. Aut iis auctoritate Regum pulsis, Monachi substituebantur, B quam in rem vide Baluzii notas ad Epistolam 29. Lupi Ferrariensis, aut aliis de caussis iidem Canonici removebantur. Dixi traditam Monachis Padolironensibus Ecclesiam Sancti Cæsarii. Hac de re est mihi ad manus Bulla Innocentii II. Romani Pontificis, ex eodem Archivo Benedictinorum Mutinensium deprompta.

Innocentii II. Papæ Bulla, qua Ecclesiam S. Cæsarii, in agro Mutinensi positam, Canonicis Regularibus Sancti Augustini expulsis, concedit Abbati & Monachis Sancti Benedicti Padolironensibus, Anno 1135., sed secundùm Æram Vulgarem, 1134.

INnocentius Episcopus, *servus servorum Dei, dilecto filio* Henrico Abbati Monasterii Sancti Benedicti super Padum, *ejusdemque successoribus suis regulariter substituendis in perpetuum. Cor nostrum piâ divinitatis inspiratione compungitur, loca quondam in Ecclesiasticæ Religionis observantiâ instituta in melius reformare, & eorum destitutioni pro debito nostri officii subvenire. Hac siquidem intentione, hoc desiderio fideles quoque ad honorem Dei Ecclesias construunt, eisque possessiones & predia largiuntur; ut videlicet Religiose persone inibi statuantur, que divine Majestati humiliter ac devote deserviant, quarum orationibus ad Deum fusis tam Fundatores, quàm Predecessores & posteri a peccatorum vinculis absoluti pro temporalibus beneficiis, eterna premia consequi mereantur. Quo nimirum intuitu recolende memorie* Illustris Comitissa Matildis Ecclesiam Beati Cæsarii in Mutinensi agro Beato Petro oblatam, *suis bonis, possessionibusque ditavit, Libris, vasis, & aliis ornamentis Ecclesiasticis plurimùm honestavit; &* ut Fratres, qui secundùm Beati Augustini Regulam *omnipotentis Dei vacarent obsequiis, in eodem ponerentur effecit. Unde factum est, ut Mundo in maligno posito, & in deterius assidue declinante, quod illa, que pro bono Religionis, & anime sue remedio, Deo & Beato Petro obtulerat, a pravis hominibus sint occupata atque distracta: & ubi prius Religio & honestas cum rerum temporalium ubertate vigebat, nunc peccatis exigentibus, vix saltem vestigia bonorum spiritua-* C *lium ob insolentiam pravorum hominum valeant apparere. Cujus rei gratiâ cum Fratribus nostris sepius meditantes, ut tam pium prefate Mulieris propositum non frustraretur, sed pocius optatum anime remedium consequatur. Tibi, dilecte in Domino Fili Henrice Abbas, & successoribus tuis, eamdem Ecclesiam cum suis pertinentiis duximus concedendam, ut videlicet per tuam, tuorumque successorum industriam,* secundùm Beati Benedicti Regulam Religiosorum Fratrum Conventus in eodem loco ponatur, *& juxta facultatem illius Ecclesie eorum numerus statuatur. Decernimus ergo, ut nulli hominum liceat super hac nostra Constitutione vos temere perturbare, nec prefatam Ecclesiam,* D *quamdiu Religio ibidem Domino cooperante duraverit, a nostra dispositione seu correctione distrahere: sed tam ipsa, quàm bona ad eam pertinentia sub nostro magisterio & libera ordinatione consistant, salvâ nimirum Beati Petri proprietate atque dominio, & nostrâ nostrorumque successorum debitâ reverentiâ. Ad indicium autem, quod eadem Ecclesia Apostolicæ Sedis juris existat, tres Bisantios nobis, nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Si quis autem adversùs hanc nostram Constitutionem temerario ausu venire temptaverit, indignationem Beatorum Apostolorum Petri & Pauli incurrat. Conservantibus autem sit pax Domini nostri Yesu Christi, quatenus & hic fructum bone actio-* E *nis percipiant, & apud districtum Judicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.*



Ego Innocentius Catholice Ecclesie Episcopus.



Ego

Ego Gulielmus Preneſtinus Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Matheus Albanenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Humbertus Piſane Eccleſie Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Anſelmus Presbiter Cardinalis tituli S. Stephani in Celio Monte ſubſcripſi.
Ego Guido indignus Sacerdos ſubſcripſi.
Ego Lucifredus Presbiter Cardinalis tituli Veſtine ſubſcripſi.
Ego Martinus Presbiter Cardinalis S. Laurentii in Lucina ſubſcripſi.
Ego Romanus Diaconus Cardinalis Sancte Marie in Porticu ſubſcripſi.
Ego Oddo Diaconus Cardinalis S. Georgii ad Velum aureum ſubſcripſi.
Ego Guido Cardinalis Diaconus Sancti Adriani ſubſcripſi.
Ego Lucas Presbiter Cardinalis tituli S. Joannis & Pauli ſubſcripſi.
Datum Piſis per manum Almerici Sancte Romane Eccleſie Diaconi Cardinalis & Cancellarii, V. Idus Junii, Indictione XII. Anno Incarnationis MCXXXV. Pontificatus verò Doni Innocentii Pape Secundi, Anno V.

Ita Marchiones Eſtenſes in locum *ad Carceres* agri Eſtenſis invexere Canonicos Regulares, quod Monaſterium ad Camaldulenſes Monachos deinde translatum, ad noſtra usque tempora perduravit, nunc autem in alios uſus converſum eſt: Venetiis apud Nobiles Viros A Carminatos Patricios Venetos antiquum Regeſtum vidi, in quo multa loci illius monumenta exiſtebant. Duo inde hauſta nunc exhibeo, quorum primum ſpectat ad *Sinibaldum Epiſcopum Patavinum*, Ughellio vix cognitum.

Sinibaldus Epiſcopus Patavinus Monaſterio Canonicorum Regularium Sanctæ Mariæ ad Carceres, ſito in territorio Eſtenſi, privilegia confirmat, atque illud uni Epiſcopo Patavino ſubjectum fore decernit, Anno 1122.

IN nomine Domini Dei & hominis. Anno Incarnationis ejuſdem Milleſimo Centeſimo Vigeſimo Secundo, XV. Kalendas Auguſti, Indictione XV. Sanctam Dei Eccleſiam &c. quam rem ego Sinibaldus Epiſcopus, *Dei gratiá* Paduanus *pertractans*, Eccleſiam Sancte Marie in Paduano Epiſcopatu ſitam, in loco, qui dicitur ad Carceres, *ubi nunc dilectiſſimus filius meus* Fabianus Presbyter cum Fratrum ſuorum Collegio, *cui preeſt, vite active miniſteriis vacans* ſub Canonice inſtitutionis norma vivere curat *& ſatagit, preſentis Privilegii ſanctione munire decrevi, quatenus* Canonici *qui modò adſunt, & qui poſtmodum ordinabuntur, libere ibidem ac quietè Dei ſervitiis inherere, ac bona ſua, que nunc habent, & que juſte legaliterque quovis in tempore acquirent, ſine moleſtatione, quantum ad Epiſcopum Paduanum, & ad ſubditas ſibi perſonas adtinet, poſſidere valeant. In primis itaque pro remedio anime mee omniumque Anteceſſorum & Succeſſorum meorum in Catholice Fidei unitate perſeverantium, predicta Sancta Eccleſia beate Marie libera ſit ab omnibus, & nulli ſubjaceat Eccleſie; ſed per ſe Paduano, qui pro tempore fuerit, Epiſcopo reſpondeat, & obediat, ita tamen ut Epiſcopus ei nullam violentiam, nullamque de bonis ſuis leſionem inferat, nullamque a Clericis ejus temporalem exactionem perquirat, nec per quatuor anni tempora ſolitas preſentias exigat. Poſtremo per ſe, neque per ſuos Legatos apud ipſam Eccleſiam vel in ejus poſſeſſionibus albergarias faciat, excepto ſi contigerit pro aliqua loci utilitate illuc pergere. Tunc enim cum paucis vadit ipſe, vel ejus Miſſi, ſine ipſius Eccleſie damno vel oneroſo incommodo. Preterea ex parte Dei omnipotentis & Sancte Marie ſemper Virginis, & noſtra Epiſcopali auctoritate, ſciat ſibi omnis perſona* B *magna vel parva penitus interdictum, ne ullo modo audeant inquietare vel moleſtare jam dictam Eccleſiam Sancte Marie, nullum eidem predium auferre, nullum vectigal imponere, nullumve tributum exigere, nec ejus Clericis invitis vel Laicis in ejuſdem Eccleſie poſſeſſionibus albergarias facere. Quicumque igitur &c.*

Actum & datum Padue feliciter.

Ego Bellinus Archipresbyter manu mea ſubſcripſi.

Obertus Presbiter ſubſcripſi.

Ego Ubertus Presbiter ſubſcripſi.

Ego Torengus Subdiaconus manu mea ſubſcripſi.

Ego Nicolaus Diaconus ſubſcripſi.

C *Rogati autem ſunt teſtes Rolandus de Coriano, Petrus, Nicolaus, atque Ubaldinus pater & filii, Paganus Baſtardus, Octo Buczarella, Henricus de Vico de Argere.*

Jonas Cauſidicus, nunc denique Tabellio dictus, hec digitis ſcripti, ſeu vidi, mentemque fixi.

Nihil aliud heic dicitur, niſi Fabianum Preſbyterum, *cum Fratrum ſuorum Collegio, ſub Canonicæ inſtitutionis norma, vivere*. Verùm hiſce ſatis ſignificari videntur Canonici Regulares. Certe Anno MCLXXXI. iidem Canonici *ſecundùm beati Auguſtini Regulam* vivebant, & *Priori* ſuberant, uti fidem faciet altera Charta ex eodem Regeſto a me deſcripta, qua D præeunte intelliges, *Marchiones Eſtenſes* uti antea, ita Anno MCLXXXI. nihil prætermiſiſſe, ut commoda ac jura Ateſtinæ illius Congregationis amplificarent. Atque heic animadverte, quod antea monui, ſcilicet tum Regulares Canonicos, tum reliquos *Fratrum* appellationem olim adhibuiſſe: quod etiam familiare Monachis Benedictinis fuit.

Gerardus Episcopus Patavinus ad petitionem Marchionum Estensium Monasterio S. Mariæ ad Carceres concedit Ecclesiam S. Salvatoris de Tribus Comitatibus, quibusdam conditionibus appositis, Anno 1181.

GErardus *Dei gratiâ* Paduanus Episcopus. *Dilectis in Christo* Fratribus Pistori Priori Ecclesiæ Sanctæ Mariæ ad Carceres, & omnibus ejusdem Ecclesiæ Canonicis *in perpetuum. Quoniam quæ ad pias causas dantur, Deo impertiuntur, iccirco nos ad memoriam reducentes, quod Prædecessor noster beatæ recordationis* Sinibaldus Episcopus *prænominatam vestram Ecclesiam ad observationem* Regularis disciplinæ *instituit*, & Fratres ibidem commorantes, secundùm beati Augustini institutionem, & Fratrum Portuensium Regulam *vivere voluit: Considerantes etiam opera Caritatis, quæ in domo vestra novimus exerceri, divini amoris intuitu, & consideratione pietatis, & pro remissione peccatorum nostrorum, necnon* Domni Papæ Alexandri *ammonitionibus & precibus inclinati*, Marchionumque *sæpissime petitionibus pulsati, habito consilio* Fratrum nostrorum Canonicorum, *& aliorum Sapientum, Ecclesiam Sancti Salvatoris, quæ est sita extra Fractam de tribus Comitatibus, cum omnibus suis possessionibus & adjacentiis & pertinentiis & terris ad eamdem Ecclesiam pertinentibus, vobis & vestræ Ecclesiæ titulo donationis conferimus, donamus, tradimus, concedimus, & faciatis exinde a præsenti die vos & vestri Successores quicquid juste volueritis sine omni nostra & Successorum nostrorum contradictione. Hoc de ipsa Ecclesia vobis & Successoribus vestris retento, quod* Fratres, *qui pro tempore erunt in Ecclesia Sancti Salvatoris, honeste debeant recipere ipsum & procurare, & Nuntios Episcopi: &* Frater, *qui ibi erit institutus a* Priore *super alios, curam animarum & regimen Populi de manu Episcopi recipiet, donec Prior ibi eum stare permiserit. Et Plebi de Casale persolvet quod consueverunt pro Capitulo solvere, & in aliis consuetam reverentiam exhibebunt. Et quod* A *Ecclesia Sanctæ Mariæ ad Carceres debeat solvere annuum Censum, scilicet Solidos centum pro Ecclesia Sancti Salvatoris nobis & Successoribus nostris omni anno in temporalibus Nativitatis Domini in perpetuum. Et si* Prior & Fratres, *qui pro tempore in eadem Ecclesia erunt, omnia, quæ superius leguntur, in integrum non fecerint & admoniti semel, & bis, terve, digne non satisfecerint, & non adimpleverint, suprascripta concessio irrita sit & inanis, & de jure non valeat, & de facto non teneat. Ut autem hæc nostra donatio & concessio in perpetuum valitura persistat, & semper stabilis, firma, & inconvulsa permaneat, ipsam Ugerino publico Tabellioni scribendam esse jussimus, & eamdem nostro Sigillo insigniri præcepimus,* B *Anno Millesimo Centesimo Octuagesimo Primo, Indictione XIIII. Die XIIII. exeunte Junio. Testes Gailfredus Dei gratia Paduanus Archipresbiter, Cono Presbiter, Magister Bonifacius in Montanis Archidiaconus, Adam Subdiaconus, Vitalianus Subdiaconus, Magister Egidius Diaconus, Zambonus Diaconus, Ubertinus Subdiaconus de Marostica, Magister Cerardus Subdiaconus, Gumbertinus Cibus Subdiaconus, Codiginus Cappellanus Episcopi, Magister Vescovellus Cappellanus Sancti Martini,* Marchio Albertus, Bonifacinus, Albertus Bonifacii ejus Nepos.

Actum in Padua, in Camera Episcopi.

C *Ego Ugerinus Imperialis Aulæ Tabellio interfui, & ne oblivioni tradantur, duo instrumenta jussu Episcopi scripsi.*

Habemus heic *Pistorem Priorem* Monasterii Estensis ad Carceres. Alterum Priorem exhibet mihi Charta, quam Archivum Estense adservat.

Investitura unius Mansi, data Livaldo Priori Monasterii S. Mariæ ad Carceres siti in territorio Estensi ab Azone Marchione Estensi, Anno 1194.

DIe *Martis Decimo, exeunte Junio, Anno Domini Millesimo Centesimo Nonagesimo Quarto, Indictione Duodecima. In præsentia Domini Bonifacii de Bonzino, & Senzagradi, & Olderici Notarii, & Bonefatii de Fornella, & Aymi, & aliorum. Ibique* Dominus Marchio Azo de Este *investivit* Dominum Livaldum Priorem Sanctæ Mariæ ad Carceres, *accipientem pro eadem Ecclesia, de Manso uno, quem promiserat* Dominus Marchio Opizo *ipsi Ecclesiæ in consecratione ejusdem Ecclesiæ, & in testamento jussit fore datum esse pro remedio suæ animæ & suorum Antecessorum. Et jacet in Curia Vighizoli, & quem designavit* Bonifacius Conversus, *& ejus villicus Johannes de Bertaldo pro supradicto* Marchione Azone. *De quo est casamentum unum in Villa Gazoli cum quadam petia, quæ perti-* D *net ei casamento prope eum, & eum casamentum tenet Artuso. Coheret ab uno capite via, ab alio Domina Aitenga, ab uno latere Domina Adeleita, ab alio* Dominus Marchio, *& Benzo. Alia petia in eadem hora, ubi dicitur Roture, tenetur per Johannem Scutifero, ab uno latere illi de Arcole, ab uno capite eadem Ecclesia, ab alio capite Palus. Alia petia in eadem hora, ab uno capite Domina Aitenga, ab alio capite* Dominus Marchio. *Alia in eadem hora, ab uno capite Domina Aitenga, ab alio via, ab uno latere Dominus Gumbertus, & ab alio eadem Ecclesia. Et Runchum, quod est, ubi dicitur Valdegrosso, & tenetur per Albrigeto & suo fratre. Ab uno capite via pu-* E *blica, ab alio filius Domini Carlaxarii, ab uno latere & ab alio Ecclesia Sancti Johannis de Vigizolo. Et confessus fuit supradictus* Dominus

nus Marchio Azo *possidere pro prædicto Domino Priore , usque dum intret tenutam Dominus Prior . In eadem die in præsentia Johannis Camnii , & Moscardi , & Michaëlis , & Christiani , & Artusii, in eorum presentia Domnus Prior Livaldus supradictus pro eadem Ecclesia de predicto Manso intravit tenutam , & pro verbo* Domini Marchionis, *& confessus fuit , se satisfactum de prædicto Manso .*

Actum est hoc in Dollone de Este in Palacio prædicti Marchionis .

A

Ego Ortolinus Notarius sacri Palatii interfui , & jussu ipsorum scripsi .

Atque hic Livaldus Prior ille est, qui Anno MCLXXXIV. dum Veronæ esset Lucius III. Papa, ab eo renovationem impetravit Privilegiorum suorum , uti fidem faciet subsequentis Bullæ apographum e Regesto , existente apud prælaudatos nobiles Viros Carminatos , descriptum .

Lucius Papa Tertius Canonicis Regularibus Monasterii Sanctæ Mariæ ad Carceres in territorio Estensi privilegia renovat, Anno 1184.

LUcius Episcopus , *servus servorum Dei . Dilectis filii* Livaldo Priori Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Carceribus , *ejusque* Fratribus , *tam præsentibus quàm futuris* , Regularem vitam professis . *Quoties illud a nobis petitur , quod religioni , & honestati videtur convenire, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis Apostolicum suffragium impertiri . Eapropter , dilecti in Domino Filii , vestris justis postulationibus clementer annuimus, & Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Carceribus , in qua divino estis mancipati obsequio , ad exemplar felicis recordationis* Alexandri Papæ *prædecessoris nostri , sub beati Petri & nostra protectione suscipimus , & præsentis scripti Privilegio communimus . In primis siquidem statuentes*, ut Ordo Canonicus, qui secundùm Deum, & beati Augustini Regulam , & institutionem Portuensium Fratrum , in eodem Loco institutus esse cognoscitur , *perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur . Preterea quascumque possessiones &c. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis . Locum ipsum, in quo memorata Ecclesia sita est, cum omnibus adjacentiis & pertinentiis suis : & Decimas novalium totius loci , qui Carrateculum vocatur , sicut Privilegium Prædecessoris nostri Alexandri plenius continet ; & in Augutiano , & in tota Scudechia , in Fracta, in Montaniana , & in Vigosolo : Quicquid habetis in Cavalligo : Quicquid habètis in Craterolo , in Carpo , in Portu , in Minevio , Bonadico , Urbano , Casale , Milliarino , Pause , Vigezolo , Est , in Plebe de Villa , in Montesilice , Baono : & quicquid ibidem* B. Paduanus Episcopus *rationabiliter vobis concessit : Quicquid habetis in Spasano , Cona , Tribano , in Villa Pantena , in Montegnana , in Albetona ; Quæcumque a bonæ memoriæ* Bellino & Sinibaldo Paduanis *quondam* Episcopis *vobis canonice data sunt , nibilominus confirmamus : Ecclesiam Sancti Salvatoris , cum omnibus possessionibus suis &c. sicut juste ac pacifice eandem possidetis: Terram, quam habetis in Vicotineoso & in Gazolo : Ecclesiam Sancti Johannis de Vighizolo , cum omnibus possessionibus & aliis quæ ad eandem Ecclesiam pertinere noscuntur , terris videlicet, paludibus , piscationibus , ac decimis : Decimationes etiam totius paludis de Baone , sicut vobis a Paduano Episcopo rationabiliter concessæ sunt , & ejus instrumentum plenius continet : Decimam quoque de territorio Villæ , quæ dicitur Cavallile . Sententiam verò illam , quam præfatus* B. *super contentione, quæ inter vos & Clericos Sanctæ Teclæ de Adest , de persona Ugonis Balisterii & filii ejus , & bonis ipsius agebatur , legitime promulgavit , ratam habemus , & auctoritate Apostolica confirmamus . Preterea venditionem , quam vobis Archipresbyter de Runco cum Fratribus suis de quadam terra in Minerva rationabiliter fecit , vobis & Ecclesiæ vestræ nihilominus confirmamus. Statuentes , ut de possessionibus , quas nunc babet Ecclesia vestra , vel est in posterum babitura, nullus Laicus Decimas præsumat exigere . Sane novalium vestrorum , quæ propriis manibus aut sumptibus colitis , seu de nutrimentis vestrorum animalium , nullus a vobis Decimas exigere vel extorquere presumat. Liceat quoque vobis Clericos & Laicos, e Seculo fugientes , liberos & absolutos ad Conversionem recipere, & eos absque contradictione qualibet retinere . In Parochialibus autem Ecclesiis , quas habetis , liceat vobis eligere Sacerdotes , & Diocesano Episcopo præsentare , quibus , si idonei inventi fuerint , Episcopus curam animarum committat , ut ei de spiritualibus , vobis autem de temporalibus debeat respondere . Antiquas & rationabiles Consuetudines Ecclesiæ usque ad præsentia tempora reservatas , & Decimas , quas a quadraginta annis usque nunc possidetis, vobis auctoritate Apostolica roboramus . Cum autem generale interdictum terræ fuerit , liceat vobis , non pulsatis campanis , clausis janais , exclusis excommunicatis & interdictis , suppressâ voce , divina Officia celebrare . Sepulturam præterea ipsius Loci liberam esse concedimus , ut eorum devotioni , qui se illic deliberaverint , & extremæ voluntati , nisi fortè excommunicati sunt , nullus obsistat : salvâ tamen justitiâ Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum &c. Salvâ Sedis Apostolicæ auctoritate & Diocesani Episcopi canonicâ justitiâ . Si qua igitur in futurum Ecclesiastica , Secularisve persona &c.*

Datum Veronæ per manum Alberti Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis & Cancellarii , Decima Kalendas Januarii , Indictione III. Incarnationis Dominicæ Anno MCLXXXIIII. Pontificatus verò Domni Lucii Papæ Tertii Anno IIII.

Lectorem nunc rogo , ut mecum velit, Mediolanum usque iter suscipere . Est mihi Bulla Arnulphi III. Archiepiscopi Mediolanensis , quam e Collectaneis MStis Francisci Castelli depromsi, atque heic Eruditorum examini subjectam volo . Ista colligebat Castellus circiter Annum Christi MDL. In ea verò Bulla agitur de Ecclesia Sancti Gemuli in Diœcesi Mediolanensi sita , cui Archiepiscopus Privilegia largitur , sed nullo certo indicio , num fuerit in eodem sacro loco Congregatio Canonicorum Regularium , an Cleri ab eo Ordine diversi .

Arnulphi III. Mediolanensis Archiepiscopi Bulla, per quam Ecclesiæ S. Gemuli Martyris, ubi ejus Corpus requiescit, Privilegia ac libertatem concedit, Anno 1095.

ARnulfus *solâ Dei miseratione* Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus. *Convenit nostræ paternitati, piâ religione & benivolâ compassione, alacri mente, poscentium animis assensum impertire. Idcirco ad nostram auctoritatem pertinet cunctos nostræ Ecclesiæ filios paterno amore diligere, & optatæ pietatis opem non denegare. Quapropter nobis in nostra Mediolanensi Domo, nostrorum Cardinalium, scilicet Presbyterorum Diaconorum, Subdiaconorum interventu residentium; animarum nostrarum saluti providentes, & nostræ* Sancti Gemuli *pauperculæ* Ecclesiæ *vigilantes, tam præsentibus quàm futuris notum fieri volumus: quod nos cum nostris Ordinariis unanimiter laudavimus, quatenus viginti quatuor Denarii, quos homines de Bellari, qui vocantur Garilioli, Presbytero de Arcidiate dabant, duodecim propter duodecim Missas, quas in Sancti Gemuli Ecclesia cantabat, & duodecim propter duodecim prandia, deinceps nullatenus dentur. Candelæ verò, quæ in ipsius Sancti Gemuli festivitate Ecclesiæ Sancti Victoris de Plebe Arcidiate dabantur propter luminaria, amodo ab aliquo non exigantur. Et ne ipsa Plebs nostra detrimentum patiatur hujus diminutionis, cum nostris Cardinalibus & venerandis viris, scilicet Attone Presbytero, & Gizone Judice, & Arderico nostri Cancellarii Ariprandi germano,* qui abjecto Mundo ad eandem Sancti Gemuli concurrerunt Ecclesiam .... *cum sic tantam terram emerent, unde annualiter in ipsa Plebe duos modios ad Sestarium de Arcidiate, unum segetis, & unum panici possent* nostræ Canonicæ de Arcidiate *persolvere, & quatuor ceræ pro supradictis canbelis ejusdem Sancti Victoris Ecclesiæ. Laudavimus etiam, ut Servitores Ecclesiæ ipsius Sancti Gemuli, qui nunc sunt, & futuri sunt, omni anno mittant nostræ matri Ecclesiæ, videlicet Sanctæ Mariæ, duas candelas per unamquamque unam libram ceræ habentem, quæ in Domini, & Salvatoris nostri Nativitate ardeant super Altare Sanctæ Mariæ in nocturna Missa Sanctæ Anastasiæ, & peractâ Missâ perveniant ipsæ Candelæ in potestate Cimiliarchæ ipsius Ecclesiæ.* Volumus etiam, ut hi qui nunc, vel futuri sunt, prædicti Sancti Gemuli Cultores, Presbyteros & Clericos ad Ambrosianum celebrandum Officium eligant, vel Præpositum aut Priorem, vel Abbatem, *si quando necesse fuerit. Presbyter verò vel Clerici de Arcidiate nullâ ratione ad officium aliquod sine rogatu suprascriptorum in ipsa Ecclesia Sancti Gemuli accedere præsumant. Consecrationem autem solummodo sine ulla datione, sine ullo interventu pecuniæ post illorum electionem, nostræ Mediolanensi Ecclesiæ sic demum servamus. Item dicimus etiam, ut Officiales ipsius Ecclesiæ Sancti Gemuli officium vel sepellicionem in ipsa Plebe celebrare non audeant, nisi illis defunctis, qui illorum elegerunt ad Sanctum Gemulum sepulturam. Homines autem de Belari, qui Garilioli vocantur, quæ nostræ Curiæ annue persolvere debent, persolvant. Firmamus autem canonicâ auctoritate nostrâ, nostrorumque Cardinalium, ut jam dicta Sancti Gemuli Ecclesia omnino sit libera, & absque omnium mortalium conditione, sit Ecclesia aliena. Insuper volumus, laudamus, & ex omnipotentis Dei parte, & Apostolorum Petri & Pauli, & beatissimi Confessoris Ambrosii, & omnium Sanctorum & nostrâ, qua gaudemus, auctoritate, sub excommunicatione interdicimus, ut nos, nec nostri Successores, neque nostræ Ecclesiæ Cardinales, vel aliqua magna, parvaque persona, de bonis, quæ habet nunc præfata Sancti Gemuli Ecclesia, vel amodo adipisci potuerit, audeat se intromittere, neque sacrum locum aliquo modo ulla ratione inquietare. Quod si quis huic nostro salubri Præcepto, maligno Spiritu repletus, contrarius extiterit, sit anathema, maranatha: pereat cum Juda Domini proditore, Saule, & Jonatha: non habeat partem cum illo, qui pro nobis Crucifixus est in Golgotha, donec resipiscens ad satisfactionem & congruam pœnitentiam venerit, & ad sacramentum Corporis S. Gemuli concurrerit, & venerabilium virorum Dei, & Sancto Gemulo servientium voluntati satisfecerit. Quod ut verius credatur, & firmiter, & a nostris posteris firmum & inconvulsum habeatur, hanc Chartam cum nostris Cardinalibus propria manu firmavimus, & nostro sigillo insigniri jussimus.*

Factum est hoc, ut supra, in Domo Sancti Ambrosii, Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Nonagesimo Quinto, II. die Mensis novembris, Indictione IV. Unde duæ Cartulæ uno tenore scriptæ sunt.

Arnulfus *Dei gratiâ* Archiepiscopus *subscripsi.*

Gottofredus Archipresbyter laudavi & subscripsi.

Ego Anselmus Quartus *Dei gratiâ* Archiepiscopus *formavi & subscripsi.*

Ego Daribertus Diaconus de ordine Ecclesiæ S. Victoris de Arcidiate laudavi & subscripsi.

Tealdus Archidiaconus confirmando subscripsi.

Ego Adam Archipresbyter de loco Arcidiate laudavi & subscripsi.

Ego Dominicus de Plebe Arcidiate laudavi & subscripsi.

Ego Daibertus Presbyter Arcidiatensis Ecclesiæ laudavi & subscripsi.

Landulfus Diaconus subscripsi.

Ego Anricus Clericus de Arcidiate laudavi.

Walpertus Diaconus subscripsi.

Ego Unelfredus Clericus de ordine de Plebe Sancti Victoris de Arcidiate subscripsi.

Ego Aribertus Presbyter de Arcidiate, habitator Gieranzano, subscripsi.

Ego Nazarius Presbyter de Arcidiate laudavi & subscripsi.

Ego Nazarius Presbyter de Arcidiate Ecclesiæ Sancti Victoris laudavi & subscripsi.

Landulfus Presbyter subscripsi.

Gualpertus Magister Subdiaconus subscripsi.

Wido Subdiaconus subscripsi.

Anselmus Subdiaconus subscripsi.

Otto Subdiaconus subscripsi.

Landulfus Notarius subscripsi.

Ego Anselmus Notarius subscripsi.

Ego Ambrosius, qui & Paganus, Judex & Missus

Missus Domini Tertii Henrici Imperatoris , & Advocatus præfatæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ , ad confirmandum subscripsi .

Ego Petrus Judex ad confirmandum subscrip.

Albertus Judex & Missus Domini Henrici III. Imperatoris subscripsi .

Ego Heriprandus Judex & Missus Domini III. Imperatoris interfui & subscripsi .

Signum manuum Arialdi Vicecomitis , item Arialdi de loco Melenmano , Arderici de Badaglo , Benonis filii Alberti , Arderici filii Azonis , Johannis , qui dicitur Cassina , Azonis , qui dicitur Mura , Nazarii fratris Ostachii , Arberossi & Vassalli germanorum , qui dicantur Paradisi , Romedii , qui dicitur Cangellarius , Arialdi , qui dicitur Grassellus , Bonofantone , qui dicitur Schapeta , Anselmi testium .

Ego Aldo Notarius Sacri Palatii scripsi , post traditam complevi & dedi .

Guilielmus Judex ac Missus Domini Regis authenticum hujus exemplum vidi & legi , & sic in eo continebatur , sicut in hoc exemplo præter literas plus minusve .

Ego Ugo Notarius sacri Palatii authenticum hujus exempli vidi &c.

Ego Otto Notarius sacri Palatii , ac Legis Lector , authenticum hujus exempli &c.

Ego Anselmus Causidicus , Jurisque peritus , authenticum hujus &c.

Ego Hido Notarius sacri Palatii , authenticum &c.

Ego Rogerius , qui dicor de Pessiano , Notarius ac Missus Domini Secundi Cunradi Regis , authenticum hujus &c.

Ego Rogerius , qui dicor Palliarius , Notarius sacri Palatii , authenticum &c.

Ego Petracius Sinistrarius , Notarius sacri Palatii , hoc exemplum ab alio exemplo , & authentico exemplato exemplavi , & sicut in eo continebatur , ita & in isto exemplo , præter literam plus , minusve .

Examini , inquam , Eruditorum oblatas volui hasce tabulas , ut in eorum legitimitatem inquirant . Omnia certe primâ fronte bene consuta videntur . Notæ Chronologicæ inter se concordes procedunt . Arnulphus diu ante electus eo ipso Anno MXCV. (uti censuit Puricellius in Monumentis Basilicæ Ambrosianæ num. 283.) consecratus fuit . Multorum heic habentur subscriptiones , ac præcipue *Missorum Domni Tertii Henrici* . Uno verbo , cuncta hæc recte posita . Verùm ubi offendis , præter *Arnulfum Archiepiscopum* alterum Archiepiscopum obsignasse easdem tabulas , nempe *Anselmum Quartum Dei gratiâ Archiepiscopum* , turbari concentum hujus Chartæ sentis . Attamen , quum in Præfatione ad Poëma de Excidio Civitatis Comensis Tomo V. Rerum Italicarum pag. 402. animadverterim , Sæculo Duodecimo , Coadjutores & Successores datos fuisse Mediolanensibus Archiepiscopis : non immeritò opinari liceat , vivente adhuc Arnulpho III. Archipræsule , Anselmum IV. Successorem delectum fuisse , & pro more temporis illius , titulo etiam *Archiepiscopali* donatum , ac præsertim , quum adhuc vigeret lacrymabilis discordia inter Sacerdotium & Imperium . Et Anno quidem Christi MXCVII. sublato e vivis Arnulpho , Anselmus successit , atque Ambrosianam Ecclesiam regere cœpit . Hæc pro Chartæ legitima origine dicta volui . Si meam tamen sententiam quæris , vereor ut ista sufficiant . In Dissertatione de Antiquo Jure

A Metropol. Mediolan. in Episcop. Ticinens. Tom. I. pag. 244. Anecdotorum meorum , inter fœtus spurios recensendam scripsi alteram Bullam Anno Christi MC. exaratam , atque a Puricellio productam num. 289. Monum. Basilic. Ambrosianæ , hac etiam de caussa , quod illi subscripsisse dicatur *Anselmus Quartus Dei gratiâ Archiepiscopus* . Insuetum quippe mihi tunc visum est , Episcopos in subscribendo apponere *Secundum* , *Tertium* , *Quartum* &c ut sese a præcedentibus distinguerent . Id quidem Notarii & Cancellarii facere consueverunt in narratione , aut in Notis Chronologicis , non autem Episcopi , dum sese subscriberent . Neque ipse *Arnulphus Archiepiscopus* heic se *Tertium* appellat , quamquam duo ejusdem nominis Archiepiscopi præcessissent . Itaque & heic subscriptio suspecta mihi est . Sed quod B majorem mihi falsi suspicionem ingerit , Landulphum juniorem Historicum Mediolanensem , Anselmo ipsi synchronum , invenio hisce ipsis tabulis adversantem . Eumdem audi Cap. I. Histor. Mediolan. Tom. V. pag. 469. Rerum Italicar. *Defuncto Arnulpho Archiepiscopo Mediolanensi , Armannus Monachus , quasi Cardinalis Romanus , ad alium eligendum venit* &c. Tum subdit : *Hoc dictum statim elegit sibi & illis in Archiepiscopum Anselmum de Buis , hominem simplicem* &c. Deinde de ipso Anselmo scribit : *Deficientibus sibi Suffraganeis Episcopis , omnes Ecclesiasticos Ordines usque ad Presbyteratum , ordinationem quoque Episcopatus ab extraneis Episcopis suscepit* &c C Acta hæc fuere Anno Christi MXCVII eaque probe noverat Landulphus Mediolanensis , atque eorum temporum scriptor . Quei ergo una cum Arnulpho III. Archiepiscopo Anselmus iste subscribere potuit , ac titulo uti *Archiepiscopali* ? Neque Coadjutor fuerit , qui tantummodo post Arnulphi mortem *electus fuit* , immo *omnes Ecclesiasticos Ordines usque ad Presbyteratum suscepit* . Quamobrem de fide Bullæ nuper evulgatæ dubitare nimium cogor . Ceterum , ut ostendam , nullum negotium facessere debere nobis geminum *Archiepiscopum Mediolanensem* uno eodemque tempore extitisse , & quidem D sine discordia aut schismate , quum unus revera Ecclesiæ Mediolanensi ex institutione sua præesset , alter verò Coadjutor foret , altero exemplo eorumdem temporum morem confirmandum puto : & præsertim quod ea consuetudo minime perspecta tenebras & controversiam non unam antea inter Eruditos non sine justa caussa excitarit . In Archivo Monasterii Padolironensis pergamena adservatur , scripta Aprili Mense Anni MCXXI. complectens concordiam initam inter Episcopum Brixianum & Archipresbyterum Medulensem ex una parte , & Monachos Padolironenses ex altera , ob litem de duabus Ecclesiis . Chartæ subscri- E bunt *Ego Villanus Dei gratiâ Brixiensis Ecclesiæ Episcopus hujus operis facta confirmavi* . *Ego Manfredus Dei gratiâ Brixiensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi & confirmavi* . *Ego Paulus Brixiensis Ecclesiæ Archidiaconus subscripsi* &c. Ergo vides , invaluisse Sæculo Christi Undecimo ac Duodecimo *Coadjutores* Episcopatuum , & habes unde Ughellio in Ital. Sacr. lucem addas , ubi de nuper commemoratis duobus Brixiæ Episcopis sermo illi est . Utcumque tamen de legitimitate Chartæ Mediolanensis , nuper a me productæ , judicent alii , dubius præterea ego sum , nunc ibi designetur Congregatio Canonicorum Regularium . Nullum

lum enim verbum de iis est, aut de illorum *Priore*. Castellus supra mihi laudatus hæc scribit: *Privilegium pro Abbatia Sancti Gemuli de Ganna*, qui vicus est apud Varisium. At heic nullum Monachorum ibi habitantium vestigium occurrit. Hæc tamen scribit Boscha in Martyrologio Mediolanensi ad diem IV. Februarii: *Monasterium Gannense fuit olim Benedictinorum. Nunc Cœnobitis caret. Illius siquidem reditus, Pius IV. Pontifex Maximus addixit Nosocomio majori Mediolani*. Veri igitur simile potius videtur, tunc cœtum aliquem Clericorum eum in locum coaluisse, quum ipsum Arnulphus Archiepiscopus eximat e jurisdictione Archipresbyteri seu Plebani Arcidiatesis Ecclesiæ, atque addat: *Volumus, ut hi, qui nunc, vel futuri sunt, prædicti Sancti Gemuli cultores Presbyteros & Clericos ad Ambrosianum celebrandum Officium eligant, vel Præpositum, aut Priorem, vel Abbatem, si quando necesse fuerit*. Quare videntur postea sibi elegisse Abbatem & institutum Benedictinum suscepisse. Et quoniam non semel dixi, quoties in Chartis post Annum a Christo nato Millesimum occurit *Prior* Canonicis Præfectus, consuevisse indicari Canonicos Regulares, de iis etiam mentionem fieri arbitror in Charta, quam ad me misit doctissimus æque ac humanissimus vir P. Philippus Camerinus, Oratorii Camertis Presbyter, cujus erga me amorem pluribus ex titulis commendare possem. Spectat ipsa ad nobile Oppidum Sancti Severini in Piceno situm, quod Anno MDLXXXVI. Sixtus V. Pontifex Maximus Episcopatu auxit, & Civitatis honore donavit. Eo ipso tempore quo datum fuit istud Diploma, Severinatis Ecclesiæ Canonici, quod *Priori* suberant, Regularem quoque disciplinam professi mihi creduntur: quod tamen aliis accuratius perpendendum relinquo. Interim en Diploma ipsum, ex autographo descriptum, quod adservatur in Archivo Severinatis, sive Septempedanæ Cathedralis.

Præceptum Friderici I. Augusti, per quod Ecclesiæ Sancti Severini prædium quoddam concedit, sive confirmat, Anno 1177.

IN *Dei nomine. Amen*. Fridericus Dei gratiâ Romanorum Imperator semper Augustus. *Noverint omnes Imperii nostri fideles tam præsentes quàm futuri, quod nos ob interventum & dilectionem dilectissimi Cancellarii nostri Gotefredi, & Familiaris Capellani nostri Teodorici Præpositi Misnensis*, Ecclesiæ Sancti Severini *prædium de Cæsano contulimus, cujus latera sic describuntur: a capite est Via, a pede Rivus Castri, a latere prædium Hugulini, ab alio latere Collis & Vineæ. Hoc itaque prædium ob animæ nostræ & parentum nostrorum salutem præfatæ Ecclesiæ Sancti Severini concedimus & confirmamus. Illis quoque hominibus, qui præfatum prædium in pignore acceperunt, Imperiali auctoritate & sub obtentu gratiæ nostræ firmiter præcipimus*; quatenus a Priore, & Fratribus ejusdem Ecclesiæ, *acceptâ solutione debitæ pecuniæ, ipsum prædium libere & ex integro eis restituant. Si verò ipsi Creditores debitam pecuniam recipere noluerint, damus potestatem* Priori & Fratribus præfatæ Ecclesiæ *intrandi in possessiones absque nummorum numeratione. Statuimus præterea, & auctoritate Imperiali præcipimus, ne aliquis Marchio, vel Comes, vel Consul, vel alia aliqua Persona parva vel magna*, Ecclesiam Sancti Severini, aut ejus Fratres *in his bonis gravare seu inquietare præsumat. Huic autem nostro statuto si quis ausu temerario obviare attemptaverit, decem Libras auri pro pœna componat, mediam partem nobis, & mediam injuriam passis.*

Hujus rei testes sunt Conradus Suevus Comes Assisii, *Petrinus & Offroducius [illegible] les Sancti Severini, Jacobus Judex, Comes Atto Dalun. . . . . an, Severinus Reinaldi, & alii quamplures.*

Datum apud Assisium Anno Domini MCLXXVII. Indictione XI. Quartodecimo Kalendas Januarii.

Atque hæc dicta sint de *Canonicis*, quorum institutio sacrorum Templorum decori esse adhuc pergit. Hoc unum tantummodo addam, scilicet a Grutero inter monumenta Christiana vetustissima pag. 1053. num. 8. laudari Epitaphium Romæ in Sanctæ Cæciliæ positum, hisce verbis

HIC REQVIESCIT
BONVS IOHES CA
NONICVS ASTEN
SIS ET DNI PP.

Verùm huic Inscriptioni locus minime futurus erat inter monumenta Romanarum Antiquitatum, quum *Canonici* titulus ibi occurrat. Immo longe post Annum Vulgaris Æræ Millesimum *Bonus* ille *Johannes* seu *Bonjohannes* vixisse mihi creditur. Verba illa & *Domini Papæ*, aliquid excidisse ostendunt, uti *Capellanus, Diaconus, Notarius*, aut quid simile. At serò factum est, ut qui Canonicus in aliqua Ecclesia ab Urbe remota, Deo militaret, in Pontificia quoque aulâ aliquo munere fungeretur.

DE ADVOCATIS ECCLESIARUM, ET VICEDOMINIS.

DISSERTATIO SEXAGESIMATERTIA.

DISSERTATIO SEXAGESIMATERTIA.

IN Historiæ Ecclesiasticæ monumentis, ac potissimùm in Chartis rudium Sæculorum frequens est mentio *Advocatorum*, quos Episcopi, Abbates, Canonici, & ceteri Sacerdotes Ecclesiarum Rectores, sibi ad suarum rerum tutelam adsciscebant. Eos habere perspectos ad eruditionem nostram pertinet. Et antiquissima quidem est hujusce dignitatis origo. Nam uti dudum ostendit Clariss. Thomassinus Tom. I. Lib. 2. Cap. 97. atque etiam eruditissimus Du-Cangius in Glossar Latinitat. ipso Sæculo Christianæ Æræ Quincto, Concilium Milevitanum II. (non autem Carthaginiense, ut idem Du-Cangius censet) decrevit, ut peterentur a *gloriosissimis Imperatoribus Defensores Scholastici, qui in actu sint, vel in officio defensionum caussarum Ecclesiasticarum*, eisque titulo justo liceat *ingredi Judicum secretaria*. Qui tunc *Defensores* appellabantur, subsequutis temporibus *Advocatorum* nomen gessere frequentius. Inde verò natam necessitatem Ecclesiasticis viris adhibendi ejusmodi caussarum patronos, Thomassinus putavit, *quod summopere abhorrescerent Clerici & a litibus & Tribunalibus Judicum Sæcularium*. Equidem non abnuo, si de primis Ecclesiæ Sæculis id affirmetur. Verùm subsequentibus ego passim ad Sæcularium forum confluxisse reperio Episcopos, Abbates, immo & ipsas Abbatissas, & reliquum Clerum, ibique litibus operam dedisse, numquam tamen sine interventu & ope Advocati sui. Horum igitur opera & auxilium potissimùm adhibebatur, quod ii in civilium Legum scientia exculti essent, & forensibus tricis & contentionibus assueti: quæ peritia tunc neque aderat Ecclesiasticis viris, neque sacrum eorum ministerium sat decere temporibus iis censebatur. Propterea Causidicis Laicis commendata est ea cura ac disputatio in judiciis. Accessit & altera caussa. Videlicet litigare volenti ante Judices Sæculares deferendum fuit Juramentum calumniæ; atque aliis etiam de caussis jurare necesse erat: quem ritum, etsi legitimum ac justum ratio probet, attamen sacri Canones aversabantur in Clero: tum quod vellent Ecclesiæ milites lenitatis ac patientiæ studiosos, atque adeo ab accusando Proximo alienos; tum etiam, quod ab eis periculum perjurii, quantum possent, arcere

A omnino cuperent. Advocatorum ergo erat pro Clericis jusjurandum præstare. Diserte id constitutum in Lege Primâ Langobard. Henrici II. Augusti, Part. II. Tomi I. Rer. Italicar pag. 178. Mirum denique in modum necessitas crevit adhibendi Laicos Advocatos, ubi sub Regibus Langobardis, Francis, ac Germanis, Singularium Certaminum iniquissimus alioquin usus tantopere invaluit, ut & ipsi Ecclesiastici viri, quum de suis juribus tuendis aut recuperandis agebatur, non raro pugnam oblatam suscipere, & quod acrius detestandum est, etiam offerre, si licet dicere, cogebantur. Eos nemo nescit, quantum olim dedecuerit, & adhuc dedeceat, arma corripere, atque in certamina sanguinolenta prosilire. B Itaque ad ea spectacula eligebant Clerici aut Advocatos suos, non Causidicos tantùm, sed & militares viros, aut alios, ut ajebant, Campiones, ac propterea Sæculares, uti jam ostendi in Dissertatione XXXIX. *de Duello*. Proinde videas, temporibus barbaricis duplex fuisse munus Ecclesiarum Advocatis, nempe tum ore ac scientia legali eas tueri, tum manu ac fortitudine. Utrumque Laicis, non Clericis, commissum. In Lege VII. Pipini Regis Italiæ inter Langobardic. constitutum est, ut Episcopis, in quocumque Comitatu agros & jura possiderent, liceret habere unum Advocatum, & consequenter non unus erat eis interdum Advocatus, sed plures. C Tum additur: *Et talis sit ipse Advocatus, liber homo, bonæ opinionis, Laicus, aut Clericus, qui sacramentum pro caussa Ecclesiæ, quam peregerit, deducere possit juxta qualitatem substantiæ, sicut Lex eorum habet*. Ita in vulgatis editionibus, & Baluzianâ hactenus scriptum: sed vitiose, ut ostendi in Notis ad eam Legem. Quippe Codice Estensi præeunte scribendum est: *Laicus autem, non Clericus*. Dixi, potestatem factam Episcopis constituendi sibi non unum Advocatum. Et profectò duos *sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Advocatores, Boniprandum* scilicet *& Aribertum* reperio in Charta Placiti, olim habiti in Urbe Novocomensi, quam ex opulenti Archivi Monachorum Sancti Ambrosii D Majoris Mediolani apographo pervetusto descripsi, atque huc inferendam censui, ut simul tyrones intelligant, quæ in Placitis sive Judiciis essent Advocatorum partes antiquis temporibus.

Aistulphus & Everardus Missi Ludovici II. Imperatoris in Placito Novocomensi sententiam proferunt pro Monasterio Mediolanensi Sancti Ambrosii contra quosdam de casis & terris positis in Vico Dugno & Gravadona, Anno 865.

DUm ad potestatem Domni Ludowici Imperatoris *Missis directi fuissemus nos quidem* Aistulfus Archidiaconus Capelle sacri Palatii, & Everardus Vasso, & Senescallo Domni Imperatoris, *una cum Rafredo, Rapaldo, Teutulfus, Judicibus Imperiales, qui cum ipsis ad ipsum Missaticum aderant, inter quibus per singulas denominatas Comitatoras dum venissemus nos suprascriptis Aistulfus & Everardus in Civitate Cumo, cepit ipso Everardus una cum insimul cum Rafredo, Rapaldo, residere in judicio in atrio Ecclesiæ Sancte Eufimie: & adesset ibi cum eis Apo Gastaldio Domni Imperatoris, Atto de Canimalo, Angifredus, & Aribertus de Magiorini*, Boniprandus, & Aribertus Advocatores sancte Mediolanensis Ecclesie, *Rachifret, & Angilpertus Notariis, &* E *reliqui plures. Ibique in eorum presentia veniens Jordanne Advocato Monasterii Sancti Ambrosii foris muro Civitate Mediolanium, una cum Petrone Preposito ipsius Monasterii, seu ex alia parte Andreas, & Ermefret, qui & Fredolo germanis filii quondam Albini de Dugno inter se altergatione habente. Dicebat his ipse Jordanne Advocato ad eidem prenominatis germanis:* Mitte mihi responsum de Casis & rebus illis in

Vico Dugno & Gravadona, qui pertinet ad parte Monasterii Sancti Ambrosii. *Respondebant his ipsis Andreas & Ermefretus*: Casis & rebus ipsis, quod dicitis, habemus & detinemus, pro eo quod quia Aviani nostre fuit, & nos per legem hereditatem habere debemus. *Dicebat jam nominato Jordanne*: Non est veritas, quod res ipsas Aviani vestra Johannie umquam fuisset. Sed ecce judicato hic pre manibus habeo, quomodo jam antea casis & rebus ipsis per judicatum presentiâ Angilberti Archiepiscopi, & Ursiniani Missi Domni Imperatoris victum habuit. *Relecto ipso judicato continebatur inter reliquas, quomodo Sanderarius Monachus ipsius Monasterii una cum Garimundo Avocatore suo, Casis & rebus in Dugno & Gravadona, quæ fuerunt quondam Liuperti & Sichimundi, Avione istorum germanis super Maria cum jugale sua Albina genitor & genetrice istorum germanis, victe habuit ad Judices, & a Notario roboratum erat. Respondebant his ipse Andreas & Ermefretus germanis*: Nulla vobis inpetit judicato ipso, quia casis & rebus ipsis non pertinuit da parte genitrix nostre, sed Aviani nostre fuerunt, & nos ipsis casis & rebus possesse habemus per annos triginta ad proprio. *Tunc eorum Judicatum est, ut perportent, qualiter dixerunt. Iterum venerunt ambas partes ibi in ipso loco in presentia Everardi Misso Domni Imperatoris, Rafredo, Ratpaldo Judicibus & reliquorum multorum: ibique in supra scriptorum presentia conjunxerunt se Jordanne Avocato cum Andreas & Ermefret germanis, sicut inter se* wadiatum *habebat. Dicebat his ipse Jordanne Advocatum Monasterii Sancti Ambrosii ad jam nominatis germanis*: Da mihi ipsa testimonia, unde mihi waida data habetis. *Et ipsi ibi professi sunt & dixerunt, quia nullo testes exinde non haberet, nec invenire potuisset, quomodo casis & rebus ipsis a parte suprascripto Monasterio contendere possent. Tunc nos suprascriptis Auditoribus talem audiremus illorum altercationem, seu & ipsorum germanis professione seu manifestatione, recte nobis, cui supra, Auditoribus paruit, & ita judicavimus, ut revestisset suprascriptis germanis de ipsis casis & rebus Jordanne Advocato a parte suprascripti Monasterii, & ipsis germanis ibi ante nos eundem Jordanne Advocato per suste de manu de suprascriptis Casis & rebus revestivit; & in eo modo finita est hac causa. Unde qualiter acta vel deliberata est, & presentem notitia pro illorum securitate suprascriptis Missis & Auditoribus mihi Angilberti Notarius scribere admonuerunt in Anno Imperii* Domni Hludowici *Sextodecimo* quondam Chlotharii filius, *Mense Martio, Indictione Tertiadecima.*

Signum manus Everardi Misso Domni Imperatoris interfui.

Rafretus Notarius Domni Imperatoris interfuit.

Rapaldo Judice Domni Imperatoris interfui.

Signum manibus Ariberti & Bertaldi Vassali Aistulfi, qui interfuit.

Signũ manus Petroni Vassallo Aistulfi interfui.

Signum manibus Atoni, Riculfi, Utoni Vassalli Everardi, qui interfuerunt.

A Vide etiam infra Dissertationem LXX. *de Cleri Immunitate*, in qua Placitum evulgabo, habitum Senis Anno Christi DCCCXXXIII. Ex eo constat, *Petro Episcopo Aretino* fuisse tres Advocatos in controversia contra *Vigilium Abbatem Monasterii Sancti Antemii*; sed & ipsi Abbati duos adstitisse Advocatos. Magni autem momenti res fuit ejusmodi Advocatorum electio; quippe illustre officium vel antiquissimis temporibus fuit Ecclesiarum Advocatia, ob annexos, ut infra dicam, honores atque proventus. Eam ergo ambiebant, ad eam certatim convolabant multi. Et profectò, ut nunc etiam accidit ad reliqua fortunæ munera, tam apti quàm inepti, tam boni quam mali, quibus B quisque poterat artibus, ad illam inhiabant. At Carolus Magnus, cui in omnibus cordi erat rectus rerum ordo, in Lege Langobard. XXII. decrevit, *ut pravi Advocati, Vicedomini* &c. *tollantur, & tales eligantur, quales sciant & velint juste caussas discernere & determinare.* Infra addit: *Judices, Advocati* &c. *quales meliores inveniri possunt, & Deum timentes, constituantur ad sua ministeria exercenda.* Idem repetitum videas in Lege LV. ejusdem Caroli. Ludovicus etiam Pius in Lege Langobard. LVI. *præcipit omnibus Episcopis, Abbatibus, cunctoque Clero, Vicedominos, Præpositos, Advocatos, seu Defensores, bonos habere, non malos, non crudeles, nec cupidos, nec perjuros, sed Deum timentes, & in omnibus justitiam diligentes.* Eam C ob caussam statuisse videtur Carolus Magnus in Lege Langobard. LXIV. *ut Advocati in præsentia Comitis eligerentur, non habentes malam famam, sed tales, quales Lex jubet elizere.* Ratus fortasse fuit sapientissimus Imperator, frenum ita injectum iri tum eligentibus, tum eligendis, ne indigni ac improbi in hujusmodi munus irreperent. Accessit & altera caussa, cur Magistratus Regius ad electionem Advocatorum accersendus esset. Fruebantur enim Laici isti Advocati variis Regum Privilegiis, eisque non levis concedebatur auctoritas, ut proinde Reges consensum quoque & confirmationem suam, aut saltem Comitum, hoc est, Ministrorum suorum, expetendam juberent, quum D primum erant eligendi. Immo, nisi singulare Privilegium intercedebat, interdum Reges sibimet ipsis Advocatorum electionem reservarunt, atque ab iis erant petendi. Possem pluribus exemplis jam editis hanc firmare sententiam, sed Lectorum gratiam potiori jure initurum me spero, si Chartis nondum evulgatis argumento huic fecero satis. En ergo Diploma Lotharii I. Augusti, quod olim descripsi e Tabulario antiquissimi Parthenonis Ticinensis Sanctæ Mariæ Theodotæ, nunc de Posterula. Quamquam ibi nullum Monogramma Cæsaris occurrat, neque signarit membranam Cancellarius, nihilominus authenticum Præceptum a Sigillo adhuc membranæ innexo confirmabatur: quod animadver- E tendum in re Diplomatica. Non ejus ponderis, ut puto, fuit ejusmodi negotium, ut adhibenda foret Augusti subscriptio. Mirum tamen, quod neque Cancellarius Chartam signaverit.

Lotharii I. Imperatoris Præceptum, quo Leonem & Johannem Comites constituit Tutores ac Advocatos Monasterii Ticinensis Sanctæ Mariæ Theodotæ, cum facultate inquirendi de rebus & mancipiis ejusdem Cœnobii, Anno 841.

IN *nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni.* Hlotharius *divina ordinante providentia* Imperator Augustus. *Omnibus fidelibus nostris præsentibus & futuris notum sit, quia Deo devota femina nomine* Asia & ex Monasterio Teodotis Abbatissa, *retulit Serenitati nostræ, quod de rebus Ecclesiæ suæ vel familiis multam pateretur diminutionem atque dispendium*

dium a pravis & invasoribus hominibus : unde nostram deprecata est pietatem , ut & Tutorem Monasterii sui *illi concederemus, & nostræ auctoritatis scriptum fieri juberemus , concedendo inquisitionem de rebus & mancipiis ejusdem Cenobii . Cujus precibus ob divinum amorem adquiescentes ,* Leonem & Johannem Comites constituimus ad hujuscemodi Advocationem; *hoc simul nostræ Excellentiæ scriptum fieri decernentes , per quod præcipimus , ut ubicumque necessitas postulaverit , de rebus vel familiis memoratæ Ecclesiæ vera fiat inquisitio per veraces & idoneos homines, & quorum testimonium dinoscitur esse probabile . Ut autem a nobis hoc jussum esse credatis, ac diligentius observetis, de anulo nostro subter jussimus sigillari .*

Data Decimo tertio Kalendas Augusti Anno Christo propitio Imperii Domni Hlothari Pii Imperatoris in Italia XXII. & in Francia II. Indictione IV.

Actum Aquisgrani Palatio in Dei nomine feliciter . Amen .

Sigillum cereum absque ulla Epigraphe.



A Vides, non unum tantummodo *Tutorem*, sed duos, eosque *Comites*, a Lothario Augusto delectos ad hujus Asceterii *Advocationem*, fortasse quod in duobus diversis Comitatibus sita forent sacrarum illarum Virginum bona. Ita Carolus Crassus Augustus in Diplomate Anni DCCCLXXXII. Aroni Episcopo Regiensi concessit *Advocatos duos vel tres , quos ipsius Ecclesiæ Pontifices aptos & sibi congruos eligant, qui causas Ecclesiæ suæ diligenter examinent & inquirant* . Simul autem hinc disce, jam tum potentes viros , eosque sublimis dignitatis , quales profectò erant *Comites*, non detrectasse, immo lubentissime amplexos fuisse , atque etiam exquisiisse sacræ Advocatiæ munus. Quum tamen B Episcopi , Abbates , ceterique Clero addicti , sibi non levi incommodo esse sentirent necessitatem adeundi Imperatoris , quoties Advocati forent eligendi : plerique opportune deinceps sibi consuluere. Facultatem nimirum ac Privilegium impetrarunt constituendi sibi, quos mallent , suarum rerum patronos, inconsultis ipsis Augustis. Quamquam attritum a tempore fuerit Diploma Ludovici II. Cæsaris, quod in Archivo nobilissimi Monasterii Brixiani Sanctimonialium Sanctæ Juliæ olim autographum vidi , nihilo tamen secius usui nostro heic erit. Pertinet ad Monasterium Carinthiæ . Cur verò in Brixianum Asceterium immigrarit , divinare nescio . Fortasse Brixiano olim subjectum Carinthianum C illud fuerit .

Ludovicus II. Imperator Monasterio Sancti Michaëlis in Viliana quædam Privilegia concedit, Anno 857.

IN *nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni* . Hludowicus *gratiâ Dei* Imperator Augustus . *Si Locis Deo dicatis munus benivolentiæ impendimus, Deoque inibi militantibus studium tuitionis conferimus, compotes orationum nos esse confidimus , & ad beatitudinem capessendam prodesse minime ambigimus. Ideoque omnium fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostrorum , præsentium videlicet futurorumque comperiat sagacitas , quia* Druchtemirus Palatii nostri Archicancellarius, *una cum Hittone dilecto Vasso nostro, adientes excellentiam culminis nostri , innotuerunt , qualiter* Selmo Abbas Congregationis Sancti Michaëlis in Viliana , fecisset quamdam Cartam cum consensu Fratrum ibi Degentium , Petronasio & Tadasio germanis , ut Missi eorum existerent, ut ubicumque necessarium eis foret , amminiculum ferrent . *Et quia jam olim nos ipsum Cenobium sub nostro receptum habebamus mundeburdo , & inopiâ pressi nostram frequentare & pulsare nequibant presentiam, eorum nostra auctoritate freti auxilio , non solùm pro nobis , sed & pro ipsis Domini clementiam propensius expeterent. Nec non petierunt iidem Fideles nostri sublimitatem Excellentiæ nostræ , ut quia isdem Abbas jam dictum Monasterium proprio fundaverat sumptu , nostra auctoritate concederetur ex se ipsi Abbatem eligere simul cum ipsis Missis , ne quorumlibet pressione , aut pulsationi Seculari premeretur , aut potestati Episcopali subdita videretur, sed potiùs nostro Privilegio illuc consistens Monasterium hereditarium maneret ubique , sicut anteriores Æcclesiæ, tam in pabulis animalium, quàmque in præcisione lignorum , ac captione piscium , libereque eis ad . . . . . habere ab omnibus liberum sicut reliqua Monasteria. Nos itaque justas considerantes petitiones, eorum preci-* D *bus libenter adquievimus, & presens Preceptum nostrum fieri jussimus* : per quod memoratis germanis Petronasio scilicet ac Tadasio , sicut in Carta a prefato Abbate Selmone factâ continetur , omnem Missaticum de predicto conferimus Monasterio , ut nostro mundeburdio , & nostra auctoritate sub eorum maneat Tuitione & electionis Defensione assiduo ritu religionis Monastici . *Statuimus etiam , ut mox presens Abbas vitâ excesserit , Monachi ibi degentes ,* una cum consensu memoratorum Petronasii & Tadasii, *ex se ipsis Abbatem faciant,* Episcopusque ipsius Civitatis, ideft Carentinæ, *absque ulla retardatione , ipsum consecret Abbatem* . Concedimus quoque Advocatum eis ha-E bere im . . . . . reliqua . . . . . & invigilet, ut nullus quis . . . . . eorum vel possessionibus invasionem aut oppressionem faciat, non Episcopus , non alius quispiam , sed tantùm . . . . . . predictorum germanorum consistat Defensione. *Quod si quis contra hoc Præceptum agere temptans in rebus vel hominibus ipsius Monasterii violentiam fecerit &c.*

Signum HLUDOWICUS (monogram) *Hludowici serenissimi Imperatoris.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Plato Notarius ad vicem Druclemiri recognovi & subscripsi.

Data III. Nonas Aprilis, Anno Imperii Domni Hludowici Pii Imperatoris in Italia VII. Indictione V.

Actum Mantua Civitate & Palatio Regio, in Dei nomine feliciter . Amen .

Heic habes *Tutorum* ac *Defensorum* , quos antea Selmo Abbas pro Monasterio suo Sancti Michaëlis in Viliana *per quamdam* publicam *Chartam* constituerat , confirmationem nedum a Ludovico II Imperatore largitam , sed & A *Advocati* concessionem , qui *invigilet ut nullus* Monasterio eidem, eisque rebus *vel possessionibus invasionem aut oppressionem faciat, non Episcopus , non alius quispiam* &c. Verùm deficientibus verborum formulis in hac pergamena, integre non legitur concessa venia eligendi Advocatos . At istam nobis luculentius expressam exhibebit alterum Diploma , Lamberti videlicet Augusti, quod in Archivo Capituli Canonicorum Arretii notas omnes primitivi exemplaris præferens vidi .

Confirmatio omnium jurium & bonorum facta Ecclesiæ Arretinæ a Lantberto Imperatore, Anno 898.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis* . Landbertus *divina favente clementia* Imperator Augustus. *Decet nos justas Pontificum preces exaudire , ut nostra apud omnipotentem Dominum exaudiatur oratio . Idcirco omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ , nostrorumque scilicet & futurorum noverit industria , quia* Johannes Aretinus *venerabilis* Episcopus *per interventum* Domine Genitricis nostræ, *seu* Amolonis Episcopi *insignis* Archicancellarii nostri , *suggessit nostræ Serenitati , ut omnes res Ecclesiæ suæ juste & legaliter acquisitas & acquirendas, precipue quoque res illas, quas* Winibertus *Tusciæ habitator , videlicet in Comitatu Aretino jam dictæ Ecclesiæ per Cartulam emphiteosis , quæ vulgo Precaria dicitur, obtulit : idest Curtem unam in loco Cactiano , vel ejus vocabulis cum sorticellis triginta , quam divæ memoriæ Genitor noster condicto* Winiberto *per suum Preceptum donavit , cum omnibus adjacentiis vel pertinentiis suis, nostra Imperiali auctoritate confirmare dignaremur . Nos itaque dignis ejus precibus adquiescentes, & postulationes Dominæ Genitricis nostræ , seu Amolonis Episcopi libenter exaudientes , omnes res & familias prefati Aretini Episcopatus confirmare decrevimus , in quo Sanctus Donatus humato Corpore requiescit, undecumque ibi justo ordine pertinere videntur , tam de oblatione fidelium ,* B *quamque alicujus ordinis datione ; familias quoque ejus , Liberos ac Servos utriusque sexus Libellarios ac Cartulatos , eodem ordine confirmamus ; ut nullus Dux , Comes , Gastaldius , aut quislibet publicus exactor , nec aliqua persona parva vel magna in rebus aut familiis ipsius Ecclesiæ aliquam invasionem seu molestationem aut diminorationem facere temptet sine legali judicio ; sed liceat Pontifici prælibati Episcopatus cum universis suæ Ecclesiæ rebus, cunctisque sibi subjectis Liberis & Servis omni tempore sub protectionis nostræ tuitione quietè vivere, & pro nobis Domini misericordiam feliciter exorare .* Statuimus denique , ut quemcumque Episcopus , & pars ipsius Ecclesiæ , Advocatum ad utilitatis suæ necessitudinem C constituerint , libera sit fronte, res & familias jam dictæ Ecclesiæ acquisiturus , quæ ei juste pertinent , nullius adversarii impediente obstaculo , ad honorem & decus pretaxati Episcopatus . *Quicumque igitur temerarius hoc nostræ confirmationis Præceptum in aliquo violare temptaverit, sciat se compositurum auri optimi Libras centum , medietatem Palatio nostro , & medietatem parti præfatæ Ecclesiæ. Ut autem veriùs credatur, & diligentius ab omnibus observetur, manu propria subsignavimus , nostroque anulo jussimus assignari .*

Signum *Domini Lanberti serenissimi Imperatoris Augusti.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Andreas Notarius ad vicem Amolonis Archicancellarii recognovi & subscripsi.

Data Anno Incarnationis Domini DCCCXCVIII. Domni quoque Lanberti piissimi Imperatoris Septimo , III. Nonas Septembris , Indictione II.


Actum Marinco in Dei nomine feliciter . Amen.

Hadrianus Valesius vir Clarifs. in Præfatione ad Anonymi Poëma de Laudibus Berengarii Augusti , Tomo II. Rer. Italicar. pag. 383. mortem Lamberti Augusti statuens ad Annum DCCCXCVII. ultra quàm deceat, dictatorie scribit: *Carolus Sigonius falsi cujusdam Diplomatis subscriptione deceptus , Anno Domini DCCCXCVIII. Imperii sui VII. Lambertum obiisse tradit* . Verùm nulla nunc dubitatio est, quin Valesius basilice falsus heic fuerit . En alterum Diploma , & quidem authenticum , Sigoniano , sive Mutinensi , plane concors in notis Chronologicis . Servatur autem adhuc , mihique non semel præ oculis fuit, in Archivo Capituli Canonicorum Mutinensium Diploma idem , quod Sigonius memoravit , immo illud E expurgatum a vitiis dabo in Dissertatione LXXIII. *de Monasteriis in beneficium datis*. In eo autem deprehendi characteres omnes autographi Præcepti cum hisce Notis: *Signum Domni Landberti Imperatoris piissimi Augusti. Andreas Notarius ad vicem Amolonis Archicancellarii recognovi & subscripsi. Data Anno Incarnationis Domini DCCCXCVIII. Domni quoque Lanberti piissimi Imperatoris Septimo, Pridie Kalendas Octobris , Indictione II. Actum Marinco , in Dei nomine feliciter. AMHN*. Hæc adferre placuit ; non enim ea Sillingardus in Catalogo Episcoporum Mutinensium , neque Ughellius in Italia Sacra sat exacte expresserunt . Itaque non Anno Christi DCCCXCVII. sed quidem subsequenti DCCCXCVIII. Lambertus

bertus Augustus finem vivendi fecit, quod & Pagius antea recte animadvertit. Diu verò perduravit consuetudo petendi ab Imperatoribus Privilegium eligendi sibi Advocatos. Quæ A res constabit ex Diplomate Henrici inter Imperatores Primi, quod in Archivo Monasterii Arretini Benedictinorum Sanctarum Floræ & Lucillæ autographum egomet legi atque descripsi.

Henrici Regis II. Imperatoris I. Diploma, quo confirmat Monachis Arretinis Sanctarum Floræ & Lucillæ omnia illorum Privilegia & jura, Anno 1022.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Heinricus *divina favente clementia* Romanorum Imperator Augustus. *Si Sanctorum Dei Ecclesiis ex nostris rebus aliquid offerimus, presentis & æternæ vitæ bravium adipisci non titubamus. Quapropter omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, nostrorumque præsentium ac futurorum industria noverit, qualiter pro Dei amore, animeque nostre remedio, per hujus nostri Precepti paginam concedimus, donamus, atque largimus, & omnimodis confirmamus ad stipendium & usum atque sumptum Fratrum Monachorum in Cœnobio Sancte Flore Deo famulantium, quandam Ecclesiam in honore Sanctæ Mariæ constructam, in Monte Jonio sitam, cum omnibus terris, rebus, mansis, & familiis ad eam in integrum pertinentibus; necnon & campum juxta eandem Ecclesiam Regiæ potestati actenus pertinentibus; necnon & campum juxta eandem Ecclesiam, Regiæ potestati actenus pertinentem; atque Barbaritanos, & Martinenses similiter juris Regni nostri pertinentes, cum omnibus rebus & terris conjacentibus in Comitato Aretino, quæ dicuntur Martinenses, & Barbaritanæ in locis ac fundis, qui dicuntur Galognanum; & Castrum in Quarata, & Monte Jonio, in Cignano, & Ficarita; & item Lucignano, Quilliano, & Carna, atque Orneta Vesigiæ, & Castellum Foconianum in Marcena, & Sesto, atque Lina, & in Carpinito, & Campobarbarensi, cum omnibus earum pertinentiis a Sibiano usque Classem flumen, ab Arno usque Matrinianem. Insuper & omnem illam terram, quam* Berta Regina *ex Camarino adquisivit in Monte Ferentino & in Muglano, & sortem de Lauro, &* Ugo Rex ejusdem Bertæ filius, *cum Ecclesia Sancti Marini Monasterio Sanctæ Floræ concessit cum Capella Sancti Mame, & ejus pertinentiis, quam quidam Godolprandus per Cartam vindictionis prefato Monasterio dedit Arnon ejus Preposito, atque mansum de Gragnano cum pertinentiis ejus, sicut actenus rectus fuerat per Januarium, & nunc tenetur per Leonem Crassum & consortes ejus &* Rodulfum Abbatem, *cum Ecclesiam, quam ipse ibi statuit, sicut Regiæ actenus potestati pertinuit. Necnon etiam Castellum & Ecclesiam atque Cortem de Bulgari, & Corticellam de Cellule cum omnibus earum pertinentiis cum Scegi, & in Monticello, & in* Waldinario, *& in Bivignano, & in Campille, & in Grogi, sicut Ugo Judex, & Berta ejus Conjux Monasterio Sanctæ Floræ dederant; & omnes Mansos cum pertinentiis & edificiis earum, quas in Comitatu Aretino Teuzo filius Offredi, & Petrus filius Ingylelmi, Rainaldus de Rosina, Azzo Presbyter, Gerardus & Albertus filii Bonizonis, Johannes Langobardus, & Dominicus Ardi, & Angelus filius Martini, & Georgius & Gariprandus Presbyteri, & Rodulfus filius* B *Liutardi, & Leo Presbyter, &* Wido *filius Griffonis in loco Corsigiano, vel alii fideles Christiani pro amore Dei eidem Monasterio dederunt in Cajana cum terra & omni decimatione illa, quam Episcopi Aretini prefato concesserunt Monasterio. Omnia autem, quæ ab* Ugone *& Lo*thario, *& a nostra clementia, vel ab aliis fidelibus Christianis data sunt & dabuntur, ut dictum est, Deo & predicto Monasterio in usum & sumptum Fratrum Monachorum concedimus atque largimur, & de nostro jure & dominio in eorum jus & dominium omnimodis transfundimus ac delegamus, & in illorum stipendio predicta predia cum rebus & familiis ad ea pertinentibus maneant; ipsi eorumque successores æter*C *naliter habeant, teneant, firmiterque possideant. Necnon & etiam omnes res & familias, quas constructor ejusdem Loci, ejusve posteri prefati contulerunt Cenobio, per hoc idem Preceptum eidem concedimus & confirmamus cum omni terra illa, quam quidam* Willelmus *Clericus filius Artii Sanctæ Floræ concessit.* Concedimus & eidem Abbati ejusdem Loci, qui pro tempore fuerit, facundiam eligendi sibi Advocatos quales voluerit. *Insuper etiam ad augendam securitatem & tranquillitatem Fratrum Monachorum ibidem Deo famulantium, quatenus eis pro nobis & imperio a Deo nobis commisso orare liceat, tam ipsos Monachos, & omnes prefatas res, quàmque illorum familiam & Masarios, cun*D *ctasque res mobiles & immobiles, seseque moventes ejusdem Cenobii, sub nostræ defensionis Mundiburdium recepimus. Precipientes, ut nullus Dux, Marchio, Archiepiscopus, Episcopus, Comes, aut quislibet mortalium prædictum Cenobium, ejusque Rectores, suamque familiam de rebus suis absque legali judicio devestire, tollere, molestare, minuare, vel in aliquo ledere audeat. Si quis igitur hujus precepti & mundiburdium violator extiterit, sciat se compositurum auri optimi Libras centum, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem predicto Cenobio & Fratribus ibi Deo famulantibus. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, manu propria roborantes, hanc pagi*E *nam sigillare jussimus.*

Signum Domni Heinrici  *Imperatoris invictissimi.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Theodericus Cancellarius vice Eberhardi Papebergensis Ecclesiæ Episcopi & Archicappellani notavi.

Data X. Kalendas Augusti, Anno Incarnationis Dominicæ MXXII. Indictione V. Anno Domni Heinrici regnantis Secundi XXI. Imperii verò VIIII.

Actum Privaria in Comitatu Lucense.

Versabatur Henricus I. Augustus *Decimo Kalendas Augusti*, hoc est, die XXIII. Julii, Anni MXXII. in Comitatu Lucensi. Ergo jam post ereptam Græcis in Apulia Civitatem Trojam eo ipso Anno, in Germaniam regrediebatur. Idem quoque tradit Annalista Saxo, ab Eccardo editus. Quod adnotatum volui, utpote opportunum ad ejus Chronologiam certius stabiliendam, quam nonnulli Historici turbant. Nunc autem prodenda est caussa, quare tanto olim studio ambiretur Ecclesiarum *Advocatia*. Nimirum ejusmodi munus consequebantur emolumenta non pauca, quorum primum spes promerendæ protectionis cælestis, & cumulandi apud Deum meriti, ob impensam sacris Locis protectionem suam. Vide Codicem Carolinum, in quo Romani Pontifices Pippino & Carolo Magno Francorum Regibus inculcare non desinunt, quantopere ii Deum sibi obstringerent, quod protegendam atque amplificandam suscepissent Ecclesiam Beati Petri. Uti ego quoque ostendi Cap. 36. pag. 353. Part. I. Antiquit. Estens. Obizo Marchio Estensis Anno Christi MCLXXXVIII. *Advocatiam Monasterii* Ferrariensis *Sancti Romani recepit*, obtestans, se id facere *pro remedio animæ suæ*. Alteram similem Chartam nunc profero, cujus exemplum antiquum in pergamena apud se adservat nobilis vir Comes Brandolinus de Brandolinis Foroliviensis Patricius, cujus erga me humanitatem ac beneficentiam non semel sensi. Hanc autem contuli cum altero authentico existente in Archivo Estensi, & quæ in altero exemplo deerant, supplevi.

Advocatia Monasterii Sancti Romani Ferrariensis collata Azoni VII. Marchioni Estensi, Anno 1230.

ANno Domini Millesimo Ducentesimo Trigesimo, Indictione Tertia, die IV. intrante Aprili, in presencia Domini Simonis Professoris Legum, Dominorum Jacobi de Trotta, Jacobi de Vecla, Petri Contrarii, Wigelmini *de Joculo, Coni Judicis, Guizardini, Petriboni de Aldrevandino, Gerardini de Bancio, Moises, & aliorum : cum* Dominus Azo Estensis Marchio *foret coram* Domno Alemano Priore, *& peteret sibi Investituram de suo recto Feudo & suo jure*, & de Avocaria ipsius Monasterii, *secundùm quod quondam* Obizo Marchio Estensis, & Dominus Azo Marchio, & Aldrevandinus, & Dominus Willelmus & Athelardus de Marchesella *habuerunt & tenuerunt a præfato Monasterio. Qui dictus* Dominus Prior Sancti Romani *una cum consensu & voluntate suorum Fratrum, Domni* Widonis, *& Domni Petri, & Domni Leonis, & Domni Venture, & Domni* Wigelmi, *& Domni Rubaldi*, investivit dictum Dominum Marchionem Azonem *cum Libro & Stola ante Altare Sancti Romani*, de Avocaria Monasterii Sancti Romani, *& de omnibus benefactis Sancti Romani, secundùm quod quondam Marchio Opizo, & Marchio Azo, & Marchio Aldrevandinus, & Guillelmus & Athelardus de Marchesella habuerunt & tenuerunt a dicto Monasterio*. Et predictus Marchio recepit eam pro remedio anime sue : *& promisit supra Altare & osculo pacis, esse fidelis Domno Abbati Sancti Benigni Fructuariensis, & omnibus suis Catholicis Successoribus, & Prioribus Sancti Romani, qui fuerint ordinati ejus voluntate & consensu. Et insuper investivit eum per Feudum in filio masculo & femina de omni eo jure, quod habet in Domo predicta, in qua habitabat dictus Marchio quondam Obizo, que fuit quondam Domini Wilielmi de Marchesella & Athalardi ejus fratris. Et investivit eum similiter per Feudum ad usum Regni de omni eo, quod quondam* Wigelmus *& Athalardus fratres habuerunt per Feudum a Sancto Romano in fundo Donorii, & in pertinentia Villenove. Et de omni alio Feudo & onori, quem Marchio Opizo, & Marchio Azo, & Marchio Aldrevandinus sui predecessores, & Dominus* Wigelmus *predictus & Athalardus fratres habuerunt & tenuerunt, vel visi sunt habere & tenere a dicto Monasterio Sancti Romani. Et predictus Dominus Azo eidem Domno Priori, recipienti pro dicto Domno Abbate, & se Priore, contra omnes homines (excepto Imperatore & suis anterioribus Dominis*) *tactis sacrosanctis Euangeliis, gratissimâ voluntate fidelitatem juravit. Hiis omnibus ita peractis precepit prefatus Dominus Azo Domino Petro de Merlaria ejusdem Domini Marchionis Viceccomiti, quatenus necessaria predicti Monasterii servicia, tamquam ipsius Domni propria, peragere deberet diligenter.*

Actum est hoc in Ferraria in Ecclesia Sancti Romani predicti ante Altarem.

✠ *Ego Bonifacinus filius Gerardi de Este, Palatini Comitis Notarius, presens rogatus scripsi.*

Ego Bonajuncta Dei gratiâ Imperiali auctoritate Notarius hoc instrumentum sumtum ab authentico exemplavi, scripto manu Bonifacini Notarii filii Gerardi de Est, ita boná fide scripsi & exemplavi, nihil addens vel minuens me sciente, quod sensum vel sententiam mutet, in MCCLXXXIII. Indictione XI. Ferrarie, die VIII. intrante Martio.

Præterea jure Patronatus fruebantur nobilissimi Marchiones Estenses in Monasterio Sanctæ Mariæ de Vangadicia intra Hadriensem Diœcesim sito, non longe a Lendenaria, utpote tunc iisdem regionibus dominantes. Diploma Henrici IV. Germaniæ ac Italiæ Regis, Anno Christi MLXXVII. datum produxi olim Cap. 7. Antiquitat. Estensium, in quo inter alias ditiones Henricus ipse confirmat *Hugoni & Fulchoni germanis, Aczonis Marchionis filiis, Abbatiam Vangaditiam*. Hujus quoque rei egregium testem, quo tunc carebam, adferre nunc placet, Auctorem scilicet synchronum Translationis sacri Corporis Sancti Theobaldi Confessoris, ex Urbe Vicentina in Monasterium Vangadiciense translati Anno MLXXIV. Acta illa intulit Mabillonius in Partem 2. Sæculi VI. Actor. Sanctor. Ordinis Sancti Benedicti pag. 168. Hæc igitur ille Auctor scribit : *Quum itaque tam Fratres Monasterii, quàm reliquus Populus circumstarent, & attentius Sancti suffragia postularent, contigit, illustrem virum Azonem Marchionem, illius videlicet Monasterii Possessorem, advenire* &c. Infra addit: *Azo denique supra memoratus Marchio cum universis, qui aderant, præ gaudio resolutus in lacrymis, postquam Christo Domino in immensum, & pro debito gratias solvit, iterum manus ad cælum extendens, universorum Creatorem benedixit, quod se, Suæque Ditionis Populum in adventu beati & omni laude celebrandi Confessoris Theobaldi visitaverit*. Quum verò frater

Sancti

Sancti Theobaldi ab ipso Marchione peteret sacrum Corpus in Galliam deferendum, *o quàm longe distans ab hac petitione fuit Marchio in sua responsione! Asserebat sibi abesse tanti effectus posse: se nolle tanti pretii thesauro Regionem Suam depauperare. Sed Dei pietas, in cujus manu est cor Regis, citò mutavit sententiam Principis.* Itaque jam tum Oppido Abbatiæ Vangadiciensis dominabatur insignis ille *Princeps*, ex quo tum Regium Brunsvicensium Ducum in magna Britannia regnantium, tum Marchionum Estensium, Ducum Ferrariensium & Mutinensium, genus rectâ descendere, palam feci, atque demonstravi in eisdem Antiquitatibus Estensibus. Monasterio autem Vangadiciensi, ut ajebam, dominabantur Marchiones Atestini jure Patronatus & Advocatiæ, quod semper retinuere, donec potentia major in eorum ditiones ac jura successit. Atque juris hujusce documentum, argumento præsenti perquam affine, ex Archivo Estensi depromtum, Lectori heic exhibere statui.

Instrumentum tutelæ Monasterii Vangadiciensis, susceptæ seu confirmatæ ab Obizone II. Marchione Estensi, Anno 1270.

A*Nno Domini Millesimo Ducentesimo Septuagesimo, Indictione XIII. die ultimo Martii, in Castro Villæ Abbatiæ, super Palatium infrascripti Domni Abbatis, presentibus hiis testibus, Dominis Albertino & Nicolao de Fontana, Uprandino de Gafaris de Mantua, Antonio filio Domini Petri de Navelatis, Sibello qui fuit de Montesilice, Antonio qui fuit de Castanedo, & Fratre Alberto, qui fuit de Lendenaria, & aliis. Ibique* Dominus Obizo Estensis Marchio *quasdam fecit petiones* Domno Joanni *Dei gratiâ* Abbati Sanctæ Mariæ de Vangadicia, *& suo Conventui: cujus tenor talis est. Primo ei dixit:* Volumus & petimus, quod Syndicus Monasterii, Conventus, seu Capituli Monasterii Abbatiæ Vangadiciæ, ad infrascripta specialiter constitutus, sicut de constitutione ejus plenius patet ex Instrumento Sindicatus ipsius, *scripto manu mei Notarii:* consideratâ utilitate Monasterii memorati, & ad hoc ut Monachi & Conversi in pace vivere valeant & quiete, & divinum valeant Officium celebrare, in suis .... & domicilio constituti; & ad hoc jura ipsius Monasterii per aliquam personam singularem, vel aliquam Universitatem, seu Corpus non usurpentur, sed libere Defendantur, augeantur, & Tueantur. *Consideratâ itaque fide* Illustris viri Domini Obizoni Marchionis Estensis & Anconitani, *& fide & devotione, quam prædictus Dominus Marchio, ac ejus omnes Antecessores habuerunt versùs Sanctam Ecclesiam matrem omnium fidelium, & Christianæ Fidei fundamentum, nec non adversùs alias Ecclesias, & Religiosas personas, & specialiter adversùs supradictum Monasterium Abbatiæ, & personas predicti Monasterii, & res ejusdem. Consideratâ itaque utilitate locorum prædicti Domini Marchionis, & aliorum suorum amicorum & fidelium: intentâ etiam & consideratâ potentiâ & viciniâ ipsius Domini Marchionis, de consensu & voluntate Domini Johannis venerabilis Abbatis Conventus positi in tali loco, & infra tale confinium, cum omnibus suis juribus & jurisdictionibus, piscationibus, & venationibus, pasculis, & pratis, nemoribus, & vallibus, & paludibus, fluminibus navigabilibus, vel non,* posuit in Protectionem & Defensionem curâ & sollicitudine ..... Illustris & potentis & magnifici viri Domini Marchionis Estensis, & Anconitani Marchionis; ita quod predictus Dominus Marchio possessionem & quasi possessionem, dominium, sive proprietatem Defendat, Protegat, Tueatur, & augeat, & ea integrabiliter ab omni violentiâ, & expugnantiâ, injuriâ, & turbatione Defendat & Conservet illesam, ad utilitatem, & bonum ac pacificum statum Monasterii supradicti: opponendo se cuilibet Universitati, Corpori, seu Collegio, & singulari personæ Seculari vel Ecclesiasticæ, quæ contra prædicta vel aliquod predictorum, aliquod presumeret facere, & attentare.

Qui Dominus Marchio, *tamquam fidelis & devotus Ecclesie in honorem beate Marie Virginis, in cujus honorem predictum Monasterium est constructum*, & pro remedio animarum suorum Antecessorum, & aliorum omnium fidelium Defunctorum, *gratanter & libenter suscepit, & solemni stipulatione* promisit *spontanee predicto Sindico, nomine & vice dicti Monasterii stipulanti, attendere & observare* cum tota ipsius fortiâ & potentiâ & virtute Castrorum & Turrium ad se spectantium, cum Populo, & militia, militia & Populo, cum armis & sine armis, si res exegerit; Exercitus & Cavalcatas ipsius propriis expensis facere, quandocumque necesse fuerit pro predictis attendendis & observandis, *& non contra facere vel venire vel attentare, sub pena mille Librarum de argento purissimo in quolibet & pro quolibet Capitulo, a predicto Sindico Monasterii solemniter stipulanti Domino Marchione solemniter promissâ, sub obligatione damnorum & expensarum.*

Ob quas promissiones supradictas per dictum Dominum factas prædictus Sindicus Monasterii Abbatiæ Vangadiciæ, nomine & parte dicti Monasterii, spontanea voluntate & speciali pacto & stipulatione convenit, & promisit Domino Marchioni stipulanti, quod supradictum Monasterium, nec ejus jurisdictionem, nec ejus aliquod in totum vel in partem, nec dominium nec quasi dominium, non donare, nec vendere, nec possessionem in predicto Monasterio alicui Universitati, Collegio, & Corpori Clericorum vel Laicorum, vel singulari personæ Seculari vel Ecclesiasticæ concedere. Et quod non permittet fieri, nec faciet fieri, & non concedere alicui vel aliquibus, Universitati, vel Corpori Clericorum vel Laicorum, & nec alicui Singulari persone Seculari vel Ecclesiastice, ad faciendam aliquam munitionem vel Castrum vel Fortezam in toto vel parte, seu loco alio ipsius Monasterii, titulo venditionis vel permutationis vel solutum dationis vel donationis, vel contractus emphyteoseos, sive libellarii, vel dationis in Feudum, vel aliquo alio titulo, qui dici vel excogitari possit, sine expressa licentia & voluntate predicti Domini Marchionis. Liceat tamen eis solitos contractus, & in solitis quantitatibus & qualitatibus facere, & cum solitis personis, & similibus, dum tamen non cum extraneis nec Potentibus. De qua licentia & voluntate appareant & apparere debeant tria publica Instrumenta manu trium Tabellionum in forma publica scripta, & in presentia trium religiosarum personarum: & sint dicta Instrumenta roborata Sigillo Domini Marchionis; & aliâ formâ dicta licentia non valeat. Asserendo dictus Sindicus nomine predicti Monasterii, quod dictum

ctum Monasterium in totum vel in partem suis jurisdictionibus & juribus nullam donationem usque in horam presentis contractus in aliquam Universitatem, Corpus, sive Collegium, vel singularem personam Ecclesiasticam vel Secularem, factam non esse. Et si contra factum esset hic retro, vel fieret deinceps contra supradicta vel aliquod supradictorum, constituit predictus Sindicus, se possidere dictum Monasterium, & omnes jurisdictiones ipsius & jura, & quasi possidere in causis predictis, & cuilibet eorum, precario nomine pro dicto Domino Marchione ex nunc sic ex tunc, ita quod super dictis omnibus seu aliquo prædictorum possit auctoritate propria, & sine cujuscumque Judicis inquisitione Secularis seu Ecclesiastici, possessionem predicti Monasterii & quasi possessionem, jurisdictionem & jurium, sicut ei quesitum, retinere, & de novo auctoritate propria ex vigore conventionis presentis acquirere, ad honorem & gloriam Virginis Mariæ, & bonum statum Monasterii supradicti.

Et insuper promisit dictus Sindicus solemni stipulatione predicto Domino Marchioni, nomine & vice Monasterii, quod predictum Monasterium faciet & curabit, quod summus Pontifex presentem contractum, & omnia & singula supradicta scripta, & infrascripta, quæ in eo continentur, confirmabit & probabit, & solemniter suam virtutem interponet. Renunciando dictus Sindicus nomine & vice dicti Monasterii exceptioni doli mali & metus, conditioni sine causa, & actioni in factum, & omni alii Legum & Juris auxilio tam Canonico quàm Civili. Juravit etiam dictus Sindicus, corporaliter tactis sacrosanctis Euangeliis in sui animam, & dicti Domini Joannis Abbatis, & omnium Monachorum & Conversorum dicti Monasterii, quæ dicta sunt de alienatione predicta non facta usque in horam presentis contractus, vera esse; & quod dictum Monasterium seu Capitulum perpetuo omnia suprascripta & infrascripta & singula habebit rata & firma.

Quæ omnia & singula promiserunt predictæ partes sibi ad invicem solemni stipulatione attendere & observare, & non contra facere vel venire sub predicta pena in quolibet & pro quolibet, hujus contractus contraventione committenda, commissa, possit exigi cum effectu, quoties contra factum fuerit, sive ventum, & eâ commissâ vel non, predicta omnia & singula permaneant firma sub obligatione bonorum cujuslibet predictorum, & sub refectione damnorum & expensarum. Asserendo dictus Sindicus sub juramento supradicto, omnia & singula supradicta, quæ in presentibus promissionibus & conventionibus continentur, acta esse in commodum & utilitatem Monasterii supradicti.

Item petiit dictus Dominus Marchio Estensis dicto Abbati & ejus Vicario, quamdam institutionem fieri in Villis Monasterii, quam porrexit dicto Abbati in scriptis sic continentem: Nos Domnus Johannes de Valvoletis Abbas dicti Monasterii, & Obizo Estensis & Ancone Marchio, statuimus & ordinamus, quod de cetero nullus habitator, terrerius vel forensis predicti Monasterii, seu Terræ Abbatiæ possit vel debeat fieri Civis, & Cittadinanziam acquirere alicujus Civitatis, Tarvisinæ, seu Lombardiæ, aliqua de caussa generali vel speciali, sive aliquo ingenio vel colore, nisi hoc processerit de speciali consensu, licentia & voluntate utriusque nostrûm, ita quod consensus unius nostrûm non excuset eum. Et qui contra fecerit vel facere attemptaverit, perpetuò banniatur de jurisdictione Abbatiæ prædictæ, & omnia ejus bona publicentur in nos Dominos supradictos. Et si captus fuerit, puniatur in pede sibi amputando. *Ad quæ omnia respondit dictus Domnus Abbas unanimiter & ejus Conversus, quod non poterat, nec valebat consentire vel obedire aliquo modo vel ratione prædictis petitionibus sine Summi Pontificis licentia, voluntate, vel consultatione; cum dictæ petitiones factæ contra justitiam & contra libertatem Ecclesiæ contra sacramentum dicti Abbatis, & jurium, honorum & jurisdictionum.... derogatione.* (Cetera desiderantur.)

Neque tantum antiquis Ecclesiarum Advocatis meritum apud Deum ob rite munus, quo fungebantur, curabatur, sed etiam accedebant temporales proventus. Quippe veteres Advocati *ab omni publica expeditione*, atque ab aliis publicis oneribus ex indulgentia Cæsarum immunes erant. Præterea consuevere Advocati quilibet ab Episcopis, Capitulis aut Abbatibus, Beneficio aliquo, sive Feudo donari in remunerationem laboris pro Ecclesia suscipiendi. Quæ Beneficia, quo præstantiores ac ditiores erant Ecclesiæ, uberiora etiam & majora fuere. Ad hæc non modica fuit ejusmodi Advocatis potestas, quandoquidem Placita iis habere licebat, in quibus ex Imperiali Privilegio Vassallis ac hominibus Ecclesiarum jus dicebant. Neque labori isti suum præmium deerat. Tunc eis ab Ecclesia cibaria decentia ministrabantur, & tertia Bannorum pars in eorum utilitatem cedebat. Ut autem est humanæ cupiditatis numquam saturari, numquam dicere satis, præter consueta stipendia non pauci ex Advocatis quotidie studebant, ut Ecclesiarum ubera, quantis possent viribus atque artibus exsugerent, hoc est nova Beneficia, (Castella videlicet, Decimas, ac prædia) ab Episcopis atque Abbatibus clientelari jure sibi possidenda impetrarent. In hanc rem multæ prostant Ecclesiasticorum virorum querelæ, ab Historicis memoratæ, a quibus recensendis compendii caussâ abstineo. Sed tum præcipue Advocatorum fames & importunitas invaluit, quum Advocati ad eum potissimùm finem cœpti sunt deligi, ut armatâ manu Ecclesiarum bona tuerentur, & ad prœlium prodirent tum contra hostes finitimos, tum adversùs reliquos usurpatores; aut quum necessitas posceret, & Cleri milites ac Vassallos ad bellum Imperator acciret, ut eis præessent, ipsosque in aciem ductarent. Propterea Proceres & Magnates in conferenda Advocatia ceteris præferre mos deinde fuit. Erat autem Advocatorum in hisce expeditionibus Vexillum Ecclesiæ deferre, unde etiam *Signiferi* & *Confanonerii* sunt appellati. Debebatur sua merces viris, tot pericula pro Ecclesia adeuntibus, & Ecclesiarum defensionem cuicumque negotio suo anteferentibus. Et procul dubio ad eam petendam segnes non fuere Advocati, ita ut oneri tamdem esse cœperit clientibus suis illorum aviditas. Nolo pluribus distinere Lectorem, sed potiùs testem eorum, quæ dixi, proferre Diploma Henrici II. Augusti, quod ex authentico existente in Archivo antiquissimi Monasterii Veronensis Sancti Zenonis depromsi.

Henrici


Henrici inter Imperatores Secundi Diploma, quo duos Advocatos cum variis juribus ac Privilegiis concedit Monasterio Veronensi Sancti Zenonis, Anno 1050.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis*. Heinricus *divina favente elementia* Romanorum Imperator Augustus. *Imperialem sublimitatem condecet, ut quanto ceteris dignitatibus excelsior colitur, tanto justis peticionibus Deo servientium benignior nec non clementior inveniatur. Quapropter notum esse volumus omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrisque fidelibus tam futuris quàm præsentibus, qualiter* Abbas Michaël Monasterii Sancti Zenonis Martyris, *nostram clementiam suppliciter exorando adiit, ob amorem Dei omnipotentis, beatique Zenonis Martyris reverentiam multum nos deprecans, quod de rebus Ecclesiæ Sancti Zenonis Monasterii, quas nostra ei concessit pietas, ab invasoribus non modicum patitur dispendium. Unde deprecatus est*, ut ex nostris Fidelibus duos ei concederemus Advocatos, Berifredum videlicet, & David, qui causam Monasterii procurent Advocationis gratiâ. *Nos verò justis ejus petitionibus consentientes, pro remedio animæ nostræ, & ob interventum dilectissimæ* Conjugis nostræ Imperatricis Agnetis, *& propter incrementum* filii nostri Heinrici Quarti Regis, *predicto Monasterio concedendo confirmamus, hac serenitatis nostræ Literas censuimus fieri*: quibus precipimus, ut memorati Vassalli nostri in quibuslibet Comitatibus seu Pagis Advocati illius existant de rebus supradictæ Ecclesiæ, Castris, Arimannis, seu Famulis, & in qui- A buscumque necessitas postulaverit, nullusque eis ad hoc exercendum opus aliquit contradicere præsumat. Sed sic huic rei studeant, ne per aliquam injuriam jam dictæ Ecclesiæ minuentur facultates. Jubemus quoque, ut ubi necessitas postulaverit, & utilitas dictaverit, ut in illorum bonis, hac possessionibus, Arimannis, vel famulis, neque Dux, neque Marchio, neque Comes, aut aliqua major vel minor persona nullo modo potestatem habeat placitandi, aut aliquod districtum habendi, vel Noticias aut Cartas faciendi, excepto prenominatis Advocatis Michaëlis Abbatis, suorumque Successorum. Concedimus potestatem placitandi, & Notitias vel Cartas faciendi in omnibus rebus, hac possessionibus Sancti Zenonis B Monasterii, eo tantùm videlicet ordine, ut jam supradicti Advocati de omni generali Placito, semel in anno facto, terciam porcionem in beneficia suæ militiæ consequantur, excepto de Parona, & Cassano, & Villa. Si ultra hoc beneficium aliqua importunitate Monasterium quovis ingenio molestare, aut inquietare temptaverint, tamen Abbas nostræ auctoritatis robore fretus, indubitanter habeat potestatem illis auferre dominium pariter cum beneficio, & aliis Fidelibus providâ dispensatione concedere; & insuper de importunitate minime refrenata, quinquaginta Libras auri sciant se composituros, medietatem &c.

Signum Domni Heinrici Tercii



Regis invictissimi, Secundi Romanorum Imperatoris Augusti.



Sigillum cereum, inscriptione partim corrosâ.



Gunterius Cancellarius, vice Herimanni Archicancellarii recognovit.

Data III. Idus Novembris, Anno Dominicæ Incarnationis ML. Indictione IIII. Anno Domni Heinrici Tercii Regis, Imperatoris autem Secundi, ordinationis ejus XXIIII. Regni quidem XIII. Imperii verò IIII.

Actum Veronæ in Dei nomine feliciter.

Viden, duos heic *Advocatos* concedi Veronensi Cœnobio? Facultatem hanc, ut supra vidimus, Carolus Magnus Episcopis largitus est, utendi nempe pluribus Advocatis; eamque Lotharius I. Augustus in Lege XVIII. Langobardor. ad Abbates quoque extendit, ita statuens: *Singulis Episcopis, Abbatibus & Abbatissis duos concedimus Advocatos: unum, qui caussas procuret, alterum qui sacramentum de- C ducat. Eosque, quamdiu Advocationem tenuerint, ab hoste relaxamus*. Ecce unum e privilegiis, quibus Ecclesiarum Advocati olim fruebantur. Porro indultum illud fuit, quo tempore eligebantur ad id muneris viri Legum periti, potius quam militares, uti subsequutis temporibus factum est. Repeto nunc Diploma nuper editum Henrici II. ut studiose animadvertat Lector, exclusos fuisse *Duces, Marchiones*,

nes, *& Comites*, *a placitando*, *aut aliquod districtum habendo*, *& Notitias vel Chartas faciendo* in bonis illius Cœnobii. Hoc enim jus Advocatis ejusdem reservatur. Insuper decernit Henricus, *ut supradicti Advocati de omni generali Placito*, *semel in anno facto*, *tertiam portionem* (idest bannorum, sive multarum) *in beneficia suæ militiæ consequantur*. Tum ad horum reprimendam cupiditatem addit Imperator: *Si ultra hoc beneficium aliquâ importunitate Monasterium quovis ingenio molestare*, *aut inquietare tentaverint, tamen Abbas nostræ auctoritatis robore fretus*, *indubitanter habeat potestatem illis auferre Dominium pariter cum Beneficio*, *& aliis Fidelibus providâ dispensatione concedere*. *Et insuper de importunitate minime refrenatâ quinquaginta Libras auri sciant se compposituros*. Mirum videatur, quei Abbatibus implorandum foret Cæsarum præsidium, ut Advocatos ministros suos in officio continerent. Sed jam eo prolapsa res erat. Advocatia speciem dominationis assumserat, disertisque verbis *Dominium* heic appellatur. Quare luctandum sæpe Monachis fuit cum Advocatis suis; ideoque ad cautelam imploratum est Imperiale subsidium, & pænæ iis propositæ, si ultra pacta gravarent Ecclesiam. Eoque magis implorandum fuit Imperatorum præsidium; quippe tempora fuere, quibus Imperatores titulum ipsum ac munus Advocati Ecclesiarum, veluti nomine Feudi, Laicis viris elargiebantur. Propterea quum Fridericus I. Augustus Germanico Monasterio Uslerstalensi (hujus situm eruditis Germanis designandum relinquo) Privilegium concederet, *Advocatorum* impotentiam hisce verbis repressit: *Nos deinde Uslerstal accedentes*, *super Altare beatæ Dei Genitricis Mariæ eidem Allodium contradidimus*, *ita sane quod nullus omnino jus Advocatiæ vel aliam potestatem ibi habeat vel exercere præsumat*, *præter Abbatem Monasterii illius loci*. Inserta sunt hæc verba in Diplomate Adolfi Romanorum Regis, cujus me participem fecit nobilis olim ac humanissimus vir Octavius Angelus de Abramo, Canonicus Primatialis Pisanæ. Illud autem si tenebris ereptum volo, nemini molestum, immo Literatis Germanis gratum futurum esse confido.

Confirmatio Privilegiorum facta Monasterio Uslerstalensi Ordinis Cisterciensium, ab Adulpho Rege Romanorum, circiter Annum 1293.

ADolfus *Dei gratiâ* Romanorum Rex semper Augustus. *Universis sacri Romani Imperii fidelibus*, *præsentes Literas inspecturis gratiam & omne bonum*. *Binorum Imperatorum & Regum Romanorum nostrorum Predecessorum devotionem catholicam imitari corde piissimo cupientes*, *Loca Religiosa ad ampliationem divini cultus ab ipsis devote plantata*, *beneficiis cumulata*, *& convenientibus libertatibus condonata*, *intendimus suis juribus & libertatibus conservare*, *& gratiosius confovere*. *Cum itaque religiosi viri* Berlatus Abbas, & Conventus Monasterii in Urlestal, Cisterciensis Ordinis, *ad nostræ Majestatis culmen humiliter accedentes*, *a nostra magnificentia perpetuæ paci suæ petierunt suppliciter provideri*, *suasque libertates & Privilegia confirmari*, *& de benignitate Regia innovari*; *nostris conspectibus quoque exhibuerunt Privilegia subnotata*. *Primo videlicet Privilegium sue primarie fundationis*, *sub sigillo* Rabodonis, *quondam* Spirensis Episcopi *conscriptum*, *quod sic incipit*: Facile a memoria *&c.* *In quo*, *descripto Monasterii Fundo ab eodem Episcopo*, *& duobus germanis ejus* Armanno Comite de Lodenburg, & Ottone Comite de Alreheim, *eidem Cœnobio collato*, *hec clausula subjuncta*: Silveque adjacentis eidem Fundo, que vulgari linguâ Almende nominatur, quam . . . . frequentant, que juris nostri, sicut & illorum esse dignoscitur, communionem, & omnem utilitatem Fratribus tradimus, pasturam animalium tam equorum quàm armentorum, ovium & porcorum. *Et deinde subinfertur*: jura scilicet civilia eidem Fundo competentia a progenitoribus nostris tradita, huic Carte dignum duximus inserenda, ne fortè succedente tempore excidant a memoria, si quando propter extraneos seu vastatores, communis Silva, cujus superius fecimus mentionem, custodienda est a forinsecis rusticis, duo Custodes ab Abbate & rusticis, qui sunt in Valle, tertius accipiendus est; si quid vadimonii retentum fuerit, tertia pars Abbati & rusticis, qui sunt in Valle, dabitur, duæ partes dabuntur rusticis, qui intrinsecus morantur. *Item Privilegium magnifici* Friderici Romanorum Imperatoris Augusti, *sic incipiens*: Si Ecclesiis & Ecclesiasticis viris *&c.* *In qua premissâ donatione atque descriptione Allodii supradicti Cœnobii*, *in persona Imperatoris gloriosissimi prenotati hec clausula est annexa*: Nos deinde Uslerstal accedentes, super Altare beate Dei Genitricis Marie, eidem Allodium contradidimus ita sane, quod nullus omnino jus Advocatie, vel aliam potestatem ibi habeat vel exercere presumat, preter Abbatem Monasterii illius Loci. *Et quibusdam interpositis subinfertur*: Omnem quoque Almende supradicti Allodii in quolibet genere utilitatis sue, super idem Altare de Uslerstal contradidimus, sicut predicti largitores habuisse dignoscuntur, & prescripto Ordini libere contulisse. *Item Privilegium divi* Imperatoris Romanorum Heinrici, *sic incipiens*: Si Ecclesiis *&c.* *& hanc clausulam continens*: Preter ea, que dicta sunt, omnem Almende predictorum locorum, cum omni genere utilitatis sue cum universis bonis & possessionibus suis, quas eidem Monasterio diva memoria Patris nostri Friderici Romanorum Imperatoris semper Augusti contradidit, & suis Privilegiis confirmavit, nos Imperiali auctoritate corroboramus, & presenti paginâ confirmamus. *Item Privilegium* Heinrici Romanorum Regis, *quod sic incipit*: Talentum cum lucro *&c.* *In quo hec diffinitiva sententia est descripta*: Sententialiter ordinavimus, & juxta prelibatorum tenorem Privilegiorum, firmum esse decrevimus, ut Silva in fundo prefati Monasterii adjacenti, de quo fuit contentio, Conventus ipse ad omnem suam utilitatem liberam habeant communionem. Ceterum si quando propter extraneos, seu vastatores communis Silva custodienda est, secundùm quod in fundationis Privilegio est ordinatum, teneat. *Item Privilegium invictissimi* Regis Romanorum Rudolfi *illustris*, *quod sic incipit*: Regalis excellentia *&c.* *In quo cum prescripto Privilegio Imperatoris Friderici jam premissa Regis Henrici sententia confirmatur*, *& favorabiliter innovatur*. *Item aliud Privilegium ejusdem Predecessoris nostri*, *quod sic incipit*: Accedens jam pridem *&c.* *In quo ab ipso Predecessore nostro dive recordationis* Rudolfo *appro-*

approbatur , & de certa scientia confirmatur sententia arbitraria ac diffinitiva a strenuo viro Heinrico de Bannaker Milite , & quatuor aliis Coarbitris , in eodem Privilegio nominatis , juxta formam compromissi in ipsos facti , & tenorem prescriptorum Privilegiorum pro Monasterio lata ; quod videlicet absque omni ambiguitate & scrupulo Abbas & Conventus Uslerstalensis Monasterii antedicti , ad omnem sui utilitatem , tam sectionem lignorum quorumcumque , quàm pasturam quorumlibet animalium , communionem Almende predicte absque contradictione & prohibitione qualibet , sicut & rustici , libere nancisu debeant , & ipsis uti : ac quod rustici predicti quidquid juris in communione Silve prefate sibimet vindicant , & se ipsos habere fatentur , id ipsum & omnino consimile per omnia debeant Abbati & Conventui recognoscere , & illibatum pacifice observare . A quibus arbitris parti dicto Monasterio adversanti silentium perpetuum in hac causa est impositum & indictum , prout in Instrumento pronuntiationis eorumdem Arbitrorum , sub eorum sigillis confecto , plenius continetur . Nos predictis omnibus Privilegiis diligenter perspectis , & lucide intellectis , pie considerationis oculum advertentes , quod ex eo quod religiosi viri Abbas & Conventus predicti Regalibus obsequiis & Imperialium Insigniorum custodiis , ab antiquo a nostris Predecessoribus , atque nobis , sunt specialiter deputati ; ad ipsos debet nostræ benignitatis favor specialius inclinari , omnia predicta Privilegia , & contenta in eisdem , sicut perinde sunt concessa , ratificamus , approbamus , innovamus , & presentis scripti patrocinio confirmamus . Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ ratificationis , approbationis , innovationis , & confirmationis paginam infirmare , vel ei ausu temerario in aliquo contraire . Quod qui facere presumserit , se gravem nostræ Majestatis offensam noverit incurrisse , & mulctandum pena , que in Privilegiis antescriptis Dominorum Imperatorum Friderici , & Heinrici hujusmodi transgressoribus & injuratoribus est inflicta , in premissis omnibus nostro & Imperii jure penitus tamen salvo .

Datum Spiræ . . . . . Reliqua desiderantur .

A

Quid præstarent etiam Ecclesiis antiqui illi Advocati , nobis enarrabit Donizo Monachus in Vita Mathildis Comitissæ Cap. postremo . Nam inclytæ illius Principissæ morte indicatâ hæc subdit , quibus quoque confirmatur quidquid *de caussis imminutæ Ecclesiasticorum potentiæ* in Differtat. LXXII. dicturus sum de raptoribus Ecclesiastici patrimonii .

Stabant ô quanti crudeles atque Tyranni
Sub specie justâ , noscentes te fore justam !
Qui dissolvuntur, jam pacis fœdera rumpunt ,
Ecclesias spoliant . Nunc nemo vindicat ipsas .
Si quis se forsan, Tutor quod sit quasi, monstrat,
Ecclesiæ partem terræ grandem prius aufert .

B

Ejusmodi Advocatorum impotentiam ultra non tulit Walricus Patriarcha Aquilejensis, ac proinde eos coëgit eo munere se abdicare, uti constat e prælaudati Friderici I. Diplomate Anni MCLXXVII. apud Ughellium Tom. V. Italiæ Sacræ, ubi hæc leguntur: *Præterea sicut Burohardus Aquilejensis Ecclesiæ Advocatus , & postea Henricus placitum Advocatiæ in manu Patriarchæ* Walrici *pro se & successoribus refutarunt super omnibus bonis Aquilejensi Ecclesiæ pertinentibus ; ita & nos Placitum , districtum , & cetera ejusmodi jura eidem Ecclesiæ Imperialis auctoritatis statuto confirmamus .* Chartam quoque adfert Ughellius , in qua Advocati predicti suo jure ac munere cedunt. Accedat nunc & altera Charta , in qua constitutum videas , quod jure Feudi Olivolense Monasterium olim concesserit Advocato suo nuper electo , simulque formulam habebis , qua ille Dominico Contareno Venetiarum Duci , ejusdemque Cœnobii Abbati , jusjurandum præstitit fidelitatis . Antiquum apographum adservatur in Archivo celeberrimi Monasterii Patavini Benedictinorum Sanctæ Justinæ .

C

Promissio recte exercendi jus Advocatiæ pro Monasterio Sancti Hilarii Olivolensis, facta ab Uberto de Fontannive Duci Venetiarum Dominico Contareno, & Johanni Abbati ejusdem Monasterii , Anno 1064.

I*N nomine Dei eterni . Amen . Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi MLXIV. Quinto Calendas Septembris , Indictione II. Quia vos quidem* Dominicus Contareno *Dei gratiâ* Venetie , Dalmatieque Dux , Imperialis Magister , *atque* Domnus Johannes Abbas Cenobii beatorum Sanctorum Hilarii & Benedicti , quod est positum in territorio Ollivolensi , super flumen quod dicitur Hune: concedistis mihi Uberto filio Ariprandi de loco Fontannive esse me Advocato per vestram inventionem & jussionem de prenominato vestro Cenobio , quod est proprie de vestro Ducatu: unde promittens promitto ego prenominato Uberto filio quondam Eriprandi cum meis heredibus vobis supradicto Domno Dominico Contareno inclito Duci , atque Domno Johanni Abbati ejusdem Cenobii , & Successoribus vestris , amodo in antea usque dum Advocatore sum ejusdem vestri Cenobii per vestrum consensum in omnibus factis vel pertinentiis ejus , quomodocumque ad prefatum Cenobium pertinet , ab intus & foris Advocatore & Defensore , esse promitto secundùm quod valuero & potuero, sive ante presentiam Imperatoris, quàm & Ducis , Marchionis , & Episcopi , Comitis, sive coram omnibus hominibus , ut valuero & potuero , sine fraude & bono ingenio , tam in istis pertinentiis , que modò retinent , verùm etiam in antea pro qualicumque ratione de res ejusdem Cenobii invenire potuero . Pro nullo amore parentum vel amicorum, neque pro ullo servitio de hoc , ut supra dixi , me subtrahere debeo , sed semper constans & fidelis esse promitto in omnibus, ut supra legitur, ad honorem vestrum & de prefato vestro Cenobio . *Nam verò per vestrum honorem & meæ fidelitatis, usque dum Advocatore sum de prefato vestro Cenobio preferendum , concedistis mihi in loco , qui dicitur Nogariola , cum Silva , que dicitur Galianiga, & loco ubi dicitur Fossa Liniaria, & locum ubi dicitur Pedriadulo, & loco cum Silva, ubi dicitur Flexen , cum suis justis & certis finibus ac terminibus seu circumdatis lateribus , hoc est de supra nominatis locis : primo latere desuper publica antiqua , que pergit de ipso loco supradicto Nogariola & erunt fines inter ipsam Nogariola & subter : & locum* qui

D

E

qui dicitur Perayrolo desuper, secundo latus Fossano percurrente in fossa, que dicitur Redosa, tertio latus fluvio, qui dicitur Jerrola percurrente, quarto latus de subtus vado, qui dicitur Mizuro. Infra istis partibus necessariis, que per feudum mihi concedistis, ut supra legitur, sunt quatuor Massaritie; sive & alios quamque & idem sunt, & unum Molendinum, quod est allevandum in fossa, que dicitur Fossalta. Hee supradicte Massaritiis cum prefato Molendino, quod est ad levandum, cum omnibus ejus pertinentiis ab intus & foris usque dum vester Advocatore sum, in mea debet esse potestate. Et si in supradictis silvis spatium aliquod fecero, ad amplificandum territoriis vel massaritiis, campis aut pratis: due partes inde sint de prefato vestro Cenobio, & tertia mihi prope Feudum, eo ordine, ut supra legitur. Et si in predictis silvis vobis opus vel necesse fuerit, ligna incidere pro aliquo vestro servitio, in vestra sit potestate faciendi quodcumque vobis placuerit. Nam verò statutum est inter nos. Quod si aliquam fraudem in me videritis de hoc esse, quod supra legitur, supradicta investitione in vestra transacte debeat esse in potestate cum supradicto ...... ut supra legitur, observare promitto. Quod si non observavero, & non adimplevero omnia, quæ ut supra legitur, & si recte cum bona fidelitate non valuero & potuero, prefato vestro Cenobio non sum Advocatore & Defensore, ut supra dixi, nec eo amplius de pertinentiis ejusdem Cenobii invidere aut retinere voluero pro aliquo ingenio, nam tantumodo quod mihi concessum habetis, ut supra legitur. *Et si recte hoc non observavero, & vos mihi in hoc, quod supra legitur, condiceritis, & ego me tacitus & separatus esse voluero, omnibus modis componere promitto cum meis heredibus, vobis & successoribus vestris auri optimi Libras decem,*

Signum ✠ manus suprascripto Domnus Uberto Advocatore, qui hanc Cartulam promissionis fieri rogavit, & ab eo relecta est.

Signum ✠✠ manibus suprascripto Richardo filius Rodulfi, & Richardo Grimaldi testes.

Ego Johannes Notarius, qui dicitur Bovino, scriptor hujus Cartule promissionis post traditam complevi.

Præterea omnibus ejusmodi Advocatis mos, immo obligatio fuit, sacramentum præstare fidelitatis clienti suo; eoque titulo exploratum est, vel ipsos Romanorum Imperatores consuevisse idem sacramentum dicere Romanis Pontificibus, ex quo singulares Romanæ Ecclesiæ Advocati ac Defensores esse cœperunt. Sed progrediamur. Illud præ ceteris animadvertendum est, multis in locis Advocatiæ munus stabile factum fuisse in una Familia, & Feudorum ad instar in liberos ac descendentes transiisse. Id contigit vel ex industriâ Advocatorum ipsorum, qui ad posteros suos officium ac beneficium istud transferendum enixe curarunt; aut etiam Episcoporum & Abbatum provido consilio, ne in novos Tutores nova liberalitas exercenda aliaque Feuda iis conferenda forent. Porro inter Ecclesiarum Advocatos in Italia famosum fortasse præ ceteris sibi peperere nomen in Civitate Tarvisina illius Ecclesiæ Advocati, qui & *Advocarii*, *Avogarii*, & *Avogadri* aliquando appellabantur. Scilicet pro *Advocatia* aliquando dictum est *Advogaria*; quare postea nonnullis familiis ex hoc ipso munere adhæsit cognomen *De gli Avogadri*. Bella, seditiones, ac nobilitatem Advocatorum Tarvisinæ Ecclesiæ habes in Historiis Patavinis, atque in Tarvisina Johannis Bonifacii. Primo *Tempesta* Familia, deinde *Azzonum*, ejusmodi munere, & quidem hereditario, functa est; atque illius gratiâ ab Ecclesiâ Tarvisinâ Feudali titulo receperunt *Terras de Anoali, de Bormignana, de Abriana, de Mazacavallo, de Ruigo, Zumignana, Vigosollo, Damiseno, Tascenigo cum Decimis & Novalibus ad usum opulentum dictæ Dignitatis*: ut habent monumenta evulgata in controversia inter Tarvisinos & Acelanos (nunc *gli Asolani*) nuper agitatâ. Mutinæ quoque sunt, quæ persuadeant, olim hujusmodi prærogativâ ornatam fuisse Familiam *de Balugola*, cui cognomen accessit a loco olim sito ad Scultennam fluvium in finibus Gombolæ & Friniani ultra Guilliam. Gaspar Sillingardus in Catalogo Episcoporum Mutinensium, & post eum Ughellius in Italiæ Sacræ Tomo 2. Chartam adferunt, Anno MCXXVI. scriptam, per quam *Dodo Dei gratiâ Mutinensis Episcopus investivit Rainerium Advocatum, & Guizardum, & Ubertum fratres, filios Domini Rothechildi Advocati, de Roccha Sanctæ Mariæ* &c. Erravit Sillingardus, putans, Castellum sive Arcem illam feudali jure fuisse concessam *nobilibus de Advocatis*. Erant ii *de Familia de Balugola*: natu autem major Advocatus Episcopi fuit. Anno Christi MCCXXIII. ut ex authenticis tabulis constat, in Tabulario Canonicorum Mutinensium adservatis, *Gulielmus Episcopus Mutinensis* eamdem Roccham Sanctæ Mariæ confirmavit *filiis Tavivani de Balugola, recipientibus pro se & omnibus aliis de Balugola, cum usantiis, quas dicti Domini, & eorum Majores habuerunt & tenuerunt a Domino Episcopo Mutinensi* &c. Ad hanc autem Familiam, atque, ut opinor, non aliâ ratione, quàm Advocatiæ, spectabat olim, novum Episcopum Mutinensem in equo insidentem deducere *a Porta Civitatis usque ante fores Ecclesiæ Majoris*, hinc inde equi habenas manibus tuendo. *Addestrare* Italica Lingua appellat regere equum Principum atque Magnatum. Ad eos quoque pertinebat hastas deferre umbellæ, sive *Baldechini*, quod super Episcopum eâ occasione portabatur. Episcopo ad ostium Templi maximi deducto, equus gradarius (*Palafrenum* nuncupabant) super quem Episcopus processerat, cedebat in jus nobilium de Balugola. Præterea illis commendata fuit *custodia camporum Duellorum*, quoties nempe in terra Episcopi peragebatur singulare aliquod certamen. Cogebantur pugnatores Custodibus hisce persolvere *Libras septem Imperiales, & unum Imperiale*; atque insuper nobiles isti lucrabantur *arma illius*, qui in campo succumbebat, aut deteriorem partem habebat. Hæc omnia illi jure Feudi ab Episcopis Mutinæ acceperant. In Diplomate Conradi II. Italiæ Regis, Anni Christi MCLI. pag. 168. Tomi 2. Bullarii Casinensis, lego *Fodrum, Albergariam, & Districtum, Bannum, Placitum, Assaltum, & cetera, quæ Regis sunt*. Voce *Assaltus* veri videtur simile, significari Custodiam, ut nuper dixi, Pugnantium singulari certamine. Eadem verò simul indicia sunt, Advocatiam Mutinensis Ecclesiæ Familiæ de Balugola aliquando fuisse commissam. An diu continuatum fuerit in iis ejusmodi munus, nulla documenta legi, quæ id ostendant. At certe diu perseverarunt apud eos honores & Feuda collata ab Episcopis.

pis. Cui rei, uti & moribus antiquorum temporum, lucem afferet Charta ab Aliprando de Balugola Anno MDCXII. Mutinæ edita in Opusculo de Familiâ suâ, spectans ad Annum MCCLXXXIII. quam utilem huic loco censui.

Investitura seu confirmatio Feudorum & jurium data filiis Francisci de Balugola ab Arditione Episcopo Mutinensi, Anno 1283.

ANno a Nativitate Christi MCCLXXXIII. Indictione XI. die Mercurii XIV. intrante Martio. In Christi nomine. Cum a Dominis Rainerio, Gerardo, Racese, Pipione, Lanfranchino, Richerio, Zopillarino, & Zaccharia filiis quondam Francisci de Balugola, etiam cum instantia petatur, ut venerabilis pater Dei gratiâ Episcopus investiret eosdem de Feudo, quod habent ab Episcopatu Mutinæ, quando primo consecratus intrat Palatium Episcopatus, dictis Balugulis ducentibus per frenum equum ipsius Domini Episcopi a Porta Civitatis, usque ante fores Ecclesiæ Majoris, eodem super sedente: & pariter, ut super custodia Camporum Duellorum habeant Libras septem Imperiales, & unum Imperiale, & arma illius, qui succubuerit, vel etiam in campo deteriorem partem habuerit: & de aliis Feudis antiquis; qui dicebant se habere paratas plures Chartas Instrumentorum, & testium, antiquitus productorum.

Et primo, sicut venerabilis pater Dominus Guielmus *Dei gratiâ* Mutinæ Episcopus *fecit, & constituit Gerardum de Ricò de Albareto suum Nuntium & Procuratorem in causa, quam habet cum illis de Balugula, sive cum Baluganis, sub examine Domini Zanelli Zacaghi, & Domini Gerardi Urioni,* super facto Equi sive Palafreni, quem ei videntur postulare. *Actum MCCXXII. Sexto Octobris per Albericum Notarium.*

Item aliud Instrumentum traditum isto Anno, sicut Domini de Balugula constituerunt Dominum Lanfranchinum eorum Procuratorem in causa, quam habent cum Domino Episcopo super facto Equi & de Feudo, *traditum per Lazarium de Palermo.*

Item aliud Instrumentum, sicut Dominus Guilielmus Mutinæ Episcopus una cum Campiolo, & Zopellarino de Balugula pro se & consortibus suis elegerunt in communi concordia Dominum Zinellum Zacagum, & Gerardum de Honoribus, Procuratores Curiæ Episcopatus Mutinæ, ad cognoscendum super facto Palafreni, quem dicunt ad ipsos pertinere per Feudum.

Item Libellum authenticum, in quo petebant prædicti pro illis de Balugula, ut pronuntietur Palafrenum, quem equitat Dominus Episcopus, cum primo ascendit Palatium, rediens a consecratione & item ut de cetero omnes Episcopi illum Palafrenum dare tenentur. *Actum & Scriptum per Albericum Zanellum Notarium MCCXXII. de Mense Decembris.*

Item testes productos in prædicta caussa, in quibus evidenter probatur, quod illi de Balugula debent habere ipsum Palafrenum: *scriptos per ipsum Albericum Zanellum Notarium, qui ipsos authenticavit & jurare fecit MCCXXIII.*

Item, sicut prædicti Domini de Balugula habent a dicto Domino Episcopo Mutinæ in Feudum Custodiam Camporum Duellorum, in prædictis testes productos per ipsos de Balugola super prædicto facto. *In quibus probant, quod prædicti habent in Feudum a Domino Episcopo Mutinæ: Scriptos manu Petrizzoli de Sancto Marino Notarii* Domini Bernardini de Cornazzano Potestatis Mutinæ, *MCCXXVIII. Indictione I. per Johannem Angelicum Notarium.*

Item alios quamplures testes receptos precepto Domini Boccaccii Bremæ Potestatis Mutinæ *MCCXXI. Indictione IX. per Johannem Angelicum Notarium.*

Item alios quamplures testes receptos super eodem facto MCCXLVII. Item sicut coram Domino Boccaccio Brema Potestate Mutinæ Arditio promisit Domino Zopillarino dare arma. Item sicut Dominus Bernardinus de Cornazzano Potestas Mutinæ dixit, quod Domini de Balugola debent habere arma Ubertacii, qui amiserat Duellum: *scriptum MCCXXVIII. per Bonifacium Regale.*

Item sicut venerabilis pater Dominus Albertus Mutinæ Episcopus *confessus fuit, quod* illi de Balugula debeant habere Libras septem Imperiales & unum Imperiale, occasione Duelli facti a Gerardo cum Guidone. *Quos denarios ipse Episcopus habebat penes se. Et sicut prædicti de Balugula confessi fuerunt se habuisse prædictas septem Libras Imperiales, & unum Imperiale, MCCXXXVIII. Indictione XI. Scriptum manu Bonifacii Aspectati Notarii.*

Item Sententia lata super hoc, quod ipsi debebant habere arma Bernardini Becceti, qui amisit Duellum, *per sententiam latam MCCXXVII. per Dominum Bernardinum de Cornazzano Potestatem Mutinæ, scriptam per Bonifacium Aspectatum Notarium.*

Item affirmantes prædicti de Balugula, quod quamplura alia jura super hoc habebant, sed amiserant, quando Balugula combusta fuit, & etiam nuperrime propter combustionem Beccariorum, testes produxerunt in causa Palafreni *Reverendi patris* Domini Arditionis *Dei gratiâ* Mutinæ Episcopi. *Unde ex prædictis omnibus dicebant, prædictum Dominum Episcopum debere admittere petitionem eorum, cum non sit Feudum novum, sed antiquum, & eos investire* de Feudo ipsius Palafreni, *de cetero in futurum habendi,* ducentibus prædictis Balugulis per frenum Equum ipsius Domini Episcopi a Porta Civitatis usque ante fores Ecclesiæ Majoris, Domino Episcopo supersedente. Et de Custodia Camporum; *salvis omnibus juribus prædictis de Balugulis in aliis Feudis, quæ dicunt se habere debere, si ostenderint, & habere debere alia Feuda a prædicto venerabile patre Domino Episcopo.*

Quare idem venerandus Pater nolens a juris tramite deviare, nec contra canonicas & legitimas sanctiones in aliquo procedere, sed eas omnimodo observare, videns, quod justum est justis petitionibus subjectorum annuere, in quantum potest, per Annulum, quem in suis tenebat manibus, investivit supradictos de Balugula, *recipientes pro se & consortibus suis* de suprascriptis Feudis, *quatenus de jure potest, secundùm jura & canonicas sanctiones. Ita quod non sit contra formam sacramenti præstiti per ipsum Dominum Episcopum Domino Archiepiscopo Ravennati, in quo continetur, quod non possit alienare de novo. Et de omni Feudo antiquo, quod consueti sunt antiquitus habere ab Episcopo Mutinæ, præstito ipsi Domino Episcopo a prædictis Dominis sacramento fidelitatis, quod præstare debent*

debent Vassalli Dominis suis, pro se & suis successoribus in hunc modum. Quod ipsi juraverunt ad sancta Dei Evangelia corporaliter tacta, quod ab hac hora in antea usque ad finem vitæ suæ fideles erunt venerabili Patri Domino Arditioni *Dei gratiâ* Episcopo Mutinæ, *& Episcopis suis successoribus, canonice ingredientibus, contra omnem hominem, Collegium, vel Universitatem de Mundo. Et numquam scienter erunt in consilio vel in facto, quod ipse amittat vitam vel membrum aliquod, vel mala captione capiatur, vel quod recipiat in persona aliquam læsionem vel injuriam, vel amittat aliquem honorem, quem nunc habet, vel habere debet, vel in antea possidebat. Et si sciverint vel audient de aliquo, vel aliquod supradictorum contra eum fieri, pro posse eorum, ut non fiat, impedimentum præstabunt; & si impedimentum præstare nequiverint, dicto Domino Episcopo suum auxilium præstabunt. Et si contigerit, quod ipse rem aliquam, quam habet, vel habebit, injuste vel fortuito casu amittat, eam recuperare curabunt, & recuperatam omni tempore retinere. Et si sciverint, ipsum velle juste contra aliquem procedere, & in specialitate vel generalitate fuerint requisiti, ipsi Domino Episcopo suum, sicut poterunt, auxilium præstabunt. Et si aliquod in secretum eis ab ipso Domino Episcopo manifestabitur, illud sine sua licentia nemini pandent, vel quod pandatur non facient. Et si consilium eis ab ipso Domino Episcopo super aliquo facto postulatum fuerit, illud ei dabunt consilium, quod eis videbitur magis expedire, & nunquam scienter aliquid facient, quod pertineat ad suam injuriam vel contumeliam. Et alia & singula facient, quæ Vassalli facere tenentur & debent suo Domino. Sic Deus eos adjuvet. Ad sancta Dei Evangelia promittentes, quod rata & firma habebunt supradicta omni tempore & contra non venient, sub expressa obligatione omnium bonorum suorum.*

Actum in Palatio Episcopali Mutinæ, præsentibus Nicolao de Mattarello, Gerardo Carepto, Domino Petrino Præceptore Templi de Mutina, Domino Piloguero de Pilogueris Canonico Mutinæ, Domino Ritonello Archipresbytero Plebis de Pulinago, & Vicario ipsius Domini Episcopi, Domino Bazalerio de Montegarullo, Jacobino filio Domini Martini Precenarii, Zordano filio quondam Domini Azzoboni de Gorzano, Domino Thomasino filio Domini Philippi de Pedochis, Petrano de Retibus Becerario, & Ghibertono filio quondam Petri de Savignano.

In præsentia supradictorum testium & ipsorum de Balugula, ante aliquam investituram factam ipsis de Balugula, Dominus Arditio Dei gratiâ Episcopus Mutinæ dixit, quod intendit investire de Feudo antiquo, non de novo Feudo, vel in aliquo venire contra leges vel canonicas sanctiones: & sub hac conditione, si Feudum erat antiquum, supradictos de Balugula investiebat, secundùm quod continetur in Instrumento per me Notarium tradito, & aliter non.

Ego Bartholomæus de Berilariis Notarius scripsi.

In desuetudinem abiere multis in Italiæ Urbibus, & non unâ de causâ ritus varii ad solennem Episcoporum novorum ingressum, olim familiares, quo tempore aut Episcopi ipsi Civitatibus dominabantur, aut in Republica illustrem locum tenebant. Proinde excidit etiam prærogativa, Familiis aliquot olim reservata, A deducendi novum Præsulem ad Cathedralem Basilicam. Eam tamen Mediolani constantissime adhuc retinet post tot temporum ac rerum vicessitudines nobilis Familia *Confaloneria*. Nam quotiescumque novus aliquis Archiepiscopus Mediolanum solenni ritu ac processu, universis Magistratibus, Clero, ac Populo stipatus intrat, quotquot viri in ea gente numerantur, ad illum deducendum ex privilegio singulari accersuntur. Singuli, uti egomet spectator vidi, tunc rubris omnibus vestibus induti, tam Sæculares, quàm Ecclesiastici, pars equum Antistitis regunt, pars hastilia umbellæ deferunt, quam & subinde lucrantur; reliqui verò præcedunt. Hos quoque *Advocatiali* titulo B atque officio olim donatos, Mediolanensi Ecclesiæ suam operam præstitisse, Cognomen ipsum indicare videtur. Nam *Confalonerios*, sive *Confanonerios*, appellatos credere par est, quod *Confanonem*, hoc est *Vexillum Archiepiscopi* antiquitus in bello atque in solennitatibus gestarent: quæ prærogativa, ut supra memoravi, Advocatis Ecclesiarum deferri consuevit. Idem dicendum de *Confaloneriis* Ticinensibus ac Placentinis. Dubius tamen sum, num eodem munere, quo nunc funguntur *Confanonerii* Mediolanenses, aliæ ante eos familiæ fungerentur, an verò & illis suus esset locus in famulitio Archiepiscopi, diversaque ratio officii. Neque enim audeo sine tabulis C affirmare, unam eamdemque gentem, in varias lineas propagatam, diversa Cognomina assumsisse. Scilicet animadverti, *Rodenses* quoque, sive *de Raude*, *da Rhò*, & *Littos*, quos nunc *Littas* appellamus (quæ nobilis prosapia non unum Archiepiscopum Mediolano olim dedit, & nunc etiam gloriari potest, quod in Cremonensi Civitate Episcopum habeat Illustrissimum Dominum Alexandrum Littam, pietate, zelo, eloquentiâ, ceterisque animi ac mentis virtutibus spectatissimum) animadverti, inquam, & hasce Familias olim in obsequium Antistitis Mediolanensis adhibitas fuisse. En Gualvanei de la Flamma circiter Annum Christi MCCCXXX. scribentis verba Cap. 617. D Chronici Majoris, quod MStum Ambrosiana Bibliotheca adservat: *Angilbertus Archiepiscopus Beati Ambrosii tumbam marmoream aperiri fecit, & ex devotione dentem de ore Beati Ambrosii extraxit, & in anulo suo imposuit. Dum autem processionem in die Olivarum faceret Archiepiscopus more Ecclesiæ Mediolanensis, & de Ecclesia Majori iret ad Sancti Laurentii Ecclesiam, ibi Archiepiscopus facit sermonem ad Populum. Postea benedixit palmas, & dedit Clericis. Postea venit extra Ecclesiam, ubi sunt columnæ* (& adhuc supersunt illustre antiquitatis vestigium) *ubi erat unus equus coopertus de vajo, idest panno aureo. Et unus de genere Rodensium* (in margine eâdem manu additur: E *Rodenses sunt Cathanei Archiepiscopi*) *vestitus variis, tenens strepam, Archiepiscopus equum conscendit. Et postea data fuit in manu una Crux chrystallina, ornata palmis & olivis, qua signabat Populum. Et ille de genere Rodensium vestitus variis, cum cirothecis in manu tenens frenum equi, duxit eum ad Ecclesiam Sancti Ambrosii. Præcedebant autem equum quatuor Nobiliores de Littis* (in margine Codicis adnotatur *Lites sunt Valvassores Archiepiscopi*) *præparantes viam Archiepiscopo, amoventes lapides & trabes, & alia impedimenta. Post Archiepiscopum veniebant universi Clerici cantantes: & subsequebatur Populus cum palmis & olivis.*

olivis. Nec fuit tanta solemnitas in universo Mundo, quomodo erat ista, quam tenetur facere Archiepiscopus singulis annis. Quum autem pervenisset Archiepiscopus ad locum, ubi consuevit leprosum lavare, cantabatur Missa. Et postea Archiepiscopus ad suum Palatium rediit. Procedente autem tempore, hoc est, Anno MCCCXXXIX. oborta lis est inter *Advocatos* & *Confanonerios* Mediolanenses, contendente utrâque cognatione, ad se pertinere jus deducendi Archiepiscopi, & lucrandi equi ipsum devehentis. *Facta est*, inquit idem Gualvâneus in Opuscul. de reb gest. Azonis Vicecomitis, Tomo XII. Rer. Italicar. *controversia inter Advocatos & Confanonerios, quis equum Archiepiscopi habere debuerit. Et quia jura antiqua super hoc clara non inveniebantur, Johannes Vicecomes Episcopus Novariensis, Ecclesiæ Mediolanensis Conservator, ordinavit, quod Advocati ipsum conducerent per frenum, peditando usque ad Ecclesiam Majorem. Inde usque ad Sanctum Ambrosium conducerent Confanonerii; & equus Archiepiscopi pendente quæstione in deposito positus fuisset.* Ita Bergomi, quando novus Episcopus Urbem ingrediebatur, equus, in quo is advehebatur, in potestatem veniebat *parentelæ de Advocatis, qui debent habere secundùm antiquam consuetudinem*, uti auctor est Castellus de Castello in Chronico Bergom. Tomo XVI. Rer. Italicarum. *Archidiaconorum* verò Familiæ dabatur Episcopi *chlamys, seu mantellum de panno pavonatio*: Familiæ *de Trenis calcaria* Præsulis ejusdem.

Sed ut Lectores fortasse lassos heic aliquantulum recreem, addere juvat, quæ antiquitus, & ad nostra fere tempora, agebantur in Etruria, hoc est Florentiæ, & Pistorii, quum primum consecrati novi Episcopi ad possessionem Cathedræ suæ deducebantur. Quod juris Mutinæ fuit *Balugolensibus*, Florentiæ fuit *Vicedominis*, teste Ferdinando del Migliore in *Florentia illustrata*; sed ita ut ephippium & frenum equi Episcopalis traderetur Familiæ *del Bianco*, quâ sublatâ idem jus in nobilem *Strozziorum* Familiam translatum est, qui tubis sonantibus, sacrum hoc trophæum ad suas ædes deferebant, expositumque ad fenestras, honoris causâ diu servabant. Equus Episcopi, statim ac ille descenderat, in jus cedebat *Abbatissæ Monasterii Florentini Sancti Petri Majoris*, quam in solemni illo processu Episcopus sacrabat, sive uti olim vulgo dicebatur, anulo desponsabat. Ingratum Lectori non erit cæremoniæ hujus descriptionem accipere a Petro Ricordato Monacho Casinensi, qui in Historiâ Monasticâ Romæ Anno MDLXXV. impressâ, hæc habet pag. 368.

A

Cæremonia ingressus novi Archiepiscopi Florentini.

Poichè voi siete entrato in San Pier Maggiore, io voglio dirvi una cerimonia, che usa questo Monasterio, ogni volta, che un nuovo Arcivescovo entra in Firenze a pigliare il possesso dell' Arcivescovato. La qual cerimonia non s'usa, cred' io, in altro luogo, salvo, che in Pistoia in un Monasterio medesimamente del nostro Ordine, e detto ancora di San Pietro. E m' è venuta voglia di dirlo, perchè la Famiglia degli Strozzi *interviene a tal cerimonia, come udirete, e in quella di Pistoia la nobil* Casa de' Cellesi. *Quando fa l'entrata il nuovo Arcivescovo, lo va ad incontrare tutto il Clero e Magistrati, e così accompagnato s'invia sopra una Chinea a San Pietro. Et ivi giunto, smontata, e subito dagli uomini della* Famiglia Strozzi, *e non da altri, sono saccheggiati i fornimenti della Chinea, che sono ricchissimi, & ella così nuda resta alle Monache di San Pietro suddetto. Smontato l'Arcivescovo, entra nella Chiesa, incensato & asperzo d'acqua benedetta da i Preti, lì perciò apparecchiati, essendo poi aspettato dall' Abbadessa, e da tutte le Monache sopra un Palco benissimo parato presso l'Altare Maggiore. Saglie in su quello, e fatta un Orazione, si pone a sedere sopra ricca sedia, e preso un' annello d'oro, lo mette in dito all' Abbadessa, alla quale è tenuta la mano e il dito da uno de' più vecchi della Parrocchia. E data la Benedizione al Popolo e la perdonanza, se ne va al nuovo Palazzo, dove ella li manda a donare un letto con tutti i suoi fornimenti di gran valuta.*

Ita Ricordatus. Admiratus quoque junior in Histor. Florentin. Lib. XV. ad Annum MCCCLXXXVIII. memorat controversias compositas inter *Vicedominos* & *Tosingos, uti Custodes & Patronos Episcopatus*, & homines Parochiæ Sancti Petri Majoris, excitatas non semel in solenni ingressu Episcopi Florentini. Pistorium nunc adeamus, ubi nobilis & antiqua *Cellesiorum* Famiglia eodem jure ac privilegio fruebatur, quo *Strozzii* Florentiæ, uti Ricordatus nuper meminit. Quare Cellesiis quoque commendatam olim fuisse *Advocatiam* Pistoriensium Episcoporum, vestigia honoris diu servata in novi Antistitis processu innuere videntur. Legi ego olim in Tabulario Episcopatus ejusdem pergamenam, in calce quidem corrosam, quæ, ut fert veri similitudo, ad ipsam Cellesiam gentem referenda est; nam in cunctis erga Advocatos suos Episcopi olim perquam liberales esse consueverunt, uti supra vidimus. Et profecto hanc ipsam Chartam exerere juvat, ut Lector evidentius intelligat, quàm plenâ manu sacri olim Pastores Ecclesiæ patrimonium in Laicos effunderent.

Investitura Plebis Cellensis & subjectarum Ecclesiarum, titulo emphyteusis data Signorecto filio Gerardi a Leone Episcopo Pistoriensi, Anno 1067.

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno ab Incarnationis ejus MLXVII. Mense Novembris, Indictione VI. Placuit atque convenit inter Leo Pistoriensis *gratia Dei humilis* Episcopus, *necnon* Signoretto filio *bone memorie* Jerardi, *ut & ipse Leo Episcopus de pertinentia Ecclesiæ Domus Sancti Zenonis libellario nomine dare, sicut de presente dedit & tradidit, idest Plebe & Ecclesia illa, cujus vocabulum est Sancti Pancratii, & Sancti Joannis Baptiste, que est edificata prope Celle; cum pertinentiis & jacentiis, que pertinet aut pertinere debet ad suprascripta Plebe, cum redditum, & oblationem, offertionem, & mortuorum exitum & introitum, atque Cimiteriis, primitiam, & decimationem, quod amodo in antea, Domino·*

no Deo donare dignatus est, mobilibus & immobilibus, de Villis illis atque titulis nuncupate. Prima Villa, que dicitur Cella. Alia Villa, que vocatur Viugnano. Tertia Villa, que nominatur Petriolo. Quarta Villa, que vocatur Sancto Justo. Quincta Villa, que dicitur Montagnana. Sexta Villa, que vocatur Campillia. Septima Villa, que dicitur Momigno. Octava Villa, que vocatur Fagno. Nona Villa, que nominatur Rosana. Decima Villa, que dicitur Bovare. Undecima Villa verò, que nominatur Fabrica & ad Arciliano resorti duo. Duodecima verò Villa, que dicitur Casola. Tertiadecima Villa, que vocatur Presciano. Quartadecima verò Villa, que nominatur Copano. Quintadecima Villa, que dicitur Lugnano. Sextadecima Villa, que vocatur Gulliano. Septimadecima verò Villa, que nominatur Vitthano: vel per alie locas & vocabula ubicumque, quod ad suprascripta Ecelesia & Plebe sunt pertinentes, aut pertinere debent undecumque homines de suprascriptis Villis .... vel debiti reddendi ad pars suprascripte Ecclesie; excepto antepono tibi Ville ille, que dicitur Varathano Major ...... prope Neule & Cagriano. Nam aliis omnibus rebus, que ad predicta Plebe sunt pertinentes, & ubicumque de rebus suprascripte Ecclesie esse invenitur cum resorti duo. Una est posita in loco Carlatico, alia in loco Fagno, ubi Macejo vocatur, cum rebus & terris illis, qui sunt positi in loco Fagno & in loco Bovare. Has suprascripta Ecclesia & Plebe cum pertinentia sua, que modo ibidem pertinet, aut in antea pertinere debent, excepto quod superius exceptavi, cum offertionem, introitum, & exitum, debitionem, & mortuorum primitiam, & decimam, quod amodo in antea ad jam dictam Ecclesiam Domino Deo, donare dignatus est, & modò pertinet, aut in antea pertinere videtur in integrum ipse Leo Episcopus per se & suos Successores eidem Signorecti, & ad sustitutos heredes ...... dedit & tradidit ad habendum, tenendum, regendum, meliorandum, laborandum, & laborare faciendum .... privato nomine ad habendum, & suprascriptam Decimationem & offertionem & primitiam de ... pensionem recolligendum & recolligere faciendum ..... ipse Signorecto, & supradicti heredes ad ..... & Plebe per vestros conrogatos Sacerdotes & Clericos ministerium Dei diurnum vel noc. .... & Luminariam ibidem prebeatis, aut prebere faciatis, & Censum exin reddere .... supradicti heredes, aut eorum certo Misso aput Curte Episcopatu Domus Sancti Zenonis infra Civi. .... dicto Leo Episcopus vel ad suos Successores, vel ad eorum Ministeriale, qui pro tempore ibidem fuerit .... Decembris argentum Denariorum bonorum expendibilium de Moneta de Luca Solidos quatuor. Nam non amplius ...... ut si quis ex his de suprascriptis convenitoribus, si suprascripto Pontifex, vel suos ..... certo vel suis heredibus de suprascripta convenientia distollere aut minuare, aut supra ...... & Plebe ipsa pro ipsis usurpaverint pejoratas vel subtractas, aut in aliquo quod & ..... per quem ex eis minus fos ...... fuerint, componere debeant ad partem fidem servantem ..... XX. quia in tali ordine inter eis ...... duo Libelli.

Petrus Notarius, & Judex Sacri Palatii .... Castro de Celle ...... hunc Libellum ..... facto mea manu scripsi.

Ego Azo Archidiaconus mea manu scripsi.

...... Propositus in hunc Libello mea manu scripsi.

Ego Vitalis Archipresbiter Sancte Pistoriensis Ecclesie mea manu scripsi.

..... Petri & Rodulfini germani filii bone memorie Rodulfi, & Donati filio bone memorie Petri, rogati testes.

.... Judex sacri Palatii post traditionem complevi & dedi.

Nulla quidem heic *Advocatiæ* mentio. Sed quum constet, *Cellesios* subsequutis temporibus Episcopum novum deducere solitos fuisse, aut post illam Investituram Advocatiam suscepere, aut etiam tunc eodem munere fungebantur. Neque enim id opus fuit memorare, quum idem munus, uti fit in Placitis, minime tunc exercerent. Itaque Pistorii eadem ab Episcopo novo præstabantur, quæ Florentiæ. Scilicet ubi is veniebat ad Monasterium Sancti Petri Majoris, de equo descendens, ac Templum ingressus ibi Abbatissam anulo desponsabat. En verba Salvii Tom. 3. pag. 87. Histor. Pistoriens. editæ Anno MDCLXII. Venetiis.

Cæremonia Desponsationis Abbatissæ S. Petri Majoris Pistoriensis, a novo Episcopo factæ.

ALl entrare della Porta della Città erano tutti gli uomini de' Cellesi, che quivi erano raunati, per dargli l'ingresso all' Antiporto, *il quale avevano ornato con panni d'arazzo, imprese, e festoni, e l'accompagnarono per tutta Pistoia. Entrato dentro, i Collegi, che l'aspettavano in San Pierino, se li fecero innanzi. E fatta dal Capo di loro corta diceria, n'andò seguito da questi e da molta gente a San Pier Maggiore, ove disceso da cavallo, montovvi sopra uno de' Cellesi, e teneva uno sprone in mano. E così stette aspettando finchè il Vescovo le sue cerimonie finisse. Egli dunque entrato in detta Chiesa, ornata quant' era possibile, fece orazione. Poi s'accostò, dove era rotto il muro dalla banda del Monasterio; & essendovi un letto di gran valuta, egli sposò Madonna, o vogliamo dire Badessa, alla quale restò l'Anello, ch'era molto ricco e bello. Et andato alla Cattedrale, e fatte quivi molte cerimonie, i Bonvassalli diedero a lui la tenuta del Vescovado.*

Eumdem quoque ritum descripsit P. Dondorius e sacra Cappuccinorum familia in Libro, cui titulus *La Pietà di Pistoia*, quem Anno MDCLXVI. evulgavit. Et illum audiamus, ita de novo Episcopo scribentem.

Altera descriptio Desponsationis supra memoratæ.

IL Monasterio di San Pier Maggiore di Pistoia è de' principali, massimamente per la funzione, che fa ivi il Vescovo, quando solennemente piglia il possesso della Cattedrale: ed è questa. Fa la sua entrata per Porta Lucchese, e colla comitiva, cerimonie, ed accompagnature solite, viene a dirittura a San Pietro, dove sopra un Palco a posta alzato avanti l'Altar Maggiore, dalla Badessa è ricevuto. E dopo una breve Orazione fatta da ambedue in ginocchione, si pongono a sedere in faccia del Popolo, poco il Vescovo dalla Badessa distante. E portato per uno della Corte del nuovo Pastore sopra un bacino d'argento un ricco Anello, Monsignore sposa con esso quella veneranda Madre.

Questa

Questa cerimonia finita, senz' altro dire, ella torna in Clausura, e il Vescovo seguita la sua gita verso il Duomo. Quivi in nome della Badessa gli è presentato un Letto riccamente fornito &c.

Ejusdem quoque ritus descriptionem infra habebis in Dissertatione LXVI. *de Monasteriis Monialium*. Sed quando præ manibus habemus novi Episcopi Pistoriensis ingressum, quem non A vulgares ritus maxime spectabilem faciunt, minime subtrahendum Lectorum oculis puto ordinem, quo Matthæus de Diamantibus ejusdem Civitatis Episcopus primùm processit ad capiendam suæ Sedis possessionem: quod contigit Anno Christi MCCCC. Excerpta fuit hæc narratio e brevi Historia, quam manu exaratam reliquit Ser Lucas filius Bartholomæi Dominici, Auctor synchronus & Pistoriensis.

Ordo servatus Pistorii in primo ingressu Matthæi de Diamantibus novi Pistoriensis Episcopi. Anno 1400.

D*Omenica mattina a dì 30. di Maggio 1400. si fece la Festa del Vescovo nuovo, il quale è* Monsignor Matteo di Ser Lazzaro Diamanti: *e entrò in Pistoia, perciocchè il Papa a Roma l'aveva vestito, e datoli la Mitria e Pastorale, e l'altre cose, sicchè non aveva se non a pigliare la tenuta. E venne, e fecesi in questo modo, cioè. Egli fu per tempo, come era dato grande e bello ordine, a Santa Trinita fuori di Porta Lucchese con sua Compagnia. Ivi andorno moltissimi Cittadini a cavallo incontroli; e detta la Messa per tempo, a Duomo sonò forte per un gran pezzo la Campana grossa. Ivi vennero tutte le Regole de' Frati con le Croci, e tutta la Chericia. Poi si mosse la Croce di Duomo, innanzi poi quelle de' Frati per ordine. E andorno a Porta Lucchese infine fuori della Porta: e fermonsi allato alla Porta. L'Ufiziali tutti a cavallo andorno incontro al Vescovo, e subito il Vescovo montò a Santa Trinita a cavallo, e venne verso Pistoia in questo modo, cioè. In prima erano innanzi molti famigli di Cavalieri, e Abati a cavallo; poi molti Donzelli dell' Ufiziali a cavallo; poi suoi del Vescovo, di nuovo vestiti di divisa furono quattro; poi erano quelli portano le spade all' Ufiziali; poi li Notari del Vescovo a cavallo; poi due Calonaci parati. L'uno era l'Arciprete, l'altro Messer Bonino. E Messer Bonino portava il Pastorale. Poi Monsignor lo Vescovo a cavallo in su un grande e bello Cavallo, covertato tutto di panno lino bianco sottilissimo e bello; e egli fuvi parato con Peviale bianco, e con la bella Mitria in capo, e Guanti, e Anella in mano. E venia segnando; e intornoli a piedi da ogni lato tre giovani, grandi Cittadini e orevoli, con bastoni lunghi d'asta bianca e guanti bianchi. Dirieto a lui tutti gli Ufiziali a cavallo: poi Cavalieri, Giudici, Abati, Prelati, Chierici, e molti Cittadini a cavallo. Quando furono presso alla Porta ivi si cavorono tutte le Croci dell' Istipiti; e Messer Giovanni Cibichi prima quella del Duomo, poi ogni Priore del suo Convento la sua portoronla in mano senza nulla in capo a Monsignor lo Vescovo, l'uno di rieto all' altro, cantando dolce e soavemente. E egli a una a una tutte le baciò divotamente. Poi rimesse le Croci nelli stipiti, s'avviorno a una a una dentro in Pistoia per Porta Lucchese, prima quella de' Frati Minori, e poi ordinatamente gli altri, com' è usanza.* Quando il Vescovo fu sull' entrare dell' Antiporto, quelli della Casa Cellesi, come è usanza, e alloro s'appartiene, si fecero innanzi, senza nulla in capo; e fatta bella diceria, lo riceverno graziosamente, e presenli la briglia, e addestronlo, e messenlo dentro. E di ciò si fece Carta. E erano essi Cellesi a pie' d'ogni lato del Vescovo. E così vennero B continuatamente. *E così si venne giuso, sempre cantando molti belli Inni da San Vitali alla Porta Vecchia, al Malcantone, a San Luca, a San Piero Maggiore. Ivi in San Piero erano i Signori in Coro: e tra dentro e fuori era e venne tutto il Popolo di Pistoia, e le trombe, e fuori uno desco s'unì uno tappeto, & ivi sù montò un Calonaco; a sposò Monsignor lo Vescovo, e donò alla Badessa di San Piero il Cavallo suo; e similmente tutti gli altri sposorono. E sonando le trombe, entrorno in San Pietro, e in sù la Porta erano due Parati, che l'uno dava l'Acqua Benedetta, l'altro l'Incenso: e andorno per Chiesa dentro nel Monastero. Ivi era acconcio e ordinato molto bene. Ivi sedea* C *l'Abbadessa, e più là erano tutte l'altre Monache ginocchioni. E ivi come giunse alla Badessa, la Badessa si gittò ginocchioni, e baciolli la mano. Poi si posero a sedere insieme. E fatto e detto quello è d'usanza, si la sposò, e dielli l'anello. Poi se ne venne in Coro, e andò all' Altare, e orò, e baciollo, e poi ritornò in giù; e nel mezzo del Coro era fatto un bel Letto, e vi si pose suso a sedere, e stette un poco, e la Badessa donò esso Letto a Monsignor lo Vescovo predetto, come è usanza. E poi fatto questo le Croci si mossero, e vennero a Duomo da San Luca, e per Porta Guidi a Duomo a piedi ogniuno, come di sopra ho detto. E come giunse a San Pietro, Filippo Zaccharella, e Prete Fi-* D *lippo di Lazzero Ser Conti il preseno per le valde del Piviale, l'uno da un lato, l'altro dall' altro. E così vennero infine a Duomo con alcuni di rieto a loro, a cui fare così s'appartiene. E entrati in Duomo, tutti i Frati se n'andorno, e i Preti entrorno in Coro. E giunto il Vescovo a piedi delle scalette dell' Altar Maggiore, e cavatogli la Mitria di capo per un Calonaco, cominciò il Vescovo, a cantare* Te Deum laudamus *&c. E tutto il Coro rispose, e cantollo infine alla fine. E il Vescovo montò sù all' Altare, che era scoperto, e orò, e baciollo. E rimissenli la Mitria, e prese il Pasturale in mano, e stette ivi retto in mezzo a' Calonaci, in fine che fu compiuto di cantare; e* E *poi disse*: Sit nomen Domini benedictum, *e fece la Benedizione, come è usanza de' Vescovi. E uno de' Calonaci riprese il Pasturale. E vennero per Duomo alla Porta del Vescovado. Tutto il Duomo e la Piazza era piena di gente. E giunto alla Porta del Vescovado,* ivi erano quelli della Casa de' Buonvassalli. *E il soprascritto Filippo Zacharella, come è usanza disse*: E ci è nissuno della Casa de' Buonvassalli? *E eglino risposero*: Noi. *E egli disse a loro*: Tenete; siavi raccomandato il Signor vostro. *Et eglino senza nulla in capo il presero e ricevettero graziosamente e reverentemente. E messenlo dentro, e messenli la mano sull' uscio: e* di

di tutto si fece Carta publica. E andoronsene suso con tutti gli Ufiziali, e co' Signori, Prelati, Chierici, e Cittadini assai, a' quali fece un grande e bellissimo desinare, però che erano invitati, e dato l'ordine con molte grandi e belle vivande. Ivi erano quanti giovani c' è, a servire e ordinare. E mandò e fece mandare infiniti e belli presenti per Pistoia a' Cittadini. E desinato, ciascuno se n'andò a casa con la grazia di Dio.

Erunt hercle, qui majorum nostrorum ritus hactenus descriptos, ac tamdem sublatos, audientes, a cachinnis vix abstinebunt. Sed ita fortasse compositi erant antiquæ gentis animi, ut nullam in hisce ritibus deformitatem sentirent. Præterquamquod mos conservandi, sive, ut ajebant olim, desponsandi anulo Sanctimoniales jam professas, a multis Sæculis invectus, perdurat adhuc in nonnullis Urbibus Italiæ. Idque ego Mutinæ ac Lucæ peractum vidi summa cum religione ab istarum Civitatum Episcopis. Sed jam tempus est monendi, a multis Sæculis *Advocatorum Ecclesiasticorum*

A munus desiisse, unde Cognomen suum aliquot Familiæ in variis Urbibus traxere & adhuc retinent. Simul autem desiit *Vicedominorum* officium, de quo nunc pauca mihi dicenda supersunt. Vidimus nuper, *Bonvassallos* novo Pistoriensi Episcopo adstitisse, eumque ab iis invectum fuisse in possessionem ædium Episcopalium. Suspicor ego, ad eam Familiam antiquitus pertinuisse munus *Vicedomini*, atque illud hereditario jure in illius gentis posteros transiisse. Vicedominis autem Episcoporum commendabatur cura temporalium bonorum Ecclesiæ seu Episcopatus, ita ut nihil a Majore Domus, aut ab Œconomo (nunc *Mastro di Casa*) differrent. Eorum quoque fuit Vassal- B lis Episcoporum jus dicere, & quum Episcopus supremum diem obibat, ejus domum, ac reditus Ecclesiæ custodire. Quapropter *Vicedomini* justitiam petentis ad instar Advocatorum, interdum mentio occurrit in Placitis. Unum ego proferam, quod authenticum in insigni Tabulario Archiepiscopii Lucensis olim sub oculis habui, atque uti idoneum rei testem producere statui,

Placitum coram Petro Lucensi Episcopo habitum, in quo Viventius Archipresbyter, & Vicedominus ejusdem Episcopi causam obtinet contra Ghisbertum Presbyterum, Anno 902.

IN *nomine Domini. Dum nos* Petrus *gratia Dei hujus sancte* Lucane Ecclesie *humilis* Episcopus, *resedissemus in judicio hic Civitate Luca, in broilo sub lopia prope muro Eclesie Episcopatui Sancti Martini, insimul cum Adalberto Archidiacono, Paldo &c. Presbiteris Cardinalibus, Martino & Petrus Presbiteris, Romaldo Subdiacono, Laicos homines Ghisalfridi & Adalberto &c. Ibique nostris presentiis veniens* Viventius Archipresbiter & Vicedominus, qui causam da pars ipsius Ecclesie Episcopatui agebat, *& ex alia parte Ghispertus Presbiter, filio quondam Auriperti, altercationem inter se abentes. Dicendum ipse Viventius Archipresbiter*: Volo justitiam abere ab isto Ghisperto Presbitero, eo quod ipse introivit in Ecclesiam Sancti Gervasii Plebes Baptismales, sita loco Verriana, una cum casis & rebus ad eam pertinentes, & tulit exinde oblationes & fruges tam ipse quàm homines, quas ipse trasmisi, & in sua potestatem malo ordine avet. *Hoc dicto respondebat ipse Gispertus Presbiter, quod hoc veritas non fuisset. Tunc ipse Adalbertus Archidiaconus interrogavit exinde Viventius Archipresbiter, si hoc per testes approbare potuisset hoc, quod dicebat, an non? Quibus ipse Viventius Archipresbiter dixit, quod hoc per testes approbare non posset. Et dum taliter diceretur, sic ipse Adalbertus Archidiaconus judicavi te wadia dare .... ipse Ghisperto Presbiter eidem* Vivenci Archipresbitero & Vicedomino *jurandi ad Euangelia justá lege, quod in Plebe Sancti Gervasii, & hi casis & rebus ad eam pertinentes non introisse, nec oblationem & fruges, exinde tulissent, nec homines a tollendum misisset, neque infra potestatem abuisse malo ordine, pro quod legibus componere deberet. Et ipse Viventius wadia paratus esset sagramentum ipsum ab eo schultandum posuerunt inter se fideliter. Verè constituto & ipse Viventius Archipresbiter cepi dicere aversus eundem Ghispertus Presbitero*: Volo scire, si iste Ghispertus contendere aut contradicere quod supra scriptam Ecclesiam Sancti Gervasii

C cum casis & rebus ad eam pertinentibus, aut si abuit & abet exinde ordinationem, aut electionem, vel qualibet scriptionem, aut firmitatem, per quas ipsam Plebem, vel rebus ejus contendere aut contradicere possit. *Tunc ipse Ghispertus Presbiter continuo ante nos professus dixit*: De ipsa Ecclesia Sancti Gervasii, & casis & rebus ejus ordinationem, nec electionem, neque firmitatem numquam abuit, nec abeo &c. *Dum ipse Ghispertus Presbiter taliter ante nos professus & manifestatus fuisset, rectum nobis paruit esse, qui supra Adalbertus Archidiaconus, & suprascriptis Presbiteris Cardinales, ita judicavimus, ut abere pars Episcopatui ..... suprascripta Ecclesia Sancti Ger-* D *vasii cum casis &c. sine contradictione ejusdem Ghisperti Presbiteri &c. Unde hanc notitia Cospertum Notarium scribere jussimus, Anno Imperii* Domni *nostri* Hludowici *gloriosissimi* Imperatoris, *postquam in Italia ingressus est, Secundo, XIV. Kalendas Junii, Indictione V.*

Ego Eripaldus Presbiter Cardinalis interfui.
Ego Teusimundus Presbiter Cardinalis interfui.
Ego Adalbertus Archidiaconus interfui.
Ego Roppertus Presbiter Cardinalis interfui &c.
Ego Ghiselfridi Notarius & Schabinus interfui &c.

Verùm ex Charta ista minime deducas velim, *Vicedomini* munus idem fuisse atque *Ad-* E *vocati*. Du-Cangius quoque hæc scribit: *Vidominos etiam ex Ordine Cleri habuere Abbates, qui interdum iidem, qui Advocati*. Quam sententiam ad Episcoporum quoque *Vicedominos* extendit. Non subscribo. Diversa hæc munera semper fuere. *Vicedominis* œconomia bonorum Ecclesiasticorum commendabatur. Advocatis tutela. Et quamquam interdum *Vicedomini* identidem occurrant tuentes in judicio jura Ecclesiæ, non idcirco eodem, quo Advocati, munere fungebantur. Ii ab institutione sua e Clero tantùm assumebantur, sed progrediente tempore id munus etiam delatum fuit Sæcularibus viris, & per successionem in una Fami-

lia

lia perdurabat; *Advocati* contra semper e Laicorum cœtu assumti fuere. Atque inde prodierunt *Vicedominorum* Familiæ (nunc Italice *Visdomini*) celebres in quibusdam Civitatibus. In aliis verò *Vicedomini* munus Ecclesiastica dignitas adhuc est in Canonicorum Collegiis, ac præcipue in Mediolanensi. Florentiæ *Vicedominorum* Familia tempore Dantis vigebat, atque ad eam spectabat administratio redituum Mensæ Episcopalis Sede vacante. Propterea is scribit Paradis. Cant. XVI.

Così faceano i padri di coloro,
Che sempre che la Chiesa vostra vaca,
Si fanno grassi stando a concistoro.

Hæc Dantes de *Vicedominorum* Familia, uti scribit Benevenutus de Imola in Commentariis

A MStis. Et Ughellius quidem Tom. 3. Ital. Sacr. in Episcopis Florentinis, Chartam refert *Raynerii Episcopi*, Anno MLXXXIV. scriptam, cui subscribunt, *Guido Vicedominus*, *Albizo Causidicus & Vicedominus*, & *Petrus Vicedominus*. Quod sane rarum: uno quippe Vicedomino uti consueverunt Antistites sacri, ibi verò tres uno tempore memorantur. Clariss. vir Don Virginius Valsecchius Monachus Benedictinus in Pisana Academia Professor, Anno MDCCXXVII. Epistolam edidit *de veteribus Pisanæ Civitatis Constitutionibus*: & rarum ibi nobis exhibuit Judicatum, ex quo intelligas, quale olim foret Vicedominorum munus. Chartam plane dignam, quæ majori luce fruatur, inferre huc statui. Desumta hæc fuit e Tabulario Pisani Archiepiscopii.

Judicatum Reghinardi Pisani Episcopi, & Locopositorum Pisanæ Civitatis in controversia agitata inter Arnulfum Vicedominum, & quosdam Clericos, contendentes, se liberos esse homines, non verò Servos Pisanæ Ecclesiæ, Anno 796.

IN *Christi nomine. Amen. Regnante piissimo* Domino nostro Carulo *viro excellentissimo* Rege Francorum & Langobardorum, *hac* Patricius Romanorum, quod *Langubardia cepi*, *Anno Vigesimo Secundo*, & Domino nostro Pippino Rege Langubardorum *filio ejus*, *Anno Regni ejus Sextodecimo*, *Quinto die intrante Mense Junio*, *Indictione Quarta*. *In Dei nomine*, *dum resedisse* Reghinardus *in Dei nomine vocatus* Episcopus *Sancte* Ecclesie Pisane Civitatis, & *nos insimul* Petrus Diaconus, Fiducia Clericis, Locipositi suprascripte Ecclesie hujus Pisane Civitatis, *atque & Dondo idem Scabino de Pisa*, *ubi aderant nobiscum & Thomas Diaconus*, *Otus Presbiter*, *Chunifrid Presbiter*, *Roschisi Presbiter*, *Johannis Clericus*, *Hildipertus Subdiaconus*, *Grimpo Clericus*, *Sanitas Notarius*, *Sachipertu Clericus*, *Petro Clericus*, *Baucherat Vassus Domini Regis*, Willardo gart istabili manepas, *Guntpertus filius quondam Ursi*, *Teodingo*, *Pertualdo*, *Amulo*, *Allo*, *Gumprando &* Walprando *germanis*, *Grauso Clericus*, *Sulprando*, *Kundifrid*, *Lautpertus*, & *alios plures*. *Venerunt ibi ante nos* Arnulfus Vicedomui, *nec non & Sotprandulu*, *Aspertulu Clericus*, & *Perticausulu germanas personas*, *altergationem habentes*. *Dicebat* Arnulfus Vicedomoi *contra jam nominatos Sotprandulo*, *Aspertulu Clericus*, & *Perticausulu*: Pro quas res personas vestras queritis subtrahere de servitio Sancte Marie, quia quondam Anscausulu genitor vestrorum servo fuit Sancte Marie Domoi Episcopalis Civitatis Pisana. *Hæc contra respondebat suprascripti Sotprandulus*, *Aspertulus Clericus*, & *Perticausula*: Non faciat dictus quod genitor nostrorum servus fuisset Sancte Marie, nec nos de personas nostras servi esse devemus, nisi tantum de ipsa Casa Sancte Marie hic fecimus servitio pro liveris homenis. *Tunc qui supra Petrus Diaconus*, *Fiducia Clericus*, *seo Dondo Scabini pertractantis nos una cum suprascripti Auditores judicabimus*, & wadiam *dare fecimus Arnulfus Vicedomoi*, *ut consignare per testimonia*, *qualiter Ascausulu pater Sotprandulu Clerici*, & *Perticausuli*, *servus fuisset Sancte Marie*, & *ante nos eorum fidejusso reposuet*. *Et dum prefatus Arnulfus ivi presentem testimonia ante nos presentasset*, & *nos eos sin-*

B *gulatim*, & *diligenter sub Dei timore inquisivimus*; *in primis Tiontis dixit*: *Iscie Ascausulu pater istorum Sutprandulu*, *Aspertuli Clerici*, & *Perticausuli infra triginta annos esset servus Sancte Marie*, & *quando Rinevaldo battedit ipsum Anscausulu*, *ad partem Sancte Marie composuet*. *Gumprando filius quondam Gausperti similiter dixit*. *Aurulus germanus ejus similiter dixit*: *Audilasci Presbitero dixit*: Scio, Sicualdo Presbiter esse Vicedomoi Sancte Marie, & prindere Ascausulu pater istorum Sotprandulu, Asperuli Clerici, & Perticausuli, & batebant eum pro servo, & infra trigintas annos servo fuit Sancte Marie de persona sua. *Post testimonium vero reddito ipse*

C *testimonia unusquisque ipsorum germanis per Dei Euangelia juratus dixerunt ante nos*: Sicut testimonium rededimu, sic fuit certa veritate. *Et insuper Arnulfus Vicedomoi ante nos omnes Sotprandulu*, *Aspertuli Clerici*, & *Perticausuli juratus dixit*. Per sanctam Dei Evangelia, sicut testimonias istas ad parte Sancte Marie testimonium reddiderunt, sic fuit certa veritate. *Postea interrogabimus nos Petrus Diaconus*, *Fiducia Clericus*, & *Dondo Scabini jam dictos Sotprandulo*, *Aspartulu Clericus*, & *Perticausulu*, *ut si poterit adaniare livertate sua*, *aut per chartulam*, *aut per testimonia vel possessionem juxta lege quidem*: *ipsi dixerunt*, *quod sua livertate adprovare poterit*, & *taliter ipsi*

D *Arnulfi de consignationem* wadiam *dare fecimus*. *Tunc ibi presentem Sotprandulo*, *Aspertulu Clerico*, & *Perticausulu post wadiam data manifestaberunt in judicio ante nos omnes*, quia neque per testimonia, neque per chartulam, nec per possessionem juxta lege, nulla consignationem, sicut wadiam dedimus de persone nostre, qualiter liveri fuissemus facere non potemus, nec livertate nostra adaniare non potemus, quia servi sumus de persone nostre Sancte Marie Domus Episcopalis Pisane Civitatis. *Unde nos*, *qui supra Petrus Diaconus*, *Fiducia Clericus*, & *Dondo Iscabini*, *judicavimus*, *sicut Arnulfu Vicedomoi per testimonia consignabit*, & *per sagramentum firmaverunt*;

E & *secundùm ipsorum manifestationem judicabimus deservire in Casa Sancte Marie de personas sua pro servi omnibus diebus vite sue*. *Et fenita est inter eis causatio*. *Et hanc notitia Judicati Istai-*

Istaipertu Notario scribere ammonuimus.

Actum Pisas per Indictione suprascripta feliciter.

✠ *Ego Petrus Diaconus in unc Judicatu ad nos factu manus mea subscripsi.*

✠ *Ego Fiducia Clericus in hoc Judicato ad nos factum manus mea subscripsi.*

Signum ✠ *manus Dondi Locissi* (fort. Loco *positi, vel Loci Servatoris*) *qui hunc notitia Judicati pariter fieri ammonuet.*

✠ *Ego Thomas Diaconus in hoc judicio interfui.*

✠ *Ego Otus Presbiter in ohc judicio interfui.*

✠ *Ego Chunifridi Presbiter in hoc judicio interfui.*

✠ *Ego Roschisi Presbiter in hoc judicio interfui.*

✠ *Ego Johannes Clericus filius Alpert in oc judicium interfui.*

✠ *Ego Sanitas Notarius in hoc judicio interfui, & manu mea subscripsi.*

✠ *Ego Nonpertu Subdiaconus in hoc judicio interfui.*

✠ *Ego Ghrimpo Clericus in hoc judicio interfui.*

✠ *Ego Rachipertus Clericus in unc judici interfuit.*

Signum ✠ *manu Gumperti filio quondam Ursi in hoc judicio interfuit.*

✠ *Ego Teudintu in hoc judicio interfui.*

Signum ✠ *manus Amuli filio quondam Pertuinghi in hoc judicio interfui.*

Signum ✠ *manus Alli filio Aduli in hoc judicio interfuit.*

✠ *Ego Grausus Clericus filio Dondi in oc judicio interfuit.*

✠ *Ego Petrus Clericus filio quondam Ftuisrigi in oc judicio interfuit.*

✠ *Ego Suilprandus filiu quondam Tinsuli in oc judicio interfui.*

Signum ✠ Walprandi *filio quondam Auruli in hoc judicio interfui.*


Ego Staipertu Notarius post rovoratam supplevi.

Locipositi heic memorati, Vicarii fuerint Comitis, sive Præfecti Civitatis, qui tunc fortassis aberat, & una cum Episcopo ad judicium sedent. Interfuerunt etiam *Willirdo Gart. Istabili Manepas*. Nescio an scribendum sit *Gast.* idest *Gastaldius*, & *Marepas*, sive *Marepais*, hoc est *Strator*. Sed quando erudite pro more de *Vicedominis* multa loquuti sunt Clarissimi viri, Ludovicus Thomassinus in Lib. de Veter. & Nova Ecclesiæ Disciplina, & Du Cangius in Glossar. Latin. ego rem innuisse contentus, hoc unum addo, si quando controversia de prædiis olim erumpebat inter Ecclesias, & privatas personas, quæ Chartarum ope dirimi non posset, compluribus Episcopis, Abbatibus, & Abbatissis concessum fuisse, ut aut adductis testibus, aut jurejurando suscepto per Advocatum suum, liti finis imponeretur. Cujus privilegii etsi multa in hoc ipso Opere exempla dederim, unum tamen heic proferre statui, desumtum ex Tabulario Capituli Canonicorum Parmensium.

Privilegia nonnulla Ecclesiæ Parmensis, incendio consumta, Berengarius Imperator novo Privilegio, Aicardo ejus Urbis Antistiti reparat, Anno 920.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis*. Berengarius *divina favente clementia*, Imperator Augustus. *Juste quidem fore credimus, si in Ecclesiarum Dei desolatione dexteram misericordiæ porrigamus, & eas nostro clippeo protectionis muniamus, & relevare satagimus pro pace Regni, & futura manente mercede. Igitur omnium fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque presentium semper & futurorum comperiat sollertia, quia* Hicardus *sanctæ* Parmensis Ecclesiæ *venerabilis* Episcopus, *nosterque dilectus fidelis, per* Grimaldum, *&* Odelricum *illustres* Comites, *& dilectos fideles nostros, nostram adiit clementiam pro eo quod peccatis ingruentibus divini flagelli repentino incendio Civitatis ejus Ecclesia cum suâ Canonicâ igne consumpta est, ubi inter cetera ornamenta, quædam munimina ipsius Ecclesiæ, & præfatæ Canonicæ (heu proh dolor!) perierunt. Super quibus idem Præsul deprecatus est nostram mansuetudinem, ut pro honore Sanctæ Dei Genitricis Virginis Mariæ, nostræque animæ mercedis intuitu, ipsius res, quarum munimina interierunt, taliter nostro corroborassemus Edicto, ne a pravis, aut occasionariis personis ipsa Ecclesia vel Canonica, necnon & Plebes sibi subjectæ, in suis rebus dampnum paterentur. Cujus precibus aures misericordiæ, prout dignum fuit, inclinantes, pro affectu consulimus, & hoc dampnum cum fidelibus nostris compossibili indignacione pertractantes, jussimus prelibato fideli nostro hoc nostrum fieri Præceptum. Per quod statuimus & decrevimus, ut ipsa Ecclesia cum sua Parochia omnes suas res, quocumque ingenio adquisitas, ubicumque sitas, de quibus hactenus investita fuit, per hoc idem nostrum Præceptum habeat & possideat & defendat, tam per inquisitionem,* quamque per sacramentum adjurante suo Advocatore, *ut eo die, quando ipsum incendium repentinum advenit, suprataxata Ecclesia corroboratas firmitates exinde haberet, & in suo proprietario jure teneret. Si quis verò, quod minime credimus, hujus nostri Præcepti paginam aliquando infringere aut violare temptaverit, sciat se compositurum auri Libras optimi sexaginta, medietatem Palacio nostro, & medietatem eidem Parmensi Ecclesiæ. Et hoc ut verius firmiusque ab omnibus credatur & observetur, manu propria subter firmantes, anulo nostro insigniri jussimus.*

Signum

Signum Domni  *Berengarii sereniſſimiImperatoris.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Petrus Clericus & Notarius ad vicem Johannis Cancellarii recognovi & ſubſcripſi.


Data Menſe Octobris, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXVI. & Anno Domni Berengarii V. Indictione VIII.

Anture Curte Regia, in Dei nomine feliciter. Amen.

Deſcriptum ab aliis hoc monumentum accepi: atque utinam accuratius e membrana expreſſum fuiſſet. Certe heic notæ Chronologicæ intolerandis erroribus laborant, quos Librario potius quàm antiquæ pergamenæ tribuendos puto. Ita ergo, ſi me audire vis, reſtitue: *Data Menſe Octobris Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXX. & Anno Domni Berengarii V. Indictione VIII.* aut *VIIII* Ibi quoque locum dati Diplomatis corruptum puto. Emendationem verò a me adhibitam juvare & confirmare poterit alterum Diploma, eiſdem ferme diebus, Aicardo ipſi Parmenſi Epiſcopo conceſſum, & ex eodem Chartophylacio depromtum.

Confirmatio omnium Privilegiorum Epiſcopii Parmenſis facta a Berengario Imperatore, Anno 920.

IN *nomine Domini Dei æterni*. Berengarius *divina favente clementia* Imperator Auguſtus. *Si recolendæ matri Eccleſiæ neceſſariam ſolaminis opem impertimur, eique noſtræ protectionis dexteram porrigimus, a Chriſto, qui Eccleſiæ ſponſus eſt, pro hac re nos ſpecialiter ſublimandos, minime diffidimus. Unde notum eſſe volumus omnibus ejuſdem ſanctæ Dei Eccleſiæ Fidelibus, noſtriſque, præſentibus ac futuris; qualiter interveniente* Odelrico *glorioſiſſimo* Marchione noſtro, Aichardus *reverentiſſimus* Parmenſis Eccleſiæ Præſul, *noſtram adiit celſitudinem, noſtris obtutibus offerens quædam Præcepta Prædeceſſorum noſtrorum, Regum videlicet ac Imperatorum, quibus Dominæ noſtræ Dei Genitricis & Virginis Mariæ Baſilicæ, quæ ipſius Parmenſis Epiſcopi caput eſt . . . . . donaria, multipliciaque beneficia, ab ipſis ibidem collata, corroboraverant; univerſas res quocumque modo eidem venerabili loco ab animabus fidelibus collatas, per quæ etiam Præcepta inibi ſtatuerant, ut ſi vel ſubeunte vetuſtate vel negligentia, vel ignium impetu occupante, inſtrumenta Cartarum deficerent, de rebus, unde eadem Eccleſia legitimam teneret veſtituram, nullus eam exueret, ſed per vicinos & circummanentes probatas . . . . per munimina & diverſa inſtrumenta Cartarum poſſideret. Quibus oblatis ſuppliciter imploravit noſtram munificentiam, ut noſtræ auctoritatis Præcepto roborare dignaremur, & eadem Præcepta, & quæ ab ipſis Præceptis . . . . . . videbantur. Nos quidem hujuſmodi petitionem ratam exiſtimantes, id fieri annuimus, hoc noſtrum Pragmaticum ſcribi jubentes, per quod eidem Parmenſi Eccleſiæ tam eadem Præcepta, quamque univerſa Cartarum inſtrumenta . . . . res mobiles & immobiles, ſervos & ancillas, Aldios & Aldianas, & omnia, quæ ab Anteceſſoribus ſuis, uſque ad tempus ejuſdem Aicardi Epiſcopi poſſedit, & quæcumque inpoſterum per fideles animas adeptura eſt, confirmamus, concedimus . . . . . ut teneat & poſſideat, fruaturque jure perpetuo ſine qualibet inquietudine, & . . . . . ipſius Eccleſiæ munimina flammâ conſumptrice perierint, ſtatuimus, ut de rebus ſuis tamquam pars noſtra publica per vicinos Inquieſtum . . . . Si quis igitur hoc noſtræ auctoritatis, conceſſionis, & confirmationis Præceptum infringere vel violare temptaverit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi Libras centum, medietatem Cameræ noſtræ, & medietatem prædicto Aichardo venerabili Epiſcopo, ſuiſque Succeſſoribus. Quod ut verius credatur, & diligentius obſervetur, manu propria roborantes, anulo noſtro ſubter inſigniri juſſimus.*

Signum Domni  *Berengarii ſereniſſimi Imperatoris Auguſti.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Johannes Epiſcopus & Cancellarius ad vicem Ardingi Epiſcopi & Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.

Data VI. Kalendas Octobris, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXX. Domni verò Berengarii ſereniſſimi Regis XXVIII. Imperii autem ſui V. Indictione VIIII.

Actum Papiæ, in Chriſti nomine feliciter. Amen.

Heic

Heic Notæ omnes Chronologicæ recte procedunt, si Annos Regni excipias, in quibus describendis nullo negotio agnoscas, Librarium hallucinatum fuisse; nam pro *XXXIII.* scripsit *XXVIII.* hoc est unum *V.* pro *X.* sumsit: quod in aliis & vetustis & recentibus exemplis interdum contigisse animadverti. Denique *Advocatorum* ejusmodi familiare munus fuit, quod & apud veteres Romanos institutum atque usurpatum novimus, tueri in judicio ac litibus erumpentibus caussas Ecclesiarum, in judicio stare, ac pro iis petere & excipere, immo & aliis Contractibus adesse, ne quid detrimenti Ecclesia pateretur. Exemplo uno rem conficiam. Salerni regnante Rogerio I. Siciliæ Rege, quarumdam Ecclesiarum Presbyteris infestus erat Landolfus filius

A Ademari Comitis. Opem iis ab Archiepiscopo Guilielmo implorantibus, Advocatus Archiepiscopi Landolfum ad Judices traxit, & victor in caussa discessit. Rursus eosdem Presbyteros infestante Landolfo, idem Advocatus Judicum præsidium imploravit, atque iterum decretum est, ut nihil aliud oneris Presbyteris incumberet, nisi dandi Landolfo aliquot *Candelas*, *& duas Salutes singulis annis*, eisque cantandi Missam, quoties vellet. *Salutes* dicebantur Xenia (nunc *Regalo* Lingua nostra appellat, & inde *Salutaticum*, ut puto vectigalis, seu doni genus, a navibus persolvendum) sive ex piscibus, sive ex aliis rebus comestibilibus, quæ directo domino pensitabantur. Chartam exhibeo depromtam ex Tabulario insignis Monasterii Cavensis.

Sententia Judicum Salernitanorum, pro quibusdam Presbyteris contra Landolfum Ademari Comitis filium, instante Guilielmo Archiepiscopo Salernitano. Anno 1151.

IN nomine Dei eterni & Salvatoris nostri Jesu Christi. Anno ab Incarnatione ejus Millesimo Centesimo Quinquagesimo Primo, & XXI. Anno Regni Domini *nostri* Rogerii Sicilie & Italie *gloriosissimi Regis, & Primo Anno* Domini Gulielmi *carissimi* ejus filii, *Mense Octobris, XV. Indictione. Nos Petrus Protojudex, & Johannes, & Alfanus, & Petrus, & Salernus, Judices Salernitane a Deo conservande Civitatis, brevem recordationem facimus, quod cum Alumpo Domino de Fasanella, & Florio de Camarata, Justitiariis, & ab Alfano Camerario invictissimi dicti Domini nostri Regis, Curia solemniter celebraretur, ante nostram & aliorum presentiam* Domnus Guilielmus *venerabilis noster* Archiepiscopus per Advocatum suum *prius revocavit quoddam Placitum, quod Anno præterito tractatum & definitum fuerat in Curia ejusdem Domini Regis, celebratâ in Palatio Terracine. Dum enim predictus Dominus noster Rex in eodem Palatio moraretur, coram Cossa, Buccafurno, & Gualterio de Misiano, & dictis Lampo & Florio Justitiariis, & alii, qui tunc aderant, facta est talis proclamatio a parte prefati Domni Archiepiscopi adversùs* Landolfum filium quondam Ademari Comitis, *quod ipse Landolfus invaserat terras cum arbustis, Ecclesie Sancti Petri, & Ecclesie Sancti Laurentii, & Ecclesie Sancti Martini, que site sunt in territorio Nucerino, & per suam violentiam expulerat inde Presbyteros ipsarum Ecclesiarum, quos Domnus Archiepiscopus ibi ante ordinaverat. Ad quos prefatus Landolfus responderat, se ideo Presbyteros de suis Beneficiis expulisse, quia de Cantare & de Altari sibi non serviebant, sicuti* Mantoni olim fratri suo *erant soliti servire. Ad quod prefati Presbyteri responderunt, quia nunquam Mantoni fratri suo aliud dare soliti fuerant, nisi per aliquas vices* Candelas, & duas Salutes, *alteram in Pascha, alteram in Natali Domini: & cum Missam audire vellet, Presbyteri eam cantarent sibi. Cumque diu multumque res ventilata & examinata fuisset, tali veritate a Curia cognitâ, judicatum fuit, ut prefatus Landolfus restitueret Presbyteris, & parti ejusdem Domni Archiepiscopi terras & arbusta ipsarum Ecclesiarum, & quidquid inde abstulerat. Et Presbyteri earundem Ecclesiarum nihil dare cogantur prefato Landolfo, nisi* Can-

B delas *per vices*, & Duas Salutes per annos singulos, *& Missas sibi cantarent, sicut dictum est hoc Placitum anni preteriti. Per* Advocatum suum *prefatus Domnus Archiepiscopus adversùs eundem Landolfum proclamationem fecit, quod ipse Landolfus easdem terras earundem Ecclesiarum, & Beneficia eorundem Presbyterorum iterum invasit, & per suos ministros vendemiari fecit. De quibus judicium & definitiva sententia data fuerit anno preterito in Palatio Terracinensi. Quod jam dictus Landolfus cum primis negare vellet, tandem confessus est, ministros suos arbusta suo precepto vindemiasse. Tunc nos, & dictus Lampus de Fasanella, & Florus, & Guai-*

C *marius Terracinenses Justitiarii, recordati sumus, quod anno preterito coram nostrâ presentiâ sic fuerat tractata causa, & sic fuerat inde judicatum, sicut superius scriptum est. Hanc commemorationem facere de judicio preteriti Placiti, quod tractatum & definitum fuerat in Terracine Palatio, consilio habito in universa Curia judicatum est, id ipsum debere teneri & observari, quod anno preterito in Palatio Terracine presentialiter fuerat definitum. Videlicet ut predictus Landolfus restitueret, & deinceps quiete pacificare haberet predictum Domnum Archiepiscopum, & partes ejus predictas tres Ec-*

D *clesias sitas, ut dictum est, in territorio Nucerino, cum terris, arbustis, & omnibus pertinentiis suis. Nec aliud a Presbyteris earum exigeret, nisi ut superius legitur, per aliquas vices* Candela, & per annos singulos binas Salutes, *alteram in Pascha, alteram in Natali Domini, &* Missam sibi cantarent. Tanus *verò nullus ab eis exigeretur. Et quoniam quod in prima Curia judicatum, constitutumque fuerat, ausus fuerat sæpe dictus Landolfus removere, nomine pene dare Curie judicatus est . . . . Verum de talibus constituerunt & voluerunt predicti Justitiarii, Lampus videlicet & Florius,*

E *que superius leguntur, te Landolfum Notarium ad memoriam in scriptis redigere jussimus.*

✠ Ego

✠ *Ego qui supra Petrus Protojudex.*
✠ *Ego qui supra Johannes Judex.*
✠ *Ego qui supra Alfanus Judex.*
✠ *Ego qui supra Petrus Judex.*
✠ *Ego qui supra Salernus Judex.*

A Ceterum de veterum Advocatis, sive de *Advocatia armata*, ipsissum edidit Tractatum *Martinus Magerus*, eruditus in Germania Jurisconsultus, quem consulere plura cupienti licebit.

DE VARIO STATU
DIŒCESEON
EPISCOPALIUM.

DISSERTATIO
SEXAGESIMAQUARTA.

DISSERTATIO SEXAGESIMAQUARTA.

Vidimus in Dissertatione XXI. *de Statu Italiæ*, atque in Dissertatione XLVII. *de Amplificatâ Civitatum Italicarum potentiâ*, quot mutationibus obnoxii olim fuerint politici regiminis ac Urbium fines. Nunc disquirendum, an meliori sidere Ecclesiæ, earumque Diœceses fruerentur. Sine hæsitatione credendum, quamquam longe firmiores antiquis etiam Sæculis fuerint Episcopatuum limites, nihilominus ne ipsos quidem perstitisse humanarum rerum vicissitudine immunes. Erant & inter Episcopos, non secus atque inter Urbes, aliquando controversiæ de finibus Diœceseon. Idque potissimùm ediscere licet ex iis, quæ infra in Dissertatione LXXIV. *de Parochiis* sum allaturus. Atque heic non reticenda lepida ratio, quam iniisse feruntur Episcopi Mutinensis ac Bononiensis, ut litem de finibus suarum Diœceseon diu flagrantem componerent. Primus Carolus Sigonius, illustre Mutinensium decus, Lib. I. de Episcopis Bononiensibus hæc habet ad Annum DCCXLIV. de Præsule Bononiensi, cujus nomen ipse ignorabat: *Diœcesim cum Episcopo Mutinensi hac ratione divisit. Factâ inter se sponsione singuli delecti utrimque juvenes sunt, viribus corporis ac pedum pernicitate æquales, quorum unus Bononiâ, alter Mutinâ eodem die, horâque profecti, cursum quàm velocissiem intenderunt. Atque ubi inter se obvii fuerunt, ibi communes terminos utriusque Ecclesiæ posuerunt. Hujus rei vetus monumentum exstat in Actis Civitatis, neque est aliud eo vetustius*. Peregrinam hanc

A narrationem, ut fieri solet, ambabus ulnis excepit, atque expressit in suo Catalogo Episcoporum Mutinensium Sillingardus Episcopus noster: tum Ghirardaccius in Historiam Bononiensem intulit; eamque rursus in Italiam Sacram invexit Ughellius, qui eo tempore Bononiensium Episcopum statuit *Clarissimum*, postea *Barbatum* subjiciens, quum tamen ex ea Inscriptione, quam ipse adfert, liqueat, Barbatum floruisse Liutprando Rege regnante, & ante Ratchisium, atque ideo ante Annum DCCXLIV. Porro Amicus meus eruditissimus D. Gaspar Berettus Monachus Benedictinus, num. 33. Dissertationis Chorographicæ, præpositæ Tomo X. Rer. Italicarum, Sillingardum

B ridet, atque hoc factum ad fabellas amandat. Riseram & ego, quum primùm legi: neque enim quicquam excogitari potest tam alienum a sapientiâ illorum Præsulum, ac similitudine veri destitutum, quàm adeo fallaci ac puerili invento, ejusmodi controversiæ decisionem committere; & præsertim quod necesse foret, ut boni Mutinenses elegerint pro se claudum, quando ad Mutinam ambo cursores, unus tam lentus, alter tam velox occurrerunt. Quare Bononienses amicos rogavi, ut finerent me intime posse rem perscrutari. Illi verò, qui commenta etiam in utilitatem, gloriam-ve Patriæ suæ fabricata minime amant, immo aspernantur, humanissime e pervetusto suo *Registro*

C Chartam ipsam descriptam ad me miserunt: quam evulgare non ingratum Lectoribus futurum puto.

Charta commenticia de divisione finium inter Episcopatus Mutinæ atque Bononiæ, Anno 745.

De quadam antiqua determinatione Episcopatus Bononiæ ab Episcopatu Mutinæ.

In nomine Dei eterni. Regnante Domino nostro Excellentissimo seu magnifico Rege Longobardorum in Italia . . . . Rachis Imperaduro Augusto, Anno Imperii ejus vel pietatis a Deo coronando pacifico Rege imperio Secundo die Mense Septembris pro Indictione Quinta. Quando verò ipsio Donus Imperator Augustus conmoravad in Corte Cardeto, regalia ejus donega, cum magnifico Povulo Longovardoro, super intentione litis de Episcopo sancte Bononiensis Ecclesie, nec non sancte Motinensis Ecclesie, de confinia sua trovada in terminatione controvada eodem fecisse convintione & controvatione devenire homines ipsius Episcopio Bononie incontra ominis Episcopio Mutine. Tunc controvare, cod primitas voce galli canto consurgere & movere se tirare illi incontra illi, & ubi se se conjunsiere insimul, ibi debebant facere terminationes. Facta autem controvatione per singolas personas per singulos Episcopios Bononie & Motine consurgerent, & iterati sunt itinere noctis custodia quilli in-

D *contra quillis, tantum, cod pervenere in Strada Predosia, se vero limite Plano conjunsiere se insimul ambas partes in ipsa noctis, & per illius ambas partes collaudatione controvavere, grande una petra ficaverunt in Strada da ambas partes Strada Predosa. Item duas petras ficaverunt, ut memoria sit a retinenda impostero de perpetuis temporibus. Postea patefacta veritate, non volebant stare in ipsa conventione. Partes aliqua de eo roveniere in Corte Cardeto in conspectu suprascripti Regis Augusti excellentissimi Imperatoris ex . . . . . Longovardoro mandavit seu precepit, ut a notitias factas da ambas partes, ut que neque quilli, & incontra quilli veniere amplius, neque de sacratione, neque*

E *de ordinatione, neque aliqua judicatione peccatoro, seu de consecratione Presbiterorum seu Clericorum, vel de ulla aliqua re, qui ad Episcopio pertine, ordinationem non amplius pertineat ex ipsa re ultra eodem limite Plano, excepto Pleve Sancti Anastasii de ipsa Pleve contra planitias. Et sia vocado d'amodo limes Mu-*

tia : & cod homines Bononie Ecclesia Mutia-ve . . . . . pedes duodecim ultra suprascripto limite aveas ipso Episcopio Bononie pro rectitudine eoro limitem Mutia per usque fluvio Lucido . Item per usque a Pleve Sancti Martini , ut ipsi & illi aveas , illi da una parte limitem , & illi da alia parte illius limitis onne a consecrationibus , onne . . . . onne a districtionibus, qui ad Episcopio pertines , in jura & potestate , dominioque illorum Episcoporum veneranda religiositate sacratissimas Ecclesias vocabulo Sancte Marie Virginis sancte Motinensis Ecclesie , atque beati Petri Apostoli sancte Bononiensis Ecclesie , & onne a successitas illorum de perpetuis temporibus da successore in successore in perpetuum . Cod nullus unquam Augustus neque Augusta da presenti die in antea licentia avea inrumpere nostra annotatione & colaudatione , vel violavere . Et si qui contrafecerit , vel violaverit, nihil legis aveat virtute, si quid in leges situm vel propositum est de pactionibus vel pacti , conventionisque fides servanda est , cod judicavit Conselmus Judice , seu Adelperto Judice , atque Ildeprandus Judice , seu Odelberto Judice , adque Lannis Judice , seu & multos Scavinos ad causa intenta audienda , & colaudanda , ut ac notitia memoranda facta impostero tenenda colaudanda , ut quiqui confregerit vel violaverit seu inruperit vel aperierid da ullo , qui Agusto sive Agusta sit , ut nihil petat, ut nihil valeat, nihil firmitatis obtineat, sed sit irritum factum & violatum perpetuis temporibus corruptum . Et si qui contra petierit , componat pœna ab Agusto statuta auro obrizo optimi Mancosos mille , & argenti Pondera cento ; aut qui modo presente Episcopio sinit , aut qui de ullo qui tempore successore illorum fuerit in perpetuum . At enim a notitia me Adelberto Notario rogato , & da summo Agusto preceptado ascrivii , ut impostero memoria retenenda de cuncta statuta illius a presentibus Ducibus , Comitibus , Warius Duco , Rotharius Duco . Johannes Duco , Urso Duco , Anestasio Duco , Ansilmus Duco , Desiderius Duco , Demetrio Duco , Cricorius Duco , Florius Duco , Petro Duco , Mechis Duco , Tedis Duco , Notepertus Duco : Voderagus Comes , Alterius Comes , Hipone Comes , Ugo Comes , Aldeberto Comes, Odelberto Comes , Mundus Comes, Framundus Comes , Sigelardus Comes , Gothus Comes , & alios innumerabiles ommissis , qui . . . . presentaneastatuta conlaudatione illorum .

Conselmus Judice interfue .
Ildeprandus Judice interfue .
Artmus Scavino interfue .
Adelperto Judice interfue .
Odelberto Judice interfue .
Lanno Judice interfue .

Profectò miratus sum , quei Sigonius , vir emunctæ naris , & in Historia Italici Regni , eorumque temporum Chartis , ævo suo versatissimus , minime animadverterit , heic agi de putida impostura, cujus figmenti signa apertissima vel in oculos tironum incurrere possunt . Verùm Sigonii Opus de Episcopis Bononiensibus , illo jam e vivis sublato , atque adeo inconsulto , in lucem prodiit . Fortassis hæc ab illo minime haberemus si vivens ipse suscepisset edendi Libri curam . Veri , inquam mihi, videtur similius , quum postumo ejus labori non unus pannus adsutus fuerit (ut jam monui in Vita ejusdem Sigonii Tomo I. illius Operum, nuper Mediolani recusorum) nos heic in unum ex iis additamentis incurrere . Animadverte quæso, obvium nos habere in Charta ista Ratchisium Regem Langobardorum *Imperatorem* simul & *Augustum*. Ad exsibilandam Chartam nihil aliud est opus . Attamen adde, Anno Secundo Ratchisii Regis , ideſt Anno Christi DCCXLV. vel DCCXLVI in cursu fuisse *Indictionem XIII.* aut *XIV.* aut *XV.* si illam a Septembri deducis , numquam verò *Quinctam*, ut Charta ista præfert . Linguæ ibi usurpatæ peregrinitatem, & reliqua prætermitto, quum paucula ista satis certos nos faciant , corruere prorsus cum ipsa membrana divisionem ludicram , & somniatam illorum Episcopatuum . Quod tamen dissimulare nolo , antiquitatem sapit ejusmodi figmentum ; atque id deducere posse mihi videor e mentione *Scavinorum* , atque a nominibus Procerum , qui sententiam illam comprobasse finguntur. Ii sunt *Urso Dux*, cujus nomen nobis obtulit Charta *Johannis Ducis* illius filii , supra a me edita in Dissertatione XXI. *de Statu Italiæ* . Itidem *Ansilmus Dux* , qui Sæculo abjurato Monasterium Nonantulanum , Aistulpho Rege regnante , condidit : *Nortepertus Dux* , cujus memoria occurrit in Donatione Nonantulano Cœnobio facta a Carolo Magno , ut infra in Dissertatione LXVII. videbimus ; & *Desiderius Dux* , is nempe , qui Rex Langobardorum renuntiatus finem vivendi fecit in carceribus ejusdem Caroli Magni . Quei nomina heic non falsa impostor in Chartam hanc falsam invexerit , mirari quisquam possit . Sed fortasse usus fuerit aliquâ aliâ germanâ Chartâ ad confingendam suam . Atque utinam tempus confictæ Chartæ divinare mihi liceret. Nam si antiquitate multâ eadem constaret , & referenda exempli caussâ foret ad Sæculum Christi Undecimum , aut etiam ad Decimum , illam magni facerem , quod nullam fortasse parem Chartam haberemus , quæ Vulgaris nostræ Linguæ vestigia exhibeat .

Ceterum antiquis Sæculis , quum bella susdeque omnia verterent, in iis tumultibus, aut etiam Sedibus vacantibus , aut Episcopis in exsilium trusis , interdum territoria Episcoporum , quæ a Græcis *Parochiæ* seu *Parœciæ* , postea *Diœceses* appellata sunt , grave quandoque detrimentum accipiebant , multisque mutationibus obnoxia fuere, Episcopis vicinis aut Caritatis caussâ , aut dilatandi imperii Cupiditate , in aliorum jura intrantibus . Ad hæc nonnumquam unus Episcopus intra Episcopi alterius territorium sacram aliquam Ædem aut jure patronatus possidens , aut ædificans , aut ibi Episcopale munus forte , consulto-ve exercens , litem subinde movebat de finibus Diœcesis . Quam in rem consule Gratianum XVI. Quæst. I. Et ante annos quidem mille *Balsari Lucensis Episcopus*, ut Ecclesiæ suæ illæsa jura servaret , quum *Johannes electus Pistoriensis Episcopus* in quadam Baptismali Ecclesia aut sacrandus esset, aut aliquid juris sibi esse contenderet , ipsum adegit ad antea fatendum , Ædem illam ad Lucensis Episcopi Diœcesim ac potestatem pertinere , nihilque ex eo actu diminutum iri Lucensi Ecclesiæ . Id posse deduci mihi visum est ex Charta plane obscura , vocibus etiam nonnullis præ vetustate absumtis, quam ex antiquissimo apographo descripsi , adservato in Tabulario Lucensis Archiepiscopii .

Johanis

Johannis electi Episcopi Pistoriensis professio facta Balsari Lucensi Episcopo, nihil juris deperiturum Ecclesiæ Lucensi in quamdam Ædem sacram, Anno Chisti 700. aut 715.

IN *nomine Domini Dei nostri Jesu Christi. Repromitto tibi* Balsari *Deo gratia* Episcopus, *me . . . . ad filio meo* Johannis Electus Civitati Pistoriensis *Sacerdotibus, ut justo moderamine conservemus fermitatem quotiens alia inter bo . . . . . . essoris evenerat bone voluntati . . . . & si de officiorum . . . . Ecclesiasticis oportet de ea, que semel fecerit, per scripto fermari, & ideo auctori Deo prometto adque spondeo* Johannis Electus Civitatis Pistoriensis *tibi viro beatissimo* Balsari Episcopus, *postea quam me Populus Pistoriense in loco Episcopati elegerunt, recordati somus*, eo quod de Deocisis at Lucano Episcopus semper fuerunt, & menime potuimus foris tuo consilio Episcopus predictus in ipso loco profecisce-re, recorrentis nos ad orationibus petivimus licentiam, ut in eo loco Episcopatio nos suscepere deveremus; *si tamen ut at governatione erga Eglesie Pistoriensis patrocinio, sic ita, ut dum advivere meruerimus*, ordinationem Presbiterorum, Diaconorum faciendam, non nobiscum, sed tua Sanctitas peragendum. Et hoc repromitto tibi Dominus Balsari Episcopus vel Socessoribus tuis, de Eglesie, vel qui prope nos esse videtur, me numquam esse causator, neque subtragendum da vos hoc ipse Eclesie. *Vel & si subtraère voluero ego Johannis per me ipsos de . . . . . vel Cellesis Eclesie, vel per somessione alio via . . . . . promessionem ire temtaverimus, componat parti vestre auri Soledos centum pene causa, sed in omnibus adimpleta, qualiter decrevimus, & amodo Dei incorrat judicium, & ad sagrosancto Altario sed remotus, si ego Johannis, & cum causa vero da suprascrita repromissionem . . . . Quam viro repromissionem per* Domno genitore meo Adrohald Abbas *vovis suprascripte parti pars elegi, uvi & propria confermationem vel conscriptionem manevus meis, vel Sacerdotum meorum tradidi scribendum.*

Actum in Domo Sancte Eclesie Civitati Lucense, sub die XII. Kalendarum Juniarum, Indictione XIII. feliciter.

Fuerunt etiam tempora, præcipue post Sæculum Æræ Christianæ Decimum, quibus propter aliquod enorme crimen, puta Schismatis, imminuta fuit Metropolis Archiepiscopis, aut Diœcesis Episcopis, non secus ac factum Civitatibus nonnullis, quas ira Imperatorum seu Regum antiquo Comitatus jure exuit. Sed quod in primis animadvertendum, plurimis in locis, ubi insignia Monachorum

A Monasteria invaluere, decurtata olim fuit Episcoporum ditio atque Diœcesis. Sunt adhuc plura Monasteria, sive a suis Abbatibus recta, sive Sæcularis Cleri primoribus commendata, quæ propriâ Diœcesi fruuntur, ibique tamquam Episcopi, Ordinum & Chrismatis collatione exceptâ, omnia administrant. Notissima sunt Casinense, Farfense, Sublacense, Novaliciense, Pomposianum, atque, ut alia omittam, amplissimum Nonantulanum in agro Mutinensi fundatum, cujus Diœcesis vario ac intercis̄o cursu in plurimas Parochias excurrit, in Mutinensi, Patavino, Bononiensi, aliisque territoriis, atque in Friniatum, sive Frigniani Provincia sitas: quas omnes Episcopali jure nunc moderatur Eminentissimus S. R. E. Car-

B dinalis Alexander Albanus, perpetuus Abbas Commendatarius. Plura ejusmodi Monasteria vetusta ætas agnovit, quorum jura & auctoritas turbidissimis Italiæ temporibus exciderunt. Plura etiam prærogativâ hac prædita ostendit adhuc Germania. Quanam ratione, petas, quoque tempore, ita Monachorum potentia aucta est, ut ex Episcoporum spoliis ditionem sibi propriam constituerint. Illud exploratum, non solum Baptismales omnes Ecclesias antiquis Sæculis Episcopo uni obtemperasse, sed etiam jus Episcopis fuisse in ipsos Monachos, eorumque Monasteria. Quæ auctoritas multis in locis etiam post Sæculum Christi Decimum

C perduravit, donec Pontifices Maximi integrum Monasticum Ordinem sensim Episcopali potestati subduxere. Vide infra Dissertationem LXX. *de Cleri Immunitate*. Antiquissimis etiam Sæculis fuerunt Ecclesiæ in jure Monachorum, aut ex eorum fundatione, aut ex dono Fidelium; quæ tamen Oratoria fere omnia & Capellæ erant, atque illic suos Clericos & Rectorem Abbates constituebant, quamquam ne id quidem Episcoporum juri officeret, uti neque officiebat jus Patronatus, quo Laici multi in varias Ecclesias fruebantur. Sed ad Parochiales Ecclesias quod attinet, arduum puto decernere, quo præcipue tempore divelli ex Episcoporum potestate, ac pleno jure

D ab Abbatibus seu Monachis possideri cœptæ sint. Juvabit interim Lectori ante oculos sistere fragmentum non parvi faciendum, hoc est, partem Catalogi veterum Privilegiorum prælaudatæ Abbatiæ Nonantulanæ, quam, Privilegiis ipsis deperditis, aut aliò devectis, in Archivo Monasterii ejusdem superstitem deprehendi.

Index

Index aliquot vetustissimorum Privilegiorum Nonantulano Cœnobio a Regibus Langobardorum, ac primis Imperatoribus Francis concessorum, conscriptus a Monacho ejusdem Monasterii, Anno 1279.

Quoniam ego novi, quod in hoc Cenobio multi sunt Fratres, qui ignorant rationes & jura illorum, & hujus Monasterii, idcirco infra memetipsum cogitans volui breviter retrahere substantiam omnium nostrorum Privilegiorum, tam Papalia, quàm Imperialia. Ideo noverit universitas vestra Karissimi Fratres, quod omnia bona, quæ possidetis, & etiam illa, quæ olim possessa fuerunt a nostro Monasterio, quæ tamen amisimus, acquisivimus solummodo ab Imperio Romano, largitione Ducum, Marchionum, Comitum, seu oblatione fidelium hominum ac mulierum. Ab Ecclesia verò Romana habemus tantùm spiritualia, scilicet exemtionem nostri Monasterii, & Ecclesiarum nobis spectantium, confirmationem quoque temporalium rerum, largita a supradictis, & alias Indulgentias, ut notata sunt inferius, idest Mitra, Dalmatica, Cirotechæ, Sandalia, & omnia insignia Episcopalia, quæ . . . . . ad Abbatem nostrum. Quibus singulis reduco in scriptis, ut ambiguitas & ignorantia . . . . certitudinem verò jurium ac Privilegiorum nostrorum vobis sit cognita congruenter. Annotare enim disposui omnia & singula Privilegia supradicta Papalia & Imperialia . . . . . . nunc habet tempore custodiæ meæ, in Millesimo Ducentesimo Septuagesimo Nono, *Indictione VII. vacante Sede Abbatiæ, tempore Domini Nicolai Papæ Tertii. Volui incipere a* papyris Imperatorum, *propter vetustatem.*

In primis Privilegium Aistulfi Regis in papyro (*ille enim est exordium nostri Monasterii Nonantulani*) *qualiter donatur Monasterio in sanctissimo* Abbate Anselmo *Fananum, & Silva de Gena, quæ est Curtis Nonantulæ, cum confine Strata publica, Panarius, Zesa, quæ est intus Persicitanos usque in Rivo Mortuo, & Paludes, una cum Basilica Sancti Martini in Cotiano, & ipsa Silva cum fluvio Gena usque in Rosalese. Et ut nullus audeat ædificare molendina a Strata publica inferius, sine consensu Rectoris Monasterii, præter duo in Curte Panciano, neque cum fandonibus & navibus navigare, neque pontem vel transitum facere, neque piscare in ipsis fluminibus Panario & Gena . . . . . illorum fluminum ab utraque parte duodecim pedes via. Curtem quoque Canetulum in territorio Mutinensi, cum omnibus pertinentiis suis: & duas partes de Silva Lupolito, seu de Silva Marianese, Macematicum, Capraisa . . . . . Grumulenses usque in limite Decimano, qui percurrit in Mutinum, & Villam Ullianam, & de ipso limite in Panarium veniente. Et Casale Modenula, & Luduria . . . . Moclena, sicut vadit Argile Salese cum Fossa Qintana, seu Vico Siculo, qui nunc dicitur Sancti Petri in Coneta, cum ipsa Ecclesia, & cum omnibus pertinentiis suis. Item omnibus silvis, paludibus, campis & piscariis, usque in Rosalese per supradictos confines. Item silvis, fossis omnibus, campis, lacis, piscariis, fluminibus, & cuncta quæ nobis pertinent in Bondeno, cum omnibus jurisdi-*

A *ctionibus & piscariis in territorio Mantuano. Et quod possumus piscare Padum a loco Sarmate usque in mare. Et quod in omni loco, ubi habemus Cellas, aut habebimus in futuro, semper nostram porcionem de silvis & piscariis debemus habere, si ibi sunt. Et ut nullus præsumat in Italico Regno servos vel ancillas Monasterii, qui fuga lapsi fuerint, quoquo modo retinere, & in tota Italia ripaticum vel toloneum non solvere, nec publicam functionem facere. Concedit etiam mercata in propriis nostris terris, & . . . . . in omnibus nostris Monasteriis. Et quod quicumque voluerit refugium facere possit, & res suas offerre Monasterio.*

Item aliud Privilegium Flavii *prædicti in*
B *papyro factum supradicto* Abbati *Anselmo, confirmans supradicta, adjungens medietatem Porti in Aqualonga, quæ est Situla, scilicet a Strata publica inferius, incipiens in loco Citanovæ; ac etiam Massa . . . . . cum pertinentiis & familiis suis.*

Item aliud Privilegium Flavii *antedicti, concessum* Abbati *prædicto* Anselmo in papyro; *confirmans supradicta, adjungens Insulam, quæ est intus . . . . . & Fossa, quæ dicitur de Munda; confines ponuntur Salicetum, ipsa Fossa, & Militaria, intrante in Panarium: Et silvam unam in Gauri, & Arnese. Et etiam Monasterium Domini Salvatoris de Fanano, & Massa Lizano, ut omnes homines habitantes ibi faciant operas cum bobus & mani-*
C *bus, necnon & angarias, atque portaticum exigere, ubi opportunitas fuerit. Similiter namque quadraginta octo præceptales Persicitanos, quos* Ursus Dux *donavit huic Monasterio. Etiam ut Notarii possint fieri Cartas de omni conditione, quæ pertineat ad Monasterium, sine alicujus contradictione. Et adjungens quamdam viam per* Wilzachara. *Confirmatur donatio illa, quam nobis* Anscausus Episcopus, *& Guidoaldus Medicus fecerat. Et quod, quando obierit Abbas, semper de ista Congregatione eligatur. Et quod, quando de navibus nostris in omni loco, ubi habebimus, portaticum tollere; & ut nulla persona Ecclesiastica vel Secularis audeat mansiones facere sine nostra licentia in nostris locis, vel freda exigenda, sive*
D *parafredos aut fidejussores extollere, aut in placitum conducere, sive homines servos livellarios, & emphitheotecarios, ad aliquid functionis publicæ coërcere vel distringere, necnon suprascriptos præceptales Persicetanos ullo modo distringendos, aut redibitionem ullam, aut inlicitas occasiones requirendas consurgere audeat. Irritæ sint scriptiones factæ sine consensu omnium Monachorum . . . . . . sine consensu Abbatis. Concedens etiam Olivetum unum . . . . . Castellum Aginulfi in Comitatu Lucense, & duas casas massaritias. Et pro benedictione debemus Regi quadraginta Lucios in Quadragesima majore, & Sanctæ Mariæ in Papia, in Mantua, & in Ravenna.*

Item aliud Privilegium Ludovici Imperatoris Pe-

Petro Abbati; *confirmans pactum, quod fuit inter ipsum Abbatem, & Gisonem* Episcopum Mutinensem de Ecclesiis Baptismalibus, & aliis: videlicet, quod ipse Abbas dedit eidem Episcopo Ecclesiam Sancti Thomæ Baptismalem prope Lamma pro universis aliis Ecclesiis; & ipse Episcopus alias reliquit in pace. *Et ita invicem inter se firmaverunt pactum.*

Item aliud Privilegium ejusdem Ludovici *in ipso* Petro, *reconfirmans viam per Guilzachara, & fluvium Genæ, veniente per ea.*

Item aliud Privilegium ipsius Ludovici, *reconfirmans adhuc semel Privilegia* Aistulfi, *&* Karoli patris sui, *recipiens sub protectione Monasterium cum suis famulis, servis, livellariis, emphyteotecariis, & omnibus rebus, quæ pertinent ad Monasterium, & de ordinatione Abbatis de Congregatione ista.*

Item aliud Privilegium dicti Ludovici *in prædicto* Petro. *Simili modo concedit.*

Item aliud Privilegium prælibati Flavii in papyro, *emisso in supradicto venerabili* Anselmo, *confirmans antedicta, adjungens Castrum Fanani cum Ecclesia, & universis ejus pertinentiis, alpibus, rupinis, planitiebus, cultis & incultis, aquis, aquarumque decursibus. Seu Castrum Sclopanum, Sestula, Montecalvo, Cervariolo, & Alpe currente Rivo Cerciliense, & Lardiniola fluvio. Necnon Plebem Sancti Mammæ in Lizano cum jurisdictionibus rerum temporalium, & cum universis, quæ pertinent ipsis suprascriptis Lizano & Galba, idest Aquaviva, Rivofrigido, Viliciatico, Saxocluriano, Gricla, Variana, & Porcile, cum montibus, vallibus & silvis, hominibus & domibus, quæ nunc sunt, & in futuro erunt.*

Item aliud Privilegium in papyro Adelchisi Regis in Silvestro Abbate, *confirmans omnia Privilegia superius annotata, cum universis rebus mobilibus & immobilibus.*

Item aliud Præceptum Flavii Aistulfi in papyro . . . . *donans illo Ursoni quadraginta octo præceptales Persicetanos . . . . . . confirmat nobis. Et quod salto . . . . . . & . . . . . juges terræ in loco Casale, qui vocatur Castellionus, & in loco Veron . . . . . . quarum rerum ipse Ursus videtur nostro Monasterio concessisse. Et in ipso* Ursonis *Præcepto continetur*, quia donaverat illi ipsi Flavius Rex Bononiam, & Imolam; atque Castellum, quod dicitur Trentum, *in illo & in suis heredibus.*

Item Privilegium clementissimi Karoli Imperatoris in cartula pergamena *emisso in prædicto* Anselmo Abbate, *confirmans Privilegia* Astulfi, *&* Desiderii Regum, *scilicet Privilegium, de quo facio mentionem superius*: ideo non scripsi, sicut illa Astulfi & Adelchisi, quia consumptum est, & dissolutum præ vetustate, quia fuit in papyro, ita quod non potui ex illo extrahere bonum quidquam: unde dimisi. *Sed istud supradictus Karolus comprehendit, confirmans illud Desiderii & Astulfi in omnibus similiter, ut ipsi dicunt. Adjungens, ut homines de Fanano, Lizano, Galba, non audeant conducere extraneos homines in ipsis Curtibus & locis prænominatis. Item de Aqua Genæ veniente per Guilzacharam ad molendina nostra.*

Item aliud Privilegium ipsius Karoli *in ipso Abbate præfato, qualiter ipse donavit huic Monasterio Plebem de Bondeno, cum hominibus & colonis universis, & feminis, & massariciis, ædificiis, & omnibus rebus & pertinentiis in ipsa Corte Bondeno tam paludibus quàm piscariis usque in Spino, pro reverentia Beati Silvestri, cujus Corpus heic requiescit.*

Item aliud Privilegium uno tenore Karoli *prædicti in ipso* Anselmo, *quem Monachum ipse dicit, ubi offert Monasterio Camuranam, Solariam, & Grumulum, cum pertinentiis suis, domibus, ædificiis &c. aquis, fluminibus & piscariis.*

Item aliud Privilegium ipsius Karoli *in ipso præfato* Anselmo, *qualiter ipse suscipit Monasterium in suum mundeburdum vel defensionem, cum omnibus rebus vel hominibus Monasterii, & quod quando ipse obiret, ipsi Monachi semper de ista Congregatione eligent Abbatem.*

Item aliud Privilegium prædicti Karoli *in ipso* Anselmo Abbate, *confirmans quandam sententiam, quæ lata fuit inter ipsum Anselmum Abbatem & Pas. . . . . . Avocatum suum ex una parte, & homines de Vico Salecta, Vico Flexo de Comitatu Regiense, & alia de Silva & Palude de Gajo Lamese.*

Item aliud Privilegium præfati Karoli *in prælibato* Anselmo, *confirmans aliam quandam sententiam, quæ lata fuit inter ipsum Abbatem & inter Raynaldum Castaldionem Civitatis Novæ, & Populum ejusdem Civitatis, & Populum Sorbariensem, Albertum, & Colegariam, de Insula & Silva, quæ esse videtur inter Panario & Fossa, quæ dicitur Munda.*

Item aliud Privilegium prælibati Karoli *in sæpe fato* Anselmo, *concedens illi quosdam homines de Persiceta in hac forma*: Item concessimus, ut Abbas vel Monachi pro ut aliqui homines liberi ex territorio Persicetano ex nostra voluntate licentiam habeant . . . . . sine ullius inquietudine aut intentione judicii pro jure & pro utilitatibus Monasterii discurrere, ubi necessitas fuerit. Hi sunt Deodatus, Persuic, Arriald, Gualmarenus, Trasolo, Armato, Vitalianus, Januaria, Maurus, Johannes, Raynaldus, Ubaldus, Anricus, Guisus, Constantinus, item Dominicus, Senator, item Johannes, item Walbertus, Curianus, item Johannes Blanca, item Dominicus, Apolenaris. Hi omnes in ejus obedientia deserviant Monasterio.

Item aliud Privilegium ejusdem Karoli *in jam dicto Abbate* Anselmo, *confirmans quandam offersionem, quam huic Monasterio fecit quidam, qui vocabatur Aldoin filius Vecturi quondam scilicet in Comitatu Vicentino & Veronense. Insuper concedens in territorio Bononiense Sucido, Caldario, & Cesaretico, & fundo Casanovola.*

Item aliud Privilegium ipsius Karoli *in ipso* Anselmo, *confirmans* concordiam, quæ fuit inter ipsum Anselmum Abbatem, & Vitalem Episcopum Bononiensem de Plebe Sancti Mammæ in Lizano, videlicet ut ipse Episcopus habeat spiritualia tantùm, ipse verò Abbas habeat temporalia & Patronatus in eligendis ibidem Clericis.

Item aliud Privilegium ipsius Karoli *in supradicto* Anselmo Abbate, *confirmans breviter omnia, quæ concessa fuerunt per Astulfum, etiam adjungens duas Ecclesias in Comitatu Motinensi in honorem Sancti Martini consecratas, nihil dicens de locis, ubi sint, cum universis appendiciis.*

Item Privilegium piissimi Imperatoris Ludovici in Petro *Abbate, confirmans Præcepta Astulfi, Desiderii, Adelchisi, & serenissimi patris sui Karoli Magni Imperatoris.* Cetera desiderantur.

Cla-

Clarissimus Vir Scipio Marchio Maffejus Veronensis, cui eruditum Opusculum debemus de antiquorum *Papyris*, sub *Diplomaticæ* nomine editum, jam post Mabillonium adnotavit, diu viguisse in Italia Ægyptiacæ *Papyri* usum ad conscribenda Regum Diplomata, & Acta publica, sive privatorum hominum contractus. En quanta eorum copia Anno etiam MCCLXXIX. custodiretur in Tabulario Nonantulano. Animadvertas autem velim, Langobardorum quidem Regum Diplomata *Papyro* inscripta fuisse, Francorum verò Cæsarum pergamenâ: Privilegium Desiderii Regis, ait Auctor Catalogi, *non scripsi, sicut illa Astulfi & Adelchisi, quia consumtum est & dissolutum præ vetustate, quia fuit in Papyro, ita quod non potui ex illo extrahere bonum quidquam*. Ceteræ Papyri intactæ erant; sed jamdiu evanuere. Nunc ad rem nostram redeundo, ex Privilegio Ludovici Pii Augusti heic memoratur concordia inita inter *Gisonem Episcopum Mutinensem* & *Petrum Abbatem Nonantulanum* (eum nempe, quem Eginhardo teste in Annalibus Francor. Carolus Magnus Anno Christi DCCCXIII. una cum *Amalbario Treverense Episcopo propter pacem cum Michaële Imperatore confirmandam Constantinopolim misit*) concordia, inquam, *de Ecclesiis Baptismalibus, videlicet, quod ipse Abbas dedit eidem Episcopo Ecclesiam Sancti Thomæ Baptismalem prope Lamma pro universis aliis Ecclesiis; & ipse Episcopus alias reliquit in pace*. Ergo ex his inferas, jam circiter Annum DCCCXV. ad Nonantulanum Abbatem spectasse quasdam *Ecclesias Baptismales*, atque in ejus jure fuisse, non repugnare Episcopo Mutinensi, in cujus Parochia sive Diœcesi ædificatum fuerat Monasterium ipsum. Verùm his superstruere judicium certum nemo ausit, quando ipsum Diploma, pactumque tunc stabilitum periit, neque licet nobis rite narrationem illius perpendere. Potuerunt enim pertinere ad Nonantulanum Monasterium Ecclesiæ illæ, sed ut Abbas temporalia earum administraret, aut jure Patronatus illic Parochum & Clericos collocaret, intacto tamen Præsulum Mutinensium jure, quibus probandus esset Rector electus, & a quo accipienda foret Sacramentorum ministrandorum facultas. Infra quoque memorari audis concordiam alteram *inter Anselmum Abbatem, & Vitalem Episcopum Bononiensem de Plebe Sancti Mammæ in Lizano, videlicet, ut ipse Episcopus habeat spiritualia tantùm, ipse verò Abbas habeat temporalia, & Patronatus in eligendis ibidem Clericis*. Si qua ergo Monasteria ante Annum Christi Millesimum, immo & postea, pleno jure, aut excluso Episcopo, dominata fuisse Ecclesiis Parochialibus deprehenduntur, æquum erit exposcere, ut id certis, neque confictis tabulis confirmetur. Quod si fiat, tunc edocendum restabit, num liberâ concedentium Episcoporum voluntate, aut saltem Apostolicæ Sedis Privilegio, in Abbates Episcopale jus ejusmodi translatum fuerit, an ad eos devenerit illegitimâ potius aliquâ ex ratione. Quod postremum dico; fuerunt enim olim potentes, qui illustriores Abbatias, Sæculo præsertim Æræ nostræ Decimo commendatas habuerunt: notumque omnibus est, easdem rursus novissimis hisce Sæculis primoribus Ecclesiæ fuisse traditas, ut ajunt, in *Commendam*. Quod Proceres amplissimo Monasterio Nonantulano dominati fuerint eodem Sæculo Decimo, ostendam in Dissertatione LXXIII. *de Monasteriis in Beneficium datis*. Fieri potuit, ut veteres ii Commendatarii Abbates (nam quos recentiora Sæcula peperere, venerabundus prætereo) Archiepiscopi nempe, ac Episcopi in Italia, apud Reges potentissimi, uti in Monasteriis sibi traditis, ita in Ecclesiis etiam Baptismalibus, ad jus Monasteriorum spectantibus, dominari voluerint, spretâ Episcopi auctoritate, in cujus Diœcesi eædem Ecclesiæ sitæ erant. Principes quoque viri Sæculo Decimo ac Undecimo, quum Ecclesias etiam Parochiales invasissent, eas postea non Episcopis restituere, sed Monasteriorum Abbatibus tradere, immo & vendere consueverunt: quam ob rem inter Episcopos & Abbates acerrimæ obortæ sunt controversiæ; & deductæ ad judicium Apostolicæ Sedis. Id erudite animadvertit Thomassinus Part. 2. Lib. I. Cap. 36 de Beneficiis; atque eâ de re exstat Epistola Johannis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis ad Episcopum Molismensem, Tomo 9 pag. 479. Concilior, Edition. Labbeanæ, scripta circiter Annum Christi MLXXX. Quo Cardinali fatente dicimus, *omnes Ecclesiarum res in manu Episcoporum esse debere, uti canonica decreta constituunt*; sed invectas postea consuetudines contrarias, & lites non modicas, turbatæ videlicet jurisdictionis Episcopalis caussâ. Idem vero Thomassinus Part. I. Lib. 3. Cap. 22. plura congerit, ad ostendendum, Episcoporum jus antiquitus etiam servatum fuisse in Ecclesias Monasteriis subjectas. Tum eodem Lib. 3. Cap. 30. & sequentibus in originem Privilegiorum inquirit, quæ Monachis aut ab Episcopis, aut a Metropolitis, sive a Romanis Pontificibus concessa fuere.

Unum mihi tantummodo addendum, scilicet quod est ad antiquiora tempora, circumspecte admodum de pleno jure Abbatum in Plebes sive Parochiales Ecclesias, esse judicandum. Certe inficias non ierim, quin & longe ante Millesimum a Christo nato Annum Monasteria fuerint ad eam dignitatem evecta, ut aliquid ex juribus Episcopalibus commune cum iis foret: quæ videlicet ab Imperatoribus condita erant, aut eorum immediatâ protectione fruebantur, qualia fuere Casinense, Farfense, Nonantulanum &c. Exemplum accipe. Monasterium Domini Salvatoris non longe ab Urbe Ticinensi construxit Anno DCCCCLXXII. religiosissima Augusta Adhelais, Ottonis Magni conjux. Impetravit illa, ut sacer locus immediate subesset Apostolicæ Sedi: ac proinde Johannes XIII. Papa Constitut. LIII. editâ in Bullario Casinens. Part. 2. inter alia statuit, ut *Baptismus etiam in eisdem Ecclesiis Monasterii licenter fieret Apostolicâ auctoritate*. Tum alterâ Constitutione interdicit Episcopo, *ne in eodem Monasterio alicujus potestatis prærogativam sibi aliquando usurpare præsumat*. Hæc sane (præcipue verò quod de jure Baptismatis conferendi additur) innuere satis videntur, Præsuli Ticinensi ex vi Apostolici Privilegii nihil juris relictum fuisse in Ecclesias Baptismales, eidem Monasterio subjectas: quod an secus esse potuerit, judicent alii. In hisce enim casibus dispiciendum est, num Diplomata autographa sint: interpolationis quippe suspicio in apographis licèt vetustis suboriri potest. In eo autem Diplomate desideratur Annus Pontificatus *Johannis XIII.* & perpendendum superest, an *VIII. Kal. Majas*, Anni DCCCCLXXI. decurreret *Annus V Ottonis*

II. Augusti; & quare eidem Monasterio nuper condito ab ipsa Augusta confirmentur *possessiones, quæ a Regibus & Principibus, seu quibuslibet Christi fidelibus collata sunt*; & cur Augusta simul dicatur *ædificasse ac renovasse* ejusmodi Cœnobium. Basilica quidem Salvatoris ante multa Sæcula fuerat condita. An ibi antea fuerit & Monasterium, eruditi Ticinenses ostendent. Vide, quæ supra de hoc ipso Monasterio memoravi in Dissertatione XXI. *de Italiæ Statu*. Denique in Literis ejusdem Johannis Papæ ad Episcopum Ticinensem Adhelais Augusta *Monasterium* illud *in propriis* constituisse dicitur; eique Antistiti jus *in idem Monasterium* abrogatur (quod de aliis multis factum novimus) sed nihil *de Ecclesiis Baptismalibus* additur. Certe animadvertas, in aliis ante Annum Christi Millesimum Romanæ Sedis Privilegiis nullam fieri *Baptismi* ministrandi mentionem. Neque statim afferenda est Monachis plena immunitas in iisdem Ecclesiis, quòd licuerit eis *Chrisma, Oleum Sanctum, Consecrationes Altarium, Ordinationes Clericorum* &c. a quocumque vellent Catholico Episcopo recipere: nam consistere hæc poterant cum jure Episcoporum in Parochiales Ecclesias. Atque heic præsertim considerandus venit Canon IV. Concilii Claromontani, habiti Anno MXCV. præsidente Urbano II. Papâ. Hæc sunt ejus verba: *Quia Monachorum quidam Episcopis jus suum auferre contendunt* (en quod antea pronuntiavi, nempe usurpationes aliquas in hanc disciplinæ Ecclesiasticæ partem irrepere potuisse) *statuimus, ne in Parochialibus Ecclesiis, quas tenent, absque Episcoporum consensu Presbyteros collocent. Sed Episcopi Parochiæ curam cum Abbatum consensu Sacerdoti committant; ut ejusmodi Sacerdotes de Plebis quidem cura Episcopo rationem reddant*. Ceterum post Sæculum Undecimum, in illustrioribus quibusdam Monasteriis clarius spectanda se præbent Diœcesis propriæ vestigia; inter quæ eminet nobilissimum Casinense, cujus Diœcesim atque jurisdictionem spiritalem illustravit Angelus de Nuce in Dissertatione appositâ ad Cap. V. Lib. I. Chronici Casinensis a me jam editi Tomo IV. Rer. Italicarum. An autem ea tantæ sit antiquitatis, quantam ipse opinatur, aliorum erit inquirere. Dicam & ego infra aliquid in Dissertatione LXX. *de Immunitate Cleri*. Neque enim hac de re certum judicium proferre possit, nisi qui universa atque integra amplissimi loci Privilegia ante oculos habeat. Margarinus Part. 2. Constitution. 81. Bullarii Casinensis, Bullam Benedicti VIII. Papæ pro eodem Cœnobio evulgavit, sed mutilam, atque in calce etiam addendæ erant Chronologicæ notæ istæ: *Datum XI. Julii, per manum Bosonis* (*Bossum* depravate appellat Ughellius in Episcopis Tiburtinis) *Episcopi Sanctæ Tiburtinæ Ecclesiæ, & Bibliothecarii sanctæ Sedis Apostolicæ: Anno ab Incarnatione Domini Millesimo Vigesimo Tertio, Pontificatus verò Domni Benedicti Hortani Papæ, sedente Anno XII. Imperii verò Domni Henrici Romanorum Imperatoris .... Indictione VI. Mense Junii die Vicesimâ nonâ*. Quare Ciampinio in Catalog. Bibliothec. sanctæ Romanæ Ecclesiæ, minime subscribendum est, exhibenti ad Annum Christi MXX. *Benedictum Episcopum Portuensem, & Bibliothecarium sanctæ Apostolicæ Sedis*: quum Boso Tiburtinus, ut constat ex alterâ Bullâ Farfensis Monasterii, ejusmodi munere fungeretur Anno MXVII. & fungi perrexerit Anno MXXII.

Pari prærogativâ Diœcesis propriæ antiquissimum Pomposianum Monasterium post Annum Christi Millesimum frui deprehenditur: qua de re certos nos faciunt plura Privilegia apud Monachos Benedictinos, nunc Ferrariæ in Cœnobio Sancti Benedicti Deo famulantes. Unum tantummodo ex Archivo Estensi depromtum dabo.

Leonis IX. Papæ Bulla, qua Monasterio Sanctæ Mariæ de Pomposia confirmat varia illius jura & bona, Anno 1052.

LEo Episcopus, *servus servorum Dei*, Ecclesiæ *gloriosæ Matris & Virginis perpetuæ* Beatæ Mariæ, *sitæ* in Insula Pomposiæ, *& per eam dilecto in Domino Jesu Christo filio*, Mainardo *venerabili* Abbati, *tuisque Successoribus juste intrantibus in perpetuum. Regina Cælorum Dei Genitrix super Choros Angelorum exaltata, ut a nobis pia exaltetur devotione, nostra, in quantum potest, providere debet sollertia, scilicet in locis nomini suo dicatis, augendo benefitium, quo sui speciales famuli commodius sibi possint exhibere servitium. Quapropter te, venerande fili, quem sibi videmus fideliter ...... in præfato Monasterio ei famulantibus Monachis volumus nostro adjutorio bene præesse, ut tu ipse moraliter, sicut oportet, vivas, debitum dantes consilium, & bona, quæ vel aliunde vel præcipue a Sede Romanâ, tua tenet Ecclesia, vel acquireret in perpetuum, confirmantes tibi per hoc sanctæ Apostolicæ auctoritatis Privilegium. Igitur quia petistis a nobis, quatenus ex nostra largitate, nostroque dono concederemus vestræ Religiositati Massacellam integram, quæ vocatur Materaria, & Massam, quæ vocatur Mausculi, integram, & fundum integrum, qui vocatur Casale publico, & Massam, quæ vocatur Nepoti, & Massam, quæ vocatur Caputbovis, Terram & Vineam, sicuti modo vos habetis, & tenetis jure Beati Petri Apostoli. Necnon & ripam Fluminis Alemonis ex utrisque partibus juxta Massam, quæ vocatur Prata, extendente ipsa ripa a Bigaziolo usque ad Campum Bedulli, & Terram & Vineam juxta muros Civitatis Ravennæ cum Turre, quæ vocatur Branca, in integrum a Pusterula Augusta usque ad Portam Taurensem. Et Hortum unum in integrum in loco Pontis Calciati in ..... Sancti Andreæ a duobus lateribus jure ipsius Sancti, a reliquis duobus via publica. Et Lacum, qui vocatur Sanctus, cum omnibus rebus & pertinentiis suis, cum Plebe & Capellis ac Titulis ipsius, vocabulis Sanctæ Mariæ, & Sancti Martini, Sancti Petri, Sanctique Venantii, cum Piscaria, quæ vocatur Tidini, & Fossa Archipresbiteri, & Piscaria, quæ vocatur Falce, cum loco, qui dicitur Monticello Laci sicco, cum ripis Fluminis Padi*

Padi & Gauri ex utrisque partibus usque in Mare, & a loco Concæ Agathæ ex una parte usque in Mare, cum loco in integrum, qui dicitur Masinzatica, inter affines de toto loco ac territorio Massæ, quæ vocatur Lacus Sanctus, ab uno latere Fossa Molendini de Volta Latercli, descendente in Aquiliolo, & a fluvio Tribba usque in Elliam, & per paludem usque mediam Curbam, ultraque Curbam usque Padum, & ultra Padum usque ad Gazium Episcopii Sanctæ Comaclensis Ecclesiæ, inde usque ad Fluvium, qui vocatur Cesi; ab alio latere Curlo descendente in Concam Agatulæ, & per ipsam in Gaurum; a tertio latere Palude, quæ pergit inter Rivum Anzeli & Masenzaticum usque Monticellos, & Vedetosa currente in Padum; a quarto latere Vaculino, & Arzere malo, & Calle de Vincareto pergentem in Laterculum. Insuper concederemus vobis Piscariam integram, quæ vocatur Volana, cum Rivo Badarino & Gavelona majore ad ipsam Piscariam pertinente, cum Porticellis ex utrisque partibus, sicut olim intraverunt in Mare, eidem similiter pertinentibus. Cuncta prædicta loca cum omnibus suis integritatibus ac pertinentiis, quantum sanctæ Romanæ, cui Deo auctore præsidemus ac deservimus, pertinere videntur Ecclesiæ, vobis ad tenendum emissâ præceptione concedere deberemus. Inclinati precibus vestris cuncta præfata loca, vel quæcumque modò habetis ac tenetis cum omnibus suis integritatibus & pertinentiis, ut supra legitur, & insuper nostro dono ac benignitate, si aliquid amodo in futuro de pertinentiis sanctæ Romanæ Ecclesiæ acquirere potueritis circa vos in toto Exarchatu Ravennæ, licentiam nostram, nostrorumque Successorum canonice intrantium, tibi, tuisque Successoribus, regularem vitam ducentibus, Monachisque religiose viventibus, perpetualiter concedimus habendum & tenendum. Ita sane, ut a te tuisque Successoribus singulis quibusque annis pensionis nomine sanctæ nostræ Ecclesiæ Romanæ tres argenti Solidi, difficultate postpositâ, persolvantur Actionariis. Præterea amore ejusdem intemeratæ Genitricis Dei, tuoque dilecte in Domino Fili, constituimus & ordinamus per illam auctoritatem, quam Christus Dominus noster beato Petro Apostolorum Principi, suæque Ecclesiæ Rectoribus concessit, ut numquam Locus ipse, aut res ad ipsum pertinentes, alicui submittantur personæ, nisi Apostolicæ tuitioni, & Regiæ ditioni: nullusque mortalium præter Imperialis potestatis culmen, in præfato Monasterio, aut in Curtibus, vel in Castellis, sive in Plebibus, aut Cellis, seu Villis, vel omnibus rebus mobilibus & inmobilibus ipsi pertinentibus, necnon in servis aut famulis utriusque sexus, sive etiam villicis super terram ejusdem Monasterii residentibus, aliquam ordinationem, aut jurisdictionem, vel potestatem tenere, aut conversationem Monachorum impedire, seu molestiam inferre præsumat, vel in aliquibus locis ipsius districtum seu Placitum tenere, aut res Monasterii invadere, vel quovis modo alienare, aut fodrum, vel paratas, seu aliquas publicas functiones exigere audeat. Ipsius quoque proprietates Monasterii tam a potestate Archiepiscoporum, quàm omnium mortalium, præter Regiæ sublimitatis . . . . . . inrevocabiliter subtraimus, ac liberam esse censemus, salvâ inibi auctoritate Apostolicâ, ac primæ Sedis invocatâ, si necesse fuerit, audientiâ. *In acquirendis autem bonis Sancti Petri, hæc servetur conditio, ut prius ex ipsâ & qualitas & quantitas rerum nobis, aut nostris Successoribus intimetur, & tunc licentiâ, præcepto, & consilio a Romana Sede accepto, additâ justa pensione, a te suscipiatur. Hoc quidem modo proprietas terrarum & aquarum Sancto Petro remanebit, & bono eorum usu vos amodo fruemini. Violatorem igitur hujus sacri Privilegii, nisi resipuerit, & ad condignam satisfactionem venerit, Apostolicum anathema condempnet. Conservatorem verò Dominæ nostræ Beatæ Mariæ intercessio gloriosa lætificet.*






Datum XV. Kalendas Aprilis, per manus Friderici sanctæ Romanæ Sedis Bibliothecarii & Cancellarii, vice Domni Herimanni Archicancellarii & Coloniensis Archiepiscopi, Anno Domni Leonis Papæ Quarto, Indictione V.

Ita post Sæculum Christi Decimum se prodere videtur integrum jus Nonantulani Monasterii in Ecclesias Parochiales sibi subjectas, quum ipse Abbas novam quoque condidisse dignoscatur. Testes habeo tabulas, quas licèt attritas ex apographo existente in Archivo augustæ illius Abbatiæ descripsi, atque heic in lucem efferendas censui.

Fundatio Parochialis Ecclesiæ Sancti Michaëlis apud Nonantulanum Cœnobium in agro Mutinensi, facta a Rodulpho ejusdem Cœnobii Abbate, Anno 1011.

☧ SErgius Episcopus *servus servorum Dei. Apostolatus nostri est proprium, quotiens si qua sancta Ecclesia adjutorii aliquid seu corroborationis ab eo poposcerit, totiens cum omni alacritate sese impetrasse congaudeat. Et ne aliqua improborum calliditas, sive adversariorum sanctæ Ecclesiæ astutia in posterum eidem addere præsumat calumniam, non solùm dictis, sed etiam scriptis quicquid a nobis sibi concessum fuerit, in perpetuum confirmare dignum duximus. Quapropter notum fore volumus omnibus Christianis fidelibus, qualiter* Rodulfus *venerabilis* Abbas Ecclesiæ *sanctæ* Nonantulensis, *una cum omni Congregatione Fratrum seniorum Monachorum, nutu divino, & instigatione Spiritus Sancti, qui mentes, quas repleverit, ad omnipotentis Dei obsequium, ejusdemque Sponsæ, scilicet sanctæ Ecclesiæ, ineffabiliter accendit, prædicatione quoque fidelium prædictorum Fratrum coëgit habitatores atque agri cultores jam præfatæ Abbatiæ nostræ .... Parrœchiæ Decimas Deo dare, qui actenus usque rerum suarum decimas Deo minime tribuebant: Q..... mum scelus arbitrabantur, eo quod in Veteri ac Novo Testamento præcep...... meminerant, non solùm ..... Deo conferre decimas dierum. Ad quorum exhortationes, venerabilis videlicet Abbatis & prædictæ Congregationis, omnes unanimiter sua corda inclinantes, contrito corde Decimas Deo per annos singulos de omnibus, quæ possessuri erant, offerre voverunt, atque obnixe petierunt, ut prædictas Decimas; quas libenter Deo reddere dis..... bant, ne in futuro Laicis hominibus in beneficio darentur, nostro Apostolico interdicerent Præcepto. Propter hoc autem jam fatus Abbas una cum consilio Fratrum, nostram deprecatus est magnificentiam, ut constitueret de jam dictis Decimis nostro largimine* unam Canonicam, suæ etiam Abbatiæ subjectam, in qua Clerici diurnis ac nocturnis horis Domino, & ibidem convenienti Populo sollicite divina exhiberent obsequia. *Hæ autem sunt fines Decimarum illius præfatæ Canonicæ: a* Claudia Strata *usque ad Porciolam: a Mucia verò usque ad Panarium flumen, & ultra quicquid & quantum a prædicti fluminis vill... ... seu a Nonantulæ habitatoribus laboratur. Et quicquid Clerici in præfata Canonica Deo communiter militantes juste adquirere poterunt. Nos verò precibus illius annuimus, quod cognovimus juste peti ..... denique constituta est in bonore* Sancti Michaëlis Canonica, ordinati sunt Clerici, Archipresbyter .... lis, cui etiam Archipresbytero hanc potestatem concessimus, ut de criminalibus culpis ipse judicium indicat pœnitentibus. Attamen, si necessitas incubuerit, ab aliquo Episcopo expetat judicium, *ne desideranti animæ pœnitentiam interim negare videatur. Eidemque verò Archipresbytero cura sit pro omnibus, in divinis videlicet officiis, in luminariis, in architectis, in hospitibus, in decimis, & in oblationibus dividendis inter ceteros, sic qualiter se recognoscat Deo redditurum rationem in die judicii; eique concessa est decima unius Villæ, quæ dicitur Salicetus, ante alios propter curam sollicitudinis. Statuentes Apostolicâ auctoritate, ut quicumque hanc ordinationem, quam Deo auxiliante pro salute animarum fidelium ordinare jussimus, & ut ab errore pristino liberarentur, ampliare, vel observare studuerit, nostrâ solidetur benedictione. Qui autem, quod non optamus, violare temptaverit, aut consilium violandi dederit*, aut a subjectione Sancti Monasterii Canonicam subtraëre cupiverit, *seu Laicis Decimam in beneficio dare voluerit, anathematis vinculo feriatur. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, hoc* B *decretum nostro Cancellario scribere præcepimus, nostrisque* Litteris, *ut superius prælibavimus, ac impressione nostri Sigilli corroboravimus. Et præfato Abbati Rodulfo, atque omnibus Fratribus in hoc decreto unanimiter facto scribere præcepimus*


BENE VALETE.

✠ *Datum per manum Petri Episcopi Sanctæ Prænestinæ Ecclesiæ, &* Bibliothecarii Sacri Palacii, *Anno Domini Millesimo* C *Undecimo, VI. Kalendas Junii, Indictione VIIII.*

Rodulfus Abbas *jussione Apostolicæ Sedis in hoc decreto manu propria subscripsi.*

Ego Frogerius Prior manu mea subscripsi.

Laurentius Presbiter & Monachus manu mea subscripsi.

Gulferius Monachus, manu mea subscripsi.

Gregorius Presbiter & Monachus manu mea subscripsi.

Liuzo Monachus subscripsi.

Insueta quidem, fateor, videatur subscriptio Monachorum, uti & formula illa *Bibliothecarii Sacri Palatii*, quum ii *Bibliothecarii* D *Sanctæ Sedis Apostolicæ* nuncupari consueverint, & Petrus ipse ita se subscribat in altera Bulla, ab Ughellio in Episcopis Æserninis editâ. Sed nequaquam ignotum est, *Sacrum Palatium*, hoc est, Lateranense, fuisse Romanis Pontificibus. Præterquamquod in apographo pervetusto scripta hæc erant; ac dubitatio suboriri possit, an antiquus Tabellio autographum, qua decebat, curâ descripserit. Ea autem heic enarrantur, ac præcipue ad Pœnitentiam spectantia, ut antiquitatem omnino redoleant. Animadvertas etiam velim, Anno Christi MXI. *Claudiam Stratam* appellari, quæ antiquis *Æmilia* fuit: qua de re in Notis ad Donizonem, Tomo V. Rer. Italicar. E aliquantulum egi. Immunitas etiam ejusdem Nonantulani Cœnobii deduci posse videtur e Bulla Paschalis II. Papæ, quæ in ipsius Tabulario adservatur. Apographum est pervetustum.

Bulla Paschalis II. Papæ, Johanni Nonantulano Abbati, Privilegia illius Monasterii confirmans, Anno 1112.

PAschalis Episcopus, *servus servorum Dei, dilecto in Christo filio*, Johanni, nostris per Dei gratiam manibus in Abbatem Nonantulani Monasterii consecrato, *ejusque Successoribus regulariter substituendis in perpetuum . . . . . . auctoritate debitoque compellimur, pro universarum* Ecclesiarum *statu satagere*, *& earum maxime*, quæ Apostolicæ Sedi specialius adhærent, ac tamquam jure proprio subjectæ sunt, *quieti, auxiliante Domino, providere. Quapropter petitionibus tuis, fili in Christo carissime, non immeritò annuendum censuimus, ut* Nonantulanum Monasterium, *cui Deo auctore præsides*, quod ab ipso fundatore, Aistulfo videlicet Longobardorum Rege, Apostolicæ Sedi oblatum est, *ad prædecessorum nostrorum, ejusdemque Apostolicæ Sedis... Privilegio muniremus. Per præsentis igitur Privilegii paginam Apostolica auctoritate statuimus, ut quecumque ad predictum Nonantulanum Monasterium in presenti Sexta Indictione, juste ac legaliter pertinent, sive in futurum concessione Pontificum, liberalitate Principum, vel oblatione fidelium juste atque canonice poterit adipisci, firma tibi, tuisque Successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis visa sunt nominibus annotanda. Ipsum videlicet Castellum Nonantula: Castellum-Vetus: Gallianum: Catinianum: Fainanum: Lizanum: Scoppanum: Samonum: Campilium: Maranum: Mons- Oliveti: Pratum Albini: Monasterium Sanctæ Luciæ de Roffeno, cum Ecclesiis, & pertinentiis suis: & Ecclesia Sanctæ Trinitatis de Savino: Manzolinum: Taivalum: Rastellinum: Sancta Maria in Grumulo: Spina-Lamberti: Solaria: Roncalia: Camorana: Sorbaria: Curtiule Siccum: Castellum Pellavi: Trecentula: Bundenum: Stagaria: Castellum Cella: & Marzalia: cum pertinentiis eorum: præterea Castellum Cellulæ: Curtem Raguse, & Castellum Tedaldi, cum omnibus allodiis, que in ipso Comitatu Ferrariensi* Bonifacius Marchio *acquisita possedit, vestro in perpetuum Monasterio confirmamus: uti etiam, quæ* Comitissa Mathildis *de oblatione, quam Sancto Petro & Romanæ Ecclesiæ dederat, vobis nuper dedisse cognoscitur, sub Censu scilicet annuo unius Aurei.* Sane nec Mutinensi omnino, nec alicuiquam Episcoporum, vel Principum, aut alicui Ecclesiasticæ, Secularive personæ liceat supradicto Monasterio, aut ejus Cellis, vel Ecclesiis, aliisve possessionibus gravamen inferre, exactionem imponere, Placitum, sive colloquium, præter Abbatis ac Fratrum voluntatem indicere vel tenere. *Obeunte te nunc ejus Loci Abbate, vel tuorum quolibet Successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutiá seu violentiá præponatur, nisi quem Fratres communi consensu vel Fratrum pars consilii sanioris, secundùm Dei timorem, & beati Benedicti Regulam elegerint, ab Apostolicæ Sedis Præsule consecrandum.* Crisma, Oleum Sanctum, Consecrationes Altarium, sive Basilicarum, Ordinationes Monachorum, qui ad Sacros fuerint Ordines promovendi, sive Clericorum, Monasterio, Cellis, vel Ecclesiis pertinentium, a quo malueritis Catholico accipietis Episcopo, *si quidem gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habuerit: & si ea gratis ac sine pravitate voluerit exhibere.* Non enim Episcoporum cuiquam permittimus, invito Abbate, in Monasterio, vel in Monasterii Cellis, vel Ecclesiis, Ordinationes facere, Missas publicas celebrare, vel earum decimas vendicare. *Nec de Monasterio ipso, vel ejus rebus rescriptum subripere, aut quolibet modo impetrare, cuiquam personæ facultas sit. Quod si fortè presumptum fuerit, irritum penitus habeatur. Ad hæc adjicientes decernimus, ut nulli omnino hominum liceat idem Monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, vel injuste datas suis usibus vendicare, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, ut in omnibus semper Apostolicæ Sedis, cujus est proprium, munimine ac protectione congaudeat. Si quis igitur in futurum Archiepiscopus aut Episcopus, Imperator, aut Rex, Princeps, aut Dux, Comes, Vicecomes, Judex, Castaldio, aut Ecclesiastica qualibet, Secularisve persona, hanc nostræ Constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo, tertiove commonita, si non satisfactione congruâ emendaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pars Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hinc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem premia æternæ pacis inveniant.*

Scriptum per manum Grisogoni Notarii Sacri Palatii.

Ego PASCHALIS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Data Tiberiæ per manum Johannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis, ac Bibliothecarii, Quarto Idus Novembris, Indictione VI. Incarnationis Dominicæ Anno Millesimo Centesimo Decimo Tertio, Pontificatus autem Domni Pascalis II. Papæ Anno XIV.

Heic habes *Annum XIV.* Paschalis II. Papæ, conjunctum cum *Anno Incarnationis Dominicæ MCXIII.* & *Indictione VI.* Errorem patentem continuò heic deprehendisse tibi videberis, ubi e Donizone, Baronio, Pagio, ac aliis intellexeris, Paschalem ipsum die XIV. Augusti Anno MXCIX. Romanam Cathedram conscendisse. Sed bona verba. Sunt & aliæ Bullæ, quæ hoc ordine procedunt, ut prope ad credendum adducaris Anno subsequenti MC. Paschalem renuntiatum fuisse Pontificem Maximum. Vide Bullarium Casinense Part. 2. Ughellium, Bullarium Cluniacense, Baluzium in Miscellaneis, atque, ut ceteros omittam, Mabillonium Lib. 5. Tabel. 51. Diplomatic. ubi

ubi refert autographam Bullam Pontificis hujus *Datam Romæ per manum Johannis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconum Cardinalem, Duodecimo Kalendas Aprilis Indictione X. Incarnationis Dominicæ Anno MCIII. Pontificatus autem Domni Paschalis Secundi Papæ III.* Diffident hæc aperte a calculis Pagii ac aliorum. Quando immotus est Annus & Mensis, quibus Pontificiam dignitatem iniit Paschalis II. scilicet dies XIV. Augusti Anni MXCIX. necesse est intelligamus (idque animadvertendum diligentissime nobis ad solvendos alios ai genus nodos) usum illum fuisse aliquando Ærâ Pisanâ, quæ non a Nativitate, neque a Circumcisione Domini, sed ab ejus *Incarnatione*, sive a die XXV. Martii exordium novi Anni deducit, ac propterea novem Mensibus Annum Vulgarem nostrum prævertit. Quare quamquam Bulla nuper producta Annum exhibeat MCXIII. non alius significatur, quàm Annus MCXII. Indictio autem *Sexta* illic adhibita, Septembri Mense ejusdem Anni MCXII. initium sumsit. Alteram Paschalis II. Bullam prælaudatus Mabillonius produxit in Appendice ad Tom. V. Annalium Benedictinor. pag. 693. *Data fuit II. Idus Aprilis, Indictione VI. In-* A *carnationis Dominicæ Anno MCXIIII. Pontificatus quoque Domni Paschalis Papæ II. Decimo quarto.* Censet Clarifs. Vir, ibi scribendum esse *Indictione VII.* Hanc enim revera exigit Annus Vulgaris MCXIV. Verùm ibi agitur de Anno Pisano, ac propterea data fuit Bulla Anno secundùm nos præcedenti, quo reapse *Secundo Idus Aprilis* in cursu erat *Indictio Sexta*. Ita in Thesauro Anecdotor. P. Pezii Tom. 3. Part. 2. pag. 659. altera ejusdem Pontificis Bulla refertur, *Data VIII. Kalendas Novembris Indictione XII. Incarnationis Dominicæ Anno MCV. Pontificatus autem Domni Paschalis II. Papæ Anno VI.* Et ibi intelligas, Annum Vulgarem MCIV. quo decurrebat Annus Sextus Paschalis, Octobri Mense, uti & B Indictio XII. continuata usque ad finem Anni. Redeo ad Nonantulanum Monasterium, cujus jura (ut prætercam quæ in Synodo Nonantulana Anno MCLXXXVIII. a Cardinali de Angelis Abbate Commendatario celebrata leguntur) perspicue percipias ex sententia quadam Innocentii III. Papæ, quam authenticam inspexi inter pauculas Chartas superstites amplissimi illius Cœnobii.

Decretum Innocentii III. Papæ in controversia de Ecclesiâ ædificatâ Spinalamberti, agitatâ inter Martinum Episcopum Mutinensem, & Raimundum Abbatem Nonantulanum, Anno 1213.

INnocentius Episcopus, *servus servorum Dei, dilecto filio* Raimundo Abbati Nonantulano *salutem & Apostolicam benedictionem. Causa, quæ inter te, ac venerabilem fratrem nostrum* Martinum Episcopum Mutinensem, super Ecclesia, quam in Castro, quod dicitur Spina lamberti, *dictus Episcopus ædificavit, vertebatur a venerabili fratre nostro* O. Parmensi Episcopo, *& suis Conjudicibus, delegatis a nobis, cum depositionibus testium, juramentis & confessionibus partium ad nostrum remissa judicium & utriusque partis Procuratoribus in nostra præsentia constitutis, tuus proposuit Procurator, sufficienter esse probatum, eundem Episcopum Ecclesiam in fundo tui Monasterii construxisse. Cum enim Castrum-vetus, & totum Spinalambertum ex donatione claræ memoriæ* Ursonis Ducis *ad Monasterium pertineat memoratum, sicut per instrumentum donationis apparet, & ostensum fuit, quod* R. quondam prædecessor tuus *in emphiteosim concesserit* Marchioni Bonifacio; *& alii successores ipsius in feudum postmodum successive Manfredis & Dominis Beccafabis, qui fidelitatem exinde faciunt Monasterio, & ejus nomine de terris illis exigunt pensionem, districtum habentes & jurisdictionem exercentes ibidem, non sine injuria Episcopus in solo ipsius Monasterii eandem edificavit Ecclesiam, præsertim cum idem Monasterium Privilegiis gaudeat Pontificum Romanorum*, ut nullus in Parochiis Ecclesiarum suarum, in quibus nullus Episcopus jurisdictionem habet, Ecclesiam edificare presumat, nec in aliis etiam, nisi tuo & Monachorum assensu requisito primitus optento, *asserebat nihilominus, per testes esse probatum, locum litis, in quo Episcopus edificavit Ecclesiam, situm in Parochia Ecclesiæ Sanctorum Senesii & Theopompi, quæ ad dictum Monasterium pertinet pleno jure. Adjecit etiam* C *quod clam edificavit Episcopus Ecclesiam memoratam, quia celavit adversarium, nec denuntiavit eidem, cum extimaverit vel extimare debuerit, se prohiberi debere. Unde quod sic edificatum esse dignoscitur demoliri penitus postulabat, presertim cum tu olim ad edificandam ibidem Ecclesiam primarium lapidem a Sede Apostolica postularis, & dilecti filii I. Archipresbyter & G. Canonicus Bononiensis, a nobis delegati, cognoverint, locum illum ad ipsum Monasterium pertinere, ac esse prorsus exemtum. Ceterum allegavit ad ultimum, quod cum justam causam possidendi habeat Monasterium, & sub justo titulo possessionem continuaverit ab antiquo, etiam si actum sit interdicto* Uti possi- D detis, *in illo superior pars ejusdem Monasterii reperitur, & sic pro ipso deberet fieri sententia, non obstante, quod Episcopus asserit, se cœpisse in proprio ædificare allodio, cum ex instrumento permutationis, quo Procurator ejus in judicio fuit usus, appareat, quod longo tempore, postquam cœpit ædificare, fundum, quo ædificium est constructum, a Romanello permutationis titulo recepisset. Procurator autem Episcopi proposuit ex adverso, quod cum Mutinenses Cives, in loco prædicto & inhabitato Castrum ædificaverint, quod dicitur Spinalambertum, & novos habitantes adduxerint, Episcopus jure Diœcesano volens in divinorum perceptione suo Populo providere, ibi Ecclesiam in proprio solo fundavit; contra quam non admittendam petitionem partis adversæ dicebat, allegans, quod ad demoliendum istud edificium per denuntiationem novi operis agi non poterat, quia denuntiatio novi operis non præcessit. Et* E *adjecit, quod cum Procurator tuus peteret, ne idem Episcopus in loco litis te ullatenus molestaret, & Procurator Episcopi adversùs te petitionem similem replicaret, interdictum* Uti possidetis


detis *deductum in judicium videbatur*. *Sed in eo partem suam superiorem esse dicebat, quoniam in eodem interdicto ille debet haberi superior, qui non vi, non clam, non precario ab adversario tempore litis possidet contestatæ. Unde cum Episcopus locum juris, ut proprium, & justo titulo, scilicet permutationis, possideat, nec vi possidere, nec nulli vim ibidem intulerit, nec clam etiam dici debebat, cum in suo edificans non debuerit credere, quod super hoc adversùs eum movere debuerit aliquis questionem; unde petebat pars Episcopi super hoc a tua impetitione absolvi, non obstante quod prædicti Bononienses denuntiaverint, locum ipsum, sicut fertur, exemtum: quia cum non fuerit citatus Episcopus, cujus intererat, ex quo agebatur de loci exemptione, vocari, eo quod nulli magis quàm Diocesano Episcopo ex hoc poterat generari præjudicium, eorum processus erat in irritum revocandus; quia secundùm legitimas sanctiones nec Imperiale responsum, quod supplicatio litigatoris obtinuit, nec interlocutio cognitionis ex parte actoris vel rei, statum valet innovare possessionis, eo, qui rem tenet absente. Auditis igitur hiis & aliis, quæ hinc inde fuere proposita coram nobis, providimus questionem hujusmodi per concordiam sopiendam. Unde assentientibus tuo & partis alterius Procuratoribus, sic duximus providendum:* Ut Ecclesia, de qua questio vertebatur, Episcopo pleno jure remaneat; & aliam in eodem Castro in fundo proprio, si volueris, edifices, & ipsa ad tuum Monasterium pertineat pleno jure. Parochiani autem, qui ad locum accessere prædictum, postquam Castrum edificari cœpit ibidem, & qui accesserint in futuro, inter Episcopum & Monasterium per medium dividantur, salvis semper aliis Privilegiis Monasterii supradicti. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ provisionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum V. Kalendas Junii, Pontificatus nostri Anno Septimo decimo.

Quod hactenus commentatus sum de Cœnobio Nonantulano, transferendum est ad Cavense, Farfense, Vulturnense, Bobiense (si quidem omni suspicione careant antiquissima eorum Privilegia) atque ad alia celeberrima Italiæ Monasteria. Et hæc sane e Privilegiis Monachorum ediscas. Verùm cum iis conferenda quoque forent Episcoporum monumenta ac Privilegia. Exempli causâ prodeant Literæ Alexandri III. Papæ, quas in Archivo Monachorum Benedictinorum Sancti Petri Mutinæ autographas vidi, in quibus ea verba potissimùm consideranda sunt: *Statuimus quoque, ut infra Parochias Monasterii & Ecclesiarum vestrarum, nullus Ecclesiam, vel Oratorium sine assensu* EPISCOPI, *& vestro ædificare præsumat*. Viden' ut Episcopi juribus consultum voluerit summus Pontifex. Sed ipsas Literas integras proferre satius duco.

Alexandri III. Papæ Bulla, qua Monachis Sancti Petri Mutinensis omnia illorum jura, ac bona confirmat, Anno 1172.

ALexander Episcopus, *servus servorum Dei, dilectis filiis* Geminiano Abbati Sancti Petri Mutinensis, *ejusque Fratribus tam presentibus quàm futuris, Regularem vitam professis, in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse presidium, ne fortè cujuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ Religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus &c. Preterea diffinitionis sententiam, que super causa, que inter vos & venerabilem fratrem nostrum* G. Paduanum Episcopum *de Monasterio Candian. diutius est agitata a venerabilibus fratribus nostris Papiense & Placentino Episcopis, & dilecto filio* B. Electo Sancti Sepulcri, *lata esse dinoscitur, sicut in autentico scripto exinde facto continetur, vobis & Monasterio auctoritate Apostolica confirmamus, & eam firmam & ratam in perpetuum manere sancimus. Ad hæc correctionem, ordinationem, & dispositionem ipsius Monasterii, &*
A *omnium ad ipsum pertinentium, secundùm quod vobis per sententiam concessa sunt, tibi, fili Abbas, & Successoribus tuis, & per vos eidem Monasterio duximus integra auctoritate Apostolicâ confirmanda. Statuimus quoque*, ut infra Parrochias Monasterii & Ecclesiarum vestrarum nullus Ecclesiam vel Oratorium sine assensu Episcopi & vestro edificare præsumat. *Sane novalium vestrorum, que propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus a vobis Decimas præsumat exigere. Prohibemus insuper, ut nullus Laicus a vobis Decimas exigere audeat, vel quomodolibet extorquere. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat*
B *præfatam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia & integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura*, salvâ Sedis Apostolicæ auctoritate & Diocesani Episcopi Canonicâ justitiâ. *Si qua igitur &c. potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio &c.*



Ego Alexander Catholice Ecclesie Episcopus *subscripsi*.

Ego Bernardus Portuensis & Sancte Rufine Episcopus subscripsi.
Ego Gualterius Albanensis Episcopus subscripsi.
Ego Guillelmus Presbyter Cardinalis titulo Sancti Petri ad Vincula subscripsi.
Ego Boso Presbiter Cardinalis Sancte Pudentiane titulo Pastoris subscripsi.
Ego Petrus Presbiter Cardinalis titulo Sancti Laurentii in Damaso subscripsi.
Ego Johannes Presbiter Cardinalis titulo Sancti Marci subscripsi.
Ego Oddo Diaconus Cardinalis Sancti Nicholaji in Carcere Tulliano subscripsi.
Ego Cinthius Diaconus Cardinalis Sancti Adriani subscripsi.
Ego Manfredus Diaconus Cardinalis Sancti Georgii ad Velum aureum subscripsi.
Ego Hugo Diaconus Cardinalis Sancti Eustachii juxta Templum Agrippæ subscripsi.
Ego Vitellus Diaconus Cardinalis Sanctorum Sergii & Bachi subscripsi.
Ego Petrus Diaconus Cardinalis Sancte Marie in Aquiro subscripsi.

Datum Anagnie per manum Gratiani sancte Romane Ecclesie Subdiaconi & Notarii, XII. Kalendas Julii, Indictione VI. Incarnationis Dominice Anno MCLXXII. Pontificatus verò Domni Alexandri Pape Tertii, Anno XIIII.

Signum Bullæ plumbeæ pendentis deperditæ.

Verùm longe majoris momenti hanc in rem mihi videtur Bulla Callisti II. Papæ pro Mutinensi Ecclesia, quam etsi evulgarint Sillingardus & Ughellius, heic tamen Lectoribus ex-
C hibendam putavi, tum correctiorem, tum Cardinalium subscriptionibus, ac Notis Chronologicis auctam, ex authentico existente in insigni Tabulario Canonicorum Mutinensium.

Callisti


Callisti II. Bulla, qua Episcopo Mutinensi, ejusque Ecclesiæ omnia jura ac privilegia ad ipsam pertinentia confirmat, Anno 1121.

CAlixtus Episcopus, *servus servorum Dei, venerabili Fratri* Dodoni Mutinensi Episcopo, *ejusque Successoribus canonice substituendis in perpetuum. Sicut injusta poscentibus nullus est tribuendus effectus, sic legitima desiderantium non est differenda petitio. Tuis ergo, frater in Christo carissime Dodo Episcope, precibus annuentes, ad perpetuum sancte, cui Deo auctore presides, Mutinensis Ecclesie pacem ac stabilitatem, presentis Decreti auctoritate sancimus, ut universi Mutinensis Episcopatus fines quieti deinceps omnino & integri tam tibi quàm tuis Successoribus conserventur. Qui nimirum fines his distinctionibus distenduntur, videlicet a terminis illis, qui Lucanum & Pistoriensem Episcopatus a Mutinensi dividunt usque ad flumen illud, quod appellatur Burana, & usque ad terminum illum, qui Mutia vocatur, atque inde usque ad illum terminum, qui Bononiensem Episcopatum a vestro Episcopatu disjungit. Ex altera verò parte usque ad terminos, qui Episcopatum Mutinensem a Regino discernunt. Ecclesiarum verò, que infra hos terminos continentur, conservationes, Clericorum promotiones, decimas & oblationes, secundùm sanctorum Canonum constitutiones, tibi tuisque Successoribus concedimus & confirmamus; Precipue* in Plebe Sanctæ Marie de Dodruntio, que est in Curte Sici, & in Capellis ejus; in omnibus Ecclesiis, que sunt in Castro Curte Solarie, & in Plebe Roncalie: in omnibus Ecclesiis de Ponte Ducis; in Ecclesia de Camurana; in Ecclesiis de Curte Curtiole; in Ecclesia de Scoplano; in Ecclesia Sancti Petri in Sicula; & in Ecclesiis, que sunt in Castro-Veteri, & in Curte ipsius; in omnibus Ecclesiis, que sunt in Castro & Curte Panciani de Leonensi Abbatia; & in omnibus Ecclesiis, que sunt in Plebe Rubiani. *Quecumque preterea bona, quascumque possessiones vel in presenti legitime possidetis, vel in futurum, largiente Deo, juste atque canonice*

A *poteritis adipisci, firma tibi, tuisque Successoribus & illibata permaneant. Decernimus ergo,* ut nulli omnino Episcoporum facultas sit infra predictos fines sine tuo vel Successorum tuorum consensu, Ecclesiam consecrare, Chrisma conficere, aut Clericos ordinare, præter Ecclesias & Clericos de Castro & Burgo Nonantule. *Nulli etiam hominum liceat Ecclesiam vestram perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; set omnia integra conserventur tam tuis, quàm Clericorum & Pauperum usibus profutura. Sane* de Presbiteris, *qui* per Parochias ad Monasteria pertinentes in Ecclesiis constituuntur, *Prædecessoris nostri*

B *sanctæ memoriæ* Urbani Secundi *sententiam confirmamus, statuentes,* ne Abbates in Parochialibus Ecclesiis, quas tenent, absque Episcoporum consilio Presbiteros collocent: set Episcopi Parochie curam cum Abbatum consensu Sacerdoti committant, ut ejusmodi Sacerdotes de Plebis quidem curâ Episcopo rationem reddant; Abbati verò pro rebus temporalibus ad Monasterium pertinentibus debitam subjectionem exhibeant, & sic sua cuique jura serventur. *Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, Secularisve persona, hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congruâ emendaverit,*

C *potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem nostre Ecclesie justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud districtum Judicem premia eterne pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.*



Ego Calixtus Catholice Ecclesie Episcopus subscripsi.

Ego Crescentius Sabinensis Episcopus subscripsi.
Ego Petrus Portuensis Episcopus subscripsi.
Ego Vitalis Albanus Episcopus subscripsi.
Ego Divizo Tusculanus Episcopus subscripsi.
Ego Bonifacius titulo Sancti Marci Presbiter Cardinalis subscripsi.
Ego Robertus Cardinalis Presbiter titulo Sancte Sabine subscripsi.
Ego G. G. Cardinalis Presbiter titulo Sancte Prisce subscripsi.
Ego Theobaldus Presbiter Cardinalis titulo Pammachii subscripsi.
Ego Rainaldus Presbiter Cardinalis Sanctorum M. & P. subscripsi.
Ego Desiderius Presbiter Cardinalis titulo Sancte Praxedis subscripsi.
Ego G. G. Presbiter Cardinalis titulo Lucine subscripsi.
Ego Asdeait titulo Sancti Laurentii Presbiter Cardinalis subscripsi.

Ego

Ego Georgius Presbiter Cardinalis titulo Sancte Suxanne subscripsi.
Ego Johannes titulo Sancti Grisogoni Presbiter Cardinalis subscripsi.
Ego Sigizo Cardinalis titulo Sancti Sixti subscripsi.
Ego Romoaldus Diaconus Cardinalis Sancte Marie in Via Lata subscripsi.
Ego Johannes Diaconus Cardinalis titulo Sanctorum Cosme & Damiani subscripsi.
Ego Girardus Diaconus Cardinalis Sancte Lucie subscripsi.
Ego Jacinthus Sancte Romane Ecclesie Subdiaconus, & Subdiaconorum Prior subscripsi.
Ego Romanus Sancte Romane Ecclesie Subdiaconus subscripsi.
Ego Ugo Romane Ecclesie Subdiaconus subscripsi.

Data Laterani per manum Grisoboni Sancte Romane Ecclesie Diaconi Cardinalis ac Bibliotecarii, Quarto Nonas Marcii, Indictione XIIII. Incarnationis Dominice Anno MCXXI. Pontificatus autem Domini Calixti Secundi Pape Anno III.

Heic ad jus Mutinensis Ecclesiæ pertinere dicuntur Ecclesiæ *de Dodruntio, in Curte Sici, in Curte Solariæ, Roncaliæ, Pontis Ducis, Camuranæ, Cortiolæ, Sclopani, Sancti Petri in Sicula, Castriveteris, Panciani, & Rubiani*. Atqui has ipsas Ecclesias enumeratas deprehendis in Bullis Pontificiis Nonantulano Cœnobio concessis. Ad hæc decernitur heic, *ut nulli Episcoporum facultas sit infra prædictos fines sine tuo vel Successorum tuorum consensu, Ecclesiam consecrare, Chrisma conficere, aut Clericos ordinare, præter Ecclesias & Clericos de Castro & Burgo Nonantulæ*. Non ait Ecclesias Abbatiæ aut Monasterii Nonantulæ: tantummodo ait *Ecclesias & Clericos de Castro & Burgo Nonantulæ*; hoc est minime excipit reliquas Ecclesias Nonantulano Cœnobio subjectas. Immo disertis verbis addit Pontifex: *De Presbyteris, qui per Parochias ad Monasteria pertinentes in Ecclesiis constituuntur, Prædecessoris nostri sanctæ memoriæ Urbani Secundi Papæ sententiam confirmamus, ut Abbates* &c. Quei ergo post Annum Christi MCXXI. quo data est Bulla hæc, ita Nonantulani Monasterii jura invaluere, ut exinde propriam Diœcesim, & excluso Episcopo Mutinensi, Parochos in eisdem locis confirmet? Ad hæc, cur eidem Episcopo aliæ nunc subsunt, quæ tamen Abbati Nonantulano in antiquis Privilegiis subesse dicuntur? Exquirere caussas non vacat: illud tantum ajo, si quæ olim controversiæ fuerunt, jamdiu tempus omnia composuisse, & utramque Diœcesim quieto nunc ordine regi, ita ut disputandi in posterum de illarum juribus sublatus sit locus. Sed animadvertisse non pœnitet ad aliorum exemplum, qui scissuras Episcopatuum suorum commodius poterunt hac luce investigare. Tu, si plura cupis, consule infra Dissertationem LXX. *de Cleri & Ecclesiar. immunitate*. Interea dissimulandum nequaquam est, in Lateranensi Concilio I. quod sub eodem Callisto II. Papa celebratum fuit Anno Christi MCXXIII. excitatam fuisse ab Episcopis multiplicem querimoniam adversùs Monachos, quorum ditio & Privilegia adeo amplificata fuerant, ut jam extenuata atque expilata videretur Episcoporum auctoritas & sublimis gradus. Neque enim tantummodo Abbatibus Pontificalia ornamenta collata fuerant, sed quam quisque partem e Diœcesibus Episcopalibus arripere potuerat, veluti Diœcesim propriam regebat. Rem memoriæ prodidit Petrus Diaconus Lib. 4 Cap. 78. Chronici Casinensis, cujus verba sunt: *In ea Synodo Episcopi & Archiepiscopi adversùs Monachos proclamationem fecerunt, dicentes, nil aliud superesse, nisi ut sublatis Virgis & Anulis, deservirent Monachis. Illi enim Ecclesias, Villas, Castra, Decimationes, vivorum & mortuorum Oblationes retinent. Et rursus hæc sæpius ante Pontificem conquerentes: Decidit pudor: Canonicorum honestas obliterata est: Clericorum religio cecidit; dum Monachi contemto cælesti desiderio, jura Episcoporum insatiabiliter concupiscunt; & omnes, quæ sua sunt, quærunt: & qui Mundum cum suis concupiscentiis reliquerunt, his, quæ in Mundo sunt, inhiare non desinunt. Et quibus per Beatum Benedictum a curis mundialibus ultro quiescendi locus offertur, ad tollenda ea, quæ Episcoporum sunt, opportune importune fatigantur*. Ibi propterea Canone XVII. interdictum fuit, *Abbatibus & Monachis publicas pœnitentias dare, & infirmos visitare, & unctiones facere, & Missas publicas cantare; Chrisma, & Oleum, Consecrationes Altarium, Ordinationes Clericorum ab Episcopis accipiant, in quorum Parochia manent*. Quid Monachi pro se tunc reposuerint, nihil attinet referre. Neque enim lubet, momenta rationum utriusque partis in præsentia expendere. Potuissent tamen Monachi & ipsi poscere, cur Episcopi & Archiepiscopi, postquam Apostolus secundâ ad Timotheum Cap. 2. vers. 4. eos uti *militantes Deo* monuerat, ne *implicarent se negotiis secularibus*; non minori cupiditate Comitatus, Urbes, Castella, aliaque Secularium hominum munera ac jura sibi conquisiissent, & adhuc in dies conquirerent, atque in sanguinolentia etiam bella ferrentur. Quod unum nosse heic juvat: frustra fuit illorum Episcoporum proclamatio, & adeptis honoribus ac juribus frui perrexerunt Monachi, eorumque Abbates.

Contra fuere olim etiam nonnulli ex Episcopis, quibus satis non fuit suam propriam Diœcesim regere, sed placuit manus immittere in alienas; hoc est, curarunt, ut Populo Episcopatus sui alter aliquis conterminus adderetur, atque unus Episcopus duas regeret Diœceses. Id factum quandoque fuit justis de caussis, & assensum præbente Apostolica Sede, si quando bellorum rabies, aut succrescentes paludes attrivissent Ecclesias, vastassent agros, & Episcopo reditus debiti ac necessarii periissent. Interdum verò id sine causâ perpetratum, atque ut ambitioni quorumdam fieret satis, Principibus Laicis, non verò Pontificibus Romanis, usurpationem hujusmodi contra sacros Canones foventibus. In Chronico Vulturnensi Part. 2. Tomi I. Rer. Italicar pag. 388. habita est quæstio Anno Christi DCCCXXXIX. coram *Sicardo Principe Beneventano inter Hermerissum Episcopum Beneventanum*, & Monachos Sanctæ

ctæ Mariæ de Sano, causâ Baptismalis Ecclesiæ cujusdam, quam Episcopus ad se, Monachi verò ad suum Monasterium pertinere contendebant. Nullam hujus *Hermerissi* Episcopi Beneventani mentionem habet Ughellius in Catalogo Beneventanorum Præsulum; qui propterea statuendus est inter *Ursum* & *Ayonem* Antistites, Anno DCCCXXXIX. Ad hæc in eâdem Chartâ Vulturnensi legitur, Baptismalem illam Ecclesiam *usque ad tempus Domni Gisulfi Ducis & Munoaldi reverentissimi Episcopi fuisse in dominio sanctæ Beneventanæ Ecclesiæ*. Et hic *Munoaldus* Episcopus itidem Beneventanus ignotus fuit Ughellio. Ab Anno DCCXXXII. usque ad DCCXLIX. Ducatui Beneventano præfuit Gisulfus II. secundùm Peregrinii calculos. Ergo inter *Adericum* & *Ambrosium*, qui ex fide Marii Viperæ Cathedram Beneventanam tenuerunt post Annum Christi DCC. collocandus erit *Munoaldus*, seu *Monualdus*. Itaque in illo Placito ostendebat *Hermerissus* seu *Hermeris Episcopus*, detineri a Monachis, repugnantibus sacris Canonibus, Parochialem Ecclesiam. Ad hæc quid illi? Recriminabantur, contendendo, *Principes, & Antistites ponere in oblivionem Canones, & Edicta gentis nostræ Langobardorum, & sequi in judicando usus hujus nostræ Provinciæ*. Tum addunt: *Attamen si hoc per Antecessores minime stare potest, quia ad Canones judicare vultis: quomodo sanctus noster Barbatus Episcopus obtinuit a bonæ recordationis Domno Romoaldo, ut usurparet sanctam Sedem Sipontinam; & per ejus obsecrationem, prædicta Sedes usurpata est, & contradita sanctæ Sedis Beneventanæ Ecclesiæ; & ab eo tempore usque nunc ibidem minime fuit consecratus Episcopus?* Pergunt etiam dicendo, *Sipontinum Episcopatum, & ejus Parrociam per Præceptum Domni Romoaldi Beneventano Episcopo fuisse concessam: quod & nobis esse videtur, contra Canones factum fuisse*. Hæc audiens Sicardus Princeps, petiit a Justo Archipresbytero sanctæ Beneventanæ Ecclesiæ, ibi agente pro Episcopo Hermerisso, *an ipsa Sedes Sipontina cum Canonica sanctione* (hoc est secundùm Canones, & probante Apostolica Sede) *fuisset sublata. Et ipse nobis claruit, dicens, quod contra Canones facta est usurpatio prædictæ Sedis Sipontinæ*. Habemus heic, unde falsi postulemus Literas Vitaliani Papæ, a Mario Vipera productas, quibus unio Sipontinæ Ecclesiæ cum Beneventana probatur. Ut alia omittam, pugnat textus, pugnant & Notæ Chronologicæ Bullæ illius cum Historia: quod & Camillus Peregrinius & Ughellius sunt suspicati. Quam ob rem nil mirum, si Anno Christi DCCCXXXIX. quo scripta fuit Charta Vulturnensis, hasce Literas ignorabant veteres Beneventani; sed tantummodo norant, factam unionem illam fuisse *per Præceptum Romualdi Ducis Beneventani*, & quidem, si mendo caret Charta, *per usurpationem*.

Vicissim vero abundant exempla locorum & Urbium Diœcesi & Episcopo suo olim fruentium, quorum nomina in vetustis Historiis, Conciliis, & Chartis occurrunt; sed nunc aut nullum, aut modicum retinent antiquæ dignitatis vestigium. Legitimis autem de caussis ejusmodi decus aut in iis cessavit, aut ab iis avulsum fuit, sive quod illis in locis succreverit illustrior quæpiam Civitas, in quam translata fuerit Cathedra Episcopalis; sive quod funditus eversæ Urbes, Populique succisi, locum fecerint finitimis Episcopis, ut pristinam amplificarent Diœcesim; sive etiam quod ob facinora Civium Episcopalis honor eorum Ecclesiæ ereptus fuerit. Sunt ergo loca non pauca, quæ suos antiquitus aluere Episcopos, nostris verò temporibus, Diœcesi in conterminas Ecclesias divisâ, nihil servant vetusti decoris. Sunt & quæ nomen saltem retinent, unitæ quippe eorum Ecclesiæ alteri, *Con-cathedralitatis*, ut ajunt, titulum atque ornamentum adhuc ostentant. *Brixelli* Oppidum ad Padum, Atestinis Mutinæ, Regii &c. Ducibus subjectum, nunc in spirituali regimine subest Episcopo Mutinensi. Olim Episcopalis Civitas fuit, ejusque Diœcesim Parmenses & Regienses Episcopi absorbuerunt. *Acilium* quoque (*Asolo* Italice) Oppidum, Tarvisinis conterminum, a propriis olim Episcopis regebatur. A compluribus Sæculis Tarvisino Episcopo paret, nostrisque diebus ut honorem saltem *Con-cathedralitatis* tamdiu amissum reciperet, frustra insudavit. Contra *Adriensis* Episcopatus Rhodigium; *Lunensis* Serezanam; & *Tuscanensis* seu *Tuscaniensis* Viterbium, ab antiquis Urbibus ad novitias translati, in titulario Episcoporum nostri ævi, non interrupto splendore, vario tamen ordine, commemorantur. *Bobium* contra Flaminiæ Civitas, cujus Episcopos antiqua ætas novit, ita periit, ut ne ejus quidem rudera nunc Eruditis sint nota, ejusque Diœcesis universa in Antistitem Sarsinatensem coaluerit. Reliquis autem prætermissis; id unum omittere nolo, nempe incertum esse, quo tempore Ferraria, nunc illustris Civitas, & Archiepiscopali dignitate nuper aucta, quamquam barbaricis temporibus nata, ad Episcopalem Civitatem evecta fuerit. Nam quæ de Marino primo Episcopo, aliisque eorum temporum vetustissimis Episcopis circumferuntur, fabulas olent, & nullo certe stabili fundamento nituntur. Regioni verò illi ante conditam Ferrariam censent Eruditi Ferrarienses, præfuisse Episcopos, quorum Sedes foret *Vico-habentiæ* (nunc vulgo *Voghenza*) quæ nostro ævo vicus est Ferrariensis Ducatus atque Diœcesis, unde antiquis temporibus Ferrariam translati fuerint. Et sane inter Episcopos Metropolitæ Ravennati olim subjectos numeratur *Vico-habentinus* in Diplomate Valentiniani III. Augusti apud Rubeum in Historia Ravennate, quod monumentum etsi omnino suppositicium est, antiquissimum tamen fateri oportet, quum de illo mentionem fecerit circiter Annum Christi DCCCXXX. Agnellus in Vitis Archiepiscoporum Ravennatum, Part. I. Tomi I. Rer. Italicarum. Ferrariensium quoque sententia est, neque improbanda, *Viqueriam* (nunc *Voghiera*) alterum vicum non longe a Vico-habentia positum, qui idem cum Vico Adventino a vetustis Scriptoribus memorato creditur, ejusdem Vico-habentini Episcopi Sedem aliquando fuisse. Atque ibi sane vetustissimi lapides cum literis effossi sunt, & in iis monumenta duo visuntur, in quibus Episcoporum nomen legitur. Is autem tractus eminens est, eoque non pertingunt umquam Padi aquæ, aggeribus ruptis effusæ. Lubet producere duas illas Inscriptiones, quas debeo Josepho Antenori Scalabrinio, in Ferrariensi Civitate Rectori Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Bucca, accuratissimo Antiquitatum Ferrariensium investigatori. Alterius marmor bifariam divisum, ubi pineæ & pampini inscripti fuere, nunc in ea Villa os putei exornat. Primam igitur earumdem Inscriptionum accipe:

DE DONIS DEI ET SCE MARIE
ET SCI STEFANI
TEMPORIBUS DN GEORGIO UB EPS
HUNC PERGM FECIT P IND SEC

Altera Inſcriptio in eadem Viqueriæ Villa legitur, in marmore inſculpta ſuper Arcam, in qua olim jacebat Corpus Sancti Leonis, translatum poſtea Ferrariam.

INNI ✠ DNI TEMPORIBS DN MAVRICINI
VB EPIS. SERVVS TVVS SERVIENS TIBI FECIT
☧ INDIC XI

Hanc deſcripſit Scalabrinius ſupra laudatus e Chartis Matthæi Fiaſchi Notarii. Pro INNI legendum fortaſſis eſt INNO, ut ſit IN NOMINE. Vereor etiam, ne in vocabulis illis SERVVS & SERVIENS aliquid vitii lateat. Heic autem ſe nobis offerunt duo *Venerabiles Epiſcopi* (ita quippe reddendæ ſunt literæ VB EPS, aut EPIS.) *Georgius* & *Mauricinus*. Cuinam Eccleſiæ præfuerint, non facile decernas. In Catalogo Archiepiſcoporum Ravennatium occurrunt *Georgius* ad Annum Chriſti DCCCXXXVI. cujus nomen Ughellius perperam in *Gregorium* convertit; & *Maurus*, qui Anno DCL. Ravennatem Cathedram implebat. Eum ſuſpicari aliquis poſſet vulgo appellatum *Mauricinum*, quamquam *Mauricinus* diminutivum potiùs *Mauricii* videatur. Apud Fabrum & Rubeum, ſed caſtigatiùs apud Illuſtriſſimum & Clariſſimum Fontaninium Archiepiſcopum Ancyranum, in Diſſertatione de Diſco Votivo, legitur Inſcriptio exiſtens adhuc Bagnacavalli, in Diœceſi Faventina his verbis, primæ noſtræ Inſcriptioni reſpondentibus:

DE DONIS DI ET SCI PETRI APOSTOLI
TEMPORIBVS DN DEVS DEDI VB EPC
IOHANNIS VMLIS PR FECIT ☧ IND. V.

Doctiſſimi ii viri cenſuerunt, memorari heic *Deuſdedit* Archiepiſcopum Ravennæ, poſitumque lapidem circiter Annum Chriſti DCCCXLVII. ſive Anno DCCCLVII. uti rectiùs opinatur idem Fontaninius, quum eo Anno in curſu eſſet *Indictio V.* Verùm divinando potiùs, quàm certâ aliquâ ratione, eruditi illi viri in hac Inſcriptione invenerunt *Deuſdedit Archiepiſcopum Ravennatem*. Nam quòd hujus nominis Archiepiſcopum Ravenna dederit, parum eſt, quum & Faventiæ alter *Deuſdedit* ſediſſe potuerit, ad cujus Diœceſim, ut nunc, ita olim Bagnacavallum, ſeu Tiberiacum Oppidum, ut Rubeus putat, pertinuiſſe credendum eſt. Et ſane corruit Illuſtriſſimi Fontaninii ſententia. Neque enim ad Annum DCCCLVII. protrahenda eſt Deuſdedit Archiepiſcopi Ravennatis Vita, quum Johannes Archiepiſcopus ejus ſucceſſor jam Anno DCCCLIII. Ravennatem Cathedram teneret. Lege Acta Concilii Romani habiti Anno eodem DCCCLIII. edita ab Holſtenio & Labbeo. Iis ſubſcribit *Paulus Diaconus vicem agens Johannis Archiepiſcopi Ravennatis*. Ergo Deuſdedit jam locum fecerat Anno DCCCLIII. Johanni Succeſſori, eumque reſpicere nequit Inſcriptio poſita *Indictione* V., nulla enim *Quincta Indictio* cadit in Vitam Deuſdedit. Ac propterea alterius Diœceſis Epiſcopus quærendus ibi. Faventinis liceat eum ſibi tribuere. Scalabrinius ſupra memoratus *Vico-habentinum* ſuſpicatur, & Inſcriptionem referendam putat ad Sæculum Chriſtianæ Æræ Quinctum aut Sextum. Et ſane ad verum propius accedat, qui opinetur, *Georgium* & *Mauricinum*, Epiſcopos Vico-habentiæ fuiſſe, Ughellio & Scriptoribus Ferrarienſibus hactenus ignotos. Sermo CLXXV. Sancti Petri Chryſologi in conſecratione *Marcellini Epiſcopi Vico-haventini*, teſtis eſt, Vico-habentiæ ſediſſe olim Epiſcopos, quorum Sedes primo Vigueriam, denique Ferrariam translata fuit. Tribuendi igitur Vico-habentinæ Eccleſiæ & ii videantur.

DE
MONASTERIORUM
ERECTIONE,
ET
MONACHORUM
INSTITUTIONE.

DISSERTATIO
SEXAGESIMAQUINCTA.

DISSERTATIO
SEXAGESIMAQUINCTA.

VEl ab ipso Ecclesiæ initio Monachorum originem si quis deducere velit, argumenta non deerunt, quibus ejusmodi opinio veri omnino similis appareat; non quod Monasteria jam tum esse cœperint, sed quod homines inter Christianos ne tunc quidem defuerint, qui divinâ Christi Philosophiâ imbuti, Sæculo contemto, sibi vivebant, & cœlestium rerum contemplationi ac severiori disciplinæ vitæ sese totos addicebant. Non Monachi ii appellabantur, sed *Philosophi*, & Ἀσκηταί, quorum Philosophorum mores in vestibus atque in studio omnium virtutum, & scientiæ, cum Theologicæ, tum Moralis, æmularentur, sed longe meliori scopo, lumine atque progressu, quàm Ethnicorum Philosophi. Trita jam disputatio est, num veteres Esseni ac Therapeutæ Christi sectatores fuerint. Utcumque statuas, satis est unus Hieronymus, qui Sæculo Christianæ Æræ Quarto florebat, ad nobis persuadendum, Monasticæ vitæ primordia atque institutionem non in eo tantum Sæculo esse quærenda, sed & in præcedentibus, quamquam nondum Ascetæ isti, sive Philosophi Christiani certis legibus ac regulis suam constabilisse sectam credendi sint. Tamdem verò *Monachi* appellari cœpti sunt, quum solitudini sese dedere, sive Eremiticam vivendi rationem sequerentur, sive in Monasteria a Populi consortio remota sese reciperent: quod factum novimus Sæculo eodem Quarto post Christum natum. Nam invalescente, ac jam mirum in modum dilatatâ primum sanctissimâ Christi Religione per Orbem, tum primum in Oriente, hoc est in Ægypto, ac Palæstina, Monachorum Cœnobia cœpta sunt institui, quo convolabant, qui spretis & ejuratis Sæculi pompis, aut ex humanarum rerum instabilitate fessi, ad Virtutem tantùm atque ad cœlestium meditationem in solitudine inhiabant. Eorum vitam Angelicam pluribus describunt prælaudatus Hieronymus, Athanasius, Chrysostomus, Cassianus, aliique eorum temporum Patres. Ex Oriente in Occidentem præclarissima hujusmodi institutio delata deinde fuit; neque a verò abludat quisquis opinetur, in Italia prima illius fundamenta jacta fuisse Mediolani in Urbe splendidissima, atque inde in reliquas Italiæ, immo & Occidentis Civitates eamdem fuisse diffusam & propagatam. Clarissimus vir Christianus Lupus in Scholiis ad Tertuliani Librum de Præscriptione pag. 42. hæc scribebat: *Usque ad Augustini Episcopatum Africana Ecclesia & Virorum & Virginum Cœnobia penitus ignoravit. Nam & ipse Augustinus, dum in Italiam doceret Rhetoricam, ignoravit vocem Monasterium.* Sententiam hanc, auctoritate viri tanti fretus, sine ullo examine excepit alter celeberrimus Scriptor, Daniel Papebrochius e Societate Jesu, in Responsf. ad Exhibit. Error. Art. XV. num. 105. in hæc verba scribens: *Quid si pariter ostendam, ante Augustini Episcopatum, qui non fuit nisi Sæculo Quinto, nullum in Italia, nullum in Africa, quæ præcipue Fidei*
A *Catholicæ tunc erant regiones, fuisse seu Virorum seu Mulierum Cœnobium? Certe id asserit Christianus Lupus* &c. Sed neuter non satis accurate in rem istam inspexit. Teste Augustino Lib. 4. Cap. 6. Confessionum, *erat Monasterium Mediolani plenum bonis Fratribus extra Urbis mœnia sub Ambrosio nutritore*. Ambrosius ipse idem confirmat in Epistola ad Vercellenses, carpens Sarmationem ac Barbatianum, qui Joviniani errores adoptarant. *Fuerunt*, inquit, *nobiscum, sed non fuerunt ex nobis; neque enim pudet dicere, quod dicit Euangelium Johannis. Sed heic positi jejunabant, intra Monasterium continebantur* &c.
B Ergo jam Sæculo Quarto Monasteriorum usus Mediolanum invectus fuerat. Immo longe etiam ante Sancti Ambrosii tempora idem institutum illuc penetrarat curâ Sancti Martini, celebratissimi postea Turonensium Episcopi. Severus Sulpicius in ejus Vita Cap. 4. de eo in hunc modum loquitur. *Italiam repetens, quum intra Gallias quoque discessu Sancti Hilarii, quem ad exsilium Hæreticorum vis coëgerat, turbatam Ecclesiam comperisset, Mediolani sibi Monasterium statuit*. Gregorius Turonensis in Histor. Franc. in fine Libri primi, & in Libro decimo Cap. 31. hoc idem repetit scribens: *Apud Urbem Mediolanensem Italiæ*
C *primo Monasterium constituit*. Audi etiam Paulinum Petricordium in Vita ejusdem Sancti Martini, Libro primo ita loquentem.

- - - - - - - constructâ statuit requiescere Cellâ
Heic, ubi gaudentem nemoris vel palmitis umbris
Italiam pingit pulcherrima Mediolanus.

Sed heic insurgit magnus Annalium Ecclesiasticorum parens Baronius, contendens ad Annum Christi CCCXL. Sanctum Athanasium, eo Anno Romam profectum, illuc intulisse Monachismum, & ab Urbe in universas Ecclesias Occidentis emanasse postea sublime illud
D vivendi genus. En Sancti Hieronymi verba, quæ in hanc rem ipse laudat, desumta ex Epistola ad Principiam. *Nulla eo tempare nobilium feminarum noverat Romæ propositum Monachorum, neque audebat propter rei novitatem, ignominiosum (ut tunc putabatur) & vile in Populis nomen assumere. Hæc* (scilicet Marcella) *ab Alexandrinis prius Sacerdotibus, Papaque Athanasio, & postea Petro, qui persecutionem Arianæ hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum, Romam confugerant, vitam beati Antonii adhuc tunc viventis, Monasteriorumque in Thebaide Pachomii, & virginum ac viduarum didicit*
E *disciplinam: nec erubuit profiteri, quod Christo placere cognoverat*. Accedat iterum Augustinus, qui in Libro de Morib. Ecclesiæ Cap. 33. hæc scribit: *Vidi ego diversorium Sanctorum Mediolani non paucorum hominum, quibus unus Presbyter præerat, vir optimus & doctissimus. Romæ etiam plura cognovi* &c. Atque hinc infert Baronius ad Annum Christi CCCXXVIII. *nobiliores Ecclesias æmulatas fuisse Romanam, ut Mediolanensis, quæ primum*

mum Monasterium juxta Civitatem positum habuit. Verùm nihil adfert doctissimus Cardinalis, quo nobis persuadeat, primò Romæ, tum Mediolani, Monasteria fuisse constituta. Nam e vivis abiit Marcella a Sancto Hieronymo laudata Anno Ch. CCCCX. ac proinde Monastica vita ab ea suscepta aut circiter Annum CCCLXX. aut serius collocanda videtur; quum illud institutum ipsa didicerit a magno Athanasio, qui Anno CCCLXXIII, e vivis abiit, immo & a Petro Epiphanii successore. Contra nos supra vidimus, a Sancto Martino fundatum fuisse Monasterium Mediolani, quo tempore *Sanctum Hilarium ad exsilium Hæreticorum vis coëgerat*. Atqui Hilarius Anno CCCLVI. in exilium actus est; ac proinde, nisi clariora documenta exerantur, primum in Occidente Monasterium Mediolani constitutum opinari licebit.

Itaque Sæculo Christi Quarto & Quincto, Monachorum Monasteria cœpta sunt ædificari in Italia, & præcipue Mediolani, Romæ, Ravennæ, Nolæ, atque in aliis Campaniæ & Calabriæ locis, in Insulis Etrusci maris, Aquilejæ, & alibi. Celeberrima quoque Sæculo Sexto fuere, quæ Cassiodorius, cognomento Senator, in ulteriori Calabria excitavit. Quo etiam tempore fulgidissimum lumen Ecclesiæ suæ a Deo datum, Sanctus Benedictus floruit, suumque religiosum Ordinem condidit, per quem tum maxime ordinem, leges, melioremque disciplinam in exteriori, & potissimum in interiori animorum cultu suscepit Monasticum in Italia institutum. Nova hæc Regula, quidquid laudabile erat in antiquis retinens, brevi per totum ferme Occidentem diffusa est, & ad eam normam excitata ubique fuere Monasteria. Immo & quæ ante Sanctum Benedictum, vel eo vivente, aut vita functo fine ejus Regula emerserant, sensim sibi eum deinde adscivere Patrem atque Magistrum. In Concilio Cabilonensi II. habito Anno DCCCXIII. Canone 22. legitur: *Pæne omnia Monasteria regularia, in his regionibus constituta, secundùm Regulam Sancti Benedicti se vivere fatentur*. Olim præter Monachos non paucos, Cœnobiticæ, aut Anachoreticæ vitæ addictos, & sanctitate morum percelebres, passim affluebant Monachi *furvâ tunicâ pullati*, nulli Abbati, nulli Cœnobio obstricti, qui in Urbes, ac privatorum ædes, muscarum more, penetrabant, suis commodis, suisque voluptatibus potius, quàm Deo servientes, & *Sarabaitæ* peculiari nomine appellati. Istorum vitam, si nomen ac vestem Monachi excipias, ceteram Sæcularem, exagitavit non semel Sanctus Hieronymus, & boni omnes oderant, quippe a Monastica professione plane alienam, & scandalis frequentibus obnoxiam. Ubi verò sanctissima & severior disciplina Benedicti invaluit, (ut mittam Sancti Columbani, aliorumque instituta a Benedictinis aliquantulum diversa) tum paulatim evanuere Pseudo-Monachorum spissa examina, & in bene ordinatis Monasteriis sanctitas morum, & virtutum omnium cultura conspiciendam se dedit. Certe longe aberant vel ipsi Benedictinæ familiæ alumni a posteriorum temporum institutis, quibus tot Viri Regularem professionem amplexi, contemplationi quidem divinarum rerum se addicunt, sed simul in Sacramentis ministrandis, in sacris ad Populum concionibus, atque in aliis activæ vitæ operibus se quotidie exercent, & hominum sanctificationem totis viribus curant. Attamen ejusmodi quoque Monachorum vivendi genus, austeritatem & Sæculi contemtum undique spirans, virtutibus multis conjunctum, & solitudinem veluti gratissimum portum quærens, meritò in admiratione Populorum erat; idque etiam exemplum ad vitia avertenda, & ad virtutem propagandam non parum valebat in animis Sæcularium. Accessit procedente tempore Literarum, ac præcipue Ecclesiasticarum, studium in Monachis non paucis, quibus etsi familiaris erat, & ex præcepto etiam indictus, manuum labor, tamen æque Eruditioni ac Scientiis operam dare in usu fuit: quæ studiorum ratio, præsertim ubi in Sæculari Clero Literarum amor & cultus deficere cœpit, existimationem auxit Benedictinæ institutioni.

Præterea quod in illustrioribus Cœnobiis Scholæ etiam haberentur, illuc Nobiles ac Potentes Viri filios suos in puellari ætate destinabant, ut sub egregiis Magistris, veluti nunc fit in Nobilium adolescentum Collegiis, educarentur, & pietatis ac eruditionis lac ebiberent. Denique jugis oratio, Psalmodiæ, & cantus Monastici perennis ac pius usus, ut alia prætercam, in aures & oculos Populi incurrentes, venerationem singularem Cœnobitis tam bene compositis conciliabat; ac potissimum, quod ii in Populo Christiano præcipui forent, in quibus coalescerent cuncta ferme ornamenta Virtutis ac Religionis. Illud certe fatendum est, quoties æquis lancibus, & veterum Monachorum acta pensemus, maximum Catholicæ Religionis fulcrum fuisse Monachicum institutum cum in Oriente, tum in Occidente. Sancti quippe Monachi Ordinis Benedictini, & ejus Abbates (& horum quidem non levis olim numerus fuit) Sæculis iis, quibus Barbari totum pervasere Occidentem, atque ignorantiæ ac vitiis omnibus apud Sæculares claustra aperuere, egregie consuluerunt necessitati Ecclesiæ, non minus excolendo Literas, quàm Virtutibus operam dando; ita ut ne pravis quidem temporibus iis desiderata sint viva ac crebra Sanctitatis exempla, atque Ecclesia vel tunc ostendere potuerit suam pulchritudinem numquam defecisse. *Inclusorum* quoque, sive *Reclusorum* austera vivendi ratio admirationem omnium facile olim in se convertebat. Esse enim cœperunt post Tertium a Christo nato Sæculum pii Viri, qui non solùm Eremiticæ sive Anachoreticæ vitæ in solitudine se tradiderunt, sed etiam inter angustias unius cellæ conclusi, ibi reliquum suorum dierum, numquam inde exeuntes, agebant. Genus hoc Monachorum per quamplurima Sæcula perdurasse reperimus: & quamquam a Cassiano Collat. 18. Cap. 8. & a Sancto Isidoro in Regula Cap. V. minime probetur, multum tamen venerationis a Populo impetrabat. Eosque æmulatæ virgines ac mulieres non paucæ occurrunt in veterum Libris, pleræque tamen extra Italiam, quæ pariter in Cella ostio carente inclusæ, tam durum ac periculosum vitæ institutum sequutæ sunt. Quid uni ex hisce Reclusis Virginibus contigerit Sæculo Christi XV. (nam ad ea usque tempora mos iste perduravit) narrat Antonius Astesanus Lib. primo, Cap. 9. Poëmatis a me editi Tomo XIV. Rer. Italicarum. Paucorum tamen miser casus minime obstitit, quin rigidum illud consilium Populus & laudaret & suspiceret, quoties spectandum sese præbebat. Nil ergo mirum, si ex montibus & agris, ubi prima

prima Benedictinorum Cœnobia locata sunt, in Urbes etiam advocati olim ac stabiliti fuere illorum cœtus; uti neque mirum, si nova indies Cœnobia excitarentur, & non Urbium tantummodo, sed & Oppidorum & Vicorum habitatores certatim conquirerent, aut lubentissime exciperent unam, immo plures apud se Benedictini Ordinis familias: quod & nostris temporibus de aliis Religiosorum hominum institutis usuvenit.

Fuerunt autem Reges, qui Cœnobia, quantum Regalem magnificentiam decebat, illustria condidere. Nonnulla memorat Paullus Diaconus, a Regibus Langobardis exstructa. Eamque piam liberalitatem æmulati sunt Magnates ipsi, ut hisce donariis Deum sibi propitium efficerent: quam in rem unum exemplum dabo. Faulo, qui *Major Domus* Cuniberti Langobardorum Regis fuisse videtur, in Lucensi Urbe insigne Monasterium Sanctorum Vincentii & Frigidiani aut condidit, aut restauravit, multis opibus eidem collatis, & constituto ibi Abbate Balbino cum non paucis Monachis. Legitur adhuc in ditissimo Lucensis Archiepiscopii Archivo antiquissima Charta, per quam Felix illius Urbis Episcopus donationem ratam habet, simulque Privilegium Abbati, ejusque successoribus largitur, uti constabit ex pervetusto antigrapho, quod olim ego descripsi.

Felix Lucensis Episcopus Monasterio Sancti Frigidiani confirmat, quæ a Faulone donata fuerant, ac futuras oblationes eidem concedit. Anno Christi 685.

E*T ideo nos* Felix *gratiâ Dei* Episcopus, *una cum Presbiteri, vel Diacones, seo Cliro, abitatoris* Civitatis *istius nostre Lucensis, qui subter subscripturi sunt, unde promittimus tibi* Balbino Abbas, *vel Monachorum tuorum, ut firmiter inibi in* Monasterio Sancti Fricdiani *resedire debeatis, & ut superius legitur, pro anima vel generationem jam dicti* Fauloni *orare diveatis tam vos, vel qui post vos fuerent, qui digne peragere valeant in eodem sancto loco Sanctorum Dei. Et numquam vos eadem pecuniam, quot inibi obtulit sepe dictus Faulo, umquam ullo tempore a nobis retragendum est ad aliam Ecclesiam, aut ad alium Sacerdotem, nisi qui ibidem Abbas fuerit, & quem volueret, si cum adiberet ipsi fructus in onorem Domini & elemosinarum fuerit, eo quod pro opes fidelium ipsas siscellas offerta est. Et si Abbas de hanc luce migratus fuerit, & dormierit cum patribus suis . . . . . ipsi elegerint sibi Abbatem ordinandum, ipsum sibi Abbatem debeant ordinare, reliquias verò dandas de ipsum co . . . . . . sanctum ad consilium Episcopi sine vigilia tenendum Abbati cum Monaci suis; & nihil adgravetur quoquo tempore neque ab Episcopus, neque ab ullo Sacerdotem, nisi tantum per unumquemque annus semel in alba ad omnis Sacerdotes unum prandeum faciendi, sicut consuetudo fuit Eclesie illius. Et hoc addimus in hanc paginam, si quiscumque homo Dei fuerit, sibe hominem, seu equus, vel bovem, aut terra, & mancipium tam movile quam inmovile, quidquid ibidem offertum fuerit in potestatem illius Abbati sint, qui in eodem loco reservire videtur, & regula custodiendum, vel Monachorum consuetudinem & ordinem sanctum tenendum inab . . . . . . quandoque ipse presumat, nec nos, nec qui post nos venturi sunt, quia quot bene disponitur, & legibus roboratur, oportum est perennis & futuris temporibus permanire. Et si quis contra hanc discritiones nostre cartulam ire presumserit, Dei incurrat periculum, sicut Judas traditor, qui se laqueo suspidet, & ad judiciali reverentia reatus recidat; & cum summa dulcidinem & desideria Domini colendum Petroniaci filio nostro scrivendam dictavimus, & manibus nostris suscripsimus, ut perpetuis temporibus stavilitum persistere dibeant.*

Actum in Civitate Lucense sub die XIII. Kalendarum Februariarum, per Indictione XIII. Regnante Domnis nostris Pertharit, & Cunipert *viris excellentissimis* Regibus, *anno filicissimis Regni eorum Tertiodecimo & Quinto, per Indictione subrascripta, feliciter.*

Ego Felix *venerabilis gratia Dei* Episcopus *ubic Cartole cessionis nostre, postea mibi relectum est, consensi & subscripsi.*

Ego Johannacis v. v. Arcipresbiter.

Ego Clarus v. v. Presbiter.

Ego Teuderacis v. v. Presbiter.

Ego Candidus Presbiter.

Ego Geminianus v. v. Presbiter.

Hanc Felicis Episcopi Chartam confirmatam videas a Cuniberto Langobardorum Rege *Anno Nono* ejus Regni, in Appendice ad Tomum Primum Annal. Benedictinor. Mabillonii, pag. 707. Chronologicæ Notæ hujus Chartæ, nempe *Annus XIII.* Bertharidi, & *V.* Cuniberti Regum, cum *Indictione XIII.* decurrente Januario Mense, si recte se habent, concordes minime sunt cum calculis Pagii, qui Anno DCLXXI. Bertharidum Langobardis dominari cœpisse scribit: Anno vero DCLXXIX. Cunibertum a Bertharido patre Regni consortem renuntiatum contendit. Si Anno DCLXXXV. quem indicat Indictio XIII. *Annus* Bertharidi *Decimus tertius* in cursu erat, & Cunibertus numerabat *Annum* Regni *Quinctum*, serius illi Regalis titulus conlatus fuerit, necesse est. Mabillonius Diploma Cuniberti supra mihi memoratum retulit ad Annum DCC. quo neque *Indictio XV.* decurrebat Mense Novembri, neque *Annus Nonus* Cuniberti, nisi Epocham a supra laudata diversam invehere velimus: quare vereor, ne depravatæ sint illius Diplomatis notæ Chronologicæ. Neque minori studio ceteri Italiæ Principes, atque Episcopi, pro *peccatorum suorum remissione* nova Monachorum Cœnobia fundarunt. Multa ex iis numerantur, a Romanis Pontificibus, aliisque Episcopis constructa: multa a Principibus Beneventanis: multa demum a Ducibus Fori Julii, Tusciæ, atque ab aliis Italiæ Magnatibus, ut reliquos prætermittam. Nonnullorum originem Diplomata heic edenda illustrabunt. Attamen Langobardorum adventu ac populatione factum est, ut Sæculo VI. & VII. Monasteriorum in Italia fundationes non tam frequentes fuerint, atque in Gallia & Britannia. Immo

mo & ex iis, quæ ante condita fuerant, non pauca fuere excisa, ita ut ne eorum quidem memoria supersit. Sed illa potissimum celeberrima ac ditissima Monasteria evalere, quibus initium dedit quispiam aut Nobilitate generis, aut Sanctitate vitæ præstans; Fundatoris enim virtus, qui lares ibi figebat, sui nominis celebritate piæ gentis oblationes crebras, & ingentem discipulorum atque sodalium copiam ad se trahebat. Ita Sanctus Benedictus Monasterio Casinensi ac Sublacensi, Sanctus Columbanus Bobiensi, Sanctus Anselmus, primo Dux Forojuliensis, tum circiter Annum DCCLII. Fundator & Abbas Monasterii Nonantulani in agro Mutinensi, ut hos tantùm memorem, incredibilem iis locis famam & opes peperere. Neque segniores in ejusmodi studio fuerunt alii Reges ac Proceres extra Italiam. Quot, exempli caussâ, Monachorum domicilia excitarint Carolus Magnus, ejusque filius Ludovicus Pius, Annales Francorum & Mabilloniani sat produnt. In Cæsarea Vindobonensi Bibliotheca habetur antiquissimus Codex, Chronica Ottonis Frisingensis complectens. Illic additamenta pervetustâ manu scripta leguntur, & quid de piis Caroli Magni & Ludovici Pii operibus ibi referatur, non inutile erit heic prodere. An hæc e pseudo-Turpino delumta fuerint, alii inquirant. Certe Clarissimus Mabillonius auctor est in Annalibus Benedictinis eos falli, *qui viginti quatuor Monasteria pro totidem Alphabeti literis a Carolo Magno condita scripsere*. In eo igitur MSto hæc interferuntur de Carolo Magno, Lib. V. Cap. 32.

Placet autem huic Operi inserere sub compendio Ecclesias, Titulos, & Monasteria a piissimo & sanctissimo Karolo fundata, & a lapide constructa, cujus memoria in benedictione est, cum quibusdam aliis perpaucis. De innumeris autem Ecclesiis, quas iste gloriosus Imperator a primario lapide fundavit, quædam heic summarie pertinguntur. In Saxonia apud Heresburc, ydolo Yrmensul destructo, Basilica valde formosa, & aliæ quamplures. Item Anianensis Monasterii archisterium, ubi Benedictum nomine instituit patrem. Item per totam . . . . & provinciam Winidorum & Fresonum. Item in Hispania Monasterium Sanctorum Martyrum Facundi & Primitivi. Item in Aquitania viginti tria Monasteria, secundùm ordinem & numerum Alfabeti. Item de opere valde perspicuo eximia Basilica Sanctæ Mariæ Aquisgrani, ubi Romano Imperio sedes est Regiæ Magestatis. Et ibidem Basilica Sancti Jacobi, quæ est apud Urbem Beterrensium. Et Basilica Sancti Jacobi apud Tolosam. Et illam, quæ est in Gosconia inter Urbem, quæ dicitur Asta, & Sanctum Johannem Forduc via Jacobitana. Et Ecclesiam Sancti Jacobi aput Parisius. Has omnes & plures alias Ecclesias prædiis, auro, argento, gemmis, quibuslibet aliis ornamentis, & reliquiis studuit insignire. Hic etiam felicissimus Princeps inter alia virtutis suæ opera Ecclesiam Imperialis Præposituræ Thuricensis Constantiensis Diœcesis fundavit, viginti quatuor in ea Canonicos, ut inveni in quodam compendio, instituendo, quam largis honoribus & possessionibus ditavit. Villam Ridem prope Albis, famulis, mancipiis, & juribus ad eam pertinentibus, & in Hömo præter Salicam terram duos mansos & dimidium. In Thurego segregata loca cum vineis, molendinis, decimarum limitibus ex Imperialibus Salicæ terræ Curtibus, videlicet in Stadelhoven, Wibelhingen,

A *Oesta, Ilnova, Vellanden, Mure prope Glalse, Hofsleten, Meilanum, Bosivile. Ludewicus tamen nepos Karoli fundans Monasterium Regalis Albæ Thuricens. abstulit Præposituræ inter alia villam Vellanden, Mure, & Bosivile, & ejusdem Monasterii Abbaciæ donat & contradit, ut in sequentibus patebit.*

Tum Libro Sexto, Capite Quincto, ubi de Ludovico I. Germaniæ Rege sermo est, hæc interponuntur:

Iste Ludewicus nepos Karoli Magni, Rex Germaniæ, tres genuit filios, Ludewicum, Karolum, & Karolomannum, & Berchtam, & Hildegardem, & plures alias filias. Et inter multa, quæ fecit egregia, gloriose fundavit & largiflue dotavit, ut adhuc in suis dignitatibus ostendatur, Monasterium Regalis Albæ intra muros Thuregi Constantiensis diœcesis: in quo prædictas filias Berchtam scilicet & Hildegardem sub religione Ordinis Sancti Benedicti posuit & præfecit. Tamdem ipse Anno ab Incarnatione Domini DCCCLXXIV. secundùm Frisingensem, vel VI. juxta Chronicam Regionis apud Francofurt Palatium, diem clausit extremum V. Kalendas Septembris. Sepultus est in Monasterio Sancti Nazarii, quod Larasbaim nuncupatur. Fuit autem iste Princeps Christianissimus &c. Istarum duarum filiarum cineres sacrati cum ossibus de lapideis sarcophagis subterraneis, in quibus distinctè sepultæ per annos fere quadringentos jacuerant, diligentissime & divisim colliguntur; sed in sarcophago, Altari beatæ Virginis proximiore, ossa & cineres illustris Berchtæ Anno Domini MCCLXXII. decimo Kalendas Novembris, Indictione I. sub Gregorio Papa X. sub Eberhardo Episcopo Constantiensi de Waltpurg, *sub Elizabetha Abbatissa dicta de* Wezinkon. *In altero verò sarcophago consimili, & quasi contiguo ossa & cineres illustris Hildegardis reconditi sunt decenter & devote Anno Domini MCCLXXIII. quinto Kalendas Januarii, videlicet Festo Innocentum, qui tunc in IV. feriam evenit Indictione prædicta, sub Papa, Episcopo, Abbatissa antedictis. Tamdem affectus laudabilis, quem iste serenissimus Rex, cujus memoria* ab auditione mala non timebit, *habuit ad Monasterium, quod ipse fundavit magnifice dote mirâ in honorem sanctissimorum Martyrum Felicis & Regulæ, quorum Corpora in eodem Monasterio ab ipso reverenter condita requievit, ac ob dilectionem specialem, quam liquido patet habuisse ad illustrissimas filias suas, Deo maxime devotas Virgines immaculatas, Berchtam scilicet & Hildegardem; quarum Corpora, ut præmisi, in præmisso Monasterio requiescunt; vita & conversatio ipsarum qualis fuerit, Jesus Christus Filius Dei omni tempore ad tumbas earum multipliciter revelat. Nam diversi variis languoribus irretiti, illic sanitatis recipiunt incrementum. Ut igitur tam desiderabilis affectus, & verè multipliciter commendandus in abscondito non lateat, sed in auribus hominum & Ecclesiæ sanctæ notitiam transferatur, scripti munimine suffragante, placuit Privilegium, quod invictissimus Rex Ludewicus sæpe dicto Monasterio pro sui libertate tradidit & donavit, præcedentibus subnotare.*

Sequitur ibi Diploma, quo Ludovicus eidem Monasterio Sanctorum Felicis & Regulæ donat *Curtim Thuregum in Ducatu Alamannico in pago Thurgavensi sitam*: Pagellum *Uraniæ, & forestam Albis dictam*. Incipit: *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ludowicus divina faven-*

favente gratiá Rex . Si de rebus terrenis &c. Quod etiam in usu fuit , erant qui Sæculares curas atque tumultus pertœsi, ad condendum aliquod Monasterium universas suas fortunas conferebant , ut illic reliquum vitæ in solitudine & operibus sanctis transigerent. Neque se tantùm Monastico instituto alligabant , sed A etiam liberos offerebant , atque eos interdum pueros , interdum quoque vix unum aut alterum annum supergressos , ut infra ostendam . Exemplum accipe ex Archivo prælaudati Archiepiscopii Lucensis desumtum , ubi in archetypa Charta hæc leguntur .

Aurinandus & Godefridus Lucenses Cives Monasterium Sancti Petri in loco Castellione pro filiis suis fundant, Anno 723.

IN *nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi , regnante* Domno *nostro* Liutprand *viro excellentissimo* Rege , *Anno* . . . . . *Regni ejus Undecimo , per Indictione Sexta , Mense Januario , feliciter . Dum Deus omnipotens* . . . . . *dilium inlustrare dignatus est , expansis manibus ad ejus aulam concorrentis divi* . . . . . *mistirio confortitor , ut ad illam desideravilem fontis satientor , sicut Euangelicam vox ammonet dicens* : fratres mei , & amici mei , venite ad regnum Patris . . . . possedite , quod paratum est vovis . *Et alivi* : Vendite , que possedítis , & date elimosinis, & avevitis tensaurum in Celo: & sequimini me , ut sancta Jerusalem ad Deo transmissa descentem de Celo , ubi lux indeficiens est , *mereamor conlocari , & mannam illam celestem Angelicam cum Sancti & justi participes esse inveniamur. Hinc itaque ego* Auriand *V. D. una cum* Gudifrid *V. D. germanus meus , tractavimus , ut de parvitatis rebus nostris novis mercidem adcriscat , & accessimus ad V. D.* Thalesperiano *Deo gratia* Episcopo, *in Christo pater nostro , ut cum ejus consilio , seo licentia Oracullum sancte Dei Virtutis construere deverimus , & quamvis brevite ad fondamentis fabricis Ecclesiam constituimus in honore beati sancti Petri Apostoli in loco, qui vocitator* Castellione, *& parbulum munusculum ividem offerimus : idest terrola circa ipsa Ecclesia modiorum sex , & in alio loco de illo latere Riumodi loco vinea ; & ad hoc nostram decrevimus volontatem nus Auriand , Gudifrid* , ut fili nostri ibidem in ipso Monasterio servire deveas unacum filio meo Galduald *religioso* Clirico , *seo alii filii nostri , qui Deo servire voluerit , &* ividem Monacale vita vivere deveas . *Et hoc volomus nus suprascripti Aurinand , Gudifrid, ut in nostra , vel de filii nostri sit potestatem ividem Sacertotem ordinando , & post nostro decesso , quem ivi ipsi Monaci de ea consecrationem eligere ipsum aveat ordinatum ; & quod superius menime memoravimus duodeci forma olive , que novis ex comparationem da Gualistolo advinet , ita ut ab hoc die firma ad ipsa sancta Vertute in integro possedeat , & umquam ullo tempore ad novis retraëndum est ad alia Ecclesia , aut ad alium Sacerdotem , quod ad novis offertum est , nisi qui inivi Abbas fuere , & quem volere rectum abire ipsi fruator in honore Domini . Et quod ab se , si quis de novis suptragere voluere , vel proprio defendere , vacuus & inanis exinde exeat , & dona nostra in integro Deo & Sancto Petro permaneat confermata ; & cum summa delectatione Sicherad Presbiter amico nostro hanc Cartulam dotalium scrivere rogavimus , & perpetuis temporibus permaneat .*

B *Actum Luca , Regnum & Indictione suprascriptá feliciter.*

✠ *Signum manus Aurinand V. D. benefactori & conserbatori.*

✠ *Signum manus Gudofrid V. D. benefactori & conserbatori.*

✠ *Signum manus Galfuald filio ejus & Clirico , benefactori & conservatori.*

✠ *Signum manus Gairto V. D. testis.*

✠ *Signum manus &c.*

Ad hujusmodi verò sacras Monachorum ædes erigendas atque dotandas utut proclivis ex se foret , ac sponte non raro festinaret pietas hominum tunc Deum quærentium , attamen nefas minime erit sibi persuadere , opportunas C atque importunas Monachorum solicitationes , preces atque consilia , interdum intercessisse , quibus inclinati Fideles non sua tantùm sed se nonnumquam offerebant Deo , novo Monasterio constructo . Non erant a nostris diversa illorum temporum ingenia , affectus & vota . Piissimum institutum dilatare supra multa alia holocausta gratissimum Deo putabatur ; neque desiderabantur in Euangelio aperta ad hanc rem hortamenta ; & præter meritum pii operis, vel tunc aliqua latens minimeque observata humanæ gloriæ cupido impellere ad hoc homines poterat . Addam quoque : non omnes sancti erant in sanctitatis domicilio , neque tanta sub Monastica veste humilitas & Mundi D contemtus vigebat , quin multi inhiarent ad sacras Præfecturas , quas quando in propriis claustris consequendi sublata spes erat , in novis condendis anxie exquirebant . Huc referendum est Capitulare Regum Francorum Lib. 6. Cap. 140. *Ut nullus Monachus , congregatione Monasterii derelicti , Ambitionis aut vanitatis impulsu Cellam construere sine Episcopi permissione , vel Abbatis sui voluntate præsumat .* Monachi enim , ut ipse Angelus Nuceus Casinensis Abbas fatetur in Notis ad Chronicon Casinense , *tamquam apes ex Cœnobiali alveario de more egressi, nova Monasteria, sive dicas Cellas , construere amabant .* Aliis exemplis parco, hanc in rem prolaturus , quod E Mutinæ olim contigit animadversione dignum. Amplissimum Nonantulanum Monasterium , quinque tantùm passuum millibus ab Urbe dissitum diu in caussa fuit , ne Mutinenses prope aut intra Urbem aliquod aliud Monachorum Collegium inducerent , contenti antiquo illo ac celebri loco . At Hildeprandus Mutinensis Antistes , Monasticum cœtum propiorem habere cupiens, Anno DCCCCLXXXIII. Ecclesiam Sancti Petri Stephano Presbytero & Monaco concedens, novo Monasterio prope mœnia Urbis fundamenta præparavit , quod postea auctum & nobilitatum in hanc usque diem perdurat.

durat. Ejus literas vide apud Ughellium Tom. 2. Ital. Sacr. in Episcopis Mutinensibus. Quid verò subinde Nonatulanus quidam Monachus A egerit, malo ex altera ejusdem Episcopi Charta, in Archivo ipsius Monasterii adservata, discas, quàm ex meis verbis.

Confirmatio Ecclesiæ Sancti Petri facta ab Hildeprando Episcopo Mutinense Stephano Monacho, & abrogatio actorum Monachi cujusdam Nonantulani, Anno 988.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis.* Ildeprandus *per Christi misericordia sancte* Mutinensis Ecclesie Episcopus. *Omnibus filiis nostre Ecclesie notum fore volumus, qualiter quidam venerabilis* Presbiter & Monachus *nomine* Stephanus *nostram deprecatus est clementiam, ut pro Dei amore ei concessissemus illum locum, ubi* Ecclesia beati Petri Apostoli nunc est edificata, *in qua Deum omnipotentem jugiter exorare potuisset. Nos autem ob amorem & timorem Domini nostri Jesu Christi, nostreque remedio anime, nostrisque Successoribus, audientes ejus petitionem libentissime concessimus. Quapropter considerantes nos, ut illius oracionibus ceterisque ibidem servientibus Deo, tam nos quamque Successoribus nostris indulgenciam de peccatis nostris a Domino accipere credimus; unde verò concedimus & donamus ibidem in ipsum almum locum, ut idem prænominatus Monachus & venerabilis Presbyter, suisque successoribus habeant in perpetuum & teneant, & secundùm eorum voluntatem ordinandi & faciendi exinde, qualiter illis placuerint. Hoc est illam terram, que est finis Strada Salicitana usque in Fossa Militaria, & ultra Fossa Militaria illam terram, que laborata est per Gademarium, sive ceteris hominibus ibidem laborantibus, usque Cenosa, sive Fossato novo in Fossa Militaria currente, atque Fossato, que exiit de Fossato novo in Motina currente, & de subtus usque prato nostro domnicato, cum introito & undique legitimo exito, seu cum decimis atque offercionibus, necnon & sepulturis ibidem pertinentibus, quatinus illis, qui in ipsum sanctum locum Deo deservierint, aliquam substentacionem pro remedio animæ nostræ, nostrisque successoribus, exinde habeant & detineant jure perpetuo. Si quis igitur aliquis, quod absit, instigante Diabolo per cupiditatem, aut aliquam racionem hoc infringere temptaverit, a Sancta Trinitate atque individua Unitate sit condempnatus, nisi emendaverit, & insuper ira Dei omnipotentis incurrat, & a consorcio omnium Electorum excommunis habeatur, & in die Judicii non cum illis inveniatur, qui sua ad Christi Ecclesiam concesserunt, sed cum illis potius, qui de Ecclesia illic concessa injuste tulerunt, & emendare noluerunt. Nullaque illius auctoritas nunquam a suis successoriribus unquam possit observari. Istorum prædicta observantibus pax & misericordia seu benedictio atque ereditas a Domino & Sanctis ejus tribuatur æterna. Infrangentibus quoque, & emendare nolentibus ira & odium, atque rixas, perpetuaque maledictio a Domino & Sanctis ejus ic, & in eterna concedatur Secula. Notum sit omnibus nostre Ecclesie fidelibus,* quod quidam Nonantule Monachus, nomine Petrus, *nostram exoratus est clementiam, ut cum prelibato Stephano Presbitero & Monacho sociari quivisset, causâ sue anime remedium, & observationem regule. Nos autem putavi-* B *mus, ut ipse causâ bone fidei hoc fecisset. Consideravimus peticionem, & induciam postulavimus, ut cum predicto Monacho conflictum habere quivissemus. Qua pro re illum ad nos properare fecimus, & omnia ei narravimus. Ipse hoc audito amabiliter illum suscepit, & Privilegia cum omnibus pertinentiis illi sociavit. Hoc acto, insidiator malorum in cor Monachi introivit; opus ipsius in malum convertit. Itaque Stephanus Deum optabat, ut ei hanc discordiam tulisset, & in bonis operibus perseverare fecisset. Ille insidiante Diabolo in modum latronis conversus est. Privilegia furavit. Absconse iter arripuit. Statim ut hoc gessit, ad nos venit. Plurimos nummos nobis dare voluit ob hoc, ut medietatem Ecclesie cum suis pertinentiis ei dedissemus, quatinus suam domum ibi edificare, & se majori suo adsimilaret, insidiante illo, qui* C *dixit:* Ponam thronum meum ab Aquilone, & ero similis Altissimo. *Nos autem cernentes pravitatem illius, Privilegia requisivimus. Nullo modo habere quivimus. Igitur omnibus notum facimus, quoniam Stephanus nostram optavit misericordiam, ut pro Dei amore suum Privilegium firmum fecissemus, furatum vero vacuum, & sine virtute permansisset. Hoc quod ipse petiit, libenter fecimus, & manu propria firmavimus.*

Ildeprandus Episcopus *in hoc decreto a me facto subscripsi.*

Ego Liuzo Presbiter in hunc decretum manu mea subscripsi.

Ego Joannes Presbiter in hunc decretum ma- D *nu mea subscripsi.*

Andrea Presbiter in hunc decretum subscripsi.

Joannes Presbiter in hunc decretum subscripsi.

Ego Garoaldus Presbiter in hunc decretum manu mea subscripsi.

Israël Presbiter in hunc decretum subscripsi.

Joannes Diaconus manu mea subscripsi.

Andrea Diaconus in hunc decretum subscripsi.

Ego Motinensus Diaconus in hunc decretum manu mea subscripsi.

Ego Petrus Diaconus in hunc decretum manu mea subscripsi.

Rolandus Archidiaconus ex jussione Domini Ildeprandi Præsulis, & ammonitione fratrum scripsi, complevi & dedi.

E *Actum est hoc Anno ab Incarnatione Domini Nongentesimo Octoagesimo Octavo, V. Kalendas Novembris* Indicione Prima.

Actum in Motina, feliciter.

Animadverte heic *Indictionem Primam*, quæ in Kalendis Januarii Anno DCCCCLXXXVIII. decurrebat, non immutatam Septembri Mense, sed usque ad finem Anni continuatam fuisse. Quod autem Hildeprandus inchoaverat, Johannes Episcopus Mutinensis illius successor complevit Anno DCCCCXCVI. Constituit enim apud eamdem *Ecclesiam, juxta Mutinensem Civitatem sitam, ad honorem beatissimi Petri*

tri Apostolorum Principis Cœnobium Monachorum, cum consensu & notitia omnium ejusdem sanctæ Mutinensis Ecclesiæ Canonicorum, ejusdemque Civitatis Militum ac Populorum. In Monasteria verò, quæ Sæculares viri condebant, non rarò fundatori jus Patronatus reservabatur, atque ad heredes transibat. Ordinario tamen jure Abbatum electio ad Monachos spectavit. Certum quippe est, vel ab antiquis temporibus, atque ab ipsa Benedictini Ordinis origine, constitutum fuisse, ut ad Monachos singulis Monasteriis addictos pertineret, Abbatem suum sibi præficere: quemadmodum Clero quoque & Populo facultas erat olim suum sibi spirituale caput, hoc est, Episcopum, deligendi. Et quamquam non desiderentur Episcoporum & Abbatum exempla, qui viventes Successorem sibi statuerunt, nihilo tamen secius Monachorum jus in hisce electionibus, tum Pontificum tum Augustorum calculo firmatum, stabile semper fuit. Lubet heic adferre antiquissimam membranam, non tamen autographam, quam olim legi in nuper memorato Archivo Lucensis Archiepiscopii. Eam quoque memorat Clarifs. Mabillonius in Annalib. Benedictin. ad Annum DCCXIV. Uti ex ea intelligitur, *Radchis Abbas & Presbyter* (ita appellatus, quod multi ex Abbatibus adhuc sine Sacerdotio viverent) in Lucensi agro loco Apuniano Monasterium sub nomine Sancti Michaëlis construxerat, atque illud regebat. Is autem Anno XVI. Liutprandi Regis, Indictione XI. hoc est, Anno Christi DCCXXVIII. Successorem sibi Abbatem elegit Waltprandum, *Waltperti Ducis*, sive *Comitis Lucensis filium*, eumdem videlicet, qui post Talesperianum in Lucensem Episcopum fuit cooptatus. Tabulis ipsis subscribit idem *Talesperianus eximius Episcopus* (in archetypo legebatur, ut puto *exiguus*) quem Florentinius, & Mabillonius *Talerperianum*, Ughellius *Tabenperianum* appellant, ego *Talesperianum*, aut *Telesperianum* semper legi. Non aliunde puto ego Radchisium Abbatem deduxisse facultatem Successoris decernendi, nisi ex jure Patronatus, quod sibi fundatori reservatum fuerat. En ipsam Chartam Latinæ Linguæ perquam corruptæ testem.

Radchis Abbas Monasterii Sancti Michaëlis in Lucensi agro siti, Successorem sibi in eodem munere constituit Waltprandum Clericum filium Walperti Ducis, Anno 728.

IN *nomine Domini nostri Jesu Christi. Regnante* Domno nostro Liutprand, *Anno felicissimi Regni ejus Sextodecimo, per indictione Undecima feliciter*. Radchis *venerabilis* Abbas Presbiter *tibi dolcissimo & in Christo filio* Waltprand Clericus filio Domni Waltpert glorioso Duci *salutem*. *Manifestum mibi est, & multorum claruet*, quod ego Radchis una cum bone memorie Ansefred germanus meus Monasterio Sancti Michaëlis a fundamenta edificare visi sumus *hìc in loco, cui vocabulum est* Apuniano; *& qualiter suprascriptus Ansfred germanus meus medietatem omnibus rebus substantie sue ividem per dotis pagina cuntulit, simol & ego memoratus Radchis meam parte in integro idem per predictas dotis fermavi. Nunc vero recolor ego hanc Radchis fragilitas Seculi istius: ideo bona mentem & spontanea voluntatem* volo adque decerno, ut tu nominatus Waltprand ipso Sancto Dei Monasterio beati Michaëli cum omnia & in omnibus ividem pertenentem ad gubernandum, & regendo in tua sid potestatem, *quatenus ad te, & parentibus tuis omni tempore ipse venerabilis Dei Monasterio ab omni controversia seculari defensatus esset inveniatur; & tu dolcissime, & in Christo filio, Waltprand sic in ipso Monasterio guvernare & regere diveas, ut omni tempore in omnibus melioratas, & non in luminariis vel Officio depereat*; *&* post obito meo *omnia, & in omnibus, sicut dixi, ipse sancto Monasterio, & omnes per ividem pertenente in tua defensionem & dominio valeat permanere. Et dum ego superius nominatus Ratchis advivere meruero, omnia res ipsa cum predicto Monasterio guvernando & regendo, in mea sid potestatem*. Post obito verò meo tu ividem dominus & gubernator esse inveniaris, & familiola Sancti Michaili, qui post me remanserit, tu eos regere guvernare diveas hìc in ipso Dei Monasterio, *ut non in errore vel aliqua deceptionem post me remaneant: & deinceps sicut in suprascripti dotis a me Radchis, & bone memorie Ansfred germano cunfirmatum legitur, in tua* Waltprand *potestatem permaneat. Et nullo tempore a novis posterus nostrus hec sicut superius valeat molestare. Et Servos vel Ancilla, quod pro anima mea livertari voluero, volo ut liveram aveat potestatem, & firmando livertadem, & quam per Cartula quam firmitatis mei Cartula Eoin Notario & in Christo filio meo scrivendo rogavi, in qua ego subter signum sancte Crocis firmans, & testibus obtuli rovorando subscriptionis.*

Actum in suprascripto loco Aponiano, Regnum & Indictione suprascripta feliciter.

✠ *Signum manus* Radchis veneravilis Abbas Presbiter, *qui ipso firmitatis monimen fieri rogavit.*

Ego Talesperianus eximius Episcopus, *huic Cartule donationis facta ad Radchis Presbiter in* Waltiprand *Clerico, sicut superius legitur ad confirmando suscribsi.*

Ego Sichimundus veneravilis Presbiter rogatus ad Rachis veneravilis, in hanc donationis Cartula facta in Waltprand *Clericus, sicut superius legitur, ad confirmando subscribsi.*

Signum manus Teutpald V. D. Scavino, testis.

Ego Taifred Presbiter rogatus ad Radchis Presbitero in hanc Cartula donationis facto in Waltprand Abbate, *proprias manus meas subscripsi.*

Signum manus Raduald filio Guntifred, testis &c.

Ego Gaudentius indignus Presbiter, Notarius sancte Ecclesie Lucensis Civitatis, quantum in autentico invenire potui, sine fraude vel dolo exemplavi, cumplevi, & dedi, nec menime scribsi.

Neque silentio prætereundum est fundatoribus

bus ac patronis Monasteriorum licuisse olim Abbates eligere extra etiam gremium Congregationis illius. Interdum quoque id sibi tribuebant Episcopi, quoties cultus Dei & disciplinæ restaurandæ studium exigebat. Non multis ab annis institutum fuerat Mediolani celebre Ambrosianum Cœnobium, quumque Abbas sacri loci decessisset, Angilbertus II. Archiepiscopus Mediolanensis Anno DCCCXXXII. cogitabat, *quem Abbatem illic constituere deberet, quia ibi non reperiebatur talis, eo quod ob negligentiam Ordo Regularis valde inerat corruptus*, ut habent tabulæ a Puricellio evulgatæ in Monumentis Basilic. Ambrosian. num. 44. Quare *consulentibus etiam Sacerdotibus nostris*, ait Angilbertus ipse, *abstuli Gaudentium Abbatem Sancti Vincentii, quem etiam ego ibi Abbatem jamdudum ordinaveram, & in præfato Monasterio Sancti Ambrosii Abbatem constitui*. In Tabulario ejusdem Monasterii altera se mihi obtulit pergamena, quæ Puricellium effugisse videtur. Archetypon sane non erat, sed vetustum apographum, ex quo discimus, ab eodem, ut arbitror, Angilberto Archiepiscopo alterum Abbatem ibi fuisse constitutum, nempe *Archipresbyterum Mediolanensis Ecclesiæ*, quem nemo credat Monasticam vitam fuisse professum. Chartam hanc, qualiscumque sit, accipe.

Angilbertus Archiepiscopus Mediolanensis Archipresbyterum Ecclesiæ suæ ordinat Abbatem Monasterii Mediolanensis Sancti Ambrosii Majoris, circiter Annum 840.

☧ ANgilbertus *beate* Mediolanensis Ecclesie *humilis* Archiepiscopus. *Noverit* , . . , ... *presentium scilicet & futurorum, adeo nos Beati Ambrosii patronis nostri Cœnobium dili* . . . . *voluisse, ut etiam* Archibresbiterum Ecclesie nostre ibi cum electione omnium ordinaremus Abbatem . . , . *Et quia idem Abbas jam ordinatus nostram solertiam postulare curavit, ut per nostre auctoritatis* , ... *quo Villas & Castella, que nunc habet, vel adepturus est idem locus cum omni integritate* . . . . . *diminutione vel inquietudine eidem & Successoribus ejus possidere liceret ad Dei* , ... , . *ob Dei & beati Ambrosii amorem, per consensum Sacerdotum nostrorum per hanc nostram* . , , . . . *aliquis Successorum nostrorum jam predicto Abbati aut Successoribus ejus ullam contrarietatem* . . . . . . *in rebus diminutionem. Concedimus etiam, ut post obitum ipsius Abbatis de ipsa Congregatione Pater eligatur, si idoneus ad hoc opus* . . , . . *institutio melior habeatur subter eam propria manu firmare* . . . . . . *Andream Notarium Ecclesie nostre scribere jussimus*;

Angelbertus *indignus* Episcopus *in hoc Precepto subscripsi*.
Andreas Archidiaconus ex jussione Domni Angelberti Archiepiscopi in hoc precepto subscripsi.
Adoaldus Diaconus in hoc precepto ex jussione Domni Angilberti subscripsi.
Gunzius Diaconus in hoc precepto subscripsi.
Pemo indignus Presbiter subscripsi.
Angilbertus humilis Presbiter subscripsi.
Hermenfredus humilis Diaconus subscripsi.
Liuprandus Presbiter in hoc precepto subscripsi.
Deusdedit humilis Presbiter subscripsi.
Walpertus humilis Presbiter subscripsi.
Cellus humilis Presbiter subscripsi.
Ermenaldus indignus Presbiter subscripsi.
Petrus Diaconus subscripsi.
Adroaldus Presbiter subscripsi.

Quæ verò Officia in augustioribus Monasteriis olim haberentur, non ingratum fortasse Lectoribus erit heic intelligere ex vetustissima membrana, quam olim legebam in Archivo insignis Monasterii Bobiensis. Complectitur illa *ordinationem Monasterii* ejusdem, quam *Domnus Abba Walla* fecit. Ughellius Tomo 4. Ital. Sacr. Catalogo Episcoporum Bobiensium adjunxit etiam seriem Bobiensium Abbatum, sed nullâ ibi factâ mentione Abbatis *Walæ*. Accuratissimum verò Mabillonium minime fugit ejusmodi notitia. Itaque agitur heic de Wala celebratissimo viro, qui Corbejæ primum Abbas, immixtus deinde fuit teterrimis dissidiis ac turbis inter Ludovicum Pium Augustum, ejusque filios, atque ex Francia abire compulsus Anno DCCCXXXIII. *Italiam petens* (sunt verba Mabillonii) *in Bobiense Sancti Columbani Cœnobium se recepit, ubi a Fratribus electus Abbas, illud nobiliter ac pacifice usque ad obitum rexit*, hoc est usque ad Annum DCCCXXXVI. Quare tempus, quo decreta sunt ista ab eodem Wala Abbate, facile deprehendas.

Ordinatio Monasterii Bobiensis facta a Wala ejus Cœnobii Abbate, circiter Annum 835.

Breve memorationis. Incipit de Curtibus, quas Domnus Abba Wala *ad victum & ad vestimentum Fratrum, seu de singulis infra Monasterium ministeriis, quomodo qualiterve exerceri a Fratribus debeant. Has enim Curtes ad victum instituit Fratrum, idest Rancis, Casasco, Audelasci, & cum ceteris appendiciis suis, Virdi cum omnibus appenditiis suis, Vulpidini, Ovilias, Prato Silvando, Tubatia secundùm Simphorianum, Montelongo, Memoriola, Barbata cum Solariolo, Vico Baroni cum Prato Aginulfi, Ceredello cum Variano, Linare, Sanctam Resurrectionem in Cariano, Travano cum appenditiis suis, Carice, Carelio, Comerga, Turio, & omnes cellas seu laborationem, quæ in ipsa Valle sunt, in qua situm est Monasterium, & Sanctum Georgium. Has quippe ad Cameram deptavit Fratrum: idest Vilianum, Purpurariam, Sarnam, Carustum, Casinas, Granaria cum Valle Gennaria. Hæc enim suprascripta ad ceteras necessitates, idest Cella in Papia, Rivalta, Cella Sancti Columbani cum Argile, & Senodochium, quod est Casale Ovani. Garda deputavit ad oleum; Juliaticam ad ferrum, Fraxenedum & Curtes in Tuscia deputavit ad quascumque necessitates, quæ evenire solent.*

Nunc verò de Monasteriis, quæ infra Monasterium aguntur, memorandum est. Præpositus primi sit post Abbatem in Monasterio infra extraque, tamen spetialiter hæc sint in sua potestate, idest omnis laboratio agrorum & vinearum & ædifitiorum, figulorumque, pastorum, atque omnium Cellarum hac in Valle consistentium præter illas, quæ aliorum Fratrum providentiæ deputantur, seu omnes Curtes, quæ ad stipendi ..... pertinent, caballi domiti indomitique, & ipse Mansiones in Monasterio, cui necessariæ sunt, distribuat.

Decanus ubique specialiter curam habeat intra extraque de conversatione Fratrum, & cottidianus cum Fratribus in obedientia sit; & si defuerit Abbas seu Prepositus, cuncta ad ipsum respiciant,

Custos Ecclesiæ provideat luminaria, & omne ornamentum ejusdem, seu competentiam orarum, & ipse recipiat elemosinam, que Fratribus advenerit.

Bibliothecarius omnium Librorum curam habeat, Lectionum, atque Scriptorum.

Custos Cartarum omnia provideat Monisterii monimenta.

Cellararius provideat quicquid ad cibum & potum pertinet, postquam in Monasterio adducta fuerint, præter panem & poma, atque dispenset, & ad ipsius curam pertineat, quod in Refectorio, vel in Quoquina agi ......

Cellararius familiæ provideat potum illorum sub Præposito.

Junior Cellararius custodiat Refectorium, & omnia vasa ejus.

Custos panis provideat annonam, postquam in Monasterio adducta fuerit, panem, & pisones.

Portarius hospites omnes suscipiat primum & nuntiet. Decimas omnium rerum accipiat, de quibus juxta constitutum tribuat Hospitalario pauperum.

A *Hospitalarii Religiosorum ipsi recipiant eos, qui in Refectorio venire debent, & ministrent ac ducant. Habentes domum super se, ubi dormiant.*

Hospitalarius Pauperum recipiat eos, & ministret eis, & accipiat a Portario stipendium eorum.

Custos infirmorum provideat eos cum adjutoribus suis.

Cantor ...... ipse ordinet quicquid ad cantum pertinet.

Camararius primus provideat omnia vestimenta vel pannos ad diversos usus Fratrum, seu calciamenta pedum ac manuum, & sutores calciamentorum, ac vestimentorum, seu compositores pellium & calderarios provideat, quibus B *administret opus eorum, & Curtes ad Cameram deputatas, de quibus hæc præfata exigenda sunt, & omnia ærea vasa, quæ ad usus Fratrum data sunt.*

Camararius Abbati provideat omnes fabros, scutarios, sellarios, tornatores, pergamenarios, furbitores, & ipse provideat omnia ferramenta.

Junior Præpositus super opera & operarios ceteros, præter eos, qui in diversis officinis deputati sunt.

Magister Carpentarius provideat omnes Magistros de ligno & lapide præter eos, qui ad cetera officia deputati sunt, idest qui butes, & bariles, seu scrinia, vel molendina, casas, C *atque muros faciunt.*

Custos vinearum vineas provideat.

Ortolanus ortos provideat.

Decanus junior circatores, lucernarios.

Custos pomorum.

Oblatorum quoque frequens est mentio in Benedictinorum Historia, eorumque institutio etsi Sancto Benedicto antiquior sit, ab ipso tamen augmentum agnoscit. Ipsemet Sanctus vir in Regula mentionem facit *puerorum*, quos in Monasterio parentes nobiles Deo offerebant, præcipiens, *ut cum oblatione ipsam petitionem, & manum pueri involvant in palla Altaris, & sic eum offerant*. Tales fuere Sancti Maurus & Placidus. Quæ consuetudo quum sit pervulgata, D ac Eruditorum studio jamdudum illustrata, novâ luce minime indiget. Quamobrem unam tantummodo Chartam addere lubet, hujusmodi ritus testem simul & confirmatricem, quam Pistorii ex antiquissimo exemplari olim exscribebam. Eumdem plane morem a Canonicis observatum supra vidimus in Dissertatione LXII. *de Canonicis*. Ibi animadverte, *offerri* filios *in palla Altarii*, eosque in posterum vivere & deservire debere *in habitu Monachorum*; ac proinde fuisse Oblatos olim non paucos a parentibus, ut regularem revera professionem emitterent, & Monachicam, ut heic habetur, *vitam viverent*. Et sane (quod mirere) pueris hisce Oblatis, postquam puberta- E tis annos impleverant, minime in Italia licuit resilire e Monasteriis, & matrimonia inire. Id certe nefas esse scripsit Gregorius II. Papa in responsis ad consulta Sancti Bonifacii Anno DCCXXVI. En ipsam Chartam, quam sum nuper pollicitus, ex Archivo Canonicorum Regularium Sancti Bartholomæi Pistoriensis, ubi pervetustum apographum vidi.

Oblatio

Oblatio quorumdam Bonorum, & duorum Filiorum suorum, facta Monasterio Pistoriensi Sancti Bartholomæi a Falcone Clerico, Anno 784.

A *In nomine Domini Dei. Septimo Mense Margio, Anno Regni* Domni Karuli, *postquam Civitate Papia ingressus est, Decimo, &* Domni Pipino *filio ejus Anno Tertio, Indictione Septima, feliciter. Manifestus sum ego* Falco Clerico *filio quondam Falcualdi, eo quod ante os plurimos annos obligationem facta habui una cum Amicastu barbanu meo, ut per nullo argumenti ingenio nec ego nec meis heredibus sine permisso ejus vel de ipsius heredibus de rebus nostris alienare aut obligare decrevimus, & dum ipsa obligatione, seu dotis, quas ipse Amicastu fecit in Ecclesia beati Sancti Georgii, in tua* Domenico Abbate Monasterium Sancti Bartholomei *devenisse potestate & dominatione consideravi, quia in nullo alio possum dare de* B *rebus meis, nisi in ipsa Ecclesia beatissimi Sancti Georgii, ubi prenominatus Amicastu fuerat confirmatus, & rebus suis pro dotis firmavit. Ideo ego indignus odie in Dei nomine, do, dono, trado, offero in ipsum sanctum & venerabilem locum omnem modicam rebus meas quidquid nunc presenti die avere visus sum tam casa avitationis mea, que est erga fluvio Umbrone, vinea, terra, pratis, pascuis, silvis, salectis, sationibus, pumiferis, fructiferis & infructiferis, cultum atque incultum, omnia quicquid avere visus sum, in ipsum sanctum locum offerri & condonare previdi una cum dilectissimi* Gisilari, *&* Castiprand filiis meis, qui sup potestate sancte regule, & tue dominationi, qui C supra Domenico Abbati, in ipsa sancta Ecclesia & Monasterii beati Sancti Bartholomei in avitu Monachorum vivere & deservire deveat: *sicut sancta continet regula* in Palla Altarii offerri previdi ipsi filii mei in ipsum sanctum Cenubium Monasterii Sancti Bartholomei, ut inibi diebus suis Monachica deveat vivere vita sup potestate vestra Domno Domenico Abbate, vel vestris successoribus, ut pro vestra præceptione secundum Deo & sancta regula vivere & Domino devea deservire. *Et ipsas modica res mea tam movile quàm & immovile omnia in ipsum sanctum & venerabilem locum offerri & condonare previdi, ut omnia in tua, qui supra Domenico Abbati, vel de successoribus tuis* D *sit potestate avendum, ordinandum qualiter juxta deum & sancta regula nobis bona fuerit stabilitum permaneat, sicut & jam ante os annos tibi Domenico Abbati vel in ipsum sanctum Monasterio beati Sancti Bartholomei per cartis volumine tam dotes, quàm & alia monimina facta in Sancto Georgio tradedi adque dedi, ut omnia juxta ipsi doti quas inivi parentibus meis, vel ipse Amicastu facti habuerunt, puram ordinatione & sancta congregationis suis Monasterii Sancti Bartholomei esset ordinatum ipsa Ecclesia Sancti Georgii, omni tempore stabilitum permaneat; & Avundus Diaconus scrivere rogavi.*

Actu ad Umbrone, casa avitationis mea, Regnum & Indictione suprascripta, feliciter. E

Signum ✠ manus Falconi Clerico, qui hanc Cartulam fieri rogave, & nomen suum, & signum Cruci manibus suis fecit, & eis relecta complacuet.

Signum ✠ manus Altipert filio quondam Fabri rogatus testis.

Signum ✠ manus Pranduli filio quondam Pertinandi testis.

Signum ✠ manus Dipranduli filio quondam Bauti rogatus testis.

Signum ✠ manus Fusoli filio quondam Bautoni rogatus testis.

Signum ✠ Adunald filio quondam Achipert Coppi rogatus testis.

Signum ✠ manus Gloriosi de Cucciano rogatus testis.

✠ Ego Guilleradu Clerico, rogatus ad Falco Clerico, testis subscripsi.

Ego qui supra Avundus scriptor post a testibus roborata tradita complevi & dedi.

✠ Ego Gualbertus Notarius & Judex sacri Palatii scriptor autenticum illud vidi & legi, unde hoc exemplar exemplatum est, atque inibi scriptum inveni, fideliter exemplavi.

Ea autem Sæculo Christi potissimum Octavo esse cœpit Monasticæ vitæ existimatio, ut vel ipsi Reges, Duces, & Comites, contemto ac ejurato Sæculo, sponte militare Deo intra claustra Monasterii eligerent: cujus consuetudinis exempla non pauca vidit Italia, Gallia, & Britannia eodem Sæculo VIII. Qui verò viventes tanta a se non impetrarunt, saltem in morte solatium hoc, quoquo poterant modo, sibi procurabant. Teste Beda Lib. 4. Cap. 11. Histor. Eccles. Angl. Sebbi Rex Orientalium Saxonum circiter Annum DCLXXV. *correptus infirmitate permaxima, venit ad Antistitem Londoniæ Civitatis, & per ejus benedictionem habitum Religionis, quem diu desideraverat, accepit*. Paucos post dies is finem vivendi fecit. Ejus exemplum (quippe nescio an alii præcesserint) imitati sunt deinde non pauci, eoque res processit, ut nostris quoque temporibus cernamus non solùm pios homines, sed & illos, quos vivos nulla virtus ornavit, immo vitia multa fœdarunt, religiosâ veste post mortem indutos ad tumulum deferri, pœnitentiam saltem in morte indicantes, quam vivi numquam fortassis amarunt. Grande tamen discrimen inter illius ac nostri temporis ritum intercedit. Quippe olim ægrotantes Laici Monasticam vestem petebant, atque reapse induebant, antequam e vivis excederent, eâ videlicet ratione, ut in Monachorum cœtum admitterentur, eorumque postea precibus juvarentur apud Deum. Liutprandus Ticinensis Lib. 3. Cap. 5. Histor. auctor est, patrem suum ab Hugone Italiæ Rege Anno DCCCCXL. Legatum fuisse missum ad Romanum Imperatorem Græcorum. *Post reditum verò ejus, paucis interpositis solibus, languore correptus, Monasterium petiit, sanctæque conversationis habitum sumsit, in quo post dies quindecim mortuus migravit ad Dominum*. Quod si ex ægritudine convalescebant, minime eis licebat sacrum indumentum deponere, ac vota concepta infringere. Atque ejusmodi tumultuarie creati Monachi peculiari quodam nomine a ceteris distinguebantur, nempe *Monachi ad succurrendum*, idest metu mortis ad succurrendum animæ suæ adacti. Cujus moris exempla

multa

multa proferunt Mabillonius, Dacherius, DuCangius, ac alii eruditi viri. Neque mirum, quod tanti fieret a Christiano Populo Monastica vestis; Græci enim æque ac Latini Monachi eam appellare consuerunt *Angelicam vestem*, *Angelicum habitum*, Ἀγγελικὸν σχῆμα, sicut Monasticam vitam dixerunt *Cælicolarum vitam* propter sanctum & angelicum vitæ institutum. Refert Boleslaus Balbinus in Histor. Bohemic. Chartam Friderici Ducis Bohemiæ, Anno MCLXXXVI. scriptam, ubi hæc verba: *Ego Fridericus cupiens assiduis in precaminibus in futuro connumerari ejusdem loci Fratribus, qui die nocteque a laude Dei nec momento cessantes, sanctis æquales esse probantur Angelis.*

Illud verò præcipue animadvertendum, floruisse potissimum sub Imperatoribus Francis Monachos & Abbates sanctitate morum spectatissimos, quorum virtutes ferrea illa Sæcula multum illustrarunt. In caussa autem fuit eximia hæc illorum probitas, cur pii Principes non consiliis tantummodo præstantiorum Abbatum uterentur, sed eos etiam in Palatio sæpe haberent, immo & in politicis negotiis & Populo regendo illos sibi adjutores, ut ita dicam, adsciscerent. Arbitrabantur ii, neque immeritò, nulli melius commendari posse, quàm viris adeo piis, & in quibus affectus animi omnes bene compositi erant, curam Reipublicæ. Proinde legationum munus iis non raro deferebatur; & quum *Missi ad justitiam faciendam*, atque ad emendandas Regni corruptelas, dirigendi erant, sæpe Abbatibus demandabatur ejusmodi provincia. Præcipue verò Carolus Magnus, ejusque filius Ludovicus Pius Abbates in consilium ac ministerium adhibuere. *Adelhardus* senior, celebris Corbejæ veteris Abbas, Pippino Italiæ Regi traditus est a Carolo Magno patre, ut ei a consiliis esset, isque deinde evasit Italici Regni administer. Prostant nonnulla Placita ab eo habita in Italia, a me in hoc ipso Opere, & in Chronico Farfensi edita. Ita *Fulradus*, & *Hilduinus* Abbates Sancti Dionysii Parisiensis, *Archicapellani* in Curia Regum fuere. Sub eodem Ludovico Pio *H lisachar* quoque Abbas Centulensis, *Cancellarii* dignitate est auctus. Alios prætereo, quum pauca ejusmodi exempla sat prodant, quanto in honore & existimatione forent ob virtutes perspectas illorum temporum Abbates. Neque is ego sum, qui improbare velim tantos viros e Monasterio in Aulam translatos, quum optandum sit, ut a probis tantùm Respublica regatur, & Abbates illi supra Sæculares virtutibus excelluisse procul dubio putandi sint. Non diffitebor tamen, Monachis periculosam rem fuisse, tamdiu versari in Aula, & contemtâ solitudine, inter Palatii rumores, luxum, & adoratores, vitam traducere. Cavere sibi ab ambitione, atque ab aliis Sæculi morbis in eo splendentis fortunæ fastigio paucis licet. Ac reapse celebres illos Palatinos Abbates, turbis Regni immixtos, procella non una concussit, ita ut in exsilium protrusi fuerint, ac serò didicerint, non ex fluctuantis Aulæ pelago, sed ex Cœnobii portu tranquillitatem animi esse exspectandam. Iis quoque temporibus inter ceteros carissimus eidem Ludovico Pio fuit *Benedictus Anianensis Abbas*, vir insignium virtutum, & Benedicto Patriarchæ ab aliquibus non injuriâ comparatus. Ejus consiliis multum deferebat pius Augustus, & ex Monasterio avulsum Aquisgranensi in Aula retinebat. Sed sanctus Abbas non honorem, sed onus, familiaritatem Palatii reputans, invitus a cella sua aberat, & numquam deinde conquievit, quousque Ludovicus, Monasterio Indensi prope Aquasgrani constructo, eum inter suos Monachos habitare sivit. Quippe ille Monachum Palatinum disertissime improbavit. Auctorem habeo synchronum Ermoldum Nigellum, cujus Poëma de Laudibus Ludovici Pii evulgavi Part. II. Tomi II. Rer. Italicarum. Is in fine Libri secundi, Ludovicum ipsum ita loquentem inducit ad Benedictum, & caussas constructi Indensis Cœnobii explicantem:

Altera caussa monet, quoniam tu nam ipse fateris,
Ingratum voto hoc opus esse tuo.
Nec deceat Monachum civilibus infore rebus,
Resque Palatinas ferre libenter eos.
Illud sed poteris Fratrum curare labores,
Obsequia hospitibus curâ parare piâ:
Atque iterum nostras renovatus visere sedes,
Fratribus & solito ferre patrocinia.

Verùm non omnibus Monachis eadem, quæ Benedicto Anianensi Abbati fuit, regularis observantiæ cura, & sæcularium rerum contemtus. Nam etsi in Historia Monastica eorum temporum nobis occurrant tot Abbates & Monachi insigni atque invidendâ sanctitate morum verè laudandi; licèt etiam institutiones Monasticæ vitæ sint supra nostras laudes, ita ut non injuriâ alter *Paradisus* appellarentur interdum proborum Monachorum Collegia, eorumque vita omnium *felicissima* atque *Angelica* dici mereretur, uti egregie proditum fuit in Carmine, quod doctissimus Sirmondus edidit in Notis ad Epist. I. Lib. 4. Goffridi Vindocinensis: attamen illud semper tenendum, pro conditione humanarum rerum, corruptæque nostræ naturæ, numquam inter aurum scoriam, inter triticum lollia defuisse. Nimirum tunc etiam abundarunt, qui Sæculo dimisso ad Sæcularia in ipsis Monasteriis inhiabant; qui pertæsi disciplinam Monasticam, aut vagabantur, aut perpetuo suis Monasteriis valedicebant; qui in Abbates pensum ab eis exigentes insurgebant, & in deteriora interdum, quàm Laici ipsi, ruebant. Sub ipso Ludovico Pio, hoc est sub Principe, qui in construendis Cœnobiis, amandis atque ditandis Monachis, vix parem habuit, Lupus Ferrariensis in Gallia Abbas scribebat Epistolâ 29. ad Guenilonem Senonensem Archiepiscopum: *Episcopaliter compatiendum vobis est, si multos Monachorum experti sitis a sua professione detestabiliter deviare: quum & natura humana prona sit ad malum, & hostis noster bono semini superseminare semper gestiat zizania.* Paschasius quoque Radbertus, Abbas Corbejensis, qui iisdem temporibus floruit, vir plane sanctitatis incorruptæ, Lib. 4. in Hieremiam hæc de Sæculi sui (hoc est Noni) moribus scribebat: *Ecce jam pœne nulla est Sæcularis actio, quam non Sacerdotes Christi administrent* (hæc de Presbyteris Sæcularibus) *nulla Mundi negotia, in quibus Ministri Altaris se non occupent. Nulla rerum improbitas, qua se Monasticus Ordo non implicet; pœne nulla inlecebris vitæ blandities, qua se castitas Sanctimonialium non commaculet.* Confer ista cum Sæculi nostri moribus, ac disce, si quando deformia conspicis, hominum infirmitatibus minime durum te præbere, nimiumque iis succensere ne velis. Misericordiæ & gratiæ Dei tribuendum,

si nos graviori etiam lapsu aliorum facinora non superamus. Quare etsi vetustis temporibus Cœnobia abundarent, in quibus exacta disciplina & vitæ sanctitas florebant; abundarunt nihilominus & illa, in quibus tepor spiritus, immo mundi vitia pacifice inhabitabant. Erant nimirum, qui ædificabant; sed neque deerant, qui destruebant. Atque id minime mirum. Tanta de primis Monachis in Oriente audimus: nihilo secius de iis etiam paria tradebat Elias Abbas solitarius, ut est apud Johannem Moschum Cap. 52. de Vitis Patrum. Sanctissima eorum, uti & Occidentalium, Monachorum instituta fuere; Sanctos quoque plures non minus in Oriente, quàm in Occidente Monastica vita tulit: at non omnes revera sunt, aut fuerunt Monachi, qui Monasticam vestem induerunt aut induunt. Quod potius mirari possis: quamquam inclytus Imperator Carolus Magnus, ejusque filius Ludovicus Pius & Ludovicus II. Pii nepos in amplissimo Imperio suo, ac proinde in Italia, disciplinam Monasticam quantis potuere viribus restaurarint; nova etiam Monasteria ipsi condiderint: nihilo secius Anno DCCCLV. in Concilio Ticinensi, de Monachorum & Sanctimonialium statu interrogati Patres ab eodem Ludovico II. hocce responsum dedere: *De Monasteriis autem virorum seu feminarum* &c. *quia inspiratio omnipotentis Dei (credimus) cor vestri moderaminis incitavit, ipsi gratias referimus. Nam quod jam MAXIMA ex PARTE ordinem suum amiserint, omnibus est manifestum. Quæ ut ad pristinum statum reducantur, in Domini ac Genitoris vestri, ac vestra gloriosa dispositione consistit.*

Propterea non Canones tantùm, sed & Principum Leges olim certabant, ut in officio continerent gregem, quem præcepta Regulæ, & Pastoris virga comprimere satis non poterant. Vide Legem XIV. Pipini Italiæ Regis in Monachos errones. *Instituimus*, ait, *ut sicut Domnus noster Rex Carolus demandavit, de illis Monachis, qui de Francia, vel aliis locis venerint, & eorum Monasteria dimiserint, ut præsentialiter in illis partibus revertantur ad Monasteria, & nemo ex vobis ipsos secum detineat*. Ita in Lege Langobardorum XLV. Ludovici Pii, *Monachi fugitivi ad loca sua reverti jubentur*. Rursus in Lege XVI. ejusdem Pippini inter alios enumerantur *Abbates, qui ad Palatium veniunt, vel inde vadunt, vel ubicumque pergunt per Regnum nostrum*, & militari licentiâ uti videntur. Statuitur enim, *ut non præsumant ipsi, aut homines illorum alicui homini suam causam* (le sue cose, le sue robe) *tollere, nec sua laborata, in tantum si non comparaverint, aut ipse homo per suam spontaneam voluntatem eis dederit*. Ad hæc *Gyrovagos Monachos* vel ab ipso Sancto Paulino Nolano Episcopo, & in Sancti Benedicti Regula memoratos videas. Sed neque eorum semen desideratum olim fuit inter ipsos Monachos Benedictinam Regulam professos. De iis sermo est in Synodo Vernensi II. habitâ in Gallia Anno Christi DCCCXLIII. vel DCCCXLIV. Ibi statutum fuit, ut transfugæ *in ergastulis includerentur*. En verba Canonis Quarti: *Monachos, qui cupiditatis causâ vagantur, & sanctæ Religionis propositum impudenter infamant, ad sua loca jubemus reverti, & regulariter Abbatum solertiâ recipi. Eis autem, qui post evidentem professionem Monachicam etiam habitum reliquerunt, vel qui suâ culpâ projiciuntur, nisi redire, & quod Deo spoponderunt, implere consentiant, hoc credimus posse remedio subveniri, si in ergastulis inclusi tamdiu a conventu hominum abstineantur, & pietatis intuitu convenientibus macerentur operibus, donec sanitatem correctionis admittant*. Ita verum est, nihil esse sub Sole novum, neque defuisse Sæculis retroactis exempla probitatis æque atque improbitatis, quibus ne nostra quidem carent. Tunc etiam ad Sæcularia negotia confluebant Monachorum & Clericorum non pauci, quibus disciplina & solitudo tœdio erat. Præterea tunc minime desiderati, qui seditiosis sese jungebant, consilia & opem conferebant; qui profugi ad nuptias convolabant; qui divina humanaque per flagitia quæque miscebant. Numquam certe proborum atque optimorum inter eos inopia fuit; sed in tanta innumerabilium Deo sacratorum hominum colluvie vix fieri poterat, quin & multi veste quidem bonos præferrent, at moribus improbos imitarentur. Postremis hisce potissimum usus est Castruccius, famosus Lucæ Dominus & Dux, teste Nicolao Tigrimo in ejus Vita, Tomo XI. Rerum Italicarum, *Ministris* (nempe ad disseminandas discordias & ardua quæque superanda) *opportunis utebatur, non accitâ ab inferis discordiâ vadente scissâ pallâ, non Megerâ, Bellonâ, Furiisque, sed omnibus Furiis sævioribus Hypocritis quibusdam viris, Religionis habitum deferentibus, qui vel clam pertentando, persuadendoque, vel publice Populis, dum aliud simulant, partium affectus in cordibus infigendo, divitum avaritiam, & in pauperes plebejosque sævitiam simulando, Optimatum tyrannidem, vel publici ærarii direptionem, rapinasque fingendo, malorum omnium in Orbe fere caussas effecere*. Contra is bonos Monachos amabat excolebatque, *adhibens in secretis sæpius viros Religiosos, quorum colloquio, quum per otium licebat, maxime delectabatur, Minorum præcipue, a quibus (quum non solùm unius Civitatis, sed Orbis secreta, consiliaque teneant) diligentissime omnia perscrutabatur* &c.

Quum verò Carolinis etiam Augustis imperantibus, ut dixi, esset vitiis quoque & corruptelis frequens aditus in claustra Monachorum: propterea identidem a Regibus mittebantur exploratæ probitatis viri, qui disciplinam restituerent, scilicet *unus Monachus, & unus Cappellanus*, Sæcularis videlicet, uti habet Lex XXI. ipsius Pippini. Idque potissimum Ludovico Pio cordi fuisse, Historia nos docet. Pippinus idem edicit in Lege III. *ut Monasteria Virorum & Puellarum, tam quæ in mundio* (idest sub tutela aut jurisdictione) *Palatii esse noscuntur, vel etiam in mundio Episcopali, seu & de reliquis hominibus esse inveniantur, distringantur* (hoc est, cogantur, sive emendentur) *ab eo, in cujus mundio sunt, ut regulariter vivant*. Verùm sive quòd detestanda consuetudo inoleverit, ut Sæcularibus viris, aut Ecclesiasticis quidem, sed minime Monachis, Abbatiæ, & præsertim pinguiores, non in ædificationem sed in direptionem, regendæ traderentur, sicuti in Dissertatione LXXIII. *de Monasteriis in beneficium traditis* infra videbimus; sive quod progrediente tempore meliora quæque instituta in deterius ruere consueverint; sive ob alias caussas, quas heic recensere nihil attinet: pessum ire cœpit plerisque in locis Monasticus Ordo, & in pejus ruere innumerabilis ille piorum cœtus, unde tot exempla

virtutum, & tot sanctos viros antea collegerat Ecclesia. Decimo potissimum, ferreo plane, Sæculo in enormem corruptionem sacrum istud institutum declinavit. Quare boni, quorum semen numquam desiit, quando Principes Ecclesiæ & Sæculi aut nequibant, aut nolebant morbo acrius in dies sævienti auxiliarem manum præbere, grandi animo curam tot vulnerum ipsi suscepere, ut in pristinum valetudinis statum nobile corpus deducerent. Primi Cluniacenses Monachi in Burgundia Reformationem, uti appellant, inierunt: & quum sanctis viris eorum Congregatio diu abundare perrexerit, sensim innumera Monasteria, etiam Italica, ad Cluniacensium normam sese composuere. Aliam quoque Reformationem in Italia instituerunt Sancti Romualdus, & Johannes Gualbertus, uti & in Gallia Cistercienses, aliique exploratæ atque insignis pietatis viri, ita ut Sæculo etiam XI. & XII. in Cœnobiis non paucis sanctitas morum floruerit, & egregii viri inde emerserint, qui ad

A ipsam Apostolicam Sedem evecti, in ea restituerunt antiquum dignitatis ac virtutis honorem. Quid exinde factum fuerit, non est hujus loci meminisse. Certe Sæculis iis summo in honore ac æstimatione erant Monachi, sed potissimum qui Monasteria incolebant, ubi Regularis observantia & æmulatio virtutum efflorebat. Inter postrema hæc adnumerandum sacrum Casinense Cœnobium, erga quod vel ipsi Græcorum Imperatores munificentiæ ac venerationis signa non semel dedere. Id etiam discas ex Literis nunc mihi edendis, atque e Carthophylacio celeberrimi illius loci descriptis. Scilicet Anno Christi MXCVIII. quum Christi Fideles ad liberandam ex impiorum

B manibus sanctam Civitatem Hierusalem, expeditionem suscepissent, Monachi Casinenses tanti erant apud Alexium Imperatorem, ut ad eum Literas commendatorias dederint pro eodem Francorum exercitu. Quid ille rescripserit, accipe.

Epistola Alexii Imperatoris Constantinopolitani ad Abbatem Montis Casini, qua pollicetur, se Francorum exercitui præstiturum auxilium in Oriente Anno 1098.

Quanta Imperio modò scripsistis, Venerabilissime ac sapientissime serve Dei, Abbas Cœnobii Casinensis, *didici. Declara at autem vestra Epistola honorem atque laudem Imperii mei. Et omnipotentis quidem atque misericordis Dei nostri est in me & in subjectis nostris propitiatio maxima, & beneficia ejus innumerabilia. Et ipse quidem per ejus misericordiam honoravit Imperium meum, atque exaltavit gratis. Ego autem non solùm quia nihil boni habeo in me, sed maxime quia super omnes homines pecco, ad eum quotidie preces fundo, ut longanimis atque misericors misereatur atque sustineat meam infirmitatem. Vos autem ut boni atque virtute pleni judicatis me peccatorem sicut bonum. Et vos quidem habetis proficuum adeo Imperium meum, cum laudatur dignum laudis opus, non habens in condempnacionem suam laudes possidet*. Ut autem adjutorium præbeam forte exercitui Francorum, *designabant vestri prudentissimi apices. Sit inde certa vestra venerabilis Sanctitas, quoniam ita dispositum fuit super eos Imperium meum, & ita omnibus modis adjuvabit atque*

C *consiliabit eos, & secundùm posse suum cooperatum est in eis, non ut Amicus, vel cognitus, sed ut Pater, & tale expendium fecit in eis, quem non potest aliquis munerare. Et nisi Imperium meum ita expertum fuisset in eis, & adjuvasset eos post Dominum, quis alter adjutorium præbuisset eis? Et neque iterum piget Imperium meum auxilium dare eis. Et gratiâ Dei bene prosperantur usque hodie in servicio, quo inceperunt, & in antea prosperabuntur, quousque bona intencio precedit eos. Multitudo ex equitibus atque pedestribus ivit ad eterna tabernacula: horum alii interempti, alii mortui sunt. Beati quidem sunt, ut in bona intencione finem mortis dan-*

D *tes; propterea minime oportet, nos illos habere ut mortuos, sed ut vivos, & in vitam æternam atque incorruptibilem transmigratos. In exemplum vestræ fidei atque bone dispositionis circa vestrum Monasterium Imperii mei misit unum Epiloricum de dorso suo exii deauratum.*

Missa est Mense Junio, Indictione Sexta, a sanctissima Urbe Constantinopoli.

Geminæ itidem Epistolæ ejusdem Imperatoris Alexii ab Abbatem Montis Casini missæ, quarum una exarata visitur Anno 1097.

ET ab omnibus, qui de ipsis partibus veniunt, nobilibus ac virilissimis Comitibus atque Ducibus, immo & ab ipsis onorandis Presulibus certificatum est Imperium meum, serve Dei propinque prudentissime, ac sapientissime Abbas de Monte Casino, *de vestris maximis virtutibus. Et qualiter semper indesinenter opus habes operari omnia, quæ Deo acceptabilia sunt, & non solùm vester labor talis est, sed disciplina, atque ammoniciones vestræ circa omnes tales sunt acceptabiles Deo, & homines illuminantes. Et quamvis minime te specialiter aspexit Imperium meum, & saciatum est de vestris sanctis orationibus; sed ita dispositum est circa vestram venerabilitatem,*

A *quasi nos propriis oculis aspexisset quotidie, & loqueretur vobiscum indifinite. Et vult quatenus ad memoriam ejus veniam, cum vestras sanctas atque venerabiles orationes funditis ad Deum, & per vestras honorabiles Litteras sepius scribite nobis, declarantes de vestris actibus, & de his, qui sub vobis sunt, atque de ipsis partibus. De his autem, que de Peregrinis dicendum est, qualiter Deus prospere se habuit circa nos & circa illos, novit Imperium meum, quod audistis a plurimis. Audies autem apercius & ab istis Nuntiis nostris.*

Missa est Mense Augusto, Indictione Quinta, a sanctissima Urbe Constantinopoli.

Altera Epistola.

NOtum est sancto Imperio nostro, venerabili & laudabili Domno Abbas Montis Casini, *eo quod sit repletus multa benignitate, & omnes Fratres Congregationis tue, etiam omnes Laici veniunt ad consilium tuum & ad bonitatem tuam: & gratias Deo, qui in ipsis malis diebus invenitur tantam bonitatem . . . . . . in te, & laudabiles inveniuntur in te omnes, qui voluntatem Dei faciunt. Et in vestris partibus inveniuntur homines intellectuales, qui sunt in adjutorio anime & corporis. Auditum est nostro Imperio, quod nobilissimus Rex fecit cum nobiles homines de Roma, & quod fecit ad Sanctum Papa, & ad Clero ejus. Et cum hoc audisset factum, angustiatus sum: sed quod placuit Deo, hoc factum est. Ipse inde judicet. Sed credimus, quia de tam grandis causa Deus aliquod judicium debet ostendere ad salvacionem omnium animarum & corporum: quia Deus intellexit omnia, & gubernat totum Mundum. Ipse faciat, quod ei placet. Misi vobis causâ memorie ab Imperio nostro Pallia octo, Libras viginti quinque, & Pallium super Altare vestre Ecclesie.*

Missa a sanctissima Civitate Constantinopoli.

Successore postea Sæculo XIII. in Ecclesia Dei alii Religiosorum hominum Ordines, ac præcipue *Prædicatorum*, & *Minorum* celeberrimæ Familiæ. Quod Benedictinis Monachis olim acciderat, contigit & istis. Nimirum illorum pietas & doctrina omnium animos in admirationem ac amorem sui rapuit. Certavit unaquæque Civitas in eorum institutis amplectendis, novisque Cœnobiis ad eorum commodum ædificandis. In quatuor veluti partes divisæ Urbes sacros eorum cœtus excipiebant. Unum quarterium, ut ajebant, Prædicatores, alterum Minores, tertium Carmelitæ, quartum Augustiniani Eremitæ, aut Servi Beatæ Virginis arripuerunt. Totus Populus ad eos conversus vix alias salutabat Ædes sacras, vix alibi quàm apud eos Sacramenta ac Sepulturam quærebat, ita ut passim conquererentur Parochi erepta sibi a novis hospitibus antiquissima jura sua, & necesse fuerit modum aliquem ponere invertentibus omnino veterem discipli-

B nam. Tanta etiam fuit ejusmodi piorum hominum existimatio, ut in politicis negotiis, ac præsertim in Civium publicis discordiis sedandis, in fœderibus & pacibus statuendis, illorum consilium, auctoritas, & industria sæpissime interponeretur. Immo quod mirere, eorum operâ utebantur in iis etiam Reipublicæ muneribus, quæ a Religiosi hominis professione aliena videantur. In Mutinensi Republica invenio adhibitos fuisse eodem Sæculo XIII. & subsequenti XIV. Fratres Mendicantes ad *Follicellorum* vectigal, & reliqua tributa colligenda, & ad signandas *mensuras grani*, sive frugum, vini, & olei, stateras &c. Sacculus iis interdum commendabatur, in quem conji-
C ciebantur fabæ aut albæ aut nigræ in Populi conciliis usurpatæ ad colligenda Civium vota in electionibus ac deliberationibus Reipublicæ. *Massarii* quoque, sive Œconomi, & *Syndici*, sive generales Procuratores Reipublicæ ex ipso Religiosorum Ordine adsciscebantur. In Statuto MSto Mutinensi, Anni MCCCXXVII. memoratur *Frater, qui colligit pedagium Stratæ pro Communi Mutinæ*. Ad Annum MCCLX. in Instrumento ejusdem Reipublicæ occurrit *Frater Albertonus de Ordine Fratrum Humiliatorum, Massarius Generalis Communis Mutinæ, nomine & vice Fratris Vinerii de Ordine Minorum Sindici Communis Mutinæ*. Ad Annum MCCLXII. occurrit *Frater Ame-*
D *deus de Sancta Trinitate Massarius Generalis Communis Mutinæ*. Ad Annum MCCLXXII. visitur *Frater Symon de Sancta Catalina Massarius Generalis Communis Mutinæ*. Ita Ferrarienses, uti ex eorum Statuto MSto constat, Anno MCCLXXXVIII. adhibebant *Fratres de Boleta* (idest Bulletta) *& platezolos Communis* (quo nomine significari puto Exactores tributi platearum) *qui Platezoli debeant esse Fratres*. Ibi quoque Lib. 2. Rubrica 329. ubi agitur *de eligendis tribus viris super victualibus*, hæc statuuntur: *Eligantur tres boni & legales viri, unus per Priorem Fratrum Prædicatorum, alius verò per Guardianum Fratrum Minorum, alius verò per Priorem Fratrum Eremitanorum*. En quanta fides haberetur probitati religiosorum hominum temporis illius.

lius. Verùm hoc parum videatur, ſi conferas quæ eodem Sæculo XIII. egit Frater Johannes de Vicentia Ordinis Prædicatorum, vir ſane inſignium virtutum; ſed majoris, quàm decebat, animi atque fiduciæ, cui Veronenſes, Vicentini, Bononienſes, aliique Populi, integrum pæne regimen ſuarum Urbium detulere, eo tamen infelici ſucceſſu, quem Gerardus Mauriſius, Rolandinus, Pariſius de Cereta, aliique Hiſtorici in Collectione Rer. Italicar. legendi, poſteris tradidere.

Quod ſi adeo Mendicantium, aliorumqne Ordinum piorum recentiores cœtus in ſingulis fere Italicis Urbibus multiplicatos, &, ut ita dicam, ſpiſſos cernimus, mirandum minime eſt. Non enim diſpar eſt hominum ſtudium, & veluti quidam a natura impetus ad propagandam ſpeciem ſuam, atque Religioſis viris ſuum propagandi inſtitutum, in commune videlicet bonum: liceat etiam dicere in proprium commodum, & amplificandum imperium. Agendæ potius gratiæ Apoſtolicæ Sedi, quod ſuâ prudentiâ interceſſerit, ne plures, quàm nunc, habeamus Religioſorum Ordines, quorum fortaſſe confluxu obrueremur. Ea quippe vetuit, ne novi ultra modum inſtituerentur; Et inutiles quoſdam, aut etiam pernicioſos, aliquando abolevit. Innocentius III. Papa in Concilio Generali Lateranenſi IV. hoc ſtatuit Anno MCCXV. Cap. 13. *Ne nimia Religionum diverſitas gravem in Eccleſia Dei confuſionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cetero Novam Religionem inveniat. Sed quicumque voluerit ad Religionem converti, unam de approbatis aſſumat.* Ubi vides *Religionem* pro Ordine Religioſorum accipi, eorum ſcilicet, qui ejurato Sæculo ſe Deo, peculiari Religionis voto, obſtringunt: qua voce uſi ſunt & alii ex antiquis. Atque heic animo hæreat Lector oportet, decretum hoc Lateranenſis Concilii perpendens, ſimulque cum eo componens, quod de probatis ab eodem Innocentio III. ſummo Pontifice piis Prædicatorum & Minorum inſtitutis contigiſſe novimus. Immo eodem ipſo tempore, quo ipſum Concilium habitum eſt, nempe Anno MCCXV. Bernardus Guidònis in Vita Innocentii Tertii, Tomo III. pag. 485. Rer. Italicar. auctor eſt, Sanctum Dominicum petiiſſe ab eo *inſtitutionem & confirmationem* ſui Ordinis, atque hanc a Pontifice *conceſſam exſtitiſſe, & promiſſam*. Paria ſcribit Ptolomeus Lucenſis Lib. 21. Cap. 17. Hiſtor. Eccleſiaſtic. Tomo. XI Rer. Italicarum, ut alios omittam. Contendunt etiam Fratres Minores, Sanctum Franciſcum ab eodem Innocentio III. atque ipſo Anno MCCXV. confirmationem ſui Ordinis impetraſſe. Et ſane in Bulla Honorii III. datâ Anno MCCXXII. ac editâ Tomo Primo Bullarii Romani, diſertis verbis legitur: *Ordinis veſtri Regulam a bonæ memoriæ Innocentio Papa prædeceſſore noſtro approbatam &c. confirmamus.* Denique non hos tantùm Ordines, hoc eſt, *Prædicatorum*, & *Minorum*, ſed & *Trinitatis*, & *Scholarium* ab Innocentio III. probatos tradunt. Quei ergo, petat aliquis, Innocentius III. a novis Ordinibus Religioſis invehendis adeo alienus in Generali Concilio, ſe poſtea ac tam cito facilem præbuit ad nova hæc inſtituta probanda? Immo in eum finem confectum videatur illud decretum, ut naſcentibus tum duobus iis Ordinibus ſpes eriperetur Pontificiæ confirmationis.

Quod eſt ad *Fratres Prædicatores*, equidem puto, levi negotio conciliari hæc poſſe, neque a vero abludere, eorum Ordinem ab ipſo Innocentio III. fuiſſe probatum. Nam Sanctus Dominicus ſuum cœtum inſtituit ſub *Regula Sancti Auguſtini*, quam *Canonici Regulares* jamdiu excolebant; prætereaque Prædicatores ipſi primo inter *Canonicos* ſunt recenſiti, meritoque adhuc inter Canonicos Regulares ſunt recenſendi, etſi *Prædicatores* tantùm eos appellare vulgus cœperit, atque ii hoc unum nomen retinuerint: quo etiam modo nos *Cappuccinos* quamdam ſumme piam Minorum Congregationem appellare ſolemus. Ergo ſi Prædicatores *Religionem* antea *approbatam*, ſcilicet *Canonicorum Regularium* aſſumſerant, nihil eorum inſtitutioni & confirmationi obſtabat Lateranenſis Concilii decretum. Honorius III. Bullam, qua Prædicatorum Ordinem reapſe probavit & confirmavit, editam Anno MCCXVI. in Bullario Romano, inſcribit *dilectis filiis Dominico Priori Sancti Romani Toloſanenſis, ejuſque Fratribus, Regularem vitam profeſſis*. Tum inquit: *Statuentes, ut Ordo Canonicus, qui ſecundùm Deum, & Beati Auguſtini Regulam in eâdem Eccleſiâ inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur*. Hæc ſolennis confirmatio Prædicatorum Ordinis: nam Innocentius III. (ut habet in Vita Sancti Dominici apud Surium Theodoricus de Appoldia, Bzovius, & alii Scriptores) commendavit quidem conſilium Sancti Dominici, ſed ejus Ordinem minime confirmavit. Quare in ſuis exordiis nihil aliud fuere *Fratres Prædicatores*, niſi *Canonicorum Regularium Ordo*; & nemo negat, quin Sanctus Dominicus Uxamenſis Canonicus fuerit. Neque negotium tibi faceſſat veſtium habitus*; nam uti ex imagine conſtat, quam Clariſs. P. Papebrochius expreſſit Tomo Primo Actor. Sanctor. Junii, pag. 984. Sanctus Norbertus Præmonſtratenſium Canonicorum inſtitutor, veſtem plane Dominicanæ ſimilem geſtabat. Ac proindè recta ejuſdem Papebrochii alio in loco opinio mihi videtur, conjectantis, de Ordine Prædicatorum loqui Jacobum de Vitriaco Lib. 2. Hiſtor. Occident. ubi Cap. 27. hoc titulo ſignat. *De nova Religione & Prædicatione Bononienſium Canonicorum*. Nam hæc ille ſcribebat circiter Annum MCCXX. atque Ordini Prædicatorum nuper, ideſt Anno MCCXVI. confirmatio Pontificia acceſſerat. Prædicabant autem Populo ejuſmodi Canonici verbum Dei; & quia id inſuetum erat de *Canonicis*, & ingentem in auditoribus animorum commotionem excitabant ad opera Pietatis, propterea omiſsâ *Canonicorum* appellatione ii nuncupari cœpti ſunt *Prædicatores*, quod nomen adhuc retinent. Ideo verò *Bononienſes Canonici* primo dicti ſunt, quod Sanctus Dominicus præcipuam Bononiæ fundationem Ordinis ſui fecit, atque ibi vivere deſiit Anno MCCXXI.

Mediolani floruit, ut alibi indicavi, circiter Annum MCCXXX. Gualvaneus de la Flamma, cujus Manipulum Florum, atque alia Hiſtorica evulgavi inter Scriptores Rer. Italicarum. Is ergo in Chronico Ordinis Prædicatorum, quod irrito labore hucuſque perquiſivi (teſte Ambroſio Taëgio Ord. Prædicat. qui ſpiſſum opus Hiſtoricum circiter Annum MDX. reliquit, adſervatum Mediolani in Conventu Gratiarum) ſcribit, Sanctum Dominicum Anno MCCXVII. Mediolanum fuiſſe profectum, *& dicit quidam Canonicus Antiquiſſimus* (ſunt verba Gualvanei) *Sancti Nazarii*, *ubi*

ubi Canonici habitum Regularem deferebant, *quod ipsum Beatum Dominicum in habitu Regulari*, *quasi unum de ipsis honorifice susceperunt*, & hospitem apud se habuerunt. En quid primum essent Fratres Prædicatores, *Canonici* videlicet *Regulares*, quales neque postea esse desierunt, quamquam paullo post arctius vitæ genus susceperint, uti Clarissimus Pater Gravesonius ostendit Tomo V. Histor. Eccles. Colloq. 6. qui & præterea nos docet, præcipua capita Regulæ Prædicatorum desumta fuisse per Sanctum Dominicum ex Regula *Canonicorum Præmonstratensium*. Sed quando in argumentum hoc illapsus sum, neque satis adhuc per omnium manus excurrit Bullarium Ordinis Prædicatorum, collectum a doctissimo P. Antonio Bermond, inde aliquid excerpere juvat, ut lux major nobis affulgeat. Bulla Honorii Papæ III. quæ in prælaudato Bullario est Constitutio XVIII. data *Anno V. Pontificatus*, hoc est Anno MCCXXI. memorat *Ordinem dilectorum filiorum Fratrum Prædicatorum*, ac infra, *dilectum filium Fratrem Dominicum*, *latorem præsentium*, *Canonicum Ordinis memorati*. Ad hanc vocem *Canonicum* hæc adnotat Bermondus. „ Ita passim per id tem-
„ pus vocabatur Ordo Fratrum Prædicatorum,
„ Ordo Canonicus; quo circa idem Honorius
„ in Diplomate: *Quoniam abundavit* &c. San-
„ ctum Dominicum nuncupavit *Ordinis Præ-*
„ *dicatorum Canonicum*. Hinc in dictis testium
„ super inquisitione facta de Vita, Obitu, &
„ Miraculis Beati Dominici, quæ refert
„ Echard Tomo primo Scriptor. Ordinis pag.
„ 49. legitur: *Sunt introducti a Fratre Phi-*
„ *lippo ejusdem Ordinis* (Prædicatorum) *Ca-*
„ *nonico constituto Procuratore* &c. Hinc Gi-
„ rardus Archiepiscopus Bisuntinus in Diplo-
„ mate dato Anno MCCXXIV. (quod asser-
„ vatur in Archivo Ordinis) *memoriæ*, in-
„ quis, *dignum duximus tradere futurorum*,
„ *quod venerabiles Fratres nostri Decanus*, *to-*
„ *tumque Capitulum nostræ Bisuntinæ Matri-*
„ *cis Ecclesiæ* &c. *Reverendos Fratres Canoni-*
„ *cos Ordinis Prædicatorum ad Civitatem no-*
„ *stram instinctu Sancti Spiritus vocaverunt*.
„ Et infra: *Quicumque in Domo illa pro tem-*
„ *pore Prior exstiterit*, *fidelitatem & reveren-*
„ *tiam debet Ecclesiæ supradictæ Sancti Johan-*
„ *nis*, *sicut Canonicus spiritualis Ecclesiæ* &c.
„ Hinc in Chronico Maylrossensi sic legere est:
„ *Anno Domini MCCXXXIII. Clemens Cano-*
„ *nicus de Ordine Prædicatorum electus est ad*
„ *Episcopatum de Dunblayn* &c. Hinc Jacobus
„ de Vitriaco Sancto Patriarchæ Dominico
„ coætaneus, sic Cap. 37. Historiæ Occiden-
„ talis *de nova Religione & Prædicatione Bo-*
„ *noniensium* loquens, ait: *Est alia Regula-*
„ *rium Canonicorum*, *Deo grata & hominibus*
„ *gratiosa Congregatio extra Civitatem Bono-*
„ *niæ*, *non longe ab ea* (tunc enim in Cœno-
„ bio Sancti Nicolai de Vineis, nondum intra
„ Urbis mœnia concluso, habitabant Fratres)
„ *in castris æterni Regis militantium* &c. *Ca-*
„ *nonicam Regulam*, *& salutares Regularium*
„ *observantias prædicationis & doctrinæ gratiá*
„ *decorantes*, *& Prædicatorum Ordinem Cano-*
„ *nicorum Ordini conjungentes* &c. Hinc audies
„ ex Bullis, Fratres Prædicatores, immo Mo-
„ niales ejusdem Ordinis, *Canonicos* & *Cano-*
„ *nicas* duobus prioribus ipsius Ordinis Sæcu-
„ lis sæpe sæpius fuisse nuncupatas. Hinc tam-
„ dem est, quod in Constitutionibus Ordinis,
„ Distinct. primâ, Textu quinto, de Recipien-

A „ dis Cap. 13. sic olim legebatur: *Nullus re-*
„ *cipiatur in Canonicum ad probationem vel*
„ *professionem*, *nisi a Priore Provinciali* &c.
„ Id videre est in Actis Capituli Generalis Pa-
„ risiensis Anni MCCXLVI. ubi nunc expun-
„ cto *Canonici* vocabulo, legimus: *Nullus*
„ *recipiatur in Fratrem Clericum nisi* &c.
Ita in Constitutione VII. ejusdem Bullarii, quæ Bulla est præmemorati Papæ Honorii III. data Anno MCCXVIII. ad vocem *Canonicus*, hæc idem Bermondus iterum adnotavit. „ Unum
„ insuper notes, velim, *Sanctum Dominicum*
„ *Canonicum* vocari, licèt in Capitulo Gene-
„ rali Bononiensi possessiones & reditus ejuras-
„ set. Nec audiendus qui scripsit „: (heic
B modestus Auctor nomen Patris Sovegii omittit, qui in Annalibus Dominicanis sequentia verba sibi excidisse passus est) „ *Non legendum Pon-*
„ *tificatus Anno V. sed Anno II. quia Anno*
„ *Quinto Pontificatus Honorii*, *seu anno MCC-*
„ *XXI. Habitum Virginis*, *Scapulare scilicet*,
„ *induerat Sanctus Dominicus*, *quapropter Ca-*
„ *nonicus dici non potuisset hoc Anno*. Quasi
„ verò sacrum Virginis vestimentum virum
„ Canonicum dedeceat, aut ipsum non possit
„ exornare. Sed, amabo, numquid diem an-
„ tiquiorem Instrumento publico fas est adscri-
„ bere, quia opinionem meam subvertit?
„ Meam ex Instrumento, non Instrumentum
„ ex mente mea corrigendum certe credide-
C „ rim. Præterea quid Criticus ille de Cano-
„ nizationis Sancti Dominici perscriptis actis
„ sentiet, si tamdem aliquando evolvat illa?
„ Numquid Anno MCCXVII. assignanda de-
„ cernet, quia nomen *Canonici* uni ex Fratri-
„ bus nostris acta hæc indiderunt „? Ad hæc animadverte, in Bulla Gregorii X. Papæ, data Anno MCCLXXV. Sanctimonialibus Pruliani, quæ in Bullario nuper laudato legitur, ista occurrere: *Et benedictionem Canonicarum a Diœcesano suscipietis Episcopo*. Ex quo intelligimus, vel circiter Annos sexaginta ab Ordinis Prædicatorum institutione, Sanctimoniales Ordinis ejusdem *Canonicarum* nomen retinuisse. Denique, uti monui in Dissertatione
D LXII. *de Canonicis*, ratio dignoscendi *Canonicos Regulares* in veterum monumentis, ea est, illos nempe sub Præside *Prioris* nomen gerente, militasse Deo. Quod & factum fuisse a Fratribus Prædicatoribus eam ipsam ob caussam, quod inter *Canonicos Regulares* recenserentur, jam tamdem agnoscas.

De Minoribus pauca dicam. Jacobus de Vitriaco synchronus Scriptor, Sanctus Bonaventura, Matthæus Parisius, aliique veteres, certos nos faciunt, institutum Sancti Francisci sub Innocentio III. propagatum fuisse, immo & illius calculo probatum. Fortassis etiam ante Lateranense Concilium IV. Pontifex piissimo illi hominum cœtui suum suffragium ad-
E diderat, quamquam Honorius III. primus postea fuerit, qui Anno MCCXXIII solenni ritu ac Bullâ sacrum Ordinem confirmarit. Interea vidimus, quàm aversus foret animus Innocentii III. Papæ sapientissimi, ac Patrum Lateranensium, a probandis recipiendisque novis Religiosorum virorum Congregationibus. Accipe nunc, quid hanc ipsam in rem alterum Generale Concilium decreverit Anno MCCLXXIV. Mirabili incremento ac celeritate per totum ferme Christianorum Occidentalium orbem propagata fuerant sacra instituta Fratrum Prædicatorum ac Minorum, quorum Pietatem, Zelum, & Doctrinam summa cum

uti-

utilitate Ecclesiæ ac Populorum conjunctam unusquisque suspiciebat atque laudabat. Tanta illorum fortuna pios alios viros permovit ad excogitandos inchoandosque diversos alios Religiosorum Ordines, prout quisque arbitrabatur, majora etiam emolumenta per novas hasce auxiliares copias præstari posse Ecclesiæ Dei. Itaque defatigabant isti importunis precibus Apostolicam Sedem, ut sibi legitime prodire liceret: verùm quæ in hanc rem sententia fuerit Gregorii X. sanctissimi Pontificis, ac Patrum in Generali Concilio Lugdunensi II Anno MCCLXXII. ex Decreto vigesimo tertio ejusdem Concilii ediscere possumus. *Religionum diversitatem nimiam* (inquiunt Patres) *ne confusionem induceret, Generale Concilium* (idest Lateranense IV.) *consultâ prohibitione vetuit. Sed quia non solùm Importuna petentium Inhiatio illorum postea Multiplicationem Extorsit, verùm etiam aliquorum Præsumtuosa Temeritas, diversorum Ordinum, præcipue Mendicantium, quorum nondum approbationis meruere principium, Effrenatam quasi Multitudinem adinvenit*: (en quantopere animos hominum invasisset pia isthæc novorum fœtuum libido) *repetitâ constitutione districtius inhibentes, ne aliquis de cetero novum Ordinem aut Religionem inveniat, vel habitum novæ Religionis assumat: cunctas affatim Religiones, & Ordines Mendicantes, post dictum Concilium adinventos, qui nullam confirmationem Sedis Apostolicæ meruerunt, perpetuæ prohibitioni subjicimus* &c. Tum addit Pontifex: *Sane ad Prædicatorum & Minorum Ordines, quos evidens ex eis utilitas Ecclesiæ universali proveniens perhibet approbatos, præsentem non patimur constitutionem extendi. Ceterum Carmelitarum & Eremitarum Sancti Augustini Ordines, quorum institutio dictum Concilium Generale præcessit, in suo statu manere concedimus, donec de ipsis fuerit aliter ordinatum*. Institutos quidem ait Gregorius X. ante Annum MCCXV. Ordines Carmelitarum, ac Eremitarum Sancti Augustini, sed eos ab Apostolica Sede nondum approbatos ait: quare neque illos proscribit, neque tamen probat, in statu in quo erant relinquens, *donec de ipsis fuerit aliter ordinatum*. Cum hocce decreto an satis consonet Bulla, quæ in Bullario Romano, Tom. I. legitur, data Anno MCCXXVI. in qua Honorius III. paucissimis, præter morem ac stilum Curiæ Romanæ, verbis probat *Regulam Carmelitarum*, dijudicandum aliis dimitto. Satis sit nobis heic animadvertisse, quantâ fœcunditate post Annum MCC. pullularint Ordines religiosi, & contra quantâ severitate & prudentiâ caverint sapientissimi Pontificum, ipsaque Generalia Concilia, ne per nimiam istorum sobolem & propagationem confusio in Ecclesiam inveheretur, neque oneri esset, quod ad ipsius Ecclesiæ utilitatem ac ornamentum dumtaxat fuit instituendum. At tamen ejusmodi decreta sensim abrogata contrariis actibus fuere, & locus est factus aliis piorum virorum cœtibus, maxime profecto commendandis, ita ut multas variasque eorum Familias unaquæque Civitas nunc alat. Et quid dixi quælibet Civitas? etiam in Castellis & exiguis Vicis Monasteria, ipsaque interdum plura, visuntur; eorumque uberiores catervas ruri inspiceremus, nisi Gregorii XV. Urbani VIII. ac aliorum Pontificum constitutionibus modus Monasteriolis factus fuisset.

Nunc autem quando sub oculos habemus præsentia tempora, aliquis fortasse antiquorum temperantiam laudet, apud quos longe minor sine comparatione fuit tam Clericorum Sæcularium, quàm Monachorum copia; & præcipue quod olim unus Benedictinorum Ordo in tota ferme Europâ numeraretur, unum verò tantummodo ex iis Monasterium singulæ Civitates habere consueverint. Verùm Lectores monendos reor, ne tam facile vetusta Sæcula putent paucis Monachis, paucisque Monasteriis fuisse contenta. Erant enim Urbes, quæ plura eodem tempore ostentabant, eaque cuncta Benedictini Ordinis cum virorum tum mulierum, quamquam temporibus nostris nulla eorum vestigia supersint. Lege vetustissimas Vitas Romanorum Pontificum, quæ sub Anastasii nomine circumferuntur: palam fiet, in una Romana Urbe antiquis Sæculis exstitisse permulta. Exempli caussâ Gregorius II. Papa *Monasteria, quæ secus Basilicam Sancti Pauli erant ad solitudinem deducta, innovavit, atque ordinatis servis Dei Monachis, congregationem constituit, ut ibidem die noctuque Deo redderent laudes. Hic Gerontocomium Sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe Monasterium instituit. Atque Monasterium Sancti Andreæ Apostoli ad nimiam deductum desertionem, in quo nec unus habebatur Monachus, adscitis Monachis ordinavit* &c. Idem quoque Pontifex *domum propriam in honorem sanctæ Christi Martyris Agathæ, additis a fundamento cœnaculis, vel quæ Monasterio erant necessaria, a novo construxit. Prædia illic urbana vel rustica pro Monachorum obtulit necessitate*. Fortasse animadverteris, non unum Monasterium fuisse olim Romæ *secus Basilicam Sancti Pauli*. Idem de Basilica Vaticana Sancti Petri dicendum videtur. Nam Gregorius III. ut est in ejus Vita, *fecit Oratorium intra eamdem Basilicam beati Petri*, ibique Reliquias reposuit omnium Sanctorum, *quorum festa Vigiliarum atque Natalitiorum a Monachis trium Monasteriorum Illic servientium quotidie Missas celebrari instituit*. Addit infra illius Vitæ Auctor de eodem Gregorio III. *Construxit & Monasterium sanctorum Martyrum Stephani, Laurentii, atque Chrysogoni, constituens ibidem Abbatem, & Monachorum congregationem* &c. *Simili etiam modo renovavit Monasterium Sanctorum Johannis Euangelistæ secus Ecclesiam Salvatoris, ubi & congregationem Monachorum & Abbatem constituit*. Hi vero in Basilica Lateranensi *persolvebant sacra officia laudis divinæ diurnis nocturnisque temporibus*. *Monasterium* quoque *Boëtianum* Romæ fuisse, uti & *Monasterium Sancti Martini* proximum Basilicæ Vaticanæ, veterum monumenta produnt, ut alia omittam. Interea ex Anastasii verbis nuper adductis intelligimus, functos tunc fuisse Monachos pio illo munere, quod proxime sequenti Sæculo pro decantandis Psalmis & Hymnis ad Canonicos delatum est in Templis Sæcularium, etsi ne tunc quidem desiderarentur Presbyteri Sæculares ad ejusmodi Templorum regimen & sacra facienda. Atque hæc pauca de una Roma commemoro: longam enim seriem pertexerem, si singula Monasteria recensere animus foret, quibus olim nobilissima Civitas referta fuit. Hanc in rem Anastasius atque Annales Clarissimi Mabillonii multa ministrabunt. Certe sub finem Sæculi X. numerabantur in Urbe *sexaginta Monasteria*, hoc est *quadraginta Monachorum, & viginti Sanctimonialium*; ita ut tempora illa cum nostris certare potuisse videan-

deantur, nobisque intelligere hinc liceat, quot rerum vices ac mutationes præterita Sæcula invexerint, quando ex antiquis illis nunc supersint tam pauca.

Mediolanensi quoque in Urbe antiquis Sæculis occurrunt nobis Monasteria Monachorum multa, videlicet *Ambrosianum*, *Sancti Victoris ad Corpus*, *Sancti Vincentii*, *Sancti Simpliciani*, *Sancti Celsi*, *Sancti Dionysii*, *Sanctorum Gervasii & Protasii*, *Sancti Caloceri*, & alia fortasse mihi ignota. Puellarum verò *Monasterium Majus*, *Widelindæ*, *Auroni*, *Dathei*, *Lentasii*, *novum de Ghisone*, & si qua erant alia. Simili ratione Veronæ olim numerabantur Monastaria *Sancti Zenonis*, *Sanctæ Mariæ ad organum*, *Sancti Firmi*, *Sancti Petri in Mauriatica*, *Sancti Stephani in Ferrariis*, *Sancti Thomæ*, *Sanctæ Trinitatis*, & plura etiam, quæ aut tempus obliteravit, aut Eruditi Veronenses norunt. Ticini præterea prisca ætas vidit Monasteria *Sancti Petri in Cælo aureo*, *Sancti Salvatoris*, *Sanctæ Agathæ* (a Bertarido Rege constructum) *Senatoris*, *Sanctæ Mariæ Theodatæ*, *Sancti Anastasii*, *Sancti Matthæi*, *Sancti Thomæ*, *Sancti Apollinaris*, *Reginæ sive Sancti Felicis*, *Sancti Majoli*, *Sancti Marini*, *Sanctæ Mariæ Venationum*, & alia, quorum nomina forsitan exciderunt. Ita Ravennæ complura erant, uti in Vitis Archiepiscoporum Ravennatum Part. I. Tomi II. Rer. Italicar. nos docet Agnellus, si tamen, ut infra dicam, ea fuere Monachorum domicilia. Sed & in aliis Italiæ Urbibus ejusmodi Monasteria nobis occurrerent, nisi tempus edax tot veterum monumenta absumsisset. Atque heic commemorandæ mihi sunt Literæ Gregorii VII. Papæ, quas Ghirardaccius in Historia Bononiensi ad Annum MLXXIII. adfert, antiquas sane, omnino tamen spurias. Eas quoque habemus apud Sigonium in Episcop. Bononiensib. Sed vereor ego, ne in postumum illius fœtum alterius operâ adulterinæ hæ merces irrepserint. Nihilo tamen secius ex ejusmodi confictis tabulis elici fortasse possunt varia non conficta Monasteria, quæ tunc Bononiensi in Urbe, ejusque agro numerabantur. Scilicet *Monasterium Sancti Michaëlis Archangeli in Paterno*: *Monasterium Sanctæ Mariæ in Massa Palense*; *Monasterium Sancti Anastasii in Petriculo*: *Monasterium Sancti Prosperi in Panigale*; *Monasterium Sancti Martini in Pojo*; *Monasterium Sancti Petri in Strata*: *Monasterium Sanctæ Mariæ in Strata*; *Monasterium Sancti Petri in Nucifatico*; *Monasterium Sancti Martini in Casalichio*: *Monasterium Sanctæ Mariæ Majoris*: *Monasterium Sancti Columbani*: *Monasterium Sanctorum Gervasii & Protasii*: *Monasterium Sancti Thomæ ante Portam Sancti Petri*: *Monasterium Sancti Johannis Evangelistæ in Monte Oliveti*; *Monasterium Sancti Stephani in Hierusalem*. Memorat idem Ghirardaccius in calce Libri Sexti, alia Bononiensis agri Monasteria, nempe *Sancti Archangeli apud Castellum Brittorum*, *Sanctæ Christinæ*, *Sancti Damiani*, *& Sanctæ Mariæ in Bethleem*. In eodem etiam agro sita fuere *Monasterium Montis Armati*, *Sancti Bartholomæi de Mussiliano*, *Sancti Fabiani in Aigonia*, *Sancti Gregorii extra viam Sancti Vitalis*, *Monasterium Sancti Laurentii*, *Monasterium Sancti Mathiæ*, *Monasterium Sancti Salvatoris*, ut alia prætercam. Sed hisce unum ego adjunctum heic volo, eidem Ghirardaccio ignotum, videlicet *Monasterium Sanctæ Luciæ*, situm in Castello Rosseni Bononiensis Diœcesis, cujus minimè dubium testem habeo Chartam, a Joseph Antenore Scalabrinio, sacrarum Literarum in Ferrariensi Academia Professore, ad me missam. Ejus quoque Monasterii mentionem alibi me videre memini.

Donatio

Donatio Ecclesiæ Sanctæ Trinitatis facta Urso Abbati Sanctæ Luciæ de Roffeno ab Alberto Comite de Panigo, ejusque conjuge Imelda, Anno 1068.

IN *nomine Sancte Trinitatis . Anno ab Incarnatione Domini Millesimo Sexagesimo Octavo , Regnante* Ænrico Tercio Rege , *Indictione IX. in Dei nomine . Ego* Albertus Comes de Panigo , *&* uxor mea *nomine* Imelda , *cum* filio nostro *nomine* Milo , *pro peccatis nostris , & omnium parentum nostrorum , vivis ac defunctis , ut in diem Judicii bonam retribucionem accipiamus a Domino , Donamus* Ecclesiam Sancte Trinitatis , *que est fundata in loco qui dicitur Prato Baratti , ad* Sanctam Luciam Virginem *per omne tempus in proprietate & in alode , & a te venerabilis* Abbas Orso *nomine , & cunctis successoribus tuis post te tam* Abbatibus quàm Monachis Sancte Lucie Virginis ; *ad tenendum , ad possidendum , & ad ordinandum in jura Monachorum omni tempore sit in tua potestate & dominatione , cum omni possessione & ereditate sua , quam olim habuit & modo habet , & in antea abuerit vel acquisierit ; sicut Rolandus Presbiter & Monachus melius eam tenuit & habuit , sic tibi Domno Urso Abbati Ecclesiam supradictam concedimus , donamus firma donacione in perpetuum, ut supra scriptum est, sine ingenio malo, & sine ulla mala reservacione sic donamus, & propriis manibus firmamus ego Albertus Comes , & uxor mea Imelda , & filius noster Milus , cum consilio & voluntate cunctis fratribus meis & parentibus . In tali racione , si fuerit aliqua submissa persona , homo vel femina ex eredibus nostris , vel aliqua extranea persona vel privata , que hanc Cartam contradicere vel inrumpere aut molestare voluerit , aut aliud dicere nisi hoc , quod supra scriptum est , iram Dei omnipotentis incurrat , & cum Datban & Abiron pereat , & cum Anna & Caypha atque Pilato & cum Juda traditore Domini ✠ & cum Simone Mago in inferno inferiori dampnationem eternam accipiat , nisi resipuerit , & a satisfacionem coram Deo , & Sancte Lucie venerit , ita ut per molestationem qua molestaverit , emendat ad Sanctam Luciam triginta Libras auri purissimi pro pena , & post pena soluta hanc Cartam in sua maneat firmitate in perpetuum.*

Signum manus Alberti Comitis , qui hanc Cartam scribere fece , propria manu firmavit .

Signum manus Imelde uxori sue .

Signum manus filii sui Mili .

Presbiter Sigezi de Saxoni .

Engezo Castaldo .

Boneto Castaldo .

Gajulfo de Stramignano .

Guido de Pagano de Flamignano rogati subscripti testes .

Ego Honestus Christi misericordiâ Tabellio scripsi , post prefatam corroboracionem complevi & firmavi .

Celebres in Historia Bononiensi sunt *Comites de Panigo* , eorumque vetustatem metiri hinc etiam potes . Quod præterea animadvertas velim , sæpius extra , quàm intra ipsas Civitates , eadem Monasteria construi consueverunt , ut aliqua solitudinis ratio haberetur pro

A Monachis , ad solitudinem servandam veluti instituto suo obligatis . Ita Mediolani Ambrosianum , Celsianum , & alia : Ticini verò Sancti Petri in Cælo Aureo , Sancti Salvatoris &c. Veronæ Sancti Zenonis, Sanctæ Mariæ ad Organum &c. Mutinæ Sancti Petri, Regii Sancti Prosperi , ut alia omittam, condita fuere. Atque inter beneficia , quæ in Rempublicam effluxere ex Monachorum institutione, non illud postremum fuit , delecta ab iis , aut concessa illis sæpe fuisse ad habitandum loca inhospita , inculta , ac ferarum cubilia , quæ ipsi sensim tum labore suarum manuum , tum colonis adscitis , summoque studio ad culturam instruxere ; ita ut loca antea horrida in fructiferos ac B interdum amœnos agros converterentur . Fatendum quippe est , uti nuper innuebam , antiquissimos Monachos solitudinem anteposuisse, atque anteponendam censuisse Civitatum incolatui, in quibus Virtuti pericula multa & uberiorem tentationibus aditum pertimescebant . Et profecto *Monachi* nomen Solitudinis amorem innuit . Abbo Novaliciensis Cœnobii institutor , uti nos docet Scriptor Chronici Novaliciensis , Part. II. Tomi II. Rer. Italicarum pag. 702. ajebat : *Non potest tuta fore Monachorum habitatio, si circa Urbes vel Vicos fiat eorum assidua conversatio* . Quare olim ruri longe plura quàm subsequutis Sæculis visebantur Monasteria . Insulæ etiam deligebantur , C inter quas *Lirinensis* omnium celeberrima evasit , tot Sanctis & doctis viris Ecclesiæ Dei suppeditatis . Denique in montibus , & non longe a paludibus , atque in aliis solitariis locis Monasteria plerumque olim condebantur , e quibus nonnulla præ ceteris insignia procedente tempore , concurrentibus illic finitimis hominibus , atque ibi domos construentibus , sensim evasere magnifica Oppida . Idque præsertim contigit *Bobiensi* Monasterio , ubi nunc Civitas est , & *Nonantulano* agri Mutinensis , ubi nunc illustre Oppidum , & *Bruniatensi* in Liguria , quod in Episcopatum conversum fuit : & ut alia prætercam , *Vangadiciensi* Cœnobio sito ad Athicem , ubi nunc alterum nobile D Oppidum spectatur , cui *Abbatia* nomen est , in Diœcesi Adriensi , olim sub Marchionum Estensium ditione positum . Postremi hujus insignis Cœnobii meminit Mabillonius in Annalib. Benedictin. ad Annum DCCCCXCVII. donationem commemorans sacro loco ab Hugone Marchione Tusciæ eodem Anno factam, & a Puccinellio editam . Tum ille subdit : *Hæc prima nobis occurrit notitia illius Monasterii , cujus auctor ignoratur* . Protuli ego in Dissertatione XX. *de Mulierum Actibus* donationem ipsi Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Vangadicia factam Anno DCCCLIV. a Franca uxore quondam Almerici Marchionis, ex qua elucere videtur , nondum ibi eo tempore constitutum fuisse Monasterium . Nunc alteram Chartam producere statui , quam ex Tabula- E rio ejusdem Vangadiciensis Monasterii descripsi, inquisiturus an hæc illius Cœnobii Auctorem & tempus indicare possit .

Charta donationis factæ Martino Abbati Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Diœcesis Adriensis ab Hugone Marchione Tusciæ, ut ibi Monasterium fundetur, Anno 993.

A IN nomine *Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab ejus Incarnatione Nongentesimo Nonagesimo Tertio, IV. Calendas Junii, Indictione Sexta. Divine gratie munere, & superne virtutis auxilio a faucibus Demonice potestatis eripuit nos misericors Dominus, & eterne Patrie gaudiis faciens coheredes, sedulis amonitionibus, crebrisque nos preceptis informat. Unde est illud*: Venite ad me omnes, qui laboratis, & honerati estis, & ego vos requiescere faciam. *Et ne quis de via ad eum perveniendi, vel qualiter ab eo recipiendi esset facultas, dubitaret, quod promisit, ipse certam ostendit formam, cum dixit*. Dimittite, & dimittetur vobis. Date, & dabitur vobis . . . . . . *tam hoc idem quod docuit, ne segniter* B *quis ageret, hortatur ipse alibi, cum dicit*: Vigilate, quia nescitis diem neque horam. *Hanc scilicet vocem locutionis debemus frequentissime meditari, quatenus semper pre oculis mentis habeatur. Oportet denique singulos, qui se omnipotentis Dei misericordia hujus Mundi divicias vel quibuscumque temporalibus adjumentis consolatos ex his, que accepit ab eo quantumlibet, illi cum gratiarum actione conferre, a quo sibi noscit cuncta, que habet, esse concessa, & Regnum Dei tantum valet, quantum habet. Quod ut credi possit, Dominicis instruimur documentis, quia muliere duo minuta devote offerente plus ceteris . . . . Salvator asseruit obtulisse. Unde ego in Dei nomine* C Ugo *gratiâ Dei gloriosus* Dux & Marchio, filius bone memorie Uberti, qui fuit item Marchio, *obtumum duxi pro anime mee remedio, & pro remedio anime predicti quondam Uberti genitoris mei, seu pro remedio anime* Guille genitricis mee, *seu pro remedio omnium parentum meorum ordinare . . . . . . confirmare, & per hanc paginam offersionis videor in te* Martine Abatem, *idest* Ecclesia Dei, & Beate Marie Virginis, que est juris proprietatis mee, posita in loco & fine, ubi dicitur in capite de Flumine Veclo, *dare & tradere* ad Monasterium ibidem faciendum & construendum seu edificandum: & Regulam ibi secundum doctrinam Beati Benedicti Abbatis tenendum, *jam dictam Ecclesiam Sancte Marie tradidit atque offeruit. Ecclesiam verò ipsam cum omnibus predictis casis & rebus, sicut superius legitur, ad predictam Ecclesiam pertinentibus, cum fundamentis & edifficiis vel universis fabricis suis, seu Curtis, horturas, terris, vineis, olivetis, castanetis, quercetis, silvis, virgaretis, pratis, pascuis, cultis rebus vel incultis, venationibus, seu piscationibus, omni & ex omnibus in integrum, quantas ad predictam Ecclesiam Sancte Marie predictus* Amelrigo Marchio *offeruit seu tradidit, cum inferioribus & superioribus suis, seu cum accessionibus & gressuras suas, tibi quidem suprascripto Martino Abati, posterisque successoribus tuis*, Monasterium faciendum & E construendum seu edificandum *pro anime mee remedio dare & tradere videor. Ita ut ab hac die in antea tibi quidem supradicto Martino Abati, posterisque successoribus tuis predictam Ecclesiam cum predictis rebus, sicut superius legitur, sumere liceat potestatem habendi, tenendi, imperandi, gubernandi, laborari faciendi & usufructuandi, & in ipsa Dei Ecclesia Sancte Marie per vos, aut vestram dispositionem officiandi, & luminaria atque incensum, & Missarum, seu Psalmorum debita die noctuque ibi canere seu facere, & pro me & pro parentibus meis ibidem orare debeatis. Et si ego, aut quicumque de heredibus meis aliquo tempore supradictas res ad supradictam Ecclesiam pertinentes agere aut causare vel intentionare seu minuere aut retollere vel subtrahere, aut contradicere per quodlibet ingenium presumpserit, tunc sciat se conposituros ipsi quibus facere presumpserit penam aurum obtumum Libras centum. Et si fuerit ullus homo post meum obitum & decessum masculus vel femina, aut ulla Potestas predictas res predicte Ecclesie Monasterio sunt atinentes, aut in antea ibidem pertinentes fuerint, subtrahere vel alienare sive pro Beneficio, aut quacumque traditione, sive occasione tollere vel minuere aut molestare quocumque ingenio presumpserit, tunc sit ille maledictus a Deo Patre omnipotente, Filio, & Spiritu Sancto, & a trecentis decem & octo sanctis Patribus, qui legem Dei constituerunt, & ab omnibus Sanctis: habeat partem simul cum Juda traditore: & deglutiat eos terra, sicut deglutivit Datham & Abiron; quia sic complacuit animo meo; quia in tali ordine hanc Cartulam offersionis & traditionis Johannem Notarium Domni Imperatoris scribere rogavi.*

Actum Pisa feliciter.

Ugo Marchio *subscripsi*.

Signum Domni Amedei, & Teuderici, seu Atulini, Lege viventes Salica, testes.

Leo Judex Domni Imperatoris subscripsi.

Ego Cunradus testis subscripsi.

Ego Cosbertus rogatus testis subscripsi.

Ego Lambertus rogatus testis subscripsi.

Ego Johannes Notarius Domni Imperatoris hanc Cartulam offersionis post tradita complevi & dedi.

D

Videmus heic, Hugonem inclytum Tusciæ Marchionem Martino Abbati largiri *Ecclesiam Dei & beatæ Mariæ Virginis, quæ est juris proprietatis meæ positam in loco & fine, ubi dicitur in Capite de Flumine Veclo*, atque hæc ipsa Ecclesia illa erat, quam *Almericus Marchio* multis fundis dotarat. Hanc autem *Martino Abbati* is tradit *ad Monasterium ibidem faciendum, & construendum seu ædificandum, & Regulam ibi secundùm doctrinam beati Benedicti tenendum*. Si heic agitur de ipsa Ecclesia Vangadiciensi, jam tempus & auctorem illius Monasterii habemus. In Charta Anni DCCCCXCVII. a Puccinellio evulgata memoratur *Ecclesia Monasterii Beatæ Mariæ Virginis, quæ est fundata in loco & finibus, ubi dicitur Vangadicia prope fluvio Adesi, qui dicitur Veclo*. In Placito quoque, quod jamdiu publici

publici juris feci Cap. XI. pag. 88. Antiquitat. Eſtenſ. ſe nobis offert Anno MXIII. *Domnus Martinus Abbas Monaſterii Sanctæ Mariæ Virginis, quod dicitur da Petra, ſupra ripam Adicem*. Idem repetitur in altera Charta Anni MXCVII eodem Cap. XI. Componenda hæc ſimul ſunt ad dignoſcendum veterem Vangadicienſis Monaſterii ſitum, & an de ea Eccleſia agatur, quam Anno DCCCCXCIII. *Hugo Marchio* donavit *ad Monaſterium ibidem faciendum*, ſitam *in loco ubi dicitur in capite de Flumine Veclo*. Ad hæc in Chartophylacio ejuſdem Cœnobii Vangadicienſis Diploma reperi, ac ſtudioſe perpendi, quod hanc in rem præcipue nobis nunc eſt conſiderandum.

Donatio facta Monaſterio Sanctæ Mariæ de Vangadicia a Berengario II. & Adelberto Italiæ Regibus, Anno 961.

IN *nomine omnipotentis Dei æterni* Berengarius, *&* Adelbertus, *divina favente clementia* Reges. *Decet Regalem excellentiam, ut votis fidelium ſuorum aures pietatis ſuæ clementer inclinet, quatenus eos devotiores ac promptiores in ſuo obſequio reddat. Idcirco omnium ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelium, noſtrorumque præſentium ſcilicet hac futurorum noverit induſtria, qualiter interventu ac peticione* Ugonis Marchionis Thuſciæ, *noſtri dilecti fidelis, per hujus noſtri præcepti paginam, prout juſte & legaliter poſſumus, Venerabilem* Martinum Wangadicienſis Monaſterii Abbatem *de quadam Terra, in Inſula Carpi adjacente, & ad Curiam Leniaci pertinente, cujus terminus cernit caput Silvæ ejuſdem Monaſterii uſque in Flumen, quod vocatur Tartarum, pro Dei amore, & animarum noſtrarum, noſtrorumque parentum tam præteritorum quàm futurorum, inveſtivimus una cum terris, pratis, ſilvis, paludibus, ſalectis, ſacionibus, ſtallareis, ripis, rupinis, molendinis, piſcationibus, paſcuis, mercatis, vallibus, planiciebus, aquis, aquarumque decurſibus, cum omnibus ſuis pertinentiis, veluti ad Curiam Leniaci pertinent in integrum. Ita ut habeat, teneat, firmiterque poſſideat ipſe Abbas, ſuique ſucceſſores & Fratres, omnium hominum contradictione vel moleſtatione remota. Si quis igitur hanc noſtram inveſtituram aliquociens infringere vel violare temptaverit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi Libras centum, medietatem Kameræ noſtræ & medietatem prælibato Abbati, ſuiſque ſucceſſoribus. Quod ut verius credatur, diligentiuſque ab omnibus obſervetur, manibus propriis roborantes, anuli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus.*

Signa ſereniſſimorum [monogram] *Berengarii & Adelberti Regum.*



Hubertus Cancellarius ad vicem Widonis *Epiſcopi & Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.*

Data III. Kalendas Junias Anno Incarnacionis Domini DCCCCLXI. Regni verò Domni Berengarii atque Adalberti piiſſimorum Regum XI. Indicione IV.

Actum Veronæ, in Dei nomine feliciter. Amen.

Aderant in hoc Diplomate omnes notæ, quæ autographum prodebant, Monogrammata, immo & Sigillum cereum, cujus cera plumbeum colorem referebat, ſed minime integrum. Ibi ſupererat pars imaginis viri & circum literæ VS ET ADALBER........ Quare nulla oborta mihi dubitatio eſt de legitimitate membranæ. At hoc poſito, duo inde elucent. Alterum eſt, Anno DCCCCLXI. jam *Vangadicienſe Monaſterium* exſtitiſſe. Alterum, quod jam adnotavi Par. I. Cap. XV. Antiquitat. Eſtenſ. pag. 136. citius, quàm hactenus creditum fuit, Hugonem inclytum Marchionem ad Etruſci Ducatus regimen evectum fuiſſe. Neque enim quiſquam adſentiri poſſit Coſmo de Arena, qui in ſerie Ducum & Marchionum Tuſciæ hoc ipſum Diploma ſibi objiciens putavit, *Hugonem Marchionem Tuſciæ* ibi memoratum, alium fuiſſe ab *Hugone filio Huberti*, itidem Marchione Tuſciæ, qui Anno MI. finem vivendi fecit. Deceptus fuit Scriptor ille a quadam narratione Sancti Petri Damiani; unum enim excogitare cogimur Hugonem Tuſciæ Marchionem, non duos; & contra (quod minime Coſmus de Arena fecit) diſtinguere opus eſt *Obertum Marchionem, Comitem ſacri Palatii*, progenitorem Ateſtinorum Principum, ab *Huberto Hugonis Regis filio, Marchione Tuſciæ*, & patre ejuſdem Marchionis Hugonis. Sed de his jam actum fuit in nuper memorato loco Antiquitatum Eſtenſium. Olim ergo numerabantur ruri inſignia Cœnobia: ſed quum Monaſteriola ibi complura occurrant, diſquirendum eſt, an eorum numero Majores noſtros ſuperemus. Itaque ajo, vetuſta quoque Sæcula ejuſmodi ruralibus Monaſteriolis abundaſſe, quæ ferme omnia tempus & bellorum rabies delevit. Paucis exemplis rem illuſtrabo; & quod in una aut duabus Urbibus actum videbimus, ad reliquas metiendas uſui nobis eſſe poterit. In Archivo Canonicorum Regularium Piſtorii pergamenam ex una parte exeſam legi, ante annos quingentos exaratam, exemplum videlicet antiquiſſimi Inſtrumenti, quod tenebris nunc ereptum volo.

Institutio Monasterii sacrarum Virginum sub titulo Sanctorum Petri & Pauli atque Anastasii facta a Ratefredo filio Guilichisi in agro Pistoriensi, Anno 748.

A *IN nomine Domini. Die octavo, Mense Septembrio, Regnante* Domno Rachis *vir excellentissimus* Regem, *Anno Quarto, per Indictione Secunda, feliciter.* Rattfredi filius quondam Guilichisi *sperave in me divina potentia, dum complexus rejacere in infirmitat .... sine fine, ubi fures non effodiunt nec furantur; ut illa voce audire merear, quia Dominus noster Jesus Christus ac Redemptor omnium, in se credentibus promittere dignatus est*: Venite, benedicti Patris: percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine Mundi. *Et iterum ammonuit, dicens ....* filius masculus. *Previdimus in proprio meo* edificare Ecclesiam Monasterio beatissimorum Sancti Petri & Pauli atque Anastasii, *& inivi me, vel anima mea commendare;* B *atque offerri medietatem de omnem parvitatem pecuniam, vel adquisitum meum, quod nunc presenti die avere, & .... tuero, tam Case avitacionis mee, quàm & Case massaricie, seo Casalia, vinea, terra, pratis, pascuis, silvis, salectis, sationibus, cultum atque incultum, movilem vel inmovilem, seseque moventibus, omnia & in omnibus ad ipsum sanctum & venerabilem locum offerri & condonare previdi .... seu &* Astruelda, qui veste Monastica induta esse videtur. *In eum verò tenore, ut si jam dicta filia mea voluere cum* genitrice mea Muntia, *atque* conjuge mea Perterada, *seo* germana mea Ratperta, *in ipsum Monasterio deservire voluere in ......* C *Senodochio* egenos vel pauperes recipiendum, & elemosina tribuendum & guvernandum per ebdomata una pauperes, vel peregrinas animas, *& una cum* Dominico Abbate Rectore, *quem inibi ordinare previdi: omnia, ut dixi, in sua habeat potestate regendum .... elemosinam tribuendum de quod inibi Dominus condonare dignatus fuerit, & pro anima mea gravata ponderibus peccatis meis, die noctuque omnipotentem Deum, & etiam Dei Genitrice Maria, vel beatissimi Sancti Petri & Pauli seu Anastasii .... nimis peccator de vinculis penarum eripere dignetur, & inter Sanctis & electis suis aliqua parte vel societas tribuere jubeat, quia scriptum est per eloquium & ministrationem Domini nostri Ihesu Christi*: Petite, & dabitur vobis: querite, & invenietis D *....... Pro ideo ego miser & nimium peccator creditur in ejus magna misericordia, qui est pius Dominus, & Redemptor omnium celi & terre, de parvitatis mea terrenis tribuendum ad ipsa sancta virtute nominis beatissimi Sancti Petri & Pauli seu Anastasii celeste gaudium .... conjuge mea Perterada carnale vitio fuerit consecuta, & in ipso Senodocio vel Monasterio noluerit deservire, nulla de rebus meis avere debeat, nisi vacua & inane exinde foris exire deveant, ambulando ubi voluerit; & forsitan filia ..... rio deservire ..... cum portione* E *sua vadat, ubi voluerit, amplius de rebus meis vel in ipso Monasterio nulla posset avere, vel inperative facere. Nam si inivi permanserit, omnia cum supradicto Rectore vel Genitrice, atque Conjuge, vel ..... Dominus vitam concesserit in hunc exilium Mundi avitandum, omnia mea sit potestate regendum, remeliorandum, usufructu capiendum. Nam non ad secularibus pro nullo ingenio subtrahendum, nisi pro anima mea ..... demittendum ...... mihi heredes esse deveant, secundùm Lex gentis nostre. Et ipse Senodochio in sua aveat potestate, vel quod pro ipso inibi fuerit ordinatum. Et si ad secularibus voluerit permanere, portionem sua suscipiat, & in ipso Monasterio nulla imperatione ..... ordinatione justa Domino fuerit ordinatum, & quod a me optandum, idest si sine filiis masculis transiero, & antea de hac luce migratus fuero quàm ipse sanctum & venerabile locum consecratum sit, volo atque decerno, ut ipso Oratorio vel Senodochio jam dictum .... conjuge, seu sorore, & filia mea, & omnia medietatem rebus meis, que inivi condonare visus sum, diebus vite sue aveat potestatem. Et post ovito eorum, qui per ipsi inivi fuerit ordinatus; & Servi vel Ancillas meas .... mea liveri demittend ..... ratum sic in ipsi livertas permaneat, sicut* Princeps Dominus noster bone memorie Luiprandi Rex *per edictum confirmavit, & iterum confirmare previdi, ut sub nullius ...... Ecclesia .... subjacentem ipsum seu Oratorium vel Senodochio parvitate ...... Dominico Abbas per me inivi positus, & ipsa Genitrice atque Conjuge, seu germana, atque filia mea in sua avet potestatem diebus vite sue, aut Fratri vel Sorori, qui per ipsi inivi positi fuerint, vel postmodum unus quisquis secundùm Deum electis spiri ..... & per scelera mea Dominum deprecandum. Nam per nullo titulo malum hominem alienandum, aut per corruptionem inivi alio super ponendum, nisi quem ille voluerit, qui inivi fueri ordinatus. Et nullus de heredibus proberedibus meis quandoque aliqua posses .... petuis temporibus stavilitum permaneat. Et qui contrarius hanc Cartulam, vel ipso Monasterio, aut sanctum Senodochio ire quandoque presumpserit, aut eam irrumpere voluerit, inprimis in ira Dei, & omnis virtutis celorum, Archangelorum, Angelorum ..... Scarioth, qui tradidit Dominum nostrum Jesum Christum, & in tartaro sit conscriptum. Ecce, ut mea fuerunt desideria, adimpleri, & Avondus Notarium scrivere rogavi.*

Actum Pistoria, Regnum & Indictione suprascrita, feliciter.

Signum manus ....

.... fredus Medicus rogatus ad Ratperto manu mea propria teste subscripsi.

Ego Lazarus rogatus a Ratperto manu mea testi subscripsi.

Ego Rachiperto rogatus ad Ratperto testis subscripsi.

Signum manus Maurelli quondam filio Statar ....

Signum manus Anselmi quondam filio Barafula, testis.

Signum manus Tatoni quondam filio Fusoni, testis.

Ego Avondus qui supra scriptor bujus Cartule,

tule, post a testibus rovorata, & tradita ipsius Abbas presente Andrea filio . . . . . .

Ego . . . . Domni Karoli Anno Regni ejus Quarto *per Indictione Prima complevi & dedi.*

Ego Gausperto Notarius, sicut in autentica inveni scriptum, fideliter exemplavi.

Ego Gualbertus Notarius & Judex sacri Palatii scriptor, autenticum illud vidi, & legi: sic inibi continebatur, quomodo in hoc exemplo scriptum est, præter plus minusve, & manu mea propria scripsi.

Quid sit quod Charta scripta dicatur *Anno IV. Ratchis*, ac Tabellio in fine *Karoli Annum Quartum* memoret (quod etiam mendosam Indictionem præferre videtur) perpendant Eruditi. Fortasse Caroli M. tempore veterem Chartam ab Avondo exaratam alter Notarius descripsit. Ego ad alia progredior. Quamquam hujus Monasterii conditor scribat, se illius Rectorem constituisse *Dominicum Abbatem*, satis tamen prodit, non Monachorum, sed Sanctimonialium illud fuisse domicilium, quum in eo locum futurum velit Matri, Germanæ, Conjugi, ac Filiæ suæ. Itaque *Rector* non aliud ibi significat, ut puto, nisi *Oeconomum*, & qui curam redituum gereret. Alterum exemplum vide in Diplomate Nonantulano Ludovici Pii Anno DCCCXIV. Dissertation. XXI. *de Italiæ Statu*. Præterea animadverte, Xenodochium Parthenoni huic in agro Pistoriensi fuisse adjunctum, *ad egenos vel pauperes recipiendum, & elemosina tribuendum, & guvernandum per ebdomata una pauperes, vel peregrinas animas*. Bina alia Monasteria in eodem Pistoriensi agro olim sita prodet nobis Charta, cujus apographum ante annos quingentos, ut mihi videbatur, scriptum reperi apud nuper laudatos Canonicos Regulares antiquissimi Monasterii Sancti Bartholomæi Pistoriensis.

Donatio Monasteriorum Sancti Silvestri & Sancti Angeli facta ab Aidualdo Presbytero & Monacho Monasterio Sancti Bartholomæi Pistoriensis, Anno 764.

IN nomine Domini Dei nostri Jesu Christi. Die Nono, Mense Julio, Anno Regni Domni Desiderii, & Adelgis Regi *Anno Octavo & Quinto, per Indicione Secunda, feliciter. Dum in hunc exilio hujus seculi avitare meruimus, opportunum est enim cogitare de Dei omnipotentis misericordia, & remissione animarum nostrarum, quatenus nos de vinculis penarum Dominus ac Redemptor omnium indulgentiâ pietatis sue condonare dignatus est, & ad vera luce luminis pietatis sue inter Sanctis & electis ejus parte aliqua vel societas invenire mereantur; quoniam quidem magno consilio est Seculi relinquere, & ad sanctis, & ad veneravilibus locis nos commendare, ut dum ultima die cum vinerit, ut nos in suis judiciis electionis ostenda, ut novis peccatoris preveniat salutem & remedio anime. Ideo in Dei omnipotentis nomine ego* Aidualdu quondam Presbiter de Monasterio Sancti Silvestris, qui est sito prope muro Civitatis nostre Pistorie juxta Ecclesiam sancti beatissimi Bartholomei, *dum mihi divina adveniente inspiratione introëndi in avito Sanctorum Monachorum inter alius Frater quatenus me consideravit, & pertractavit de* Monasteria beatissimorum Silvestris, *atque* beatis sancti Angeli, qui est sito locus, qui appellatur Monticunule prope flubio Neore, *quem Felicissimo Presbiter, seo Geminiano a fundamenta erexerat, seu & Totone, & Ratpert, Aupertu germani in suo privilegio edificaverunt: modò viro ego qui supra Aiduald Presbiter do, dono, trado atque offero, do, datumque esse volo tam ipse predicte Monasteria Sancti Silvestris & Sancti Angeli omne rebus substantia de quidquid ubique modo a presenti die ad ipse Sanctorum loca pertenere denuscetur, & una in antea Deo protegente ividem condonaverit in Lujato, ivi quod exinde fuerit, aut quod ad ipsi sanctis & venerabilibus locis datum vel autfertum fuit, quomodo ividem esse videntur, omnia & in omnibus in Lujato offerre visus sum ad Ecclesiam beatissimi Sancti Bartholomei; in tali vero tenore, ut omnia res ipsa una cum ipsa Monasteria, sicut Regula Sancti Benedicti condoce esse debeat, in tali enim juro capeculo at una per ordinationem de ipso Monasterio beatissimi Sancti Bartholomei, vel de ejus Rectoribus quomodo est, vel imposterum fuerent, ut predicte Dei Ecclesie, ut qui ividem per ipsi ordinatum fuerit pro sancto judicio Canonica vel sancta Regula esse deveat,* ut quatenus egenus, vidua, pauperibus elemosinas faciendum *pro remissione animarum Felicissimi, Geminiani Presbyter, qui tunc antea presens fuerat de ipse Monasteria seu & Autperti, Tatoni, Ratperti, vel nostra facinora, ut novis minime perveniat ad condonationem omnia ut supra decrevi, volo ut ipsi sancti Monasterii beatissimi Bartholomei, vel ejus deservientibus, qui modo sunt, vel in posterum fuerit, firmiter possedire, avire deveas; ut quatenus ab hac die ut non ego qui supra Ajualdu Presbiter, non aliquis de heredibus atque posteris mei unquam ullo tempore aliqua possit inferri molestia, neque molestandum, neque per ullo argumento, ingenio exinde aliquid subtraëndum, neque ad alia Ecclesia, neque ad Secularia, nisi tantùm perpetuis futuris temporibus firmum & stavilitum permaneat ad ipso sancto Monasterio beatissimi Sancti Bartholomei, sicut supra decretum est. Ecce ut meis taliter fuirunt desideri, erga me adimplevit, & ne mihi liceat facere ullo tempore nolle, quod voluit; sed quod a me facto vel confirmato, inviolabiliter confirmare promitto. Quam virò Cartula remissionis rerum dotalium Lucio Notario scrivere rogavit.*

✠ *Ego Ajualdu Presbiter, qui hanc Cartulam dotalium fieri rogavi, & manu mea propria subscripsi.*

✠ *Ego Teudeat Presbiter rogatus ad Ajualdu Presbiter, testis subscripsi.*

Signum manus Tanichisi quondam Tanolfi, rogatus testis subscripsi.

✠ *Ego Guidolfo rogatus ad Ajaldu Presbiter, testis subscripsi.*

✠ *Ego Gumperto Diaconus rogatus ad Ajaldu Presbiter, testis subscripsi.*

Signum

Signum ✠ manus Liutperturi quondam Arichisi rogati testis.

Signum ✠ manus Guinefredi quondam Guilifredi rogati testis.

Ego qui supra Lucio Notarius scriptor huic Cartule, post a testibus roboratam, tradita complevi & dedi.

Ego Gualbertus Notarius & Judex sacri Palatii, scriptor, autenticum illud vidi & legi, A *unde hoc exemplar exemplatum est, & quod inibi scriptum inveni, fideliter exemplavi.*

Sed & aliud Monasterium, prope mœnia Pistoriensis Urbis constructum, commemoratum videas in subsequenti Charta, apud supra laudatos Canonicos Regulares a me conspectâ in vetustissimo apographo.

Monasterium Sancti Michaëlis ab Austriperto genitore suo fundatum, Fermus Clericus subdit Monasterio Sancti Bartholomæi Pistoriensis, Anno 775.

I*N nomine Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, die Decimo, Mense Decembrio, Regnante* Domno Karolus Rex Francorum & Langobardorum, *que in Italia Papia Civitate ingressus est, Anno Secundo, per Indictione Quartadecima, feliciter.* Fermus Clericus filio quondam Austripert, *dum me previdisse in infirmitate positum, mens mea decreta in omnibus recte loquendum, manifestus sum, eo quod antea jam plures tempus judicavi, & per scripti confirmavi in te* Dominicus quondam Abbas Monasterii Sancti Bartholomei, *Monasterii, quas bone memorie Austripert genitor meus in suis privilegii nomine dedicavit* foras muro Civitatis nostre Pistoriense, *vel res inivi firmata, set menime poteo Cartulas ipsas jungere: iterum in te jam dicto Abbas per hanc Cartulam confirmo* ipso Monasterio, qui per ipso Genitore meo fuit constructum, adque in onore Domini, & Sancti beati Archangeli Michaëli dedicatum, *vel omnes res inivi firmata una cum omne rebus & pecuniola mea, quicquid in fine Paciana avere visus sum tam de conquisto vel ondecumque inivi avere videor, una cum omnia ipso Monasterio vel res impertinente, excepto Casa & portione, quam Canduloni & Vitali que Gumpertulo & Taculo, omnia in sua proprietate & libertate avendas faciendum, vel avendum quicquid, aut in quale Lex voluerit, quicquid per ipsi factum fuere, omni tempore in sua permaneat stavilitate, eoque pro benigno servitio eorum, qui erga me impendere visi sunt, ita eorum a me datum, vel pro animabus mei firmare previdi. De alia autem res mea in suprascripto loco Pacciana, una cum suprascripto Monasterio, vel res inivi firmata omnia & in omnibus in integrum in te jam dicto Domenicus quidem Abba confirmo, si me omnipotens Dominus de infirmitate ista advocare jusseri, in omnia secundùm Deum ordinandum vel peragendum pro animabus nostris vel de parentibus meis quidquid melius, aut secundùm Deum appari fueri* B *ordinandum elemosinam, si tum tu, vel qui pro te inivi fuerit ordinandum, in vestra sit potestate tam ipso Monasterio vel res omnia suprascripta quantum melius & secundum Deum previdi pro animabus nostris dispensandum, vel si alique injudicatum reliquero, simili modo omnia pro anima mea tribuatur, sic tamen si michi omnipotens Dominus prestare jusseri evadendum, omnia & in omnibus in mea sit potestate avendum, ordinandum, faciendum exinde quicquid voluero, aut mihi bonum fuerit. Quam virò Cartula, sicut mihi complacue, in te Gaupertus Notarius scribere rogavi.*

Actum Pistoria aput ipso Monasterio, Regnum & Indictione suprascripta.

C *Signum ✠ manus Fermoni, qui hanc Cartulam fieri rogave, & propter infirmitatem suam menime potue subscribere.*

Ego Guilipadu rogatus a Fermo Clerico, testis subscripsi.

Ego Lazarus Diaconus Notarius rogatus ad Firmus Clericus, testis subscripsi.

✠ Ego Gisilari rogatus ad Firmo Clerico, testis subscripsi.

✠ Ego Martinus Presbiter rogatus ad Firmo Clerico, testis subscripsi: & hoc rememorare previdi, ut quidquid in omnibus meis aliquid dedi aut largivi per scripti, ut omnia in sua permaneat stavilitate.

Ego qui supra Gautpertus scriptor bujus D *Cartule, post a testibus rovorata, tradita complevi & dedi.*

✠ Ego Gualbertus Notarius & Judex sacri Palatii, scriptor, autenticum illud vidi & legi, unde hoc exemplar exemplatum est, & quod inivi scriptum inveni, fideliter exemplavi.

Nulla tamen Charta uberius edocere nos possit, quanta olim foret ejusmodi ruralium Monasteriorum copia, quàm quæ authentica mihi oblata est in Archivo Archiepiscopii Lucensis, cujus ecce verba.

Charta

Charta Saximundi Diaconi, per quam Johanni Lucenſi Epiſcopo ſuam portionem affert in variis Monaſteriis, Anno 793.

IN *Dei nomine. Regnante* Domino noſtro Carulo Rege Francorum & Langobardorum, *Anno Regni ejus, quo Langobardiam cœpit, Nonodecimo, & filio ejus* Domino noſtro Pipino Rege, *Anno Regni ejus Duodecimo, IX. Kalendas Februarias, Indictione Prima. Manifeſtum eſt mihi* Saximundo Diacono *filio bone memorie Gumperti, quia per hanc Cartulam, pro remedio anime mee, diſpenſare prevideo & omnibus rebus &* Monaſteriis *& hominibus meis. Sic namque volo adque inſtituo, ut tu* Domnus Johannes, *in Dei nomine hujus* Lucane Eccleſie Epiſcopo, *ſeu Succeſſores tui, vel cui tu hanc Cartulam ad exigendam & diſpenſandam dederis, poteſtatem abeatis pro remedio anime mee venundare & diſpenſare debeatis portionem meam de Caſis & omnibus rebus illis, quas cum germanis meis ab Teuſelmo Diacono comparavimus eas, aliquid & ipſis rebus abſque monimine abeamus, que mihi pertinere debetur vos, & ipſam rem licentiam habeatis requirendi, & pro anima mea diſpenſandi qualiter vobis melius apparuerit in omnibus in tua ſit poteſtatem faciendi qualiter volueris. Et portionem meam de* Monaſterio Sancti Petri, *ſive portionem meam de* Monaſterio Sancte Marie in loco Gurgite; *& ipſum ſupraſcriptum Monaſterium Sancti Petri eſt fundato à ſupraſcripto Teuſelmo Diacono in* Vico Gundualdi, *ubi eſt Caſa abitationis fratrum meorum. Similiter & portionem meam de* Monaſterio Sancti Andree in loco Blentina, *necnon & portionem meam de* Monaſterio Sancte Petronille in loco Curtogia, *& portionem meam de* Monaſteriolo Sancti Quirici in loco la Terraria prope Veriana: *ut dixi, portionem meam ex omnibus de prefatis Monaſteriis una cum omnibus Caſis & rebus movilibus atque immovilibus ſeu ſemoventibus, qualiter mihi pertinere videntur, una cum portionem de aliis Monaſteriis meis cum rebus ſuis do & confirmo adque conſtituo eſſe in poteſtate tua Domnus Johannes Epiſcopus; gubernando, ordinando, & faciendo qui & qualiter volueris in omnibus, in tua ſint poteſtatem: & qualiter poſt deceſſum meum de predictis Monaſteriis judicaveris vel ordinaveris ſive diſpoſueris eſſe, iſtabili ordinem permaneat ſemper. Et homines meos Servos & Ancillas, Aldiones atque Aldias, quanti a me injudicati aut remanſerint, ſive illi homines, qui mihi a germanis meis competunt, in tua ſint poteſtatem pro remedio anime mee eos libertandi ab omni vincolo ſervitii per abſolutio-*

A *nis Cartulas ad jus patronati abſoluti permaneant. Et omnia ſcerpa ſive notrimina mea majora & minora in tua ſint poteſtatem pro me diſpenſandi. Et dum ego advixero, omnis ſupraſcripta res & Monaſteria cum rebus ſuis in mea ſint poteſtatem regendi & uſumfructuandi tantum. Et quis de meis heredibus contra hanc Cartolam agere aut cauſare aut intentionare ſeu diſrumpere preſumpſerit per quolibet ingenium aut per ſummiſſum hominem ſit componiturus ipſe & mei heres tibi Domno Johanni Epiſcopo, ſeu Succeſſoribus tuis, ſive cui vos anc Cartulam ad exigendam vel diſpenſandum dederitis ipſam prefatam rem, ſive predicta Monaſteria cum rebus ſuis omnia in triplo meliorata in ferquidem loco ſub eſtimationem, ſive ipſos homines, cum quibus aut quales tunc fuerint.*

B *Et neque a me, neque a meis heredibus, neque a nullo homine aliquando preſens hec Cartulam poſſe diſrumpi, ſed & poſt datam compoſitionem in ſuo rovore firmiter permaneat, quia in omnibus taliter mee complacui voluntati, ut nulli liceat nolle, quod ſemel volui. Et Gumpertum Presbiterum ſcribere rogavi.*

Actum Luca.

Ego Saximundu Diaconus in hac Cartula a me facta manu mea ſubſcripſi.

Ego Alipertus Presbiter rogatus a Saximundo Diacono, me teſte ſubſcripſi.

C *Ego Rachiprandus Presbiter rogatus a Saximundo Diacono, me teſte ſubſcripſi.*

Ego Alprandus Presbiter rogatus a Saximundo Diacono, me teſte ſubſcripſi.

Ego Rachiprandus Clericus rogatus a Saximundo Diacono, me teſte ſubſcripſi.

Ego Ardiprandus Clericus rogatus a Saximundo Diacono, me teſte ſubſcripſi.

Ego Gumbertus Presbiter poſt traditam complevi & dedi.

Siſtunt heic ſe nobis Monaſteria complura in uno Comitatu Lucenſi conſtructa, nempe *Sancti Petri in Vico Gundualdi, Sanctæ Mariæ in loco Gurgite, Sancti Andreæ in loco Blentina, Sanctæ Petronillæ in loco Curtogia, & Monaſteriolum Sancti Quirici in loco la Terraria:* vulgarem Linguam in poſtremis hiſce verbis animadverte.

D Alterius etiam Monaſterii prope mœnia Civitatis Lucenſis conſtructi memoriam exeramus, quam in tabulis, non tamen autographis, ejuſdem Archiepiſcopii Lucenſis vidi.

Cessio Monasterii Sancti Petri in pomœrio Civitatis Lucensis ædificati, facta Peredeo Episcopo Lucensi ab Ermiperto Clerico, servato sibi tantùm illius usufructu, Anno 763.

IN *Dei nomine*. *Regnante* Domno nostro Desiderio Rege, *Anno Regni ejus Sexto*, *& filio ejus idem* Donno Adelchis Rege, *Anno Regni ejus Quarto*, *XIV. Kalendas Martias*, *Indictione Prima*. *Manifestum est mihi* Ermiperto Clerico, *quia ante hos annos sancte recordande memorie* Aistolf Rex per suum cessionis preceptum donavet & confirmavet Ecclesia & Monasterio Sancti Petri, fundato a quondam Sumuald hic prope muro hujus Civitatis, cum omnia ividem pertinente in integrum, Auriperti Pictori germano meo, *ut in ejus esset potestate regendi, gubernandi, usufructuandi, & ordinandi, qualiter ei placitum fuerit. Et postea per Cartolam donationis me in ipsa Ecclesia & Monasterio Sancti Petri in omnibus ordinare & confirmare visus est secundùm qualiter eum, ut dixi, bone memorie* Aistulf Rex *in ipso Monasterio confirmavit, nisi diebus vite sue usufructo de ipso Monasterio in suo reservavit dominio. Et ego petii Excellentissimo* Domno meo Desiderio Rege, *ut per suum Preceptum predictum donationis & firmationis me pagina confirmaret. Ita factum est. Nunc verò presenti per hanc pagina bona mea voluntate, qualiter jam dicto germano meo in me ipsa Ecclesia & Monasterio Sancti Petri confirmavet, similiter & ego confirmare prevideo, &* Domno *meo venerabili* Peredeo Episcopo *in ipsa Ecclesia & Monasterio, ut cunctis diebus in tua, & de Successoribus tuis sit potestate ividem, ordinatione, & . . . . . ratione faciendo in omnibus, qualiter Deo, & vobis recte & melius apparuerit. Nisi tantùm volo atque instituo, ut dum ego advivere meruero, in mea sit potestate regendi, imperandi, & usufructuandi, tantùm non in alio homine, aut in Ecclesia . . . . confirmando, nisi ut supra dixi. Post meo decesso in omnibus in tua & de Successoribus tuis sit potestate ipsa Ecclesia & Monasterio Sancti Petri, & omnia ividem pertenente regendi & ordinandi, qualiter vobis placuerit &c.*

Ego Ermipert Clericus in hanc firmationis pagina a me facta, sicut supra legitur, manom mea subscripsi & confirmavi.

Ego Rachiprandus testis rogatus ad Ermiperto Clerico in hanc pagina manu mea subscripsi.

Ego Petronaci Clericus rogatus ad Ermiperto Clerico in hanc pagina me suscripsi.

Ego Osprandus Diaconus post tradita complevi & dedi.

Ego Gumpertus Presbiter ex autentico fideliter exemplavi.

Hinc habemus, tum Ecclesias, tum Monasteria temporibus iis non solùm jure Patronatus ad institutorem spectasse, sed etiam in morem Allodiorum fuisse possessa ac alienata. Monasterium istud a Sumualdo fundatum *Aistulphus Rex per suum cessionis Præceptum donavit & confirmavit Auriperto Pictori*. Tum Auripertus *Ermiperto Clerico* fratri suo illud idem, servato sibi usufructu, concessit ac donavit: quam donationem per *suum Præceptum* confir-

A mavit *Desiderius Rex*. Denique Ermipertus eumdem sacrum locum, usufructu itidem reservato, *Peredeo Episcopo* tradit ac donat. Ita Anno Christi DCCCCXCIX. *Gherardus Lucensis Episcopus Mijoni Abbati Ecclesiæ & Monasterii Domini & Salvatoris*, positi in Sexto, libellario ordine concedit *Ecclesiam & Monasterium Sancti Michaëlis Archangeli, positum in loco Verruca, quod est sub regimine & potestate Episcopatus Sancti Martini*, ita ut ipse Abbas, ejusque Successores ibi peragant *Officium Dei, & Missam, Luminaria & Incensum* curent, & quotannis Ecclesiæ Sancti Martini persolvant *argentum Solidos octo bonorum Lucensium*. En ergo non levem copiam

B Monasteriorum ruralium vel ipsis vetustis Sæculis. Attamen dissimulare nihil volo: certum minime est mihi, quid sub nomine *Monasterii* Chartæ hactenus evulgatæ significent. Nulla in eis mentio Monachorum, nulla Abbatis, nulla Regularis vitæ. Ac proinde dubitare subit, num diversa a Monachorum domicilio fuerint ejusmodi Monasteria. Certe sub variis significationibus usi sunt hac voce veteres. *Monasterii* nomine donatas simplices Ecclesias, aut Parochiales, adnotavit Du-Cangius in Glossario. Præterea Agnellus in Vitis Archiepiscopor. Ravennat. Part. II. Tomi I. Rerum Italicar. in Vita Sancti Maximiani scribit: *Ad latera ipsius Basilicæ Monasteria parva subjun-*

C *xit*. Quare doctissimus Bacchinius in Observationibus ad easdem Vitas pag. 70. *Basilicas* a *Monasteriis* distinguebat, inquiens, ea appellata fuisse Monasteria, *quæ quidem divino cultui dicata erant, sed Privatorum quodammodo usui inserviebant, nec publicis utriusque sexus Christianorum conventibus patebant: quod Basilicarum juris erat. Oratoria, seu Sacella alii dixere.* Tum addit, in circuitu Basilicæ Vaticanæ ejusmodi Monasteria fuisse olim constructa. Et profectò, uti supra vidimus, nonnulla ex Monasteriis hactenus recensitis sita fuere prope aliquam Basilicam. Verùm ne sic quidem nodus solvitur, quum Anastasii verba pridem a me laudata evincant,

D in Romanis iis Monasteriis *Monachos* habitasse. Num ergo *Monasterii* nomen Lucensibus & Pistoriensibus hucusque enumeratis inditum ideo fuerit, quod ibi unus saltem Monachus habitaret? Ex Cassiano, Hieronymo, aliisque vetustis Scriptoribus discere licet, *Monasteria* appellata fuisse *Cellas*, in quibus unicus degeret Monachus. De *Cellis* istis infra erit sermo. Atqui & hoc ipsum affirmare ego non ausim, quum in prælaudato Lucensi Archivo Chartam inspexerim, exaratam *Anno XXVI. Karoli Regis Francorum & Langobardorum, & Patricii Romanorum, & Anno XIX. Pippini Regis ejus filii, Octavo Kalendas Februarii, Indictione Octava*: hoc est, Anno reparatæ

E Salutis DCCC. In qua *Hilprandus humilis Abbas, filius quondam Alperti, Ecclesiæ Sancti Martini Confessoris Christi in Urbe Lucensi, ubi est domus Episcopi, offert Monasterium suum Sancti Petri, situm in loco Sumua*

A cum ſuis bonis , ſervato ſibi , ac Alberto Clerico filio ſuo , dum in vivis erunt , ejuſdem Eccleſiæ ac bonorum uſufructu. Si heic ſermo eſſet de eodem Monaſterio Sancti Petri , quod in Charta Anni DCCLXIII. ſupra deſcriptâ dicitur *fundatum a quondam Sumuald* , haberemus *Abbatem* eidem ſacro loco præfectum , ac proinde Monachum . Sed mihi res incerta eſt. Contra quum in Charta Anni DCCLXIV. nuper evulgatâ Aidualdus ille donator ſeſe inſcribat *quondam Presbiterum de Monaſterio Sancti Silveſtris* , & continuo ſubdat : *dum mihi divina adveniente inſpiratione introëndi* (ideſt introëundi) *in avito* (nempe in habitu) *Sanctorum Monachorum inter alius Frater* (ideſt inter alios Fratres) : hæc verba indicare videntur , ipſum antea Presbyteri munere præfuiſſe *Monaſterio Sancti Silveſtri* , ac deinde Monaſticâ veſte aſſumtâ adjunxiſſe ſe Monachis Sancti Bartholomæi Piſtorienſis , quibus donat prælaudatum *Sancti Silveſtri Monaſterium* . Quod ſi Monachorum domicilium illud non fuit , dubitatio ſuccedere poteſt, an Canonicorum fuerit . In Concilio Arelatenſi VI. Anni DCCCXIII. decernitur, *ut non amplius ſuſcipiantur in Monaſterio Canonicorum , atque Monachorum, niſi quantùm ratio permittit , & in eodem Monaſterio abſque neceſſariarum rerum penuria degere poſſunt* . Idem quoque occurrit in Cap. V. Concilii ad Theodonis Villam habiti Anno DCCCXLIV. Conjecturam hanc juvare poſſe videtur pergamena , B quam archetypam vidi in Cartophylacio ipſius toties laudati Archiepiſcopii Lucenſis .

Taſſilonis Charta, per quam Monaſterium Sanctæ Mariæ prope Civitatem Lucenſem ſitum , regendum tradit Johanni Epiſcopo Lucenſi , Anno 800.

IN *Dei nomine* . *Regnante* Domno noſtro Carulo Rege Francorum & Langobardorum , ac Patricio Romanorum, *Anno Regni ejus , poſtquam Langobardiam cœpit, Vigeſimo Sexto, & filio ejus* Domno noſtro Pipino Rege , *Anno Regni ejus Vigeſimo , V. Kalendas Majas , Indictione Octava* . *Manifeſtum eſt mihi* Taſſilo filio *bone memorie* Gauſprandi , *quia* Monaſterium Sancte Dei Genetricis Marie ſitum eſt a parentibus meis hìc prope Civitatem iſta Lucenſe, juxta Eccleſiam beati Sancti Donati , a quondam Urſo biſavio meo . *Nunc autem ſecundùm Deum de ipſo Monaſterio diſponere prevideo* , ut ad meliorem ſtatu ſecundùm Canonicam inſtitutionem proficiat . *Et ideo per hanc Cartulam ipſum predictum Monaſterium Sancte Dei Genitricis Marie una cum Caſis & omnibus rebus &c. ad ipſum ſupradictum Monaſterium pertinentibus , do & confirmo in prefinito eſſe in poteſtatem & defenſionem adque ordinationem Viri beatiſſimi* Johannis, *in Dei nomine hujus* Lucane Eccleſie Epiſcopus , *excepto unam Ancillam , nomine Theodipergula, quem in meam reſerve poteſtatem* . *Nam alia omnia & in omnibus , ut ſupra dixi , in tua , qui ſupra Domne Johannes Epiſcope , confirmo adque trado eſſe poteſtatem , ut ſemper in tua ſit defenſione & ordinatione* ſecundùm Canonicum inſtitutum *&c. Et ſi aliquando ego, qui ſupra Taſ*- C *ſilo vel heredes &c, Et Rachiprandum Subdiaconum Notarium ſcribere rogavi* .

Actum Luca .

Ego Taſſilo in hac Cartula ad me facta manu mea ſubſcripſi .

Ego Rachiprandus Presbiter rogatus a Taſſilo , me teſte ſubſcripſi .

Ego &c.

Ego Rachiprandus Subdiaconus poſtradita complevi & dedi .

Traditur hoc Monaſterium Lucenſi Epiſcopo, *ut ad meliorem ſtatum ſecundùm Canonicam inſtitutionem proficiat* , & in ejuſdem Epiſcopi ordinatione conſiſtat *ſecundùm Canonicum inſti*- D *tutum* . Non dicit ſecundùm *Regularem inſtitutionem* , non ſecundùm *Regulare inſtitutum* , ſed dumtaxat *Canonicam* & *Canonicum* : atque adeo ſublucere videtur , plures ibi Presbyteros communem vitam ſub uno clauſtro duxiſſe . Attamen ex his ipſis Chartis nihil certi elicitur ad dignoſcendum , Congregationem ullam Canonicorum in iis Monaſteriolis revera habitaſſe . Immo contrarium ſuadere videtur altera Charta eodem Anno DCCC. exarata , atque in ſupra laudato Tabulario adſervata , quam eo etiam titulo producendam ſum arbitratus , quod ibi mentio fit *Wicherami Ducis* Lucæ .

Investitura Ecclesiæ Monasterii Sancti Salvatoris in loco Montione facta a Johanne Episcopo Lucensi Wicheramo Duci, Anno 800.

IN *Dei nomine. Regnante* Domno nostro Carulo, *gratiâ Dei* Rex Francorum & Langubardorum, ac Patricio Romanorum, *Anno Regni ejus, quo Langubardiam cœpit, Vigesimo Septimo, & filio ejus* Domno nostro Pipino Rege, *Anno Regni ejus Vigisimo, VI. Kalendas Augustas. Manifestus sum ego* Johanni *in Dei nomine hujus* Lucane Ecclesie Episcopo, *quoniam* Ansuartu, Ermifridi, Ermualdu, Ansprand, Ermerrisci, *&* Ermulau *in pro . . . . . . fundamentis construxerunt* Ecclesiam Monasterii beati sancti Salvatoris in loco Montione, *& per dotis titulo ibidem de rebus . . . . offeruerunt, & ipsam dotem nullam potestatem heredibus suis ibidem reservaverunt*, & secundùm statuta Sanctorum Canonum . . . . rum Romana Lege devenit in potestate Ecclesie nostre Sancti Martini, *& postea unus heres eorum nomine Teudimarichus per . . . . . . potestate dedit portionem suam de ipso Monasterio, seu & quondam Valerianus Presbiter, qui Rodulus vocatus fuit, qui in ipsum . . . . suprascriptis fundatoribus ordinati fuit per Cartula, quantum exinde pertenuit, potestatem faciendi omnia per Cartulam . . . . . . confirmavit in potestate suprascripte Ecclesie nostre Sancti Martini. Et dum hec omnia factum fuisset, devenit ipsum . . . . Conspeximus ejus edificia esse deserta adque destructa, & in ipso loco non abuimus per qu . . . . cum suis edificiis restaurare deberetur. Propterea consideratus sum una cum ampliore parte Sacerdotum, quorum nomina subter leguntur, ut ipsa Dei Ecclesia ad meliorem statum & reparationem deveniret. Proinde per hanc Cartulam confirmare vidfor ego, qui supra Johannes Episcopus, in te* Wicheramo Dux *ipsam predictam Dei Ecclesiam Sancti Salvatoris, una cum Casis . . . . potestatem abendum, possidendum, regendum, gubernandum, defensandum, restaurandum, & meliorandum in omnibus . . . . Deum* de Sacerdote eum ordinandum, ut ibidem officium & luminaria & Missarum, precum & susceptione . . . . . & assiduas orationes pro vita Domnorum nostrorum Caruli & Pippini clementissimorum Regum faciat, *ut . . . . ationem semper ipsa Dei Ecclesia ad pristinum & meliorem statum proficiat, & per singulos annos in die . . . Domini exinde in hac sancta Ecclesia Episcopatus nostri dare debeatis duo Solido argento. Et si hec omnia vobis adin . . . . vel conservata fuerint, & ego vel successores mei tibi* Wicheramo Duci, *vel jam dictis filiis tuis intentionare aut agere presumpserimus jam dicta Dei Ecclesia vel quascumque res ibidem pertinentes vobis, vel ad illum Sacerdotem, quem vos ibidem . . . . per quodlibet ingenium, aut*

A *per summissum hominem, vel aliquid vobis superimponere quesierimus, & adhuc vobis . . . . . . homine per nos aut per Missum nostrum usque a Lege defendere noluerimus & secundùm textum Cartularum nostrarum, quas . . . . . spondeo ego qui supra Johannes Episcopus una cum successoribus meis componere tibi* Wiccheramo *Duci, vel prenominatis heredibus tuis pena nomine Solidos tricentos. Et si quiscumque homo absque nostro & vestro consilio vobis ea . . . . . tionare aut subtraère quesierit, & nos anc vobis usque ad Legem defendere non potuerimus &c. Et Rachiprandum Subdiaconum nostrum scribere commonui.*

Actum Luca.

B *Ego* Johannes *Jesu Christi servus*, Episcopus, *in hanc Cartulam a nobis factam, sicut supra legitur, subscripsi.*

Ego Deusdona Arcipresbiter manus mea consentiens supscripsi.

Ego Ratchis Presbiter manus mea consentiens supscripsi.

Ego Agiprandus Diaconus manus mea consentiens supscripsi.

Ego Anicus Presbiter manus mea consentiens supscripsi.

Ego &c.

Ego Rachiprandus Subdiaconus post tradita complevi & dedi.

Ego ipse Rachiprandus Subdiaconus ex autentico fideliter exemplavi.

C Verba illa animadverte: *& secundùm statuta sanctorum Canonum . . . . . . rum Romanâ Lege devenit in potestatem Ecclesiæ nostræ Sancti Martini.* Et revera Canones erant, quibus decernebatur, Monasteria sub illius potestate Episcopi esse, in cujus Parœcia sive Diœcesi sita erant: qua de re tamen legenda erunt, quæ afferam infra in Dissertatione LXX. *de Cleri & Eccles. Immunitate.* Heic autem habemus datam *Wicheramo Duci* facultatem *ordinandi Sacerdotem* in ea Ecclesia, *ut ibidem officium, & luminaria, & Missarum, precum & susceptione* (peregrinorum) *& assiduas orationes pro vita Domnorum nostrorum Caruli &*
D *Pippini Regum faciat.* Ergo iis Monasteriis unus tantum Presbyter præfuisse videtur, atque is Sæcularis, non Monachus. In ejusmodi Sæcularium Monasteriorum censum referenda pariter mihi videntur *Monasteria Sanctæ Mariæ Majoris, Sancti Michaëlis Archangeli, beati Petri Apostoli, & beati Salvatoris*, quæ Ingo Episcopus Ferrariensis Anno MX. Capitulo Canonicorum suorum largitus est. Chartam exero, quam ex eorumdem Canonicorum Tabulario descripsit Joseph Antenor Scalabrinius, Rector Ecclesiæ Ferrariensis Sanctæ Mariæ in Bucca, singularis amicus meus.

Donatio

Donatio aliquot Monasteriorum ab Ingone Episcopo Ferrariensi facta Capitulo Canonicorum ejusdem Urbis, Anno 1010.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Pontificatus verò Domni *nostri* Sergii summi Pontificis, & universalis Pape *in Apostolica sacratissima Dei Sede, Anno Primo, Regnante verò* Domno Enrico Rege *a Deo coronato, pacifico, magno, in Ytalia Anno Septimo, die Tercio Mensis Februarii, Indictione Octava, Ferrarie. Ego quidem* Ingo *gratiâ Dei* Episcopus *sancte* Ferrariensis Ecclesie *Episcopii Sancti Georgii Martyris Christi, pro salute & refrigerio anime mee de ..... Canonice Ecclesie Sancti Georgii Martiris Christi, nostri Episcopatus, vobis Gregorio vir venerabilis Archipresbiter, & Petrus Diaconus qui vocatur de Zema, & Brunengo Presbiter & Primicerius Canonica Ecclesie Sancti Georgii &c. Totam & integram medietatem de terra vel de vinea, que ad nostram Ecclesiam pertinet de* Monasterio Sancte Marie Majoris, *cum omnibus ad se pertinentibus, sive in fundo qui vocatur Prerupto, vel in fundo qui vocatur Cocomario, vel in aliis locis, ubi de jure ipsius Monasterii vos invenire potueritis, habeatis. Et insuper* Monasterium *unum integrum, cui vocabulum est* Sancti Michaëlis Arcangelis, *quod est constructum ultra ripam Padi, unde fuit antiqua Civitas, in Villa que vocatur de Pado, cum casis & casalibus, & cum vineis & terris, & cum omnibus ad se pertinentibus. Et alterum* Monasterium *integrum, cujus vocabulum est* beati Petri Apostoli Domini, *quod est constructum infra Civitatem Ferrarie in fundo Tabernoli, cum casis & casalibus, & cum omnibus ad se pertinentibus.* Et alterum Monasterium, *cujus vocabulum est* beati Salvatoris, *quod est constructum in fundo, qui vocatur Tabernoli infra Civitatem Ferrarie cum casis &c. Istis scilicet tribus Monasteriis cum omnibus sibi pertinentibus tam adquisitis quàm adquirendis: & Salinam unam integram cum aliis vasis atque mortario suo, que rejacet in Cumiaclo in fundamento, quod vocatur Sitallo, & pro omnibus aquis piscaritiis, sive cocolariis, que ad nostram pertinent, concedo & largior vobis &c. Et alias res omnes, que ad nostram Ecclesiam pertinent, singula vel diversa posita infra Comitatu Bononiense vel Motinense. Et totam & integram medietatem de Decimis & Primitiis, & terciam partem de Candellis, & totam oblationem de Panibus & de Dinariis, quam offerunt homines, quando celebrant Missam, & totam & integram medietatem de mercato de Ollivo, & totam & integram terram, que olim pertinuit Monasterio Sancti Johannis &c.*

Demetrio Tabellio & Judex hujus Civitatis Ferarie, scriptor hujus pagine &c.

Ex aliis etiam Chartis Ferrariensibus elucet, ad jus ejusdem Capituli spectasse *Monasterium Sancti Stephani, quod est constructum in superiori Burgo. Ambrosius Episcopus* hoc donasse Canonicis reperitur, ibique Sæculares Presbyteri habitabant. Vide rursus nuper memorati Agnelli Vitas Pontificum Ravennatum, & Pauli Scordillæ additamenta in Vita Sancti Jo-

A hannis Archiepiscopi Ravennatis XCV. pag. 214. Part. I. Tomi II. Rer. Italicarum. Ex quibus intelliges, olim fuisse plures in Ravennate Urbe *Abbates*, Presbyteros nempe Sæculares, qui videlicet *Monasteria* regebant, de quibus antea sermo fuit. Agnellus ipse Historicus, non certe Monachus, titulo *Abbatis Monasterio Sancti Bartholomæi* præfuit. Verùm ne sic quidem tenebras tollis. Quæ enim *Monasteria* apud Ravennates occurrunt, antiquissimis temporibus aluisse Monachos videntur, usurpataque demum fuisse a Clericis Sæcularibus, qui propterea *Abbatis* titulum ge-
B rebant. Gregorius Magnus Papa Lib. Quarto, nunc Quincto, in Epistola I. ad Johannem Ravennatem Episcopum scriptâ conqueritur, quod *aliqua loca dudum Monasteriis consecrata, nunc habitacula Clericorum, aut etiam Laicorum facta sint*. Num ergo idem de Lucensibus Monasteriis dicendum? Ad hæc in Vitis Cenomannensium Antistitum a Mabillonio editis, occurrere videas ejusdem generis Monasteriola, in quibus tamen plures, aut unus saltem Monachus residebat. Animadverte, quæ scripserit de Caroli Magni temporibus Auctor Chronici ejusdem Cap. 17. *Triginta*, inquit, *ac sex Monasteriola in ipso Episcopatu Cenomannico erant, quando ipse Gauziolenus*
C *prædictum Episcopatum tyrannicâ potestate adsumsit, in quibus Monachi sub Regula degentes, sancte & regulariter vivebant. Sed quando ipse defunctus est, quod pudet dicere, pauci & quasi nulli in his Monachi remanserunt*. Mirari liceat, quantopere in eo Episcopatu Monachorum industria sese dilatarit. Atqui, ut vides, *Monasteriola* illa pleraque nihil aliud fuere, nisi *Cellæ*, ut apud Monachos loqui mos fuit. Gauziolenus autem improbus Episcopus, ejectis inde sensim Monachis, *Laicis ac Sæcularibus hominibus ipsas Cellulas beneficiario jure possidendas tradidit*. Contra Aldricus inclytus Cenomannensium Antistes sub Ludovico Pio in suis Literis Tom. 3. Miscella-
D neor. Baluzii pag. 77. scribit. *Porro quod multas Episcopales Sedes & matres Ecclesias, diversa Monasteria sub se habere videmus constructa, quæso ne quidam superflue hoc me fecisse asserant, præsertim quum magis pro honore Ecclesie nobis commissæ, & pro lucro animarum, quàm pro facinore humano hoc me fecisse profiteor*. De Lucensibus Monasteriis paria dicere non audeo, quum potius in Chartis hactenus productis *Monasterii* nomen ita usurpatum videatur, ut significaretur per illud Ecclesia cum claustro, in quo habitaret ejusdem Rector, cum suis Clericis, ibique peregrinos plerumque hospitio exciperet. In Capitularibus Caroli Magni occurrunt *Monasteria*
E *Regularia*, hoc est, ubi a Monachis illic habitantibus Regula Sancti Benedicti servabatur, aut servanda erat. Monasteria verò Lucensia *Sæcularia* fuisse videntur, & sine Monachis, ac numerata inter Allodia aut Beneficia Sæcularium, non secus atque Ecclesiæ, quas ipsi Laici proprio jure possidebant, de iis etiam contractus plures instituendo, uti plurima

monumenta in hoc Opere evulgata ostendunt. Audi Legem XII. Ludovici II. Augusti in Additament. ad Leges Langobardor. pag. 161. Part. II. Tomi I. Rerum Italicarum : *De Monasterio, vel Oratorio, quod a proprio domino soli ædificatum est, monere volumus, domino constructori invito non auferatur : liceatque illi Presbytero, cui voluerit, pro sacro officio (qui*

A *illius Diœcesis, & bonæ auctoritatis dimissorias habeat cum consensu Episcopi sui, nec malus existat) commendare, ita ut placita justitia ipsius Episcopi, & obedientia Sacerdotis requirat*. Unum ejusdem consuetudinis exemplum adjiciam, quod mihi suppeditavit sæpe laudatum Lucensis Archiepiscopii Tabularium.

Charta divisionis aliquot Ecclesiarum & Monasteriorum inter Guntelmum & Atripaldum germanos, aliosque eorum Agnatos, Anno 840.

IN *Christi nomine. Breve devisionis facimus nos, Guntelmus & Atripaldo germani, filius quondam Gumperti, qualiter devidimus inter nos & Upperto Diacono barbanus noster, seu & Gundolpertus consobrino noster, filius quondam Gumpaldi, idest Ecclesie &* Monasteria nostra Sanctorum Dei, & Beate Marie, sita in loco Gurgitre, *&* Sancti Petri in loco Turingo, *seu &* Sancte Petronille, *que sita esse ividem in loco* Massa, *cum casis & omnibus rebus ad eusdem Ecclesiis pertinentes in integrum; unde in ista sorte ponimus in primis Ecclesia nostra Sancte Petronille, sita in eodem loco Massa, cum casis & omnibus rebus ad eadem Ecclesia pertinentes, cultum vel incultum in integrum insimul cum casis & omnibus rebus,* C *quantas & quale nobis pertinent de suprascripta in Ecclesia nostra Sancte Marie in eadem loco Massa, cultum vel incultum in integrum; seu & per nostra illa, quanta nobis pertenit de suprascriptam Ecclesiam nostram in prenominato loco Massa, cultum vel incultum in integrum ex campo nostro illo, quas habemus ad super Parutiano, qui pertinuit de ipsam Ecclesiam Sancti Petri, que vocitamur prope ad Campolongo in integrum; simulque & unam alia petia de terra nostra, que fuit vineam superposita, quem modo Hildipertula abet ad manum sua, quas habemus prope Parutiano, qui pertinuit de memoratam Ecclesia Sancti Petri in integrum. Hec omnia, que superius legitur cum casis & omnibus arbo-* D *ribus, & clausuras suas in integrum inter nos taliter devidimus, quomodo nobis Legibus pertinere videtur.*

Hec devisio facta est Anno Domnorum nostrorum Hludovichi *serenissimi magni* Imperatoris *Vigesimo Septimo, &* Domni nostri Hlotharii *gloriosissimi* Augusti filio ejus in Italia *Octavodecimo, VI. Idus Mensis Augusti, Indictione Tertia. Unde inter nos tres breves devisionis Teutprandum Notarium scribere rogavimus.*

Actum in loco Versiciano.

Signum ✠ ✠ manibus Guntelmi & Atripaldi germani, qui hunc breve fieri rogaverunt.

Ego Ilpolsu rogatus ad suprascripti germani me teste subscripsi.

Ego Andreas rogatus ad suprascripti &c.

Ego Liuderamus rogatus &c.

Sed quamquam in censum Regularium Monasteriorum, ubi Monachi degerent, minime inferre velis, quæ hactenus enumeravimus, nihilominus certum est, non defuisse temporibus iis Monasteriola a paucis Monachis exculta. Quam in rem duo maxime nobis erunt consideranda Quod antequam edisseram, animadverto, antiquioribus præcipue Sæculis, ac diu post, singula Monasteria (excipe, si vis, pau-

B ca : non impedio) nullum alium Superiorem agnovisse, nisi proprium Abbatem, qui vel Episcopo, vel Metropolitæ, vel Romanæ Sedi unice parebat. Nondum enim institutæ erant Congregationes, quæ plura Monasteria, pluresque Abbates sub uno capite conjungerent. Itaque nil rei, nil juris antiquitus erat uni Monasterio in alterum Monasterium, aut uni Abbati in alterum Abbatem. Solicitâ ergo curâ quisque Abbatum studebat, ut suo Monasterio majorem in dies potestatem, plures opes, plura latifundia, ac ampliorem dominationem & famam compararet. Ac proinde quod postremis hisce Sæculis quorumcumque Ordinum Religiosorum alumni anxie fecerunt & faciunt, faciebat olim peculiare quodlibet Monachorum Monasterium. Videlicet Abbas & Monachi cujusque Cœnobii curabant, ut sibi in quotquot poterant, Urbibus, Oppidis, ac Villis, esset domicilium aliquod, Ecclesia, Curtis, aut prædium, uni suo Monasterio subjecta. Nos nunc numeramus in una Urbe aut Oppido multas Religiosorum hominum Familias, sed Ordinis diversi. Tunc in una Urbe, ejusque agro, plura domicilia, aut Ecclesiæ numerabantur, sed ejusdem Ordinis Benedictini, quæ aut a suo Abbate regebantur, aut alteri suberant Abbati, in remotis interdum locis commoranti. Familiare est in Monastica Historia *Cellarum* nomen. Nihil aliud fuere, quàm ejusmodi Monasteriola, ubi nonnumquam plures, sed sæpius pauci Monachi degebant sub uno Priore. In Aquisgranensi Concilio Anno DCCCXVII. inter statuta pro Monachis, Cap. 44. decretum fuit, *ut Abbatibus liceat habere Cellas, in quibus aut Monachi sint, aut Canonici. Et Abbas provideat, ne minus de Monachis ibi habitare permittat, quàm sex*. Sub nomine etiam Cellæ venisse interdum reperimus non infima Monasteria. Cellæ autem rurales *Obedientiæ* interdum appellatæ sunt. Atque ejusmodi Cellas cum in Urbibus, tum ruri, pleraque Monasteria, ac præsertim celebriora, possidebant; ac præterea Ecclesias permultas, quas Presbyteris Sæcularibus regendas, consentiente Epi- E scopo, tradebant; atque apud eas sibi jus saltem hospitii servabant, quum ferret occasio. Nam uti aliquot nostrorum temporum Ordines Religiosi nihil non agunt, ut in singulis Urbibus Monasterium sui cœtus, aut saltem domicilium sui juris habeant, quo divertere possint, quoties illac iter agunt, veluti domi suæ ubique esse cupientes; ita & veterum Sæculorum Abbates & Monachi, ubicumque poterant, Monasterium sibi subjectum, aut Cellam, aut Ædem sacram, aut saltem prædia & domos conquirebant, ut ibi, quum se offerebat occasio, hospitari, & dominum agere sibi liceret.

Au-

Auctor est Leo Marsicanus Lib. 2. Cap. 62. Chronic. constructam fuisse a Casinensibus Monachis *intra Cajetanam Civitatem Ecclesiam*, terrâ sibi concessâ ab Episcopo ejusdem Civitatis, *ut si quando gratiâ emendi aliquid inibi eos proficisci contingeret, proprium, ubi hospitarentur, locum haberent*. Id & ab aliis Monasteriis summo studio per emissarios suos in quibuscumque locis procuratum. Propterea nulla erat Civitas, quæ aut intra mœnia, aut in agro suo non complecteretur multas *Cellas*, *Ecclesias*, *Cortes*, fundos, ac domos ad varia Monasteria, eaque Ordinis unius Benedictini, aut Canonicorum Regularium spectantia. In iis autem Cellis, ut dixi, interdum Conversus unus, aut Monachus unus habitare consuevit; sed sæpius unus *Prior*, & aliquot interdum sub

A eo Monachi. Hinc *Prioratus* appellatæ eædem Cellæ. Sub ditione insignis Monasterii Benedictinorum Ticinensium Sancti Salvatoris posita erat *Curtis Melaria*, nunc ultra Padum in Ferrariensi agro sita, vicus non contemnendus. Infestabant ejusdem Curtis Sylvam homines *de Reveri*, quod nunc nobile Oppidum est cis Padum, Mantuanæ Civitati subjunctum. Quod in ista Curte *Cella* foret, e Ticinensi Cœnobio Sancti Salvatoris pendens, propterea *Prior* eidem Curti perpetuò præerat, ejusque mentio est in Charta Mathildis inclytæ Comitissæ, quam autographam adservat, mihique communicavit Comes Brandulinus de Brandulinis Patricius Forolíviensis, ex antiqua nobilitate & ingenita humanitate vir mihi multum laudandus.

Sententia Mathildis Comitissæ pro Monasterio Ticinensi Sancti Salvatoris in controversia inter Curtem Melariæ & Castrum Reveri, Anno 1106.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis*. Mathilda *Dei gratiâ, si quid est. Dum olim in Comitatu Veronensi apud Nogariam de multis negotiis, que pre manibus habebamus, comitante Dei gratiâ, justitiam faceremus, venit ad nos* Frater Lutharius Prior Curtis Melarie, *ex parte* Domni Johannis Sancti Salvatoris de Papia *venerabilis Abbatis, querimoniam faciens de quibusdam controversiis a nostris* hominibus de Reveri *injuste sibi illatis. Scilicet nostram clementiam postulans, & clementer exorans, ne Sancti Salvatoris Ecclesie aliquam injustitiam fieri pateremur. De hoc siquidem quod prædicti homines nostri de Reveri referebant, se per totam Silvam Curtis Melarie juste ac usualiter absque omni redditu debere porcos suos pascere, & glandibus & ceteris pascuis retinere. Cujus dignis precibus annuentes, & rem diligentius relatione nostrorum fidelium cognoscentes, tandem invenimus multorum congruo testimonio, quod in illa Silva, que terminatur a Via Sancti Michaëlis de Capite Trognoni usque in Arnariam, & ab Arnaria usque ad Corrigium de Capite Fraxini, violentia, qualiter supra diximus, injuste fuerat predicte Curti Melarie a nostris illata. Notum igitur fieri volumus omnibus nostris fidelibus tam presentibus quam futuris, predictam violentiam a Curte Melarie removisse; & ne aliquis nostrorum intra predicte Silve suprascripta confinia absque consensu illius Prioris, qui pro tempore aderit in Curte Melarie, porcos suos audeat retinere, firmiter precepisse. Ad memoriam itaque posterorum, & nostre anime, ac parentum nostrorum memoriale perpetuum apud Custellum, ubi hoc negocium in presentia* Domni Ugonis *venerabilis* Mantuani Episcopi, *& Ubaldi Judicis de Carpineto, multorumque nostrorum fidelium, plurimum ventilatum est atque discussum, jussimus super hac re fieri præsens videlicet scriptum, nostra auctoritate suffultum, multorumque etiam testimonio roboratum. Si quis autem contra hanc nostre institutionis paginam venire temptaverit, & de hoc, quod fecimus pro remedio anime nostre, predictam Curtem, sive juste sive injuste molestare voluerit, sciat se nostram iram incurrere, & banni nostri penam quinquaginta Libras argenti debere persolvere, medietatem prefate Ecclesie Sancti Salvatoris, medie-*

B *tatem verò Camere nostre, hoc tamen scripto in suo semper robore permanente. Quod ut verius credatur, & futuris temporibus firmius habeatur, proprie manus subscriptione firmavimus.*

MA TIL
DA DI
GRA SI
QD EST
SS.

C ✠ *Ego Ubaldus Judex interfui & subscripsi.*

Actum Anno Dominice Incarnationis Millesimo Centesimo Sexto, V. Idus Januarii, apud Custellum, per manum Frugerii Archipresbyteri, & Capellani.

Testes verò interfuerunt Gubertus filius Gandulfi, Albericus de Nonantula, Gerardus & Ugicio de Herbera, Bosolinus filius Guizoli, Sasso de Bibianello, Ugo Massarius, & Deibertus de Reveri, Johannes Rivarius, Paulus Canevarius, Albertus de Melaria, Albinus, Stephanus, Petrus, Paganus, & reliqui plures.

D Ceterum Monachi minime animadvertebant, quantum imminueretur e tot Cellis, Ecclesiis, & Capellis uni Monasterio subjectis, & per tot regiones diffusis, Monastica disciplina. Quum ad eas regendas unus plerumque Monachus constitueretur, cui nulla amplius erat Monasticæ vitæ ac solitudinis obligatio: quid mirum, si ejus mores sensim ad Sæcularia deflecterent, & Religiosus ardor tamdem tepesceret atque periret? Propterea Sæculo Christi Undecimo Sanctus Johannes Gualbertus, Monastici instituti restaurator, & Vallumbrosani Ordinis conditor, ut est in ejus Vitâ a beato Andrea Abbate Strumensi conscriptâ, Cap. 3. *Prohibuit*

Mona-

Monachos accipere Capellas (ideſt Eccleſias, in quibus Sacramenta miniſtrantur) *ad hoc , quod aliquando a Monachis regi deberent . Canonicorum , non Monachorum , hoc eſſe officium dicebat. Viderat enim , ſub talibus occaſionibus falſæ Obedientiæ multos Monachorum ire per abrupta , & inrecuperanda animarum incidere detrimenta . Nam id , quod duo vel tres Monachi quolibet loco ſub occaſione Obedientiæ abſque præſenti Paſtore morantur , deteſtabatur , & ſuis id facere omnino interdicebat* . Et ſane mirum fuit, quàm longe olim excurreret Cœnobiorum , præcipue inſignium , potentia ac ditio , & in quot Civitatibus & Comitatibus Italici Regni illorum jura nobis occurrant . Exemplum dabo in una Urbe Ferraria . Ibi Cella , ſeu Prioratus Sanctæ Agathæ erat , ad *Padolironenſe Mantuanum Monaſterium* ſpectans : Cella , ſeu Prioratus Sanctæ Agnetis ad *Pompoſianum* : Cella , ſeu Prioratus Sancti Johannis Baptiſtæ , & Eccleſia Sancti Blaſii ad *Nonantulanum* : Cella , ſeu Prioratus Sanctæ Juſtinæ ad *Patavinum Sanctæ Juſtinæ* : Eccleſia Sanctæ Mariæ Novæ ad *Monaſterium Sancti Bartoli* ſive Bartholomæi *Ferrarienſis*: Cella , ſeu potius Monaſterium Sancti Nicolai , quod ignoratur , a quonam Cœnobio penderet : Cella , ſeu Prioratus Sancti Michaëlis , olim ad *Monaſterium Brixellenſe Sancti Geneſii* pertinens . Marcus Antonius Guarinus in Compendio Eccleſ. Ferrarienſ quo nunc utor, hanc *Prioratum* tantummodo appellat , & *ædificatam* ait *Anno DCCCCLIV, traditamque Venerio Abbati Aulæ Regiæ in Bohemia Ordinis Ciſtercienſis , ſedente Romano Pontifice Agapito II. & Conſtantino Epiſcopo Ferrariæ ; ac deinde ab Ingone Epiſcopo conceſſa Brixellenſi Abbati Anno MXIX.* Atqui , ſi Ughellio fides, Conſtantinus Epiſcopus Ferrarienſis florebat Anno DCCCXCII. Ciſtercienſis autem Ordo longe ſerius , ut omnes norunt, ortum habuit. Præterquamquod *Monaſterium Aulæ Regiæ* minime tribuendum fuit Bohemiæ , ſed quidem Comaclenſi agro . Et revera Ferrarienſis Eccleſia Sancti Michaëlis ab eodem Monaſterio *Aulæ Regiæ* olim pendebat , uti fidem facient duæ Chartæ , quas nobis ſervavit Peregrinus Priſcianus in Annalibus Ferrarienſibus MStis , in Bibliotheca Eſtenſi exiſtentibus Lib. 4. pag. 8. & 9.

Conceſſio Eccleſiæ Ferrarienſis Sancti Michaëlis Archangeli facta Bonizoni Presbytero a Venerio Abbate Aulæ Regiæ , Anno 969.

IN *nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Imperante* Domno *noſtro* Ottone *pacifico magno* Imperatore , *Anno pietatis ejus III. die XVI. Menſis Junii, Indictione XII. Ferrarie . Petimus ad vobis in Dei nomine* Donus Venerius *venerabilis Presbiter Monachus &* Abbas Monaſterii Sancte Marie , que vocatur in Aula Regia , *una per conſenſu cuncta Congregatione deſervientium eidem Monaſterio , uti nobis in Chriſti nomine**Bonizo *venerabilis* Presbyter , *qui manere viſus ſum ad Eccleſiam Sancti Michaëlis Archangeli in ſuperiori Burgo Ferrarie , ſitu in fundo Baniolo , juris ſancti Monaſterii veſtri : nec non Andreas , qui vocatur Angelo , habitator in Civitate Ferrarie , in vice & pro perſona Joanne filio ejus , ſeu in duobus ſucceſſoribus noſtris Libello emphiteoticario conceſſiſtis & largiſtis nobis de re juris proprietatis ſancti Monaſterii veſtri , qui vocatur Aula Regia : ideſt* Eccleſia Sancti Michaëlis Archangeli , in ſuperiori Burgo Ferrarie ſita in fundo Bagnolo , *una cum manſione pro ſe habente , & cum Cimiterio , quàm Sepulture ; cum omnibus oblationibus vivorum quàm defunctorum , in integrum ipſa prefata Eccleſia Sancti Michaëlis , que nos ſupraſcripti petitores fecimus vobiſcum , quam vos cum noſtro adjutorio quàm diſpendio feciſtis ; ideoque eam nobis conceſſiſtis quàm largiſtis ſeu confirmaſtis , ad habendum , tenendum , poſſidendum , quàm in omnibus meliorandum , quàm officiandum* , juris ſancti Monaſterii veſtri . *Et non habeamus licentiam ullo modo , dare vel derelinquere nos ſupraſcripti petitores , neque noſtri ſucceſſores in alia quacumque parte , niſi in predicto Monaſterio veſtro Sancte Marie in Aula Regia ; & de omni tempore veſtra ſupraſcripta dominatio , veſtrique ſucceſſores quàm veſtros Miſſos cum honore quàm obedientia ſuſcipere debeamus. Quas ſuſceptationes facere debemus de majoribus feſtivitatibus ; per circulum ſinguli anni medietatem integrum de omnibus oblationibus predicte Eccleſie perſolvere debemus ad vos , vel ad veſtros Miſſos , dum nos ſuperius nominati petitores , & duobus noſtri ſucceſſores in hac luce juſſerit Dominus permanere vitam . Poſt tranſitum verò noſtrorum ſupraſcriptorum petitorum, ipſa predicta Eccleſia Sancti Michaëlis reſtaurata , ordinata , meliorata , officiata , cum predictis rebus quàm cum omni melioratione, quàm jus , quàm dominium predicti Monaſterii veſtri Sancte Marie in Aula Regia, cujus eſt proprietas , modis omnibus revertatur . Quod ſi , quod Deus avertat divinâ potentiâ , & omnia, que ſupra leguntur , non obſervaverimus vel non adimpleverimus , aut ipſam ſanctam Eccleſiam vel nos vel noſtri heredes aut ſucceſſores quoquo modo expellere vel alienare fecerimus , tunc daturi nos promittentes una cum noſtris heredibus vel ſucceſſoribus pene nomine auri optimi Libras duas, & quod exinde contra hec fecerimus, nullum vigorem habeat . Quam nos paginam Petrus Tabellio Ferrarie ſcrivendum rogavimus ſub Die , Menſe , & Indictione XII.*

✠ *Ego Bonizo Presbiter quam petitor ſubſcripſi .*

✠ ✠ *Signa manus ſupraſcripti Andrea , qui vocatur Angelo , cum Joannes filio ejus petitoris , qui huic Libello emphiteothecario fieri rogaverunt , cui relectum eſt .*

Ego Petrus in Dei nomine Tabellio , hujus pagine Scriptor , poſt tradita complevi quàm abſolvi .

Notitia teſtium , id ſunt , Andrea Stancario teſte , Leo Stancario teſte , Bono Remorarie teſte .

Confirmatio ejusdem Ecclesiæ facta prælaudato Bonizoni ab eodem Venerio Abbate, Anno 972.

IN *nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Anno Deo propicio Pontificatus* Domni *nostri* Benedicti summo Pontifice *quàm universale Pape in Apostolica sacratissima beati Petri Apostoli Domini Sede*, *Anno* . . . . . . *Regnante* Domno Ottone *piissimo perpetuo* Augusto, *quàm a Deo coronato pacifico magno* Imperatore, *Anno pietatis ejus in Dei nomine Sexto, die III. Mensis Octobris, Indictione Prima, Comaclo. Petimus a vobis* Donnus Venerius *venerabilis Presbiter, Monachus, &* Abbas *Regule* Monasterii, *qui vocatur* Aula Regia, *una per consensum quàm largitatem cuncte Congregationis eosdem Regule deservientium eodem Monasterio, unde nobis* Bonizo *venerabilis* Presbiter *sancte Ferrariensis Ecclesie, filius qui vocatur Ursus, in medietatem, seo Andreas, qui vocatur Angelo, negotiatore, tam pro se, quamque pro Joannes Clericus filio suo in alia verò medietate, seo in duobus successoribus nostris, unum post unum, quale nos per judicium testamentum assignaverimus, emphiteoticario jure a presenti die concedistis & largistis seo confirmastis de re* juris *sancti* Monasterii vestri: *idest* Ecclesia una, *vocabulo* Sancti Michaëlis, *sita in superiori Burgo* Ferrarie, *in fundo, qui vocatur Bagnolo, una cum omni domu, culto suo in circuitu sibique pertinente, casis, casibus, Curte, orto, puteo, & cum omnibus oblationibus quàm offersignibus sibique pertinentibus vivorum ac defunctorum: eum ingressu & egressu suo, & omnia, que a supra scripta Ecclesia prelegitur; concedistis quàm largistis nobis de aliis rebus Monasterii vestri, que pertinent da* jura Sancti Martini Monasterium vestrum, *que fuit quondam in eodem fundo Bagnolo: idest Casale uno cum casa super se habente, sito in suprascripto fundo Bagnolo juxta latera; da primo latere Platea publica, que vocatur Majore, descendente in Sancto Clemente. Secundo latere possidet Uco Dientio. Tertio latere persistente Ripa de Pado, via publica percurrente. Quarto latere via Canalis persistente in fluvio Pado, descendente in Ronchagallo. Quod habet ipso suprascripto Casale per apodimus in longitudine sua pedes XXV. atque in latitudine sua pedes XVIII. cum ingresso quàm egresso suo, & cum omnibus ad suprascripta* . . . . . . *prefatas res. Seo concedistis atque largistis seo confirmastis nobis in Civitate Ferrarie in fundo, qui vocatur Tabernulo, in Regione Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, idest Casale uno integro cum casa super se habente: finis de suprascripto Casale, ab uno latere possidet Joannes Vassallo, ab alio possidet Antoninus, tertio latere possidet* Petrus *Consul filio, qui vocatur Leo Consule, qui vocatur de Blatta, quarto latere androna de Commune percorrente in fluvio Pado. Seo concedistis & largistis &c. Ad habendum, tenendum &c. Pro eo quia etiam accepistis &c. Promittentes &c. Quam verò paginam tenore conscripto Petrus in Dei nomine Tabellio scrivendum rogavimus, in qua subtus manus firmavimus, testibusque a nobis rogatis obtulimus roborandam sub Die, Mense, & Indictione suprascripta Prima, Comaclo.*

✠ *Signum manus mea suprascripto Andrea, qui vocor Angelo, petitor.*

✠ *Ego Bonizo Presbiter, petitor, manu mea subscripsi.*

✠ ✠ ✠ ✠ *Signum manibus nostris Abraam, & Johannes Spada, Petrus de Fermosia, Ardengo filius quondam Paulo.*

Petrus in Dei nomine Tabellio, scriptor hujus pagine pensionis, de omnibus que superius leguntur, post roborationem atque traditionem complevi & absolvi.

Has Chartas retuli ad tempora Ottonis Magni, incertus tamen, num ad Ottonis II. an potius III. Imperium sint referendæ, quum ibi Notæ Chronologicæ vitio non careant. Ego Indictionem sequutus sum. Laudat idem Priscianus alibi *Privilegium Leonis summi Pontificis, imperante Ottone, Monasterio Aulæ Regiæ Civitatis Comaclensis datum, in quo clarissime monstratur, ab mari ad Padi Veteris locum usque, quem vulgares & rustici incolæ Padiverium dicunt, & superiores Massæ Phiscaliæ fines, Comacli oram omnem Insulis repletam tunc temporis etiam fuisse.* Tum adfert nonnulla ejusdem Bullæ excerpta, scilicet: *Monasterium Sanctorum Viti & Modesti in loco, qui vocatur Insula, & cum Vallibus & Paludibus sibi pertinentibus infra se, & secus se. Idest Valle, quæ vocatur Supociolo, & Valle, quæ vocatur Minore* &c. Redeo ad Ecclesiam Sancti Michaëlis Ferrariensis, quæ Monasterium postea evasisse videtur, & in jus translata Brixellensis Monasterii: de qua re videndum superest Placitum, Anno MXV. habitum Ferrariæ, atque a me editum in Præfatione ad Leges Langobardicas, Part. II. Tomi I. Rer. Italicarum. Quod verò est ad Ecclesias Monasticas Ferrariæ (neque enim integrum earum catalogum supra complevi) observandum est, ibi Ecclesiam *Sancti Romani* Prioratum fuisse, & ad Monachos Benedictinos olim spectasse, hoc est, ad *Monasterium Sancti Benigni Fructuariensis*, ut indicat Charta Anni MCLXXXVIII. scripta, quam evulgavi Par. I. Cap. 36. pag. 353. Antiquitat. Estensium: ibique appellatur *Monasterium Sancti Romani*, cujus *Advocatia* tradita fuit Opizzoni Estensi Marchioni. Ecclesia quoque *Sancti Clementis*, Prioratus Monachorum fuisse traditur in ea Urbe, quem titulum adhuc retinet. Præterea *Sancti Salvatoris* Ecclesia, in antiquis Chartis, (quas mihi sæpius memoratus amicus meus Joseph Antenor Scalabrinius Ferrariensis indicavit) modò *Cellæ*, modò *Monasterii* nomine designatur. *Sancti Martini* Ecclesia, *Monasterium* quoque Ferrariæ fuit, ab *Aulæ Regiæ Monasterio* dependens, ut constat e Charta nuper allata Anni DCCCCLXXII. Prioratus *Sanctæ Mariæ in Vado* Ferrariæ in jure olim erat *Canonicorum Regularium Portuensium Ravennæ*, & adhuc a Canonicis Regularibus possidetur. *Sancti Vitalis Ecclesia*, Cella sive Prioratus fuit, spectans ad Monasterium Ravennas Sancti Vitalis, cui suum jus integrum adhuc ibi perstat: atque illic habitasse Monachi traduntur. Reliquas prætereo, uti & ibi olim numerata fuisse *Monasteria Sancti Ambrosii*, *Sancti Georgii*, & *Sancti Bartholomæi*, atque alia fortasse, quorum excidit memoria. Neque heic omittam,

tam, ignorare me, quomodo magno viro Johanni Mabillonio, Monasticæ Historiæ parenti, exciderit in Annalib. Benedictin. ad Annum DCXCIII. scribere, uti Paullus Diaconus tradit, a Cuniberto Langobardorum Rege *in campo Coronatæ ad fluvium Adduam prope Ferrariam, ubi prospere pugnaverat cum Alachi Duce Tridentino, Monasterium Sancto Georgio Martyri in facti memoriam ædificatum fuisse*. Is etiam, ne de sua mente dubitemus, hæc subdit: *Hoc Monasterium idem esse creditur, quod in Ferrariæ suburbio sub nomine Sancti Georgii etiam nunc superest*. At qui Italiæ Chorographiam norunt, e vestigio agnoscunt, nil rei esse flumini Adduæ cum Ferraria. Itaque *Coronatæ* campus, vulgo nunc *Cornà*, vicus est ad fluvium Adduam situs, a Novocomo paucis passuum millibus distans, uti ostendit singularis olim amicus meus P. D Gaspar Berettus Monachus Benedictinus in Tabula Chorographica præposita Tomo X. Rer. Italicar. Quare nil rei fuit Monasterio Coronatæ cum Civitate Ferrariæ, ubi revera adhuc visitur

A

Monasterium Sancti Georgii, longe tamen postea conditum. Ita auctor est idem Mabillonius in Notis ad Vitam Sancti Anselmi Abbatis Nonantulani Sæculo IV. Part. I. atque in Præfatione ad Vitam Sancti Theobaldi Eremitæ Sæculi VI. Part. II. *Vangadiciense Monasterium* debere originem suam eidem Sancto Anselmo, qui Sæculo Christi Octavo floruit. At hujus sententiæ nulla sunt fundamenta. Vide, quæ ego nuper de eodem Cœnobio supra disserui. Accipe nunc unius etiam Cœnobii exemplum. Loquor de amplissimo *Nonantulano Mutinensi Monasterio*, cui fuisse traduntur (immo sigillatim enumerantur) complures Cellæ & Ecclesiæ in Urbibus & agris *Mutinensi, Bononiensi,*

B

Ferrariensi, Patavino, Tarvisino, Vicentino, Veronensi, Regiensi, Mantuano, Parmensi, Placentino, Ticinensi, Cremonensi, Florentino, Pistoriensi, Eugubino, Fæsulano, Perusino, ac aliis in locis. Hæc e multis sacri Loci monumentis constant, quorum unum tantummodo heic edendum censui.

Innocentii II. Papæ Bulla, qua Monasterio Nonantulano omnia illius jura ac privilegia confirmat Anno 1133. sed secundùm Æram vulgarem 1132.

INnocentius Episcopus, *servus servorum Dei. Dilecto in Christo filio* Ildeprando Nonantulani Monasterii Abbati, *ejusque successoribus regulariter ibi viventibus, in perpetuum salutem & Apostolicam benedictionem. Cum omnibus Ecclesiis & Ecclesiasticis personis debitores ex Apostolicæ Sedis auctoritate ac benevolentia existimamus, illis tamen ardentius providere nos convenit, ut eas a pravorum hominum incursibus defendendo arctiori debeamus charitate diligere, quas beato Petro & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ non est dubium specialius adhærere. Dignum namque & honeste conveniens esse cognoscitur, ut qui ad Ecclesiarum regimen assumpti sumus, earum quieti & utilitati salubriter auxiliante Domino, providere curemus. Proinde, dilecte in Domino fili, Ildeprande Abbas, tuis rationabilibus postulationibus benignitate debita duximus annuendum, &* Nonantulanum beati Silvestri Monasterium, *cui Domino auctore præesse dignosceris, quod utique ab* Astulfo Longobardorum Rege, *ejusdem loci fundatore beato Petro oblatum est, ad exemplar Prædecessorum nostrorum felicis memoriæ* Leonis, Alexandri, Pasqualis, & Calisti, Romanorum Pontificum, *Apostolicæ Sedis Privilegio communimus. Statuimus enim, ut quæcumque prædia, quascumque possessiones seu bona idem Monasterium in præsentiarum juste & legitime possidet, firma tibi, tuisque Successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis nominibus adnotanda subjungimus. Ipsum videlicet Castellum Nonantulanum, Castellum Vetus, Galianum, Cathinianum, Fananum, Lixanum, Sclopinum, Samonum, Campilium, Maranum, Pratum Albinum*, Monasterium Sanctæ Luciæ *cum Ecclesiis & pertinentiis suis, Ecclesiam sanctissimæ Trinitatis de Savino, Minzolinum, Ravalium, Rastellinum, Sanctam Mariam de Grumolo, Spinalberti, Solariam, Roncalia, Camoranam, Curtile Siccum, Castellum Pollacci, Trecentula, Bondenum, Nogariam, Castellum Cellam, & Marzaliam*

C

cum pertinentiis eorum. Præterea Castellum Cellulæ, Curtem Ragusæ, Castellum Theodaldi cum omnibus allodiis, quæ in ipso Comitatu Ferrariensi Bonifacius Marchio *acquisita possedit, vestro in perpetuum Monasterio confirmamus, quæ* Comitissa Mathildis *de oblatione, quam Sancto Petro, & Romanæ Ecclesiæ dederat, vobis nuper dedisse cognoscitur, sub censu scilicet unius aurei annuo.* In Civitate Papiensi *Ecclesiam Sancti Quirici.* In Placentina *Ecclesiam Sancti Silvestri.* In Monticello *Ecclesiam Sancti Georgii.* In Cremona *Ecclesiam Sancti Silvestri, Ecclesiam Sanctæ Crucis, & Ecclesiam Sancti Benedicti.* In Parmensi *Ecclesiam Sancti Silvestri.* In suburbio Vicentiæ *Ecclesiam Sancti Silvestri.* In Libertino *Ecclesiam Sancti Silvestri. In* Montesilicæ *Ecclesiam Sancti Danielis cum omnibus ad ipsam pertinentibus. In* Tarvisina Civitate *Ecclesiam*

D

Sanctæ Mariæ, & Sanctæ Fuschæ cum libertate, Cappellis, & omnibus ad eam pertinentibus. Sane nec Mutinensi omnino, nec alicui cuiquam Episcoporum, vel Principum, aut alicui Ecclesiasticæ, secularive personæ liceat supradicto Monasterio, aut ejus Cellis vel Ecclesiis, *aliisque possessionibus gravamen inferre, exactiones imponere, Placitum, sive colloquium, preter Abbatis ac Fratrum voluntatem, indicere vel tenere. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet Successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutiâ seu violentiâ*

E

proponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum pars consilii sanioris, secundùm Dei timorem, & beati Benedicti Regulam, præviderint eligendum, qui nimirum ad Apostolicæ Sedis Præsulem consecrandus accedat. Chrisma, Oleum Sanctum, Consecrationes Altarium, seu Basilicarum, ordinationes Monachorum, qui ad sacros Ordines fuerint promovendi, sive Clericorum eidem Monasterio, Cellis vel Ecclesiis *pertinentium, a quo malueritis, Catholico accipietis Episcopo, si quidem gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habuerit, &*

si ea

si eà gratis & sine pravitate voluerit exhibere . Non enim Episcoporum cuiquam permittimus invito Abbate in Monasterio vel Monasterii Cellis seu Ecclesiis , *ordinationes facere , Missas publicas celebrare , vel earum Decimas vindicare , nec de ipso Monasterio , vel ejus rebus rescriptum surripere , aut quolibet modo impetrare cuique personæ facultas sit . Quod si fortè præsumptum fuerit , irritum penitus habeatur . Nec Episcopis facultas sit , Monasterii vestri Clericos sine tui consensus deliberatione , interdictionis aut excommunicationis sententiá coërcere . Quæcumque præterea in posterum concessione Pontificum , liberalitate Regum , vel Principum , oblatione fidelium , seu aliis justis modis prænominatum Monasterium auxiliante Domino poterit adipisci , vobis præsenti scripto firmamus . Porro illa dignitatis insignia , quibus Antecessores tui inter Missarum Solemnia uti noscitur , nos personæ tuæ ex Apostolicæ Sedis benignitate concedimus , ut scilicet in diebus solemnibus ad Missarum Officia celebranda Dalmaticâ , Mitrâ , Chirothecis , & Sandalis induaris . Ad hæc adjicientes decernimus , ut nulli omnino hominum fas sit præfatum Cœnobium temere perturbare &c. ut in omnibus semper Apostolicæ Sedis, cujus est proprium, munimine ac protectione congaudeat . Si quis igitur in futurum Archiepiscopus, vel Episcopus, Imperator , sive Rex, Princeps, aut Dux , Comes* A *Vicecomes , Judex , Castaldio , aut Ecclesiastica , Secularisve persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit , secundo tertiove commonita , si non satisfactione congruâ emendaverit , potestatis honorisque sui dignitate careat , reumque se divino judicio existere &c.*

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus *subscripsi .*

Ego Guilielmus Prænestinus Episcopus subscripsi .

Ego Lucas Presbyter Cardinalis titulo Sanctorum Johannis & Pauli subscripsi.

Ego Georgius Diaconus Cardinalis Sanctorum Sergii & Bacchi subscripsi .

B *Ego Oddo Diaconus Cardinalis Sancti Georgii ad Velum Aureum subscripsi .*

Ego Romanus Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Porticu subscripsi .

Datum Nonantulæ per manum Aimerii sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii , Quarto Idus Octobris , Indictione X. Incarnationis Dominicæ Anno MCXXXIII. Pontificatus verò Innocentii Papæ II. Anno Tertio .

Itidem quot in Episcopatibus & Urbibus celebre Pomposianum Monasterium Ecclesias possideret , e subsequenti Bulla intelliges , cujus apographum in Estensi Archivo adservatur.

Bulla Anastasii IV. Papæ, qua Monasterio Sanctæ Mariæ de Pomposia omnia illius bona ac jura confirmantur, Anno 1153.

ANastasius Episcopus , *servus servorum Dei. Dilectis filiis* Johanni Abbati Monasterii Sanctæ Mariæ , *quod* in Insula Pomposia *situm est, ejusque Fratribus tam presentibus quàm futuris , regulariter substituendis in perpetuum . Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse presidium , ne fortè cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur (quod absit) sacræ Religionis infringat . Ea propter, dilecti in Domino filii , vestris justis postulationibus clementer annuimus , & Prædecessorum nostrorum felicis memorie* Celestini , & Eugenii Romanorum Pontificum *vestigiis inherentes , Beate Dei Genitricis , semperque Virginis Mariæ* Pomposianum Monasterium, *in quo divino mancipati estis obsequio , sub beati Petri , & nostra protectione suscipimus , & presentis scripti Privilegio communimus . Statuentes , ut quascumque possessiones , quecumque loca idem Monasterium in presentiarum juste & canonice possidet , aut in futurum concessione Pontificum , largitione Regum vel Principum , oblatione fidelium , seu aliis justis modis , prestante Domino , poterit adipisci , firma vobis , vestrisque successoribus & illibata permaneant . In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis : videlicet Massacellam, integram &c.* (*) *Præterea in* Episcopatu Concordiæ *Ecclesiam Sancti Martini in Phana . In* Episcopatu Cenetensi *Ecclesiam Sancti Petri in Colosis ,* & *Sancti Danielis. In eodem Episcopatu Ecclesiam Sancti Andreæ in* C *Bosco cum Capellis suis , aliam Ecclesiam Sancti Martini in Cambernardi , Sanctæ Mariæ in Ronchu Marzollu , Sanctæ Mariæ in Vidore , Sancte Bone cum Capellis suis , Sancte Marie in Castello, & alias, quas in partibus illis habetis . In* Episcopatu Vicentie *Ecclesiam Sancte Marie in Teupisse . In* Civitate Veronensi *Ecclesiam Sancti Matthæi . In* Episcopatu Brixiensi *Ecclesias Sancte Marie de Sede Marculfi, Sancte Marie de Cucumare , & Sancte Marie de Suxiliano . In* Episcopatu Cremonensi *Ecclesiam Sancti Stephani in Caballaria . In* Episcopatu Astensi *Ecclesias Sancte Marie de Flexu , & Sancti Johannis de Cerro . In* Episcopatu Bononiense *Ecclesias Sancte Marie de Arzellata , Sancti Venantii , Sancti Blaxii de* D *Luzaco , Sancti Marci in Turrixella , Sancti Johannis in Castagnolo , Sancti Blasii in Saliceto , & aliam Ecclesiam in Granarolo . In* Civitate ipsa *Ecclesiam Sancti Syri . In* Civitate Mutinensi *Ecclesiam Sancte Marie . In* Castro Solerie *Ecclesiam Sancti Johannis , & in* Villa ejus *Ecclesiam Sancti Michaëlis .* Ferrariæ *Ecclesiam Sancte Agnetis . In* Finale *Sancti Michaëlis.* Ustulati *Ecclesiam Sancti Petri.* Faventie *Ecclesiam Sancti Clementis .* Prate *Ecclesiam Sancti Laurentii . In* Episcopatu Liviensi *Ecclesiam Sancte Marie in Manumizola, Ecclesiam Sancti Michaëlis , & Sancte Marie Nove cum Capellis suis .* Rimini *Sancte Marie in Tribbo . In* Episcopatu Urbinensi *Ecclesiam Sancti Leonis de Folia , Sancti Angeli de Insula,* E

(*) ut in Bulla Callisti II. Papæ , quæ alibi legetur .

la, Sancte Marie de Petra, Sancti Martini in Ulmeta, Sancti Racliani, & Sancti Angeli in Preverzum, Ecclesiam Sancte Marie in Castagneto cum Capellis suis, Ecclesiam Sancte Marie de Viculo cum Capellis suis, Ecclesiam Sancti Johannis de Prugneto cum Capellis suis, & Ecclesiam Sancte Marie de Castro Sancti Martini cum Capellis suis. Chrisma verò, Oleum Sanctum a Comacliensi Episcopo &c. (*)

A



Ego Anastasius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

BENE VALETE

Ego Imarus Tusculanus Episcopus subscripsi.
Ego Hugo Ostiensis Episcopus subscripsi.
Ego Gregorius Presbyter Cardinalis titulo Calisti subscripsi.
Ego Guido Presbyter Cardinalis titulo Sancti Grisogoni subscripsi.
Ego Ubaldus Presbyter Cardinalis titulo Sanctæ Praxedis subscripsi.
Ego Manfredus Presbyter Cardinalis titulo Sanctæ Savinæ subscripsi.
Ego Aribertus Presbyter Cardinalis titulo Sanctæ Anastasiæ subscripsi.
Ego Jordanus Presbyter Cardinalis titulo Sanctæ Susannæ subscripsi.
Ego Octavianus Presbyter Cardinalis titulo Sanctæ Cæciliæ subscripsi.
Ego Astaldus Presbyter Cardinalis titulo Sanctæ Priscæ subscripsi.
Ego Cencius Presbyter Cardinalis titulo Sancti Laurentii in Lucina subscripsi.
Ego Henricus Presbyter Cardinalis titulo Sanctorum Nerei & Achillei subscripsi.
Ego Johannes Presbyter Cardinalis titulo Sanctorum Silvestri & Martini subscripsi.
Ego Odo Diaconus Cardinalis Sancti Georgii ad Velum aureum subscripsi.
Ego Rodulfus Diaconus Cardinalis Sanctæ Luciæ in scepta subscripsi.
Ego Guido Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Porticu subscripsi.
Ego Odo Diaconus Cardinalis Sancti Nicolai in Carcere Tulliano subscripsi.

Datum Laterani per manum Rholandi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis & Cancellarii, XIV. Kalendas Aprilis, Indictione II. Incarnationis Dominicæ Anno MCLIII. Pontificatus verò Domni Anastasii Papæ IV. Primo.

B

Pauca tamen hæc ipsa videantur, si conferas eadem cum iis quæ Monasterium Clusinum Sancti Michaëlis, in Taurinensi Diœcesi positum, olim possidebat. Prostant in Tomo 4. Ital Sacræ, Literæ Innocentii III. Papæ, datæ Anno MCCXVI. e quibus constat, Cœnobio illi subjecta fuisse complura *Monasteria & Ecclesias* in Episcopatibus *Taurinensi*, *Yporegiensi*, *Vercellensi*, *Astensi*, *Aquensi*, *Tortonensi*, *Januensi*, *Papiensi*, *Placentino*, *Cremonensi*, *Mutinensi*, *Parmensi*, *Ebredunensi*, *Vapincensi*, *Diensi*, *Magalonensi*, *Avenionensi*, *Narbonensi*, *Gerundensi*, *Carcassonensi*, *Tolosensi*, *Convenarum*, *Consoranensi*, *Caturcensi*, *Lemovicensi*, *Pictaviensi*, *Bituricensi*, *Claromontensi*, *Lugdunensi*, *Aniciensi*, *Lausanensi*, *Sedunensi*, *Gebennensi*, *Tarantasiensi*, *Gratianopolitano*, *Mauriennensi* &c. An parum fimbrias dilatarit ejusmodi Monasterium paucis habes. Quei verò fieri potuerit, ut non insignia tantummodo Cœnobia, sed alia etiam minora, in tot diversis Civitatibus & Comitatibus *Cellas*, aut *Ecclesias*, aut saltem fundos sui juris ostentarent, investigabo infra in Dissertatione LXVII. *de Modis Acquirendi*. Nimirum partim, industriâ suâ sibi Monachi non oscitantes, ubicumque poterant, hasce comparabant; aut ipsi Christi fideles varias ob caussas sponte Ecclesias aut fundos offerre consueverunt, ut Monachorum patrocinio ac privilegiis fruerentur. Quæ verò Monasteria majoris nominis ac potentiæ erant, felicius etiam, quàm cetera, donatores ac oblatores inveniebant; plura enim habenti & late dominanti, facilius est plura sibi conquirere, suumque in dies amplificare patrimonium, quàm pauca habenti. Sed ut digito etiam tangas, quousque opulentia quorumdam Cœnobiorum sese extenderet, Chartas duas exhibere juvat, quas authenticas vidi in Archivo supra laudati Nonantulani Monasterii. Prima tibi ad Topographiam antiquam nobilissimæ Civitatis Ticinensis dignoscendam non parum subsidii afferet.

C

(*) Vide eamdem Bullam Callisti II.

Permutatio

Permutatio inter Rodulphum Abbatem Monasterii Nonantulani & Ubertum filium Armanni, facta Ticini, Anno 1029.

IN nomine Domini Dei, & Salvatoris Domini nostri Jesu Christi Chuonradus gratiâ Dei Imperator Augustus, Anno Imperii ejus, Deo propitio, Tercio, III. die Mensis Decembris, Indictione Tercia decima. Commutacio bone fidei noscitur esse contractum, ut vicem emcionis optinead firmitatem, eodemque nexu oblicent contradantes placuit. Itaque bona convenit voluntate inter Donus Rodulphus Abba Monasterio Sancti Silvestri sita Nonantola, nec non & Ubertus filius bone memorie Armanni, qui profitebat se ex nacione sua Lege vivere Salica, ut in Dei nomine debeant dare, sicut a presenti die dederunt ac tradiderunt vicissim sibi unus alteri, commutacionis nomine: in primis dedit ipse Domnus Rodulfus Abbas da parte ipsius Monasterio in causa commutacionis eidem Uberti; id sunt pecias undecim de terra cujus suprascripto Monasterio, quibus esse videntur decem ex eas intra anc Urbem, undecima suburbio ejusdem Civitatis. Prima pecia de terra jacet ad locus ubi Porta Marinca dicitur. Est per mensura justa tabulas decem. Coëret ei de una parte terra Monasterio Sancte Marie, qui dicitur Deodote, ex alia parte muro ejusdem Civitatis, ex tercia parte Via publica. Secunda pecia de terra jacet prope Monasterio Sancti Felicis, quod dicitur Regine. Est per justa mensura tabulas octo & dimidia. Coëret ei ex una parte terra Episcopio sancte Ticinensis Ecclesie, de alia parte terra Sancti Petri, ex tercia parte terra Sancti Johanni, ex quarta parte Via publica. Tercia pecia de terra prope Basilica Sancti Johannis, qui dicitur Domnani. Est per justa mensura tabulas tres & dimidia. Coëret ei ex una parte terra Sancti Sixti, ex alia parte terra Bernardi, qui fuit Comes, de tertia parte Via publica. Quarta pecia de terra jacet prope Basilica Sancte Marie, qui dicitur Capelle. Est per mensura justa tabulas duas & dimidia. Coëret ei ex una parte terra Basilice Sancti Archangeli Michaëlis, qui dicitur Majore, ex alia parte terra de heredes quondam Adelberti, qui vocatur Medico, ex tercia parte ingresso comune. Quinta pecia de terra ibi prope. Est per mensura justa tabulas sex. Coëret ei ex una parte terra suprascripte Basilice Sancti Michaëlis, ex alia parte terra suprascripte sancte Ticinensis Ecclesie, ex tercia parte terra de heredes suprascripto quondam Adelberti, qui vocatur Medico. Sesta pecia de terra similiter ibi prope. Est per mensura justa tabula una & dimidia. Coëret ei de una parte terra jamdicti Episcopii sancte Ticinensis Ecclesie, ex alia parte terra Aimerici. Septima pecia de terra similiter ibi prope. Est per mensura justa tabula una & dimidia. Coëret ei ex una parte terra suprascripti Episcopio sancte Ticinensis Ecclesie, ex altera parte terra suprascripto Aimerici. Octava pecia de terra cum puteum super abente, similiter ibi prope. Est per mensura justa tabulas tres. Coëret ei ex una parte terra predicti Episcopio sancte Ticinensis Ecclesie, ex altera parte terra Oddoni, ex tercia parte Via. Nona pecia de terra ibi prope. A Est per mensura justa tabula una & dimidia. Coëret ei ex una parte terra Ottonis, & de duabus partibus Vias. Decima pecia de terra jacet non longe a Porta, qui dicitur da Ponte. Est per mensura justa tabulas tres. Coëret ei ex una parte Via publica, ex alia parte terra de heredes quondam Albizonis, de altera parte terra, que fuit quondam Attoni. Undecima pecia de terra, que est suburbium ejusdem Civitatis, jacet non longe da Porta Sancti Johanni, qui dicitur Cimeterio. Est per mensura justa tabulas septem. Coëret ei ex duabus partibus Vias publicas, ex tercia parte terra Adammi & Papii. Similiter dedit ipse Domnus Rodulfus Abba da parte ipsius Monasterio eidem B Uberto . . . . . it sunt eas sediminas, & omnibus rebus illis, cujus supra Monasterio, quibus esse videntur super fluvio Pado in locas & fundas, ubi dicitur Cella, & in Scadrampo, seu in Balbiano &c. inter sediminas & vineas cum areis suarum, seu terris arabilis, & partis jerbis & silvis, cum illorum areis juges trescenti. Similiter & ad vicem recepit ipse Domnum Rodulfus Abba a parte ipsius Monasterio ab eumdem Ubertus in causa commutacionis, meliorata res sicut Lex habet, idest medietate de Curte cum domuicoltile, cujus ipsius Uberti, quibus esse videtur in loco & fundo Sorbaria, cum medietate de Castro inibi habente, & de Capella inibi edificata in onore Sancti Laurentii, C cum medietate de casis, universisque rebus ad ipsa medietas de eadem Corte, Castro, seu Capella pertinentibus in ipso loco Sorbaria &c. & partis jerbis & silvis & illorum areis juges trescenti. Coëret &c. da sera fluvio, qui dicitur Secla &c. Et ad anc providendam commutacionis nomen accesserunt super ipsis rebus, idest Benedictus Presbiter & Monachus de ordine ipsius Monesterio, & Johannes item Presbiter, Vasso idem Domni Rodulfi Abbatis &c. Et bergamena cum actramentario ipse Ubertus de terra elevavit, paginam Fulconi Notarii sacri Palatii tradidi, & scribere rogavi, in qua subter confirmans testibus obtulit roborandam. Unde due Cartule commutacionis uno tinore D scripte sunt.

Actum Ticinum, feliciter.

Ubertus subscripsi.

Ego Benedictus Monachus & Presbiter subscripsi.

Ego Johannes Presbiter missus fui ut supra.

Signum ✠✠✠ manibus suprascriptorum Stalberti, Egiselberti, seu Martini, qui super ipsis rebus accesserunt & estimaverunt, ut supra.

Signum ✠✠ manibus Walteri, & Dominici, ambo Legem viventes Salicha, testes.

Signum ✠✠✠ manibus Oppizzoni, & Bonizoni, seu Azoni, Legem viventes Romana, testes.

Inmizo Judex sacri Palacii rogatus subscripsi.

E Ingeso Judex sacri Palacii rogatus testes subscripsi.

Ego qui supra Fulco Notarius sacri Palacii, scriptor bujus Cartule commutacionis post tradite complevi & dedi.

Charta permutationis factæ inter Rodulphum Abbatem Nonantulanum, & Widonem Comitem, & Riprandum Clericum, filios quondam Uberti Comitis, & Widonem ac Ottonem eorum nepotes, Anno 1034.

„ IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. *Chuonradus* gratiâ Dei *Imperator Augustus*, Anno Imperii ejus, Deo propicio, Octavo, IV. die Mensis Julii, Indictione II. Commutacio bone fidei noscitur esse contractus, ut vicem emcionis optinead firmitatem, eodemque nexu oblicant contrahentes. Placuit itaque bona convenit volunptatem inter *Domnus Rodulphus Abbas Monasterio S. Silvestri* sita *Nonantula*, necnon & *Wido Comes*, & *Riprandus Clericus* de ordine Episcopio sancte Ticinensis Ecclesie, *jermanis filiis* quondam item *Uberti*, *qui fuit item Comes*: seu ipse Wido & *Otto* inpubes, item germanis, filii quondam item Uberti, qui & Episcopio; qui & ipse Wido Comes eidem Riprandi Clericus jermano suo curator, & eidem Ottoni nepote suo tutor esistebat. Qui professi erant omnes ex natione eorum Legem vivere Salicha. Et ipse Guido Comes eorum Riprandi & Ottonis consensit, & subtus confirmavit, ut in Dei nomine debeant dare, sicut & a presenti dederunt ac tradiderunt, unus scilicet alteri commutationis nomine tradiderunt. In primis dedit ipse Domnus Rodulfus Abbas da parte ipsius Monasterii eisdem jermanis & nepotibus in commutacionis nomine: id sunt tres portiones de Corte una domui coltile juris ipsius Monesterii, quibus sunt positas in Comitatu Ticinense in loco & fundo Monte, qui dicitur Surdo, & tres portiones de Capella una inibi constructa in honore eidem Sancti Silvestri, adque tres portiones de Casis & massariciis, & omnibus rebus, quibus sunt positis tam in ipso loco, quamque in locis & fundas Manciori, Montelauri, Marcelungo, Avvilia, Sarra, Maliolo, Cucularia magna, Pavaciano, Pinariano, Pasiano, Albuciano, Gabiano magni, Maliano, Vasariano, Cavaoro, Cambiano, Palacio Mariano, Testona, Bubliano, Cele, Casiori, Cisole, Andreo, Regiano, Pauliano, cum de tercia portione de Castro inibi habente, Aletentino, Uncianore, Novole, Balbiano, Montejovis, Paverio, Sulcia, Faniolo, Casale infra finibus Bresiano, Albclenni inter Paciano, & Busceli, Cavadalia, Puliano, Sasis, Corte Cariva, Corte Descalta Deis, quod Capella inibi edificata in onore Sancti Petri, Casale Graso, Caramagnola, Pulenza cum Capellas tres inibi abente braida Sancti Georgio, Gramignano infra Civitatem Torino, de Capella una, que est edificata in onore Sancti . . . . . . Et de medietatem de Mercato ipsius Civitatis, & de ortis tribus justa ipsa Capella, & de casa una cum Curte uno tenente prope eodem Mercato, sive foris muro ipsius Civitatis in circuitu ibi prope: Corte de Marcilago, & de Capella una, Corneliano, Mandolone, Caliano, Walfenaria, Feraria Tiliola, Canali. Et de alia Corte justa Treveria, & de Capella una, que est edificata in onore Sancti Martini, & de Molendinis quatuor integris, & de medietate de aliis tribus: Buscineto, Silva de Cillari, Laurenzasce, Monteserate, Carniano, Vacaria, Jermaniasco, Alpis & Vallis, Riva-alta, & medietatem de Castro inibi abente: Govone, Rivole, Alpiniano, & de Piscinaria inibi abente: Raconese, Romanese, Suave, & in Valle Megasca, & in earum ajacentiis & pertinentiis, que per ceteris locis & vocabulis ab ipsa Corte & Capellis seu rebus pertinentibus; cum tres portiones de servis & ancillis, aldiones, aldianas utriusque sexus ad eadem Corte & Capellis, seu rebus pertinentibus; & sunt eadem tres portiones de eadem Corte & Castris seu Capellis, sive de sediminibus & vineis cum areis suarum, seu terris arabilis, pratis & silvis, seu & jerbis cum areis suarum super totis insimul per mensura justa juges mille quingenti.

„ Quidem & in vicem recepit ipse Dominus Rodulfus Abbas a parte ipsius Monasterio ab eisdem jermanis & nepotibus meliorata res, sicut Lex habet. Id sunt omnem eorum porcionem item de Corte una domui coltile juris eorum jermanis & nepotibus, quibus esse videtur in Comitatu Motinense in loco & fundo, ubi Wilzacara dicitur, cum eorum porcione de Capellis trex inibi edificate in onore Sanctorum Cesarii & Geminiani, seu cum eorum porcione de casis & massariciis, molendinis, & mercatis & omnibus rebus ad eadem Corte & Capellas pertinentibus vel aspicientibus, quibus sunt positis tam in ipso loco Wilzachara, quamque in locas & fundas Palezatico, Orte, Sana, Siliano, Lizo, Pinetolo, Figaro, Oliveto, Valle, Paravelio, Casiliana, Misiano, Salsina, Colegaria, Mansulino, Tavialo, Carzoleto, Cazarelli, Meisina, Persicita, Fraxaneta, Gavile, Vicofrigido, Doliolo, Fontanese, Tabiano, Montejenario, Sanguineta, Casanova, Ara Verselana, Camugno, Cirelli, Casole, Samoza, Curano, Petra Luparia, Arzano, Matelano, Costo Sesculi, & in Costa Cavalina, & in eorum ajacentiis & pertinentiis, & per ceteris locis & vocabulis ab ipsa Corte & Castris seu Capellis, que rebus pertinentibus, & omni illorum portioni de servis & ancillis, aldiones & aldianas ad eadem Corte & Castris seu Capella, atque rebus omnibus pertinentibus, & sunt easdem portiones de eadem Corte & Castris seu Capellis, sive de sediminibus & vineis cum areis suarum seu terris arabelis atque pratis & jerbis seu silvis cum areis suarum super totis per mensura justa juges mille quingenti septem. Has denique jam dictis rebus supra nominatis vel commutatis una cum accessionibus & ingressibus earum, seu cum superioribus & inferiori earum rerum, qualiter superius legitur, in integrum. Et inter se commutaverunt sibi unus alteri, pars parti, per has paginas commutacionis

„ no-

A „ nomine tradiderunt . Insuper per cultellum ,
„ festucum nodatum, guantonem, & wasonem
„ terre, & ramum arboris, ipsis jermanis pars
„ ipsius Monasterii, exinde legitimam fecerunt
„ traditionem , & vestituram , & se exinde
„ foris expullierunt & warpiverunt , absentes
„ fecerunt . Et a parte ipsius Monasterii pro-
„ prietatem habendum reliquerunt , facientes
„ exinde unus quis decore ceperunt a presenti
„ die tam ipsi quaque & successores vel here-
„ des eorum , aut cui ipsi dederint proprieta-
„ rio nomine quidquid voluerint aut previde-
„ rint , sine omni uni alterius contradictione
„ vel repeticione . Si verò , quod futurum
„ esse non credebat , ipsi jermanis & nepoti-
B „ bus , quod absit , aut ullus de heredibus ac
„ proheredibus eorum se quislibet opposita
„ persona contra hanc Cartulam commutacio-
„ nis ire quandoque tentaverint , aut eam per
„ covis ingenium infrangere quesierint , tunc
„ inferant ad illam partem contra quem exin-
„ de litem intularint multa , quod est pena
„ auro optimo Uncias centum, argenti ponde-
„ ras duocenti , & quod repecierint & vendi-
„ care non valeant , sed presens anc Cartula
„ commutacionis dioturnis temporibus firma
„ permaneat , atque persistat inconvulsa stipu-
„ lacione subnixa. Et oblicaverunt se ipsi com-
„ mutatores tam ipsi quamque & successores
„ vel heredes eorum jermanis & nepotibus pre-
C „ dictis casis & omnibus rebus , que ab invi-
„ cem commutacionis nomine tradiderunt , in
„ integrum omni tempore ab omni homine de-
„ fensare quidem , & ut ordo Legis depossit .
„ Et ad hanc providendam commutacionis no-
„ mine accesserunt super ipsis rebus idest Pe-
„ trus Presbyter & Monachus de ordine ipsius
„ Monasterio , Misso eidem Domni Rodulfi
„ Abbati ab eo directo, una cum bonos homi-
„ nes exstimatores , qui ipsas res extimarunt .
„ Eorum nomina sunt , Ozo , & Ugo , seu
„ Warnerius , quibus omnibus extimantibus
„ comparuit eorum , & extimaverunt quod
„ meliorata res recipere ipse Domnus Rodul-
„ fus Abbas a parte suprascripto Monasterio
D „ ab eosdem jermanis & nepotibus, quam dare
„ & legibus commutacio ipsa & fieri potuisset.
„ De quibus & pena inter se posuerunt , ut si
„ quis ex ipsis , aut successores , vel heredes
„ eorum jermanis & nepotibus se de hac com-
„ mutacio removere quexierit , & non per-
„ manserit in ea omnia , qualiter superius le-
„ gitur , vel si ab unumquemque hominem
„ quisque supra dederint in integrum, ab invi-
„ cem non defensaverint, componat pars parti
„ fidem servandi, pena dublis ipsis casis & om-
„ nibus rebus , sicuti per tempore fuerint me-
„ lioratis , aut valuerint sub extimatione in
„ consimilibus locis simul cum eisdem servis &
„ ancillis . Et nec eis liceat ullo tempore nol-
E „ le , quod voluit , sed quod ab eis semel fa-
„ ctum , vel quod scriptum est , inviolabiliter
„ conservare promiserunt cum stipulatione sub-
„ nixa . Et bergamena cum atramentario ipsis
„ jermanis & nepotibus de terra levaverunt .
„ Paginam Gribaldi Notarii sacri Palatii tradi-
„ derunt , & scribere rogaverunt, in qua sub-
„ tus confirmaverunt , testibusque obtulerunt
„ roborandam . Unde due Cartule commuta-
„ tionis uno tenore scripte sunt .

„ Hactum in loco , ubi Stodegarda dicitur,
„ feliciter.

„ VVIDO COMES SubScripsi.

„ ✠ Riprandus Clericus subscripsi.

„ Signum ✠ ✠ manibus suprascriptorum
„ Widoni & Ottoni jermanis, qui anc Cartu-
„ lam commutationis fieri rogaverunt .

„ ✠ Petrus Presbiter & Monachus missus
„ fui , ut supra .

„ Signum ✠ ✠ ✠ manibus suprascripto-
„ rum Ozoni , & Ugoni , seu Warneri , qui
„ super ipsas res accesserunt & extimaverunt ,
„ ut supra .

„ Signum ✠ ✠ manibus Tetaldi , & Ra-
„ zoni, ambo Legem viventes Romana, testes.

„ Signum ✠ ✠ ✠ Einrici , & Albini, seu
„ Berengarii , omnes Legem viventes Salicha,
„ testes .

„ Signum ✠ ✠ manibus Eboni , & Sen-
„ soni , testes .

„ Ego qui supra Gribaldus Notarius sacri
„ Palatii , Scriptor hujus Cartule commutatio-
„ nis post tradite , complevi & dedi .

In Antiquitat. Estens. Par. I. Cap. 13. pag. 108. evulgavi sententiam damnationis Anno MXIV. ab Henrico Primo inter Augustos promulgatam contra *Ubertum Comitem filium Hildeprandi* , & *Otbertum Marchionem*, Estensium Principum progenitorem. *Ubertus* ille fortè is fuit, qui *Widonem Comitem* & *Riprandum* filios post se reliquit , in postrema hac Charta memoratos . Justa caussa mirandi alicui erit, quei Nonantulano Mutinensi Cœnobio tanta bonorum copia foret non solùm intra ipsam Civitatem Ticinensem , ac in ejus agro , sed etiam per universum Pedemontem , ac in ipsa *Taurinensi Civitate* , ubi etiam Nonantulanus Abbas possidebat *medietatem de Mercato illius Civitatis* . Verùm pluries monui , & ante sex Sæcula idem animadverterat Chronographus Monasterii Farfensis Part. II. Tomi II. Rer. Italicarum, *Nonantulanum Mutinense Monasterium* reliquis Italiæ præstitisse, & cum ipso celeberrimo Farfensi de dignitate ac amplitudine certasse . Attamen ad minora etiam Monasteria animum advertas velim. Non tantis opibus dabatur istis frui , neque in tot Urbes & Comitatus effusa cernebantur eorum patrimonia : attamen est etiam , cur mireris in iis non mediocrem fortunarum copiam . Alexander Pompejus Berti, Clericus Regular. Lucensis Congregat. Matris Dei , singularis amicus meus, Vir doctissimus, quum Vasti præesset religiosæ familiæ Congregationis ejusdem , duas ad me Bullas misit , utramque ex Archivo Monasterii Canonicorum Regularium Sanctæ Mariæ , in Insula Tremitana exsistentis , descriptam ; quarum altera ad illud Monasterium Benedictinis Monachis olim subjectum, altera ad Monasterium Sancti Johannis in Venere in Lancianensi sive Anxanensi agro situm , itidem Ordinis Sancti Benedicti , spectabat . Utramque heic Lectorum oculis subjicio .

Alexandri III. Papæ Bulla, qua Anastasio Abbati Monasterii Sanctæ Mariæ Tremitensis omnia jura ac bona confirmat, Anno 1171.

A „ IN nomine illius, qui carnem assumpsit de
„ utero Virginis . Anno Nativitatis ejus-
„ dem Millesimo Trecentesimo Nonagesi-
„ mo Septimo , Die primo Mensis Februarii ,
„ Quintæ Indictionis , Pontificatus sanctissimi
„ in Christo Patris & Domini nostri , *Domini*
„ *Bonifatii* divinâ providentiâ *Papæ Noni*, An-
„ no Octavo ; in mei puplici & infrascripto-
„ rum testium in presentia Reverendi in Chri-
„ sto Patris & Domini , *Domini Bartholomæi*,
„ Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ *Episcopi Va-*
„ *luensis* , pro tribunali sedentis , & Curiæ re-
„ gentis ad requisitionem venerabilis viri Ab-
„ batis Raymundi de Marone, Vicarii & Pro-
„ curatoris Reverendissimi in Christo Patris &
B „ Domini , *Domini Pandulfi* , miseratione di-
„ vinâ *Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Dia-*
„ *coni Cardinalis* , Gubernatoris & legitimi
„ Administratoris Sanctæ Mariæ de Insula Tre-
„ mitana Tremulanensis Dyocesis , & aliorum
„ Monasteriorum & locorum , ad dictum Mo-
„ nasterium spectantium & pertinentium ; di-
„ ctus quidem Abbas Raymundus asseruit co-
„ ram nobis , se debere de necessitate certa
„ Privilegia ipsius Monasterii Sanctæ Mariæ
„ certis de causis Romam destinare , & aliis
„ locis in Regno Siciliæ . Et timore ne ipsa
„ Privilegia perderent , quæ pars thesauri no-
„ stri sunt , ut dixit , & propter viarum di
„ scrimina , Piratarum incursus , aquarumque
C „ diluvia, petiit nobis & requisivit cum instan-
„ tiâ , dicta Privilegia de verbo ad verbum
„ transumptari , & in præscriptam formam re-
„ digi , nil addito vel mutato . Quæ Privile-
„ gia vidimus , legimus , & diligenter inspexi-
„ mus non vitiata , non rasa , non cancellata ,
„ non abolita , nec in aliqua parte eorum sus-
„ pecta . Quorum Privilegiorum tenor unius
„ per originalis erat .

„ ALexander Episcopus , servus servorum
„ Dei . Dilectis filiis *Anastasio Abbati*
„ *Monasterii Sanctæ Mariæ Tremitensis* , ejus-
„ que Fratribus tam presentibus quàm futuris
„ Regularem vitam professis , in perpetuum .
D „ Apostolicæ Sedis auctoritate , debitoque
„ compellimur pro universarum Ecclesiarum
„ statu satagere , earum maxime , quæ eidem
„ Sedi specialius adherent , ac tamquam jure
„ proprio subjectæ sunt , quieti auxiliante Do-
„ mino providere . Eapropter , dilecti in Do-
„ mino filii, verè justis postulationibus clemen-
„ ter annuimus, & prefatum Monasterium, in
„ quo Domini estis mancipati obsequio , ad
„ exemplum Prædecessorum nostrorum felicis
„ memoriæ *Innocentii* , & *Paschalis Romano-*
„ *rum Pontificum* , sub beati Petri & nostra
„ protectione suscepimus , & presentis scripti
„ Privilegio communimus . In primis siquidem
„ statuentes , ut Ordo Monasticus , qui secun-
„ dùm beati Benedicti Regulam in eodem Mo-
E „ nasterio constitutus esse dignoscitur , perpe-
„ tuis ibidem temporibus inviolabiliter obser
„ vetur . Preterea quascumque possexiones ,
„ quæcumque bona idem Monasterium in pre-
„ sentiarum juste ac canonice possidet , aut in
„ futurum concessione Pontificum , largitione
„ Regum, vel Principum, oblatione Fidelium,
„ sive aliis justis modis , præstante Domino ,
„ poterit adipisci , firma vobis vestrisque suc-
„ cessoribus , & illibata permaneant , in qui-
„ bus hæc propriis duximus exprimenda voca-
„ bulis . In *Comitatu Theatino* Ecclesiam San-
„ ctæ Mariæ in Frisa cum pertinentiis suis ,
„ Castellum de Rivo Maris, cum Ecclesia San-
„ cti Petri , & suis pertinentiis , Castellum de
„ Aquaviva cum Ecclesiis & suis pertinentiis ,
„ Castellum Senellæ cum suis pertinentiis, Ca-
„ stellum de Turricella , Castellum Planati ,
„ tertia pars de Castello Linari , Castellum ,
„ qui vocatur Sparpaglia cum pertinentiis suis.
„ In *Comitatu Tremulano* Ecclesiam Sancti Pau-
„ li cum podio , & Ecclesiam Sancti Nicolai ,
„ & aliam Ecclesiam Sancti Nicolai, cum per-
„ tinentiis earum , Ecclesiam Sancti Johannis
„ de Montenigro cum pertinentiis suis, & Ec-
„ clesiam Sancti Silvestri de Terramala, Eccle-
„ siam Sancti Leotherii cum suis pertinentiis ,
„ Castellum Guillionisii , & in ejus territorio
„ Ecclesiam Sancti Nicolai , Ecclesiam Sanctæ
„ Luciæ , & Ecclesiam Sancti Viti de Valle-
„ surda , & aliam Ecclesiam Sancti Viti de
„ Biferno, cum omnibus pertinentiis suis, Ca-
„ stellum de Vetrana , Ecclesiam Sanctæ Ma-
„ riæ in Arcora , Castellum de Campo Abba-
„ tissæ , & Ecclesiam Sancti Quirici, cum om-
„ nibus eorum pertinentiis . In *Principatu Be-*
„ *neventano* Ecclesiam Sanctæ Luciæ , Sancti
„ Martini , Sancti Nicolai , Sancti Johannis ,
„ Sanctæ Mariæ in Corneto , & Sancti Nico-
„ lai de Sapione , cum omnibus earum perti-
„ nentiis , Castellum de Tora , Castellum de
„ Petraficta, cum omnibus eorum pertinentiis,
„ Ecclesiam Sancti Andreæ cum suis pertinen-
„ tiis , Ecclesiam Sancti Petri in Puliano , Ci-
„ vitatem de Mari , Castellum de Vena de
„ Causa , cum omnibus eorum pertinentiis. In
„ *territorio Ripæaltæ* Ecclesiam Sancti Johan-
„ nis, Sancti Angeli , Sancti Pauli, & Sancti
„ Laurentii , cum omnibus earum pertinentiis.
„ In *territorio Lisinæ* Ecclesiam Sanctæ Cru-
„ cis , Sanctæ Mariæ , & Sancti Antonii , &
„ Sancti Andreæ , cum suis pertinentiis . In
„ *territorio Civitatis* Ecclesiam Sanctæ Felici-
„ tatis , & Sancti Simeonis cum omnibus per-
„ tinentiis . Et in *territorio Castelli Serræ* Ec-
„ clesiam Sancti Johannis cum pertinentiis suis.
„ In *territorio Tragonariæ* Ecclesiam Sancti
„ Angeli cum omnibus pertinentiis suis . In
„ *territorio Deniæ* Ecclesiam Sanctæ Mariæ de
„ Mari cum pertinentiis suis, Ecclesiam Sancti
„ Angeli de Rocca , Ecclesiam Sancti Nicolai
„ de Lauris , & aliam Ecclesiam Sancti Nico-
„ lai de Gregorio cum omnibus pertinentiis
„ suis . In *territorio Montis Sancti Angeli de*
„ *Gargano* Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Cala-
„ na cum omnibus pertinentiis suis. In *terri-*
„ *torio Tranensi* Ecclesiam Sancti Blasii cum
„ omnibus pertinentiis suis , Sanctæ Mariæ de
„ Calenella . In *Civitate* * *Besliæ* Ecclesiam
„ Sancti Johannis foris ipsam Civitatem , Ec-
„ clesiam Sancti Jacobi , Sancti Laurentii ,
„ Sanctæ

„ Sanctæ Teclæ, cum omnibus possessionibus „ earum. In *Civitate Trojana* Ecclesiam San- „ cti Vincentii cum omnibus pertinentiis suis. „ Chrisma verò, Oleum sanctum, Consecra- „ tiones Ecclesiarum, seu Altarium, Ordina- „ tiones Monachorum, seu Clericorum, qui „ ad sacros Ordines fuerint promovendi, a „ quo volueritis, suscipiatis Episcopo, si qui- „ dem Catholicus fuerit, & gratiam atque „ communionem Apostolicæ Sedis habuerit, „ & ea gratis & absque ulla pravitate vobis „ voluerint exibere. Obeuntem verò te nunc „ ejusdem loci Abbatem, vel tuorum quolibet „ successorum, nullus ibi qualibet subreptio- „ nis astutiâ seu violentiâ proponatur, nisi „ quem Fratres communi consensu, vel Fra- „ trum pars consilii sanioris secundùm Deum, „ & beati Benedicti Regulam, previderit „ eligendum. Electus autem ad Romanum „ Pontificem consecrandus accedat. Sciens „ autem Locum ipsum Apostolicæ nostræ Sedi „ ita esse speciale ac proprium, ut nullus Ar- „ chiepiscopus, Abbas, Dux, Marchio, Co „ mes, Vicecomes, Castaldus, vel alia quæ „ libet magna, parvaque persona præter eum „ sibi in eodem loco usurpet quolibet domi- „ nium vel aliquam molestiam eidem Mona- „ sterio; decernimus ergo, ut nulli omnino „ hominum liceat prefatum Monasterium te- „ mere perturbare, aut ejus possessiones au- „ ferre, vel ablatas retinere, minuere, seu „ quibuslibet vexationibus perturbare, sed il- „ libata omnia integra conserventur eorum, „ per quorum gubernationem ac sustentatio- „ nem concessa sunt, usibus omnimodis pro- „ futura, salvâ Sedis Apostolicæ auctoritate. „ Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, Secu- „ larisve persona hanc nostræ Constitutionis „ paginam sciens, contra ea temere venire „ temptaverit, secundo tertiove commonita, „ nisi reatum suum dignâ satisfactione corre- „ xerit, potestatis, honorisque sui dignitate „ careat, reamque se divino judicio existere „ de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sa- „ cratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Do- „ mini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena „ fiet, atque ita in extremo examine districtæ „ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem Lo- „ co sua jura servantibus sit pax Domini nostri „ Jesu Christi, quatenus & hìc fructum bonæ „ actionis percipiat, & apud districtum Judi „ cem præmia æternæ pacis inveniat. Amen.

„ Ego *Alexander Catholicæ Ecclesiæ Epi- „ scopus* subscripsi.

„ Ego Hubaldus Hostiensis Episcopus sub- „ scripsi.

„ Ego Bernardus Portuensis, & Sanctæ „ Rufinæ Episcopus subscripsi.

„ Ego Johannes Presbiter Cardinalis San- „ ctorum Johannis & Pauli titulo Pomachii „ subscripsi.

„ Ego Gulielmus Presbiter Cardinalis tituli „ Sancti Petri ad Vincula subscripsi.

„ Ego Boso Presbiter Cardinalis Sanctæ „ Pudentianæ titulo Pastoris subscripsi.

„ Ego Petrus Presbiter Cardinalis tituli „ Sancti Laurentii in Damaso subscripsi.

„ Ego Ardicio Diaconus Cardinalis Sancti „ Theodori subscripsi.

„ Ego Cintius Diaconus Cardinalis Sancti „ Adriani subscripsi.

„ Ego Ugo Diaconus Cardinalis Sancti Eu- „ stasii juxta Templum Agrippæ, subscripsi.

„ Ego Vitellius Diconus Cardinalis Sancto- „ rum Sergii & Bacchi subscripsi.

„ Ego Petrus de Bono Diaconus Cardinalis „ Sanctæ Mariæ in Aquirio subscripsi.

„ Datum Tusculani per manus Gratiani „ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconi & „ Notarii, VIII. Kalendas Augusti, Indictio- „ ne V. Incarnationis Dominicæ Anno Domi- „ ni Millesimo Centesimo Septuagesimo Pri- „ mo, Pontificatus verò Domini Alaxandri „ Papæ III. Anno Tertiodecimo.

„ Cujus Privilegium vidimus, legimusque „ de verbo ad verbum, & inspeximus dili- „ genter, non rasum, non abolitum, nec can- „ cellatum, nec in sui parte vitiatum aliqua, „ sive suspectum, ymo penitus omni suspitio- „ ne carebat: atque bullatum bullâ plumbea „ pendenti cum filo serico, rubeo videlicet „ atque zallo, in qua bulla ab uno latere scul- „ te erant Apostolorum ymagines, videlicet „ Petri & Pauli, cum quodam in medio ip- „ sorum sculto similiter signo Crucis, & de- „ super similiter sculta erant ipsorum nomina, „ dicendo SANCTVS PETRVS; SANCTVS „ PAVLVS: ab alio verò latere similiter scul- „ tum erat nomen ipsius Summi Pontificis, „ more Romanæ antiquitatis. Quod prædi- „ ctum Privilegium bullatum, ut supra, ad „ instantiam & ad requisitionem dicti Abbatis „ Raymundi Privilegium predictum, nullo in „ ipso addito vel detracto vel mutato, auten- „ ticavimus, transumptavimus, & in presen- „ tem formam publicam redegimus ad caute- „ lam antedicti Monasterii & prefati Domini „ Cardinalis Gubernatoris & legitimi Admini- „ stratoris predicti Monasterii de Insula Tre- „ mitarum. Post cujus quidem Privilegii „ ostensionem, & lectionem, & pro cautela „ principalis Monasterii supradicti, & alio- „ rum Monasteriorum, Locorum, Ecclesia- „ rum, & Grangiarum ejusdem Monasterii „ principalis, puplicam transumptam autenti- „ cam, & in hac puplicam formam redegi- „ mus, & ad predictam autem futuram me- „ moriam, & omnium, quorum interest & „ poterit interesse, certitudinem atque caute- „ lam, presens transumptum & autenticum „ puplicum Instrumentum factum est exinde, „ ut prefertur, ad requisitionem dicti venera- „ bilis viri Abbatis Raymundi, Vicarii & „ Procuratoris dicti Domini Cardinalis Baren- „ sis, ut supra, per manus mei Notarii infra- „ scripti, puplicâ Apostolicâ & Imperiali au- „ ctoritate Notarius, meo solito sigillo signa- „ tum, cum decreto & subscriptione propriæ „ manus dicti Reverendi in Christo Patris & „ Domini, Domini Bartholomei, Dei & „ Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopi Valvensis „ roboratum. Et ego predictus subscriptus „ Notarius, quia officium meum proprium „ est, & illum nemini denegare possum nec „ debeo, præscriptum Privilegium transumpta- „ vi, exemplavi, autenticavi, & reddegi in „ formam presentis publici Instrumenti de „ verbo ad verbum, nil in eo addito, subtra- „ cto, vel mutato, quod sensum mutet, aut „ vitiet intellectum, intervenientibus & in- „ terpositis in hiis omnibus & singulis sollep- „ niter decreto & mandato ac subscriptione „ præfati Domini Episcopi, sedente, ut præ- „ dicitur, pro tribunali cum sua Curia, su- „ pradicta decernente, presenti transumpto „ ubilibet dandum fidem, una cum appositio- „ ne Sigilli Pontificalis dicti Domini Episcopi „ Valvanensis.

„ Acta sunt hæc videlicet in prædicto Epi- „ sco-

„ scopali nostro Palatio, ubi personaliter residemus, Anno, Mense, Die, & Indictione, quibus supra, presentibus honorabilibus & discretis Viris Domino Antonio de Petrinis de Tocco, Artium & Medicinæ Doctorem, Dompno Petro Laurentii de Tocco Canonico Sulmontino, Domini Valvensis Episcopi in spiritualibus Vicario generali, Dompno Johanni de Tocco similiter Sulmonensi Canonico, Onufrio de Spallettis de Sulmona, Dompno Nicolao Todini de Bungiania, Gentilis Petrutii Nalli de Tocco, Diacono Johanni de Gisso, Mutio Cuti de Porta de Sulmona, testibus ad præmissa &c.

„ Ego *Bartholomeus Episcopus Valvensis* meia manu.

Innocentii III. Papæ Bulla, qua Odoni Abbati Monasterii Sancti Johannis in Venere Lancianensis Diœcesis vetera jura ac privilegia confirmat, Anno 1204.

„ INnocentius Episcopus, servus servorum Dei. Dilectis filiis *Odoni Abbati Monasterii Sancti Joannis in Venere*, ejusque Fratribus tam presentibus quam futuris salutem & Apostolicam benedictionem in perpetuum. *Vox clamantis in deserto: parate viam Domino Rectas facite semitas Dei nostri*, monet nos etiam rectitudinis ingredi ....quoniam fortitudo simplici via Domini. Recta ergo petentibus non est denegandus auditus, quia servorum Dei quieti pro nostro est officio providere, quatenus a secularibus tumultibus liberi in via Domini simplicibus animis fortiter prævaleant ambulare. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prefatum *Monasterium quod ad honorem Sanctæ Dei Genitricis & Virginis Mariæ, Sanctique Johannis Baptistæ* constructum esse dignoscitur, ad exemplar felicis recordationis *Papæ Victoris, Nicolai, Urbani, & Alexandri* prædecessorum nostrûm, *Romanorum Pontificum*, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut Ordo Monasticus, qui secundùm Deum & beati Benedicti Regulam in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem Monasterium in presentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximum exprimenda vocabulis; Locum ipsum, in quo præfatum Monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis: possessiones & alia omnia, quæ in Theatino, Pinnensi, Aprutinensi, Firmanensi, & Termulanensi, Comitatibus obtinetis. In *Comitatu Theatino* has Cellas, videlicet Sancti Johannis in Malotraverso, Sancti Zaccariæ, Sancti Benedicti, Sancti Romani, Sancti Severini, Sanctæ Mariæ ad Capellam secùs Ortonam, Sancti Pauli. & Sancti Petri cum Burgo ex altera ejus Ecclesias Sancti Georgii, Sancti Philippi de Palatio, Sancti Angeli, cum tertia parte Portus Ortone, Sanctæ Mariæ juxta rivum, qui dicitur Crucis. In *Corte Anteani* Sanctorum Martyrum Legontiani & Domitioni cum mille modiis terræ juxta se. In *Curte de Angrame* Sancti Calisti, Sanctarum Virginum Annæ & Petronillæ, Sancti Ambrosii, Sancti Martini, Sancti Stephani ad Collem. In *Gypsis* Sanctæ Crucis cum duodecim Mansnatis hominum, Sancti . . . . . . intra Oppidum septem . . . . . . Sancti Nicolai, Cellas Sancti Johannis in Rocca cum Oppido suo, Sancti . . . . cum Oppido suo, Sancti Germani, Sancti Eusanii cum Castello suo, Sancti Apollinaris cum Castello suo, Sancti Nicolai cum Castello suo, Sancti Viti, Sanctæ Mariæ in Callaria cum Castello suo, Sanctæ Mariæ in Cripta Ferrinea, Sanctæ Mariæ de Trillio cum Castellis suis, Sancti Angeli in Pischo, Sancti Angeli Ocruhæ cum Oppido suo, Sancti Marci, Sancti Quirici, Sanctæ Luciæ in Argellis, Sancti Pantaleonis, Sanctæ Crucis cum Oppido in Velar . . . . Sancti Ansuani, Sancti Johannis in Ragio, Sancti Pauli in Piscaria cum Oppido suo, Sancti Laurentii in Piscaria cum parte portus de Transverso ejusdem fluminis, & quartæ partis ejusdem, Sancti Nicolai cum Oppido Sangro, Sancti Cantiani cum Castello Pallito, Sancti Martini de filiis Theobaldi, Sancti Petri in Bammerio cum Serra sua & Cellis videlicet Sancti Bartholomei de Vicenda, Sancti Blasii de Montenigro, Sancti Nicolai de Plazano; & Ecclesiæ Sanctæ Agatæ, Sancti Pancratii, Sancti Justini de Casule, Sancti Petri in Ormo, Sancti Linari cum Castello suo, Sancti Petri cum Castello Resse, Sancti Petri in Parlasi, Sanctæ Mariæ in Villa, Sanctæ Mariæ in Geramo, Sancti Pauli, Sanctæ Mariæ de Rosa, Sancti Quirici in Rivo Plano, Sanctæ Mariæ in Basilica, & Sancti Petri in Portula. Oppida verò hæc, Fossamcæcam, Castellummuratum, Roccam de Salanis Girli, Paternum, Lentiscum, Montem Octaviani, Guastameroli, Portula Neiconica, Castellum versùs Valenianum, Petomurum, Senellam, Castellionem, Guastum Aimonis, Turricellam, medietatem Collis Martini, Illicem, Pinnam, Gipsum . . . . . & Scorciosam, Casale Sancti Benedicti, Morum, Rivum Petri, & Pescoli. In *Comitatu Pennensi* Cellas Sanctæ Mariæ in Frisano, Sanctæ Mariæ in Ponsano cum Castello Casavetre, Sancti Michaëlis in Bocaceto cum Serra & Cellis suis, & Serra de Sanarico, Sancti Michaëlis in fine cum Serra & podio suo, & Sancti Petri in Campo Rotundo, Sanctæ Mariæ in Lopia-

„ no

„ ne cum podio suo, Sancti Joannis in Rivo „ Sonelli, Sancti Joannis in Aquaviva cum „ Casali suo, Sancti Pelini, Sancti Joannis ad „ Poncillum, Sancti Antimi, Sanctæ Mariæ „ in Rigulo, Sancti Salvatoris in Rivoturbi- „ do, Sanctæ Mariæ in Villa, Sancti Nico- „ lai in Planura, Sancti Laurentii juxta Go- „ manum, & Sancti Johannis ad Casamcom- „ bustum; Castellum ad mare . . . . fo- „ veam, Cosenzam, Montemsilvanum, Civi- „ tatem Sancti Angeli, Ilicem Sanctæ Cru- „ cis, Casamlariti, Ilicem Titilianam, Teso- „ rum Sciorantem, Montem Galterii, Mor- „ tulam, Spartusanum, Vistamaffetam, Ro- „ serum, Avianum, Romelisi . . . . Mit- „ tillanum, Casule, Murumaltum, Castellum „ Vechini, Montempictum, & Ecclesiam „ Sancti Joannis de filiis Tribuni. In *Comi- „ tatu Aprutiensi* Cellam Sancti Joannis in Go- „ mano cum Castello suo, Cerrumbifurcum, „ Ecclesiam Sancti Cæsarii, Sancti Donati in „ Salivo cum Castello Palmæ, & Sancti Ste- „ phani juxta Ecclesiam Sancti Angeli, Mon- „ tem Pagani, & Casale Sancti Martini in „ Gomano, Gratinium, Ripam filiorum Mo- „ relli, Curtem de Padone, Annotarum, „ Curtem totam de Bucelliano, tertiam par- „ tem Curtis de Semproniano. In *Comitatu „ Firmanensi* Cellam Sancti Petri cum Castel- „ lo Paterno, Materone, Montemboranium, „ Castellum Nodestariscum, Caprillium Col- „ mani, Ecclesiam Sancti Pastoris. In *Comi- „ tatu Asculano* totam Curtem de Salciano. „ In *Comitatu Camerino* terras cum suis culto- „ ribus, in Curte Sancti Palumbi, mediam „ Curtem de Cascliano, quartam partem Cur- „ tis de . . . . In *Comitatu Termulanensi* „ Cellas Sancti Martini, Sanctæ Mariæ in Co- „ ronula cum Castello de Olivastro, & Ec- „ clesias Sancti Januarii, Sancti Victorini, „ Sancti Laurentii, sextam partem proven- „ tuum Ecclesiæ Sancti Salvatoris; *apud Li- „ sinam* Cellam Sancti Archangeli . . . . „ *suburbia Ferrariæ* Cellam Sancti Nicolai.

A

„ In *Civitate Ravennæ* Ecclesiam Sanctæ Ma- „ riæ ad muam tagliatam. In *Principatu Be- „ neventanensi* Ecclesias Sanctæ Mariæ, & San- „ cti Johannis in Martio, Ecclesiam Sancti „ Anastasii. In *Civitate* . . . . . . *In Dalmatia „ apud Belgradum* Cellam Sancti Thomæ: „ similiter etiam thelonium mercatorum & „ pontium, decimasque & oblationes mortuo- „ rum, rebus omnibus. Chrisma verò, Cle- „ ricorum ordinationes & Monachorum, ce- „ terorumque, qui sunt ad sacros Ordines „ promovendi, a quocumque volueritis Ca- „ tholico recipiatis Episcopo. Intra totius „ Abbatiæ nullus Episcopus, nisi a te invita- „ tus, Synodum audeat celebrare, vel Cle- B „ ricos constringere, ut intelligas curam sane „ ad tuam sollicitudinem pertinere, specialiter „ tibi ab Apostolica Sede indultam. Obeunti „ verò te nunc ejusdem loci Abbate, vel tuo- „ rum quolibet successorum, nullus ibi qualibet „ successione, astutia vel violentia præpona- „ tur, nisi quem Fratres communi consensu, „ vel Fratrum pars consilii sanioris secundùm „ Dei & beati Benedicti Regulam providerint „ eligendum. Electus autem ad Romanum „ Pontificem benedicendus accedat. Vos au- „ tem, filii, oportet collatam vobis gratiam „ in omnibus custodire, & tantis Sedis Apo- „ stolicæ dignis operibus beneficiis respondere, „ ne libertate hac in occasione carnis, & ve- C „ lamine malitiæ abutamini, sed quanto a se- „ cularibus tumultibus liberiores estis, tantò „ amplius placere Deo totis mentis & animi „ virtutibus procuretis. Decernimus ergo, „ ut nulli omnino hominum liceat præfatum „ Monasterium temere perturbare, aut ejus „ possessiones auferre, vel ablatas retinere, „ minuere, seu quibuslibet vexationibus fati- „ gare, sed omnia illibata & integra con- „ serventur eorum, pro quorum gubernatione „ ac sustentatione concessa sunt, usibus omni- „ mode profutura, salvâ Sedis Apostolicæ au- „ ctoritate. Si quis autem in futurum Eccle- „ siastica, Secularisve persona &c. (*)



Ego *Innocentius Catholicæ Sedis Episcopus*.

„ ✠ Ego Stegus Ecclesiæ Sanctæ Cæciliæ Presbiter Cardinalis.
„ ✠ Ego Jordanus Sanctæ Pudentianæ titulo Pastoris Presbiter Cardinalis.
„ ✠ Ego Gregorius Presbiter Cardinalis Sancti Martini titulo . . . . . .
„ ✠ Ego Joannes titulo Sanctæ Priscæ Presbiter Cardinalis.
„ ✠ Ego Censius Sanctorum Joannis & Pauli Presbiter Cardinalis titulo Sancti Pamachii.
„ ✠ Ego GG. titulo Sancti Vitalis Presbiter Cardinalis.
„ ✠ Ego Benedictus titulo Sanctæ Susanæ Presbiter Cardinalis.
„ ✠ Ego Octavianus Hostiensis, & Messi . . . . . Episcopus.
„ ✠ Ego Petrus Portuensis, & Sanctæ Justinæ Episcopus.
„ ✠ Ego Joannes Albanensis Episcopus.
„ ✠ Ego Gratianus Sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconus Cardinalis.
„ ✠ Ego Gregorius Sancti Georgii ad Velum aureum Diaconus Cardinalis.
„ ✠ Ego Virgilius Sancti Eustasii Diaconus Cardinalis.

(*) uti supra in Bulla Alexandri III. Papæ.

„ ✠ Ego Matthæus Sancti Theodori Diaconus Cardinalis.
„ ✠ Ego Joannes Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis.


„ Datum Romæ apud Sanctum Petrum per manus Johannis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconi „ & Notarii, IV. Nonas Decembris, Indictione VIII. Incarnationis Dominicæ Anno MCCIV. „ Pontificatus verò Domini Innocentii Papæ III. Anno Septimo.

Ad ista accedat Diploma Conradi I. Augusti, cujus apographum in Hospitali domo Sanctæ Mariæ Senensis vidit, & ad me descriptum misit, dum viveret, Cl. Vir Hubertus Benvoglientus Patricius Senensis, cujus eruditionem, subactum judicium, ac humanitatem, cum aliis in locis commemoravi, tum heic deprædicare dulce mihi est. Agitur ibi de *Monasterio Sancti Salvatoris* constructo in *Monte Amiate* Diœcesis Clusinæ. Ejus fundationem Ughellius Ital. Sacr. Tom. III. in Clusin. Episcop. retulit, factam a Ratchisio Langobardorum Rege, sed fabulis scatentem. Addidit etiam ejusdem Ratchisii Diploma, minime animadvertens patentia signa fœtus omnino spurii. Quippe datum dicitur *Anno Incarnationis Dominicæ DCCXLII. Indictione X. Anno Rachis Regis Tertio*, quum Ratchis Anno dumtaxat DCCXLIV. Liutprando Regi successerit, neque *Annus Tertius* illius cum *Indictione Decima* concurrat, neque Langobardis Regibus mos fuerit Monogramma, & Epocham Dionysianam, sive vulgarem Annorum Christi, in suis Chartis adhibere. Mitto *Marchionum* nomen, tunc nondum natum, ibi occurrere: & subscribere *Wichingum Archicancellarium ad vicem Ledemari Archicapellani*: quod alienum prorsus agnoscas a Cancellaria Regum Lango- A bardorum, immo ridiculum est; neque enim *Archicancellarius ad vicem* alterius signare Chartas consuevit. Mitto & alia. Neque Ratchis Rex, sed Liutprando regnante *Gregorius armipotens & robustissimus Dux* Langobardus, *ejus aulæ mœnia a fundamentis dicavit*, ut habent versiculi quidam rudes & barbari, quos Ughellius ipse produxit. Verùm non insueta sunt ejusmodi figmenta. Vide Dissertationem XXXIV. *de Diplomatis*, & LXX. *de Immunitat. Clericorum*. Succedat itaque nunc Diploma, quod nuper pollicitus fui, unde constabit, quot Cellis, aliisque juribus frueretur olim Amiatinum Cœnobium. Atque hæc ad Historiam Monasticam Italiæ aliquando illustrandam B usui erunt, ad quam rite pertractandam multa defecere diligentiam celeberrimi Mabillonii; atque optandum erat, ut hoc munere functus fuisset ad Italiæ laudem ingenium felix, & omnigena eruditio P. D. Angeli Mariæ Quirini Monachi Benedictini, nunc sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis amplissimi, & Episcopi Brixiani, qui hujus laboris specimen illustre dedit, ac majora sperare nos fecit. Nullus enim inter Eruditos ignorat, quantum Historiæ Ecclesiasticæ & Sæculari medii Ævi conducere possit Monastica eorum temporum Historia.

Conradi Augusti I. Diploma, quo omnia jura ac bona confirmat Guinizoni Abbati Monasterii Sancti Salvatoris in Amiate Clusinæ Diœceseos, Anno 1027.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis*. Cunradus *divinâ favente clementiâ* Imperator Augustus. *Dignum est, ut qui prudenter Dei obsequia ordinare procurant, & hoc ad stabilitatem nostram, corroboratione confirmaremus exposcunt, ut tanto libentius obaudiant, quantò Deo placita intelligimus, & prudentia Deo protegente bono studio ad effectum perducere procuravimus. Igitur omnium fidelium sancte Dei Ecclesie ac nostrorum, presentium scilicet & futurorum, comperiat sollertia, quia dum nos dilecto fideli nostro* Guinizoni Abbati Cenobii Domini & Salvatoris in Monte Amiate *constructum ad regendum commiserimus, & ibidem neglecta Dei obsequia, & procurationem Deo ibidem famulantium, Predecessorum suorum incuriâ, multis modis repperisset, studiosius decertavit Congregationem Monachorum Deo ibidem servientium regulariter corrigere, & solummodo divinis obsequiis deditos . . . . ad sufficientiam suorum largiremus, quatenus Prælati jam fati Monasterii Domini Salvatoris, qui per tempora fuerint, ac successores illius Abbates vel Prepositi cum subjectis Monachis, victum ibidem Deo servientium in futurum sufficienter habere mereantur. Ob amorem Dei, remediumque anime nostre, ac successorum nostrorum Regum aut Imperatorum, conferimus eis ad sufficientiam suorum* Cellam Sancti Benedicti *in* Bucino, *Curtem & Plebem Sancte Ma-* C *rie in Lamule, Curtem Sancti Stephani in Monticolo cum Castro Montelatronis, Curtem de Mustra cum Castro Montenegro, Curtem de Laminiana, cum Castro Montepenzutulo, sicut Ubertus ad manum suam detinuit, Curtem Sancti Miniati, Curtem Sancti Quirici in Piscinule, & Sancti Simeonis, & Sancti Peregrini, & Curtem Sancte Marie de Offena cum Rocca, que vocatur Sanine, Curtem de Palea, & Sancti Sebastiani, Curtem Sancti Stephani in Tutona, Curtem Sancti Clementis in Titiniano cum terris, & angariales, Curtem de Mussona cum terra de Redula majore & minore, & Bitena, & Canneta, & Herminula, medietatem de Curte Sancti Lazari cum sua Ecclesia, Curtem de* D *Feroniano, Curtem de Citiliano, & Curtem Sancti Salvatoris in Vigugnano, Curtem Sancti Severi super Latum, & Curticellam de Bisenzo, Curtem Sancti Johannis in Vasriano, & Sancti Satenrani, Curtem Sancti Columbani, & Curtem Sancti Salvatoris in Villa Racana.* Cellam Sancte Marie in Valeriano, *Curticella in Cartutule cum terra & vinea, que est prope fluvio Varano, Curtem Sancti Salvatoris in Campagnatico, Curtem Sancti Petri in Cervaria, & Curtem Sancti Stephani in Viniano, Curtem Sancti Severi in Paterna cum Campo Albiniano, Curticella, que nominatur Croscule, & Curticella in Cursiniano cum omnibus pertinentiis & adjacentiis suis.* Cellam Sancti Pe-

tri in Latera, & Cellam Sancti Petri in Garmarita *cum Sancto Anastasio*. Cellam Sancti Savini, & Sanctæ Restitutæ, & Sancti Petri, & Sancti Stephani in Terquino. Cellam Sanctæ Mariæ in Corgnitu *per locas designatas. De una parte ripa cum Petra, quæ divisa est a ripa. De alia parte via publica, que venit per portam, & terra Azonis filii Benzi cum suis consortibus. De quarta vero parte est terra filii Alonis. Ea videlicet ratione, ut ab hac in futurum predicta sancta Congregatio his omnibus denominatis Cellulis & Curtibus cum suis omnibus pertinentiis & adjacentiis, tantummodo suis utilitatibus habentes, victum vestitumque regulariter sumentes ab ulla dilatione, solummodo divinis die noctuque persistant obsequiis, ac pro stabilitate totius Imperii nobis a Deo commissi studeant exorare. Sed quod bono studio, bonaque voluntate fecimus, perhennem habeat stabilitatem, petiit pietatem nostram, ut eamdem ordinationem nostra confirmaremus conscriptione, sicut & fecimus. Denique etiam concedimus predicto Monasterio omnes Decimas, frea, & judiciaria, vel omnem compositionem & exhibitionem publicam ex omnibus manentibus desuper memoratis Cellulis & Curtibus ob remedium anime nostre, successorumque nostrorum Regum vel Imperatorum, qui per tempora fuerint, ad portam ipsius Monasterii conferendam semper ad usus peregrinorum sustendandos in alimoniam & augmentum anime nostre propter offensiones malorum ac pravorum hominum, que sufferre minime sustentare potuerant. Quapropter eidem sancto Loco hoc nostrum preceptum fieri jussimus, per quod precipimus, ut ab hac in futurum eadem sancta Congregatio cum omni quietudine absque ullo publico repetita, ac Rectoris loci ipsius subtracta easdem Cellulas & Curtes in suis utilitatibus ac necessitatibus habeant, & ordinent, faciant, & disponant, quatenus exinde sufficientiam habentes in divinis obsequiis, & nobis eorum famulatio perficiat sempiternale remedium. Si qua vero, quod futurum minime credimus, magna parvaque persona contra hoc nostrum &c.*

Signum Domni Cunradi  *invictissimi Imperatoris Augusti.*

Hugo Cancellarius vice Domini Aribonis Archiepiscopi & Archicancellarii recognovit.

Data Anno Dominice Incarnationis MXXVII. Regni verò Domni Cunradi Secundi Regnantis III. Imperii ejus Primo, Indictione X.

Data in Civitate Leoniana, Nonis Aprilis.

Alterum ejusdem Conradi Diploma, datum Anno MXXXVI. eidem Guinizoni Abbati produxit Ughellius. Tertium Henrici Sancti Regis, ac postea Imperatoris, ego dabo in Dissertatione LXXII. *de Caussis imminut. olim Ecclesiastic. potest.* Atque hæc de *Cellis* & *Ecclesiis* ad singula ferme Cœnobia olim pertinentibus. Nunc alterum mihi memorandum est: videlicet antiquis temporibus invectum fuisse morem, ut præstantiora, sive ut ajebant, *fortia* Monasteria quibuscumque possent minoribus Monasteriis dominarentur. Quod duobus modis contigit. Aut enim sponte ejusmodi minora Monasteria sese subjiciebant majoribus, aut potestate aliquâ legitimâ aut illegitimâ cogente, jugum subibant. Ad primum quod attinet, nulla dubitatio est, quin Monasteria olim, quo plures nutriebant Monachos, & Regularis observantiæ studio fervebant, eo ampliora Privilegia a Regibus impetrarint. Celeberrima hoc titulo antiquioribus Sæculis fuere in Gallia Lirinense, Agaunense, & Luxoviense. Et Aistulphus Langobardorum Rex in Lege X. inter Leges Langobardor. id innuit, majori favore ea Monasteria prosequutus, quorum Abbas talis sit, *qui per Regulam secundùm Deum vivat, & sibi subjectos Monachos usque sexaginta & amplius habeat, qui cum eo regulariter vivant*. Vulturnense Monachos quingentos, longe plures Nonantulanum aluisse feruntur. Duplici ergo de caussâ Monachi in Monasteriis exilibus aut mediocribus degentes, pinguiorum ditioni sese committebant; sive quod eâ ratione communia sibi fiebant illustris ac ditissimi Monasterii, cui se tradebant, Privilegia; sive quod apud se invectam aut restitutam cupiebant Monasticam disciplinam, quæ uti nostris temporibus, ita quoque vetustis, diligentius observabatur in majoribus Monachorum cœtibus, quàm in minoribus. Ad hæc Majoribus interdum Monasteriis Minora subjiciebantur ab illorum piis Conditoribus, ut potentiori patrocinio contra improbos sacrorum raptores fruerentur. Prostant in Bullario Margarini Bullæ ac Diplomata, & in Chronico Casinensi monumenta varia, quæ fidem faciunt, celeberrimo Casinensi Cœnobio subfuisse complura alia Monasteria. Ex iis verò minoribus Monasteriis nudum tantummodo nomen nunc superest in Chartis, at nullum in locis vestigium. Petro Diacono teste Lib. 4. Cap. 18. ejusdem Chronici Casinensis Oderisius Abbas, sive pro eo Georgius Monachus, *in præsentia Henrici IV. Imperatoris, & Henrici V. filii ejus, & Mathildæ Comitissæ proclamationem fecit de possessionibus Cœnobii Casinensis apud Liguriam positis*; quod sane mirum, immo falsum mihi videtur, quum nusquam legerim, Mathildem Comitissam conventum ullum temporibus iis instituisse cum Henrico inter Reges Quarto, inimico Ecclesiæ & suo, quem a communione Fidelium Romani Pontifices dudum ante excluserant. Proclamationem, inquam, fecisse traditur *de Monasterio Sancti Benedicti in Persiceta territorio Mutinensi. De Monasterio Sanctæ Mariæ* in

in Laurentiaco. De Monasterio Sancti Domnini in Curte Argellæ. De Monasterio Sancti Johannis in Fraſſenetula. De Monasterio Sancti Martini prope Castrum Unciola. De Monasterio Sancti Salvatoris in Pontelongu cum tota ejus eâdem Curte per Comitatum Mutinensem. Ne rudera quidem supersunt ejusmodi Monasteriorum. Neque tantùm in continenti Italiæ, sed & in Gallia, in Delmatia, atque in Insulis erant Casinensi Monasterio alia subjecta. Inter cetera verò commemorat idem Leo Lib. 3. Cap. 23. & seq. Barasonem in Sardinia Regem circiter Annum Christi MLXII. Monachos a Casinensi Abbate Desiderio expetiisse ad fundandum in Sardinia Monasterium, Casinensi A addicendum. Quod & biennio post factum est. Alterum quoque per ea tempora ædificavit Torkitorius alter Sardiniæ Rex, illudque per *Chartam beato Benedicto contribuit*. Hoc mihi revocat in mentem par consilium alterius Barasonis in Sardinia Regis, illius nempe, cujus multa est mentio in Annalib. Genuensib. Caffari, in Pisanis, aliisque Historiis; & multa ego quoque disserui in Dissert. V. *de Ducibus*, & in Dissert. XXXII. *de Origine Linguæ Ital.* Nam & ipse Monasterium ædificandum curavit, & Casinensi subjecit, ut subsequens Charta indicabit, ex ejusdem insignis Cœnobii Tabulario descripta.

Barasonis in Sardinia Regis Diploma, quo Ecclesiam Sancti Nicolai de Gurgo donat Monasterio Montis Casini, ut ibi statuatur novum Monasterium, Anno 1182.

I*N nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen. Peccatorum pondere prægravatis principale reperitur remedium, ut temporalem substantiam Christi pauperibus erogare festinent, Domino ipso dicente:* Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. *Et iterum:* Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. *Ideoque hanc vocem audiens ego* Parason Arboreæ Rex & Judex, *Avi & Patris mei sequens per posse pia vestigia, consentiente uxore mea* Regina Algaburga, *necnon & Episcopis nostris* Mariniano Zorraki de Terra Alba, *&* Comitano Pais de Ala, *pro redemptione animarum nostrarum, & parentum nostrorum*, donamus atque concedimus Ecclesiæ Sancti Benedicti de Monte Casino Ecclesiam Sancti Nicolai de Gurgo *cum omnibus pertinentiis suis, cum servis & ancillis, terris, vineis, cultis & incultis, saltibus & pratis & silvis atque piscationibus, nec non & animalibus, & cum omnibus, quæ in Cartulis ejusdem Ecclesiæ scripta continentur: tali pacto atque conventione*, ut duodecim ibidem ad Deo serviendum, *si tamen supradicta Ecclesia hoc substinere sine sui detrimento potuerit*, dirigat Monachos, *ex quibus tres vel quatuor ita sint literati, ut, si necessarium fuerit, in Archiepiscopos & Episcopos possint eligi, ac etiam Regni nostri negotia sive in Romana Curia, vel in Curia Imperatoris, & ubique valeant tractare. Si verò tantos substinere non potuerit prædicta Ecclesia, septem, vel quantos secundùm consilium nostrum visum fuerit, transmittat. De qua Ecclesia viginti Bisantios & non plus annuatim accipiat Ecclesia Sancti Benedicti Montis Casini, nisi fortè aliquid intervenerit eidem Ecclesiæ impedimentum, vel pro Curia Romana, vel pro guerra, vel certe pro Regis sui negotio, vel etiam pro comparatione alicujus terræ. Mihi autem vel alicui alteri non liceat aliquo modo supradictam Sancti Nicolai repetere vel inquietare Ecclesiam, si supradictam tenere voluerint conventionem. Testes* Marianus Zoraki Episcopus Tetralbæ, *&* Comitanus Pais Episcopus Ale, *& Ponthus Curator de Capitano, & Comitanus de Lacon, Pedes Curator de Valenza, & Constantinus Spanus Curator de Fradoriane, Judex Parason de Gallul Curator de Mili, Orzocho de Lacon filius meus Curator de Gilciber, Orzochor de Lacon, Arborikesus Curator de Barbaria Demeana, Constantinus Mama Curator de Mandra Olisai, Johannes de Vinea, Bujakeson major cum totis suis sociis, Petrus Paganus, quamvis indignus Sacerdos, qui hæc omnia scripsit. Si quis autem circa hanc nostræ donationis Cartulam aliquid moliri voluerit, omnipotentis Dei Patris & Filii & Spiritus Sancti, nec non & Beatæ semper Virginis Dei Genitricis Mariæ, & omnium cœlestium Virtutum, & sanctorum Patriarcharum & Prophetarum, Apostolorum, Euangelistarum, Discipulorum, Innocentium, Martyrum, Confessorum, atque Virginum, & omnium incurrant maledictionem electorum: amen. Qui autem huic Cartulæ consenserint, & eam confirmaverint, & verum esse crediderint, habeant benedictionem Dei omnipotentis Patris, & Filii & Spiritus Sancti, necnon Beatæ semper Virginis Dei Genitricis Mariæ, & omnium cœlestium Virtutum, & Sanctorum Patriarcharum & Prophetarum, Apostolorum, Euangelistarum, Discipulorum, Innocentium, Martyrum, Confessorum, atque Virginum, & omnium electorum: Amen.*

Hæc omnia sunt ordinata & firmata Anno Millesimo Centesimo Octogesimo Secundo.

Locus Sigilli ✠ plumbei.

Ita Farfensi, Vulturnensi, Perusino, Padolironensi, Nonantulano, Romano Sancti Pauli, Ambrosiano &c. alia Monasteria suberant. Ita in Dissertatione XVII. *de Fisco*, Chartam produxi indicantem, *Monasterium Pistoriense Sancti Bartholomæi* fuisse subjectum *Monasterio Parmensi Sancti Johannis Euangelistæ*. Neque aliter factum de Monasteriis Græcorum, inter quæ splendidiora aliis minoribus sibi adjunctis imperabant. In Dissertatione V. *de Ducibus* vidimus *Monasterium Neapolitanum Sanctorum Sergii & Bacchi congregatum in Monasterio Sanctorum Theodori & Sebastiani*, cui præerat Anno MXLIV. *Laurentius Hegumenus*. Idem per aliam Chartam confirmatum videas, quam ad me ex Neapolitanis membranis descriptam misit Vir Clariss. Nicolaus Carminius Falco, nunc Episcopus Marturanensis, sed iis tenebris circumseptam, ut præstare non possim certum Annum, quo scripta fuerit. In eo expiscando feliciores erunt Lectores.

Concordiæ

Concordia inter Sergium, sive Gregorium Episcopum Neapolitanum & Sergium Hegumenum Monasterii Sanctorum Sergii & Bacchi, Anno........

IN nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi. Imperante Domino nostro Basilio magno Imperatore, Anno Sexto, sed & Nicephorio & Constantino magnis Imperatoribus Anno Tertio, die XI. Mensis Martii, Indictione Nona, Neapolis. Horta est itaque intentio inter nos Sergio gratiâ Dei Episcopi sancte Sedis Neapoli, & vos videlicet Sergio umilem Ygumeno Monasterii Sanctorum Sergii & Bacchi, qui nunc congregatus est in Monasterio Sanctorum Theodori & Sebastiani, situm in loco, qui vocatur Casapicta in Viridario, de altercationem, quam inter nos habuimus de una terra, que vocatur Cicanellum, posita in Quarto majore, abente ha parte Horientis & ha parte Septentrionis, Gualdum scripti sancti nostri Episcopii, & a parte Meridiei est egripus, qui est in terre & campu, qui vocatur Catitianum, & a parte Occidentis est terra vestra scripti sancti vestri Monasterii, qui fuit quondam Timothei Monachi vestri, qui in laicatum Taurus vocabatur, quomodo inter se tres termines exfinat. Unde vos quesivi, dicendo: Pars nostra scripti sancti nostri Episcopii, quod scripta terra nostra est, & nos & scripto sancto nostro Episcopio illa dominavimus per quadragintam annos, & vos, nec Antecessores vestris illam non dominastis intus quadragintam annos. Unde multa altercationem exinde inter nobis habuimus. Unde judicatum est inter nobis exinde, ut si potuerit pars scripti vestri Monasterii hostensionem facere, quomodo intus quadragintam annos scriptus Monasterius vester illa dominasset aut tenuisset intus quadragintam annos, ego ponere vobis exinde securitatem. Sin autem jurare pars scripti nostri Episcopii vobis, & dicere, quia scripta terra scripto nostro Episcopio ea tenuit, & dominabit, quem saudam quem per escaticum, vel si lavorata fuit per quadragintam annos; vos poneretis nobis exinde securitatem. Post autem oc dato, & affirmato judicio, Domino Deo auxiliante, qui est amator pacis, combenientiam inter nobis exinde fecimus absque omni sacramenta, & in presentis divisimus scripta terra vobiscum per medietatem per traversum. Unde benit in scripto nostro Episcopio medietas a parte Horientis juxta scriptum Gualdum nostrum. Unde alia medietas exinde a parte Occidentis benit vobis in scripto vestro Monasterio juxta scripta terra scripti vestri Monasterii, qui fuit de scripto Timotheo Monacho vestro, qui in laicatus Taurus vocabatur, quomodo inter ipsa portione vestra, qui est a parte Occidentis, & inter ipsa portione nostra, qui est a parte Horientis, tres termines exfinat. Primo termine marmoreum, quod est silici, qui est fictus in scriptum egripum a parte Meridiei, qui est inter ipsa terra & scriptum campu, qui vocatur Catitianum; & retrum in secundum terminem, qui est fictus in medio loca; & ab ipso secundo termine retrum in tertio termine, scilicet marmoreum, qui est fictus, & exfinat inter scripta terra, & scriptum Gualdum nostrum, qui est a parte Septentrionis. Et abet scripta portio vestra pro men-

A sura da scriptum terminem, qui est fictus in scriptum egripum, qui est a parte Meridiei, & usque ad scriptum terminem tertium, qui exfinat inter scripta terra, & scriptum Gualdum nostrum, qui est a parte Septentrionis, passi sexaginta tres. Et iterum a parte Occidentis juxta scripta terra, qui fuit scripti Timothei Monachi vestri, ab alio termine, qui est fictus in scriptum egripum inter scripta terra, & terra scripta vestra, qui fuit scripti Timothei, usque at alium terminem, qui est a parte Septentrionis inter scriptum Gualdum nostrum & scripta terras vestras, & scripta halia terra vestra, qui fuit scripti Timothei, passi sexaginta quinque. Et a parte Meridiei per ipsum
B egripum a scripto primum terminem, qui est fictus inter scripta medietate nostra, qui est a parte Horientis, & inter scripta medietate vestra, qui est a parte Occidentis, usque ad ipsum alium terminem, qui est fictus inter ipsa medietate vestra, qui vos a nos tetigit, & inter scripta terra vestra, qui fuit scripti Timothei Monachi vestri, habet passi sexaginta dui. Et a parte Septentrionis inter scriptum Gualdum nostrum, & inter ipsas terras vestras, quomodo tres termines exfinat. Insuper definivi vobiscum & de scripta terra vestra, qui fuit scripti Timothei Monachi vestri, qui in laicatus Taurus vocabatur, qui est juxta scripta terra, quam vos a nos tetigit, posita in eodem loco Cicanellum, qui ad ipsa terra scripti Ti-
C mothee Monacho vestro habet fines a parte Horientis scripta terra, qui nos a vos tetigit, sicuti termines exfinat, & a parte Meridiei est egripum de scriptum campu de Catitiano, & in aliquantum de via, qui badit inter ipsa terra & campu scripti vestri Monasterii: & a parte Occidentis est terra scripti nostri Episcopii, sicuti inter se fossatus communalis exfinat, seu & termines exfinat, quod sunt tres; hoc est, a primo terminem, qui est fictus juxta suprascripta via in ripa a parte vestra, in capite est ipsum fossatum communale, & retrum in secundum & in tertium terminum, qui sunt ficti in ripa ha parte vestra scriptum fossatum
D communale, & a parte Septentrionis & scriptus Gualdus scripti nostri Episcopii, sicut inter se quatuor termines exfinat, qui exfinant inter scripta terra vestra, qui fuit scripti Timothei Monachi vestri, & inter scriptum Gualdum nostrum. Ita ut av odiernam die & semper neque a nobis scripto Gregorio Domini gratiâ Episcopi scripte sancte Sedis Neapolitane Ecclesie, neque a posteris nostris, nec a scripto sancto Episcopio nostro, neque a nobis summissas, nullo tempore nunquam vos scripto Sergio venerabili Ygumeno, aut posteris tuis, nec scriptus sanctus vester Monasterius, quod absit, nunquam abeatis exinde de scripta terra, qui vos a nos tetigit, ut supra legitur, neque de
E scripta terra vestra, qui fuit scripti Timothei Monachi vestri, qualiter & quomodo per scriptis finis & terminis seu passi exgregavimus, ut supra legitur, habeatis quacumque requisitionem aut molestiam a nunc & in perpetuis temporibus. Quia ita nobis stetit adque combenit. Si autem

autem aliter fecerimus de his omnibus scriptis per quobis modum aut summissas personas, tunc componο ego & posteris meis, scriptoque nostro Episcopio, vobis, vestrisque posteris auri Libras una bysantea. Et ec Chartula securitatis combenientie, ut supra legitur, sit firma.

Scripta per manum Johanni Curialis scribendam rogavi per scripta Nona Indictionem.

✠ Gregorius Episcopus *subscripsi.*

✠ *Ego Gregorius filius Domni Sergii, rogatus a suprascripto Domno Gregorio Episcopo, testis subscripsi.*

✠ (*) ЄΓΟ CΤЄΦΑΝΟΥC ΔΝ Ιω ΡΟΓΑΤΟΥC Α CCΤΟ ΔΝ ЄΠΙCΚΟΠΟ ΤЄCΤΙ COΥΒ.

✠ *Ego Gregorius filius Domni Johannis, rogatus a suprascripto Domno Gregorio Episcopo, testis subscripsi.*

✠ *Ego Johannes Curialis, qui supra scriptor, post subscriptionem testium complevi & absolvi die, & Indictionem per scripta Nona.*

A Illud primo crucem mihi fixit, nempe *Sergium Neapolitanum Episcopum* in prioribus Chartæ lineis occurrere nobis; ac deinde *Gregorium* ejusdem Sedis Antistitem, qui & subscribit. Quare pro *Sergio* scribendum videtur *Gregorio*, nisi duos Episcopos eodem tempore Neapoli statuamus: quod alibi factum vidi, quum unus ordinarius foret, alter Coadjutor, & Successor destinatus; aut unus Latinis, alter Græcis præesset. Certe Neapolis utrumque Populum alebat. Secundò perpendet Lector, quem Annum Æræ nostræ indicet *Annus Sextus Basilii* Græcorum Imperatoris, & *Tertius Nicephori* & *Constantini*. In Catalogo Archiepiscoporum Neapolitanorum apud Ughellium recensentur post Annum Millesimum *Sergius I.* & *Sergius II.* & *Gregorius* Archiepiscopi Neapolitani. Floruit autem Sergius I. sub Imperio Basilii & Constantini filiorum Romani junioris. Sed cum iis consortem Imperii nullum invenio *Nicephorum*; & si quidem de illis heic sermo est, Ughellius & Cioccarellus emendandi sunt, qui seriùs quàm par B sit exordium Sergii I. statuunt. Ita Sergii II. & Gregorii Episcopatus ne ipse quidem tres illos Imperatores conregnantes habet. Quare anceps silere malo quàm judicare. Animadvertas etiam, in Charta hac *Sergium*, aut *Gregorium*, non *Archiepiscopi*, sed *Episcopi* dumtaxat titulo uti. Archiepiscopalis autem dignitas aut usurpata a Præsulibus Neapolitanis, aut rite eis collata censetur tantummodo post Annum a Christo nato Millesimum. Videndum ergo, dum Charta hæc germana statuatur (de quo tamen ego non dubito), an Ughellius rationes recte inierit in ætate Præsulum illorum signandâ, aut num aliquem ex iis ipse ignorarit, & cuinam Anno tribuendæ C sint notæ illæ Chronologicæ: neque enim ultra ego in hisce tenebris depellendis fatigari volens, cursum priorem resumo. Celebri quoque & omnium antiquissimo *Sublacensi Cœnobio* subjunctum fuit *Monasterium Sancti Erasmi*: cujus rei testes tabulas, una cum Bulla ac Diplomate nunc evulgandis, ad me misit Nicolaus Aloisius, sacræ Eruditionis cultor, ex Archivo sacri illius Loci descriptas.

(*) Hoc: EGO STEPHANUS DomNi IOhannis ROGATUS A SupraScipTO DomNo EPISCOPO, TESTIs SUBscripsi.

Charta

Charta emphyteusis factæ a Leone Abbate Monasterii Sublacensis Stephaniæ illustri mulieri ad preces Benedicti eminentissimi Ducis, Anno 883.

A*Nno*, *Deo propitio*, *Pontificatus* Domni Marini summi Pontificis & universalis Papæ *in sacratissima Sede beati Petri Apostoli Primo*, *Indictione Prima*, *Mense Aprilis die VI. Benedictus Deus*, *qui justitiam ab injustitia discernit*, *& altercatione jura*, *cujus proprietatis sit*, *restituit*. *Igitur breve recordationi facta*, *qualiter libello tertio generi de* Casina Monasterii Sancti Herasmi, *quem facere visa fuit* Friberga nobilissima femina *ad nomen* Adriani *quondam bone memorie Scriniario seu Marito quondam illustris femine*, *jugalibus*, *intro domum* Domni Benedicti eminentissimi *viri & gloriosi* Duci, *ante presentiam eodem Ducem*, *& ordinarios Judices*, *videlicet Nicolaum Primicerium*, *Georgium Secundicerium*, *Leonem Scriniarium*, *ceteris quamplurimis nobiliores homines*, *a* Stephania illustris femina *relicta a quodam suprascripto Adriano Arcario*, *sed Adriano nobili viro pribigno suo suprascripto libello & tertio genere* ..... Leonem *Domini gratia* religioso & angelico Abbati *venerabilis* Monasterii Sancti Benedicti, *& suprascripti Monasterii Sancti Herasmi*, *situm in Celio Monte*, *cum suis Monachis religiosis*, *videlicet Leone Prepositus*, *Leo qui vocatur Franco*, *& ceteris namque Monachis suis suprascripto Monasterio*. *Prefatum Leonem venerabilem Abbatem dixit ad suprascriptam Stephaniam illustrissimam feminam*, *& ad suprascriptum Adrianum privigno suo*: Spero, ut de eadem Casina Preceptum & aliam Chartam habeatis. *Tunc respondit ipse*, *& suo privigno*: Nullam quamlibet Chartam neque Præceptum exinde habemus. *Tunc pro rogatu & interventu suprascripto Duci Libellum de unde-* A *cim Casinis in Quinto feris Portam Sancti Johannis site predicto Abbati ad eandem Stefaniam & suo privigno fecit*, *vite illorum fruendos*, *& post annuatim pensionem solvendum*, *sicut in eodem Libello legitur*. *De duabus ipse persone*, *qui antea migraverit*, *medietatem suprascripte Casine ad jam dicto Monasterio revertantur*. *Iterum prefatus Abbas & suis Monachis ad supradicti ordinarii Judices dixerunt*: Postquam dicunt, amplius exinde nullam quamlibet Chartam neque Preceptum habere, dicite, quid exinde sit? *Tunc Judices dixerunt & judicaverunt*: Dum illi ante nostram presentiam negant, & dicunt, amplius exinde non habere quamlibet Chartam neque Preceptum ipsis aut eorum heredibus in quolibet B tempore ostendunt roborem firmitatis habentem, preter Libello hoc, qui ante nostram presentiam .... vita illorum illis factum est. *Unde pro futura memoria hanc brevem memoratoriam suprascripti Judices mihi Leonem Scriniarium & Tabellium Urbis Rome rogaverunt scribendam*, *in qua & ipsissima manu propria subscripserunt in Mense & Indictione suprascripta Prima*.

Nicolaus Domini nutu Primicerius summe Sedis Apostolice in hac brevi memoratoria a nobis promulgata interfui & subscripsi.

Georgius Dei providentia Secundicerius sancte Sedis Apostolice in hanc brevi memoratoriam interfui & subscripsi. C

Neque isti Monasterio tantùm, sed & aliis olim dominabatur Sublacense Cœnobium, uti fidem facient Pontificiæ Literæ ex eodem Tabulario depromtæ.

Bulla Johannis XII. Papæ, per quam Leoni Abbati omnia Sublacensis Monasterii bona & jura confirmat, Anno 958.

☧ JOhannes Episcopus, *servus servorum Dei*. Leoni *venerabili Presbitero ac Monacho atque* Abbati *venerabilis* Monasterii Sancti Benedicti & Sancte Scolastice, quod ponitur in Sublaco, *sancteque tue Congregationi, successoribusque vestris in perpetuum. Cum pie desiderium voluntatis & laudande devotionis intentio Apostolicis sint semper de his adjuvandis, quorum est solicitudo adjuvanda, ut ea, que legaliter geruntur, equitate & firmitate consistant, & nulla valeant refragatione perturbari, sed irrefragabili jure atque auctoritate debeant permanere: ob hoc Apostolicis promulgatis sanctionibus propria unicuique, que rationi suppetunt, fas exigit possidenda confirmari. Et ideo, quoniam constat, sanctitatem vestram plurima sanctorum loca acquisisse, & cuncta in honore & utilitate, vestrique venerabilis Monasterii jure & ditione pertinere, & diversos agros una cum Castellis & possessionibus, & famulorum multitudine videmini habere; que omnia sub tue reverentie ditione, sancteque tue Congregationis, successorumque vestrorum servorum Domini, in perpetuum eadem Loca venerabilia & agros seu Massas & possessiones, cum omnibus originalibus famulis ibidem manentibus, cum colonis & colonabus, vel universis inibi pertinentibus, Apostolice Sedis Privilegiis poposcitis confirmari detinenda. Scilicet Castellum in integrum, quod vocatur Sublaco, sive quibus aliis vocabulis nuncupatur, una cum omnibus finibus, terminis, limitibusque suis, terris, casis, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, salectis, arboribus pomiferis, fructiferis diversi generis, puteis, fontibus, rivis aque perhennis edificii parietinis, attiguis, adjunctis, adjacentibusque suis, cultum & incultum, vacuum & plenum, una cum colonis & colonabus utriusque sexus illi pertinentibus, simulque cum glandaticis, herbaticis, vel qualibet alia datione, que ad Castelli jus pertinet, & nostre sancte Romane Ecclesie soliti sunt persolvere. Illud vobis pleniter cum omnibus suis ubique pertinentiis & adjacentiis perpetualiter ad usum & utilitatem Sancti Benedicti Cenobii confirmamus, & roborabiliter stabilimus detinendum sine aliqua datione, una cum flumine, sicut incipit a Petra Imperatoris recte in Ponte Terraneo per venas incedendo usque in Lacum, qui est sub ipso Monasterio cum aquimolis suis, & deinde recte in Silicella & Saliceto, & per locum, ubi Mandra vocatur, cum aquimolis ibidem habentibus, & deinde per Pontem descendentes in Sancto Angelo, item in Sancto Petro, & deinde in prata de Ajano. Similiter & aliam aquam, que Cona vocatur, sita in ipso flumine, & deinde in aqua, que Flumicello vocatur, una cum Augusta, & Bullica, atque Timida, omnes decurrentes in supradicto fluvio, & usque in territorio Sancti Cosme. Cum ripis & plagis omnibus prenominatis ab utraque parte in integrum pertinentibus: cum omnibus loci ipsius aquis, ubi aquimoli facti sunt, & facere poterit, sive ubicumque pisces capere potuerit in totis aquis supradictis. Nec non & Ecclesiam Sancte Felicitatis sine aliqua datione vobis vestrisque successoribus perpetualiter concedimus detinendam in usum & salarium suprascripto vestro venerabili Monasterio.* A *Pari modo & Massam, que vocatur Lubenzana, & Intermarana in integrum cum fundis & canalibus, & omnibus casalibus suis, ubicumque ad ipsam Massam pertinentibus: videlicet Fundum Canterano, & Marano, Seminarum, atque Oricula, & Arsula, Bulsinianum, Toccanellum, Marcatellum, Fundum Paternum, Fundum Aprunio, Fundum Arpellum, Fundum Lenanu, Fundum Tessine, Montes qui vocantur Gemini, descendentes in Trellano, Monte Gordiano, Fundum Sassa, & Colle de Ferrari, & Monasterellum, & alium Monasterellum, Piscano, & Coloniam juxta Sanctum Valerium ex duobus lateribus, & medietatem de Ibice,* B *Fundum Miniano, Fundum Castaniola, & Lorilliano, Sancta Cecilia, Fundum Boberanum, Fundum quod vocatur Valle, cum Ecclesia Sancti Eleutherii, Fundum quod vocatur Capramolente cum Ecclesia Sancti Anastasii. Massam, que vocatur Ampolloni, cum Ecclesia Sancti Martini. Fundum Paternum, quod appellatur Pentima, Fundum Bruvano, Fundum Sancti Pamphili, Fundum Danieli, Fundum Merulana, Fundum Paccano, Fundum Tospoliano cum Ecclesia Sancte Marie, & Sancti Lucentii, Fundum Sancti Cirici, Fundum Cispa, Fundum Romani cum Ecclesia Sancti Angeli, & Sancti Felicis, inter affines ab uno latere fluvium Tivertino,* C *& a secundo latere Papi, & a tertio latere Arco Fulgurati; & descendente in Monte, ubi sunt Cipressi, veniente in Monte, qui vocatur Bulturella, & recte per Sancta Maria descendente in Piscano. Et cum omnibus ad suprascriptam Massam in integrum pertinentibus. Simili modo Fundum Caliscano in integrum cum Ecclesia Sancti Petri.*

Necnon Monasterium Sancte Barbare, & Sancti Anastasii *cum Corticellis duabus, una ante se, & alia post se, cum casis & fundis atque casalibus suis, cum omnibus ad eas in integrum pertinentibus, positum intro Civitate Tiburtina; atque medietatem de Ecclesia Sancte Marie ibi in ipso, cum casis, vineis & terris & omnibus* D *pertinentiis suis trans Tiberim juxta Pontem marmoreum, atque clusuram super se in integrum de vinea, que appellatur Valle Arcese, & clusuram super se in integrum vineatam, cum arboribus olivarum. Et Ecclesiam Sancti Sebastiani, & modicam vineam ante se cum oliveto, atque clusuram de vinea, que ponitur subtus Posterula Tiburtina juxta Silice, qui vocatur Quarrati. Pari modo clausuram in integrum super se de vinea, que vocatur Ortu Magno. Fundum Casaperta, clusurellam de vinea, que vocatur Asorbo, portionem in Prato majore, quo fuit de* Calvo Episcopo; *Fundum Stafilanum in integrum, fundum Romaniano in integrum, fundum Patelini in integrum,* E *fundum Ozano in integrum, fundum Criptule, fundum Panzi, fundum Diruti, fundum Agnaniole, fundum Macroniano, fundum Semissano, fundum Paternum, Vallelonga, fundum Sancte Marie in Pesile, fundum Donabelli, fundum Factoro, fundum Lucu, fundum Catacumba cum Ecclesia Sancti Laurentii, fundum*

dum Afri eum prenominatis fundis in integrum omnibus positis territorio Prenestino & Tiburtino. Item clusuram de vinea, que vocatur Ancarano, in integrum cum arboribus suprascriptis: terram & vineam, que appellatur Pentuma, que fuit de Tetualdo Presbitero: petias duas de vinea ad Sanctum Laurentium in duobus locis: itemque fundum Porclanicum in integrum cum omnibus suis pertinentiis: fundum Otorano, fundum Arcerano, fundum Palasano, fundum Cesuline, fundum Olebano, fundum Campelione, fundum Ojano & Priano, fundum Cammerano, fundum Collemundum, Catilano, Cocubalo, Pacurano. Ecclesiam Sancti Angeli cum omnibus suis pertinentiis, posita in territorio Ferentinello minore, omnia territorio Campanino. Verum etiam fundum Falconiano cum Ecclesia Sancti Nicolai, fundum Fontiniano, Colle de Morelli, fundum Toccanellum, fundum Capla, fundum Oraro, fundum Gratuliano, fundum Cerviano, fundum Labezano, fundum Casanico, fundum Domum cum Ecclesia Sancti Petri, fundum Ponzia, fundum Pozzorosano cum vinea clausura super se, que ponitur juxta Caranico, & Vallem modiorum quatuor cum Castanieto suo juxta Sanctum Petrum, cum terris, vineis & casis atque silvis per diversa loca, territorio Aquilano positam. Itemque territorio Albanense fundum Sorano cum vineis seu terris & criptis, & Ecclesia Sanctorum quatuor: fundum Silva Majore: portionem, que fuit de Floro Episcopo: petiam de vinea in Zizinni, seu & clusuram de vinea in integrum, que ponitur in fundo Cerasano. Necnon Casinas duas ad Pontem Salarum; portionem de Palmi cum terris & hortis. Prata duo juxta Portam Majorem. Casalinas duas, unam in Pedica, que vocatur Burdunaria, & aliam in Campo Majore. Pari modo domoras in integrum cum cortis & hortis, & Ecclesia Sancti Theodori, positas infra Civitatem Romæ juxta Porta Majore, sicuti fuerunt de Floro Episcopo. Similiter domoras, que fuerunt de Johanne & Stephano de Griphi, cum corte & pergule & hortulo juxta Formam Claudiam. Et vineam clusuratam in integrum cum arboribus pomiferis, cum criptis juxta viam, que ducit ad Jerusalem. Simili modo domum in integro cum corte & hortulo & vinea, & cum omnibus ad eam pertinentibus, positam Rome Regione Septima, in qua domo est Ecclesia Sancti Viti. Necnon & vineam seu terram juxta Jerusalem. Item clusuram de vinea in integrum in Albano in fundo Zizinni, petie sex: atque domum in integrum cum hortulo, positam juxta Sanctum Martinum. Similiter domum cum corte, que ponitur in Sibura.

Pari modo & Monasterium Sancti Erasmi cum omnibus suis adjacentiis vel pertinentiis, sicut in vestro continetur Precepto: pariterque petias duas de vinea Inosti, una quidem in fundo Mauri, & alia in Calabriceto. Similiter pratum cultum & assolutum fundo Aguzanu. Que suprascripta cum omnibus Fundis, seu Casalibus, Massis, Ecclesiis, Monasteriis, domibus, hortis, vineis, servis, & ancillis, colonis & colonabus, fluminibus & acquimolis, piscariis, sicut supra legitur, vel etiam in aliis partibus vel Civitatibus, ubicumque vestrum venerabile Monasterium tenere & possidere videtur per quodcumque instrumentum Cartarum, tam per Precepti paginam, seu Privilegii jura, necnon per commutationes seu donationes, & omnia, que fideles Christiani vestre sancte Con-

A gregationi pro suorum venia delictorum donaverunt, vel undecumque Cartulis tam vetustis quamque etiam novis in vestro Monasterio habere videmini, roborabiliter vobis vestrisque successoribus per hoc nostrum Apostolicum Preceptum confirmamus detinendum perpetualiter atque perhenniter. Verumtamen confirmamus vobis Casale unum in integrum, quod vocatur .... juxsta Quartum cum prato suo inter affines, a primo latere Casale, quod vocatur Barbilianum, & ab alio latere fundum Munitula, saliente ab ipso prato per limites suos usque ad parietes desertas, que sunt ultra Formam, & exeunte
B in Via publica; & a tertio latere ipsa Via publica; a quarto latere fundum, quod vocatur Decorita, aqua descendente per limites suos in Formam Jovia, & exeunte per Formam, & revertente per limitem juxta aquam usque ad predictum fundum Barbilianum. Verùm etiam fundum in integrum Sexto cum prato suo juxta rivum inter affines, ab uno latere Via, que pergit ad Pontem Adenona, & ab alio latere Via publica, & si qui alii affines sunt. Omnia vestris piis locis, & sancte nostre Romane, cui Domino auctore deservimus, Ecclesie, inclinati precibus vestris, per hujus Apostolici Privilegii seriem suprascripta omnia immobilia loca cum omnibus eorum pertinentiis, ut supra legitur, a presenti Prima Indictione & in perpetuum vobis vestrisque successoribus concedimus & confir-
C mamus detinendum in usum & utilitatem ipsius venerabilis Monasterii. Ita tamen, ut cotidianis diebus Sacerdotes & Monachi ipsius Monasterii pro remedio anime nostre, nostrorumque Successorum clament in eadem Ecclesia centum Kirie eleyson & centum Christe eleyson, & Sacerdotes sacras oblationes in Missarum solemniis tribus vicibus per singulas hebdomadas pro absolutione nostre anime, nostrorumque Successorum Pontificum omnipotenti Deo offerant. Statuentes Apostolica censura sub divini judicii obtestationem & anathematis interdictum, ut nullus umquam nostrorum Successorum Pontificum, vel alia quelibet magna parvaque persona audeat vel presumat de omnibus suprascriptis immobili-
D bus locis cum omnibus illorum pertinentiis & adjacentiis, ut supra legitur, contra hoc nostrum Pontificale Privilegium agere vel alienare aut auferre presumat; sed potius firmum atque stabile perpetuis ac perennis temporibus ita, ut a nobis statuta sunt, decernimus permanendum. Si quis autem (quod non optamus) contra hoc nostrum Apostolicum Privilegium temptator extiterit, & in quoquam contra ire, & transgressor esse voluerit, sciat se auctoritate Dei omnipotentis, & Domni nostri Apostolorum Principis Petri, cujus licèt immeriti, Domini tamen dignatione, gerimus vices, anathematis vinculo innodatum, & a regno Dei alienum. Qui verò pio intuitu verus
E custos & observator extiterit hujus nostri Apostolici Privilegii, meritis atque precibus beati Petri Apostolorum Principis, & Sancti Benedicti in ethereis arcibus premia ac benedictionis gratiam atque misericordiam a justo judice Domino Deo nostro, vitamque eternam consequi mereatur.

Scriptum per manum Leonis Scriniarii & Notarii sancte summe Sedis Apostolice in Mense Majo, Indictione supra jam dicta Prima.

✠ BENE VALETE ✠

Datum VI. Idus Maji per manum Marini sancte Polimartiensis Ecclesie Episcopi & Bibliothecarii summe Sedis Apostolice, Anno Deo pro-

propitio Pontificatus Domni nostri Johannis summi Pontificis & universalis X. (*) *Pape in sacratissima Sede beati Petri Apostoli Tertio, in Mense & Indictione suprascripta Prima* .

A Accedat etiam ad majus Sublacensis Cœnobii ornamentum nobile Diploma , quod itidem in ejus Tabulario adservatur .

Ottonis I. Augusti Diploma, quo Privilegia omnia confirmat Georgio Sublacensis Monasterii Abbati, Anno 967.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis , scilicet Patris & Filii & Spiritus Sancti* . Otto *divina favente clementia* Imperator Augustus . *Si pro amore ejus , cujus dispensationis benignitate ceteris mortalibus præferri videmur , Loca divino cultui dedita congruis nostre tuitionis munificentiis ad divinum exequendum servitium propensius substollamus , celitus majora remunerationis premia consequi non dubitamus . Omnium igitur fidelium sancte Dei Ecclesie ac nostrorum , presentium scilicet atque futurorum , industriam nosse volumus , quod* Georgius *vir venerabilis* , & ex Apostolice Sedis Secundicerio *religiosus* Abbas Monasterii beatissimi Patris Benedicti, & Sancte Scolastice sororis ejus , quod dicitur in Sublacum , *venit in gremium Basilice Sancti Petri Apostolorum Principis , ubi cum* Domno Johanne XIII. Papa *sancte Sinodo pro utilitate ejusdem Ecclesie , & venerabilium locorum intereramus , circumsedentibus cum* Ravennate Archiepiscopo *plurimis Episcopis ex Romano territorio, atque Italie , & ultramontano Regno , necnon presente* Capuano Principe , qui & Marchio Camerini & Spoletini Ducatus , *atque circumstantibus multis ex nostris ex diverso ordine fidelibus ; & ostensis* Domni Caroli, *aliorumque Augustorum & Regum principalibus Constitutionibus factis , ad stabilimentum , defensionemque sui ejusdem Monasterii , seu omnium rerum sibi pertinentium, postulavit nostram clementiam , ut nos quoque simili modo nostre Imperialis munitionis firmitatem super eundem sanctum Locum , & universas suas pertinentias, de quibus olim instrumenta cum ipso Cenobio ignis consumpsit , fieri juberemus . Cujus precibus pro amore omnipotentis Dei , & Sancti ac precipui Patris Benedicti, & pro redemptione nostre anime , prolis nostre salute & incolumitate , libentissime hac nostre auctoritatis preceptum fieri decrevimus , per quam omnia , que ad illud sanctum Cenobium ex tempore constructionis sue primo pertinent usque in presens , ac deinceps in futurum addita fuerint , confirmamus & corroboramus nominatim & generaliter. Idest Casale , in quo idem Monasterium est collocatum , & Specum , ubi ipse religiosissimus Pater solitariam duxit vitam , cum lacubus duobus , eorumque Flumen , quo extenditur ejus cursus per latitudinem & longitudinem usque locum , qui dicitur Seminarium , cum universis aquemolis , que ibi sunt , & in antea fieri possunt , cum ripis undique circumpositis , & piscariis . In quibus aquemolis & piscariis nullo modo quilibet audeat molam facere aut piscare sine jussione & voluntate*

B *predicti Abbatis , ejusque Successorum . Offerimus quoque & confirmamus in integrum Castellum de Sublacum cum glandatico & erbatico , atque constrictu & placito , omnique dato seu reddito , quem ipsi habitatores , eorumquë anteriores soliti sunt persolvere Lateranensi Palatio , quemadmodum a summis Pontificibus per Apostolice preceptionis paginas concessum & largitum est eidem sancto* Loco . *Et omnia loca , omnesque res , que in omni territorio in eodem Loco concessa sunt , & quanta attinent circa & infra Sublacum juri pretaxati Sancti Benedicti Monasterii , Sancteque Scolastice , sive per divisionem , sive communiter , sive quocumque acquisitionis modo , hoc est sive per scripturam,*

C *sive sine scriptura , cum montibus , collibus , silvis , campis , pratis , rivis , pascuis , edificiis , locisque omnibus cultis & incultis : Item Casale , quod vocatur Campum Dejano , & Cantoranum , Seminarium , atque Augusta , cum terminis & limitibus eorum in integrum , Cervariam quoque ex toto. Omnes etiam res , quas in Reatino territorio tenere & possidere debet , hoc est in Valle , que dicitur Torre, Ecclesiam Sancte Anatolie , quam detinet per concessionem Reatini Episcopi adscriptam . Insuper quecumque eidem ipsi sacro Monasterio* Hugo & Lotharius Reges *concesserunt , scilicet Cortem Sale & Carsoli in integrum cum omnibus ibi ubique adjacentibus pertinentiis . Similiter cuncta,*

D *que in Ciculis , & in Reatino , & Savinensi, & in omni Marsicano territorio , per quodcumque modum acquisita sint , plenissime roboramus .*

In primis Sancti Angeli Monasterium *cum suis in integrum pertinentiis. Res quoque Johannis Presbyteri , & Vicendam unam feminam cum Ursulo piscatore , & aliis Servis cum filiis & filiabus eorum , atque rebus & possessionibus eorum , sicut per Chartam delegavit & tradidit Burgo magnificus vir in supradicto Monasterio. Terram etiam ad centum modia intra Saccum , quod & Gualdum , datam a jam dicto Burgone . Pari modo* Cellam *in Marsi, que nuncupatur* Sancti Euticii, *atque aliam* Cellam *in honore* Sancti Benedicti , & Sancti Felicis ,

E *quam noviter construxit Palumbus Presbiter & Monachus ejusdem Monasterii , cum omnibus ad easdem Ecclesias vel Cortem suam in integrum pertinentibus in universo Marsicano territorio .* Monasterium *præterea unum vocabulo* Sancti Michaëlis Archangeli , quod Barreja dicitur , situm in finibus Beneventanis supra flumen Sangrum , *licèt a Saracenis destructum ex integro, tamen sicut* Elie Abbati *per predictorum Regum precepta confirmatum dignoscitur . Item*

in

(*) Scribe *universalis XII. Papæ* : neque enim Chronologicæ Notæ cum temporibus Johannis X. Papæ alligari possunt. Ughellius Tom. 8. Ital. Sacr. in Archiepiscopis Beneventanis Bullam refert ejusdem Pontificis *Johannis XII.* datam *per manus Marini Episcopi* (idest *Polimartiensis*) *& summæ Sedis Apostolicæ Bibliothecarii , Anno Domini propitio* (scribe *Deo propitio*) *Pontificatus Domni nostri Johannis* &c. *Undecimo ; Menso Decembri , Indictione XV*. Scribendum *Anno Primo*, si a Septembri Indictio nova deducatur, aut *Anno Secundo*.

in territorio Tiburtino Massam, que appellatur Jubenzana in integrum, sicuti per Pontificalia Precepta eidem sancto Loco tradita concessaque est, cum omnibus appendicibus suis, cultis & incultis, & cum finibus limitibusque suis. Similiter totum, quod eidem Monasterium attinet definitum per Cartularum series in loco, qui vocatur Ilice, sicut est usque ad columnam, que stat sub fronte Ilicis juxta viam: deinde in montem, qui vocatur Vulturella, & usque Sanctum Petrum in Aspreto, necnon juxta flumicellum. Item Montem, qui vocatur Bubarano, seu & Casale, qui vocatur Riallis, in quo est Ecclesia Sancti Eleutherii, cum determinatis finibus suis in integrum; & Longarias cum terris, que dicuntur Pentome, cultis & incultis, quomodo extenditur usque in fines Merulane. Item medietatem Casalis, in quo est Ecclesia Sancti Pamphili, que dicitur Johannis Presbyteri. Et alibi medietatem Casalis, qui nominatur Romani minoris: & alteram ejus medietatem, quam tenuit quondam Caloleo, & ipse concambiavit sive commutavit cum quibusdam Tiburtinis. Item Casalem qui dicitur Romani majoris in integrum, & Formas terraneas tres: Casale, qui appellatur Apollonii, in integrum, & Casale Sancti Vincentii cum universis sibi ex integro pertinentibus. Et Casale, qui vocatur Sancti Quirici ex toto & per totum, sicut Pontificalibus *Preceptis, aliisque moniminibus declaratum habetur. Itemque medietatem Casalis, qui vocatur Papi, & Monetula in integrum, sicut prefatus Caloleo pro sua anima delegavit ac dereliquit in eodem sacro Monasterio. Similiter clausuram unam, in qua est Ecclesia Sancti Sebastiani, & quas aliquo modo habere videtur in toto Tiburtino territorio. Intra Civitatem autem Tiburim* Cellam, *vocabulo* Sancte Barbare, *cum omnibus ad se pertinentibus intus & foris, & aquimolum ex integro extra Portam, datum firmiter per predictum Caloleo, & alia duo aquimola in loco, qui vocatur Trullo, sicut omnimodo sæpe nominato venerabili Monasterio per suas moniminas competunt. Post hec Casalia, que istis vocabulis sive aliis nominibus incognitis nuncupantur; idest Corcorulum, Musonianum, Panzis, Dirutula, Ananiole, Cisternule, & Cellulam, que vocatur Aqua Alta, ubi est Ecclesia Sancti Laurentii, cum aquimolis seu omnibus adjacentiis ipsi in integrum pertinentibus. Item Casalem, qui dicitur Arbitetum, & totum Casalem Donavelli, & medietatem Castelli, & omnes res comparationis Leonis Presbiteri. Et omnia que infra totum Campanie territorium ipsum venerabile Monasterium qualitercumque habet. Idest Casalem Porclanicum in integrum cum servis & ancillis ibidem de-*

A *gentibus & pertinentibus. Casale dictum Ojanum majus, & Casale Ojanum minus, utrosque in integrum, cum omnibus, que ipsi sacro Monasterio pertinent quolibet contractu & in quolibet loco; sive in Ferentinello minore, Asile, Ponzia, vel quod est melius, Lupoteis, Lurojate, & in Olevano per ascriptos limites & fines. Atque Casale vel fundum, quod dicitur Leporali, ex integro: & Casale qui vocatur Campum de Fossi, in integrum: Casale Campilionis in integrum: & medietatem Casalis Catejani, & Montem in quo est Cella Sancti Angeli; & Montem, qui vocatur Civitella, in integrum. Et Casale, qui vocatur Congesta; & terram ad modiorum duodecim in fundo Casepacis:* B *& Casale Cesinule in integrum: & portionem Constantie bone femine in Sancta Savina & Sancto Vito. Casale, qui vocatur Casule; & Casale Casarucellis, & Artezanum, Folinianum, & Caprini, cum omnibus ex integro pertinentiis, per limites proprie & usualiter positis.* Et Cellam Sancti Benedicti, *que vocatur Angeli, cum omnibus causis suis, positam in territorio Rutunniano. Post hec Cellam in Surriseo, in qua est Ecclesia Sancte Marie cum omnibus pertinentiis suis in integrum. Et intra Civitatem Romam* Monasterium Sancti Herasmi *cum universis pertinentiis suis intus & foris; & Cortem ex integro, que fuit* Flori Episcopi, *in qua est Ecclesia Sancti Theodori,* C *datam ex concessione ejus. Item modicam terram extra viam juxta Formam, & Casam Johannis Crisi cum horto suo, cum antedictis rebus prope Portam Majorem, cum terris & pratis foris prope eam fundatis. Precipientes itaque precipimus ac jubemus, ut nullus Pontificum, Episcoporum, vel Abbatum præsumat vendere sive alienare de suprascriptis omnibus rebus ejusdem venerabilis Monasterii nisi tantummodo Abbas ibidem specialiter constitutus. Et hoc nonnisi pro rationabili necessitate ejusdem Monasterii secundùm Canonicam permissionem. Quod si aliter quolibet ingenio facere presumserit, omni modo inutiliter maneat. Insuper nulla magna vel parva persona totius Regni nostri audeat* D *Abbatem illum, qui modo est, vel successores suos in aliquo molestare aut disvestire vel inquietare, aut ad placitum provocare absque justa & probatissima causa, neque illorum homines ad turpe servitium aut tributum cogere. Si quis autem contra hanc nostram preceptionem ire presumpserit, sciat se aut magnum exilium passurum, aut centum Libras auri cocti compositurum, medietatem in predicto Monasterio, & medietatem Kamere nostræ. Quod ut verius credatur, & firmiter ab omnibus observetur, manu propria roborantes, annulo nostro jussimus sigillari.*

Signum [monogram] *Domni Ottonis Cesaris Augusti.*

Ambrosius Cancellarius ad vicem Umberti Episcopi & Archicancellarii recognovi & subscripsi.

Data III. Idus Januarias, Anno Dominice Incarnationis DCCCCLXVII. Imperii verò Domni Ottonis piissimi Cesaris V. Indictione X.

Actum Rome in Dei nomine feliciter, Amen.

Neque abjicienda mihi Bulla Nicolai Romani Pontificis, quæ ex ejusdem Sublacensis Monasterii pergamena descripta fuit, quamquam Notæ Chronologicæ in ea desiderentur, & mihi non satis probetur dictio illa *sanctissimi Patris nostri Benedicti*. Cuinam verò Papæ Nicolao, scilicet Primo-ne, an Secundo tribuenda sit Bulla, non satis liquet. Ad Primum quod attinet, mentio heic habetur de Privilegiis, *quæ ab Agarenis olim cum omni supellectile Monasterii igne concremata* fuere. Ante aliquot annos, hoc est Anno DCCCXLVI. Romam & contermina loca Saraceni afflixere. Præter hæc Nicolai I. temporibus floruit Leo Abbas Sublacensis; ac proinde Mabillonius, cui notæ fuisse videntur ejusmodi tabulæ, quum in Annalib. Benedictin. ad Annum DCCCLV. de illo scribat: *qui ea Privilegia renovari a Nicolao Primo impetravit*. Verùm tum formulæ, tum tanta bonorum copia, potius indicant, hæc ad Nicolaum II. esse referenda. Utcumque fit, & qualecumque sit monumentum hoc, illud accipe.

Nicolai fortasse Primi Papæ Bulla pro Monasterio Sublacensi, circiter Annum 864.

„ *Nicolaus Episcopus*, servus servorum Dei, *Leoni* venerabili *Abbati* . . . . . Quia petitis a nobis, qualiter moniminis vel *Privilegii*, *que ab Agarenis olim cum omni supellectili Monasterii igne concremata atque exusta* dignoscitur, quantùm ad vestram memoriam Domino inspirante pertinere videmini, quomodo a beato *Gregorio summo Pontifice*, vel ab aliorum summorum Pontificum, vel etiam ab aliis Christianis pro eorum peccatis redimendis concessa sunt, reconfirmare & stabilire nostra clementia dignaremur; quia nobis valde competit vestre petitioni annuere, que piis desideriis concedenda congruunt; igitur concedimus sive confirmamus in venerabili *Monasterio sanctissimi patris nostri Benedicti & Sancte Scolastice, quod ponitur in Sublacum*: in primis Locum ipsum, qui vocatur Puzeja, ubi ipsum Monasterium constructum est, una cum Specu, ubi ipse beatissimus Benedictus heremiticam duxit vitam cum omnibus infra se & extra se, cum Criptis, & omnia hedificia humana, que ibi nunc sunt, vel in antea construere possunt. Verùm etiam & Lacum Minorem cum piscariis & aquimolis suis, sicuti extenditur aqua per Alaneto, deducente ipsa aqua in locum, qui vocatur Mandra, & pervenit usque in Arco, qui vocatur de Ferrata, cum piscariis & aquimolis, omnia in unum coherentem. Concedimus etiam in perpetuum & ipsi Monasterio confirmamus, ut nullus umquam hominum, magna parvaque persona audeat in ipsa aqua, que vocatur Timida, vel in aqua, que vocatur Augusta, vel in aqua, que dicitur Bullica, neque in Flumicello, neque in aqua de Tozanello, neque in aqua de Cona, neque in ulla aqua de toto territorio Sublaciano, per nullius argumentum aliquis hominum presumat piscari, aut aquemolum dedicare absque consensu Abbatis, qui ibi preesse videtur. Si quis hoc temere presumserit, & aut piscari, aut aquimolum edificare in totis supradictis aquis, precipimus esse compositurum auri cocti Libras XX. Item confirmamus in eodem Monasterio Castellum integrum detinendum, quod vocatur Sublacum, cum omnibus suis pertinentiis vel adjacentiis, cum omni placito & datione sua, una cum glandatico & erbatico suo, atque cuncta publica functione. Confirmamus in eodem venerabili Monasterio Montem in integrum . . . . . . ad Castellum faciendum, qui vocatur Agusta; & Montem, qui vocatur Cervaria, cum omnibus eorum pertinentiis. Porro & Castellum, quod vocatur Arsule, simulque & Castellum, quod vocatur Rubiananum, simulque & Castellum, quod vocatur Maranum: unumquodque Castellum cum Ecclesiis suis, Cellis, domibus infra se & de foris, vineis & terris, campis, pratis, pascuis, silvis, salectis, arboribus pomiferis, fructiferis diversi generis, puteis, fontibus, rivis, aquis, fluminibus, cum aquemolis, cum castanietis, & paludibus, cum montibus & collibus, plagis & appendicibus, cultum vel incultum, vacuum & plenum, cum omnibus ad supradictum Monasterium, seu Castella generaliter, & in integrum pertinentibus, constituta territorio Tiburtino & Sublaciano, mox ut per termina designantur atque demonstrantur: incipiente a Petra Imperatoris, unde ipsum flumen redundat, deinde veniente in Monte, qui vocatur Romani, & recto tramite in Campolongo, pergente in Fossa de Petra, que vocatur de Pereta, cum Ecclesia Sancti Petri; inde veniente in Staffile, quod stat in Campolacro; deinde pervenit in Arco Sancti Georgii, & veniente de Flaontino, & per ipsum Montem descendente in aqua, que Ferrata vocatur, & per ipsam aquam devenit, donec suum cursum explicit in fluvium Tiberis . . . . transmeante ipso fluvio, ascendente in Monte, qui vocatur Cropho, inde per cacumen montium, per concam vallium, per cavernas petrarum devenit in montibus, qui vocantur Gemini: & sic descendente in fines Telle, & exinde descendente in rivo, qui nominatur Trave, & pro eodem rivo descendente in alio rivo de Cona, ubi Cruce vocatur; ab ipsa Cona ascendente per rivo de Baniolum, & recte veniente in locum, qui vocatur Oraru; inde iteratim ascendente in montem, qui de Aquaviva dicitur, & recte in Pontem Terraneum, & per ipsum flumen remeante in Petra Imperatoris, & deinde in Monte Romano.

„ Verùm etiam concedo & confirmo solam Civitatem, que Carseoli nuncupatur, cum Ecclesiis, domibus infra se & inde foris diversis vocabulis, villis, vineis, fundis, & casalibus, rivis, cum aquemolis, & cum omnibus suis pertinentiis, sicut in vestris antiquioribus Privilegiis constat, ita nos in omnibus in suprascripto Monasterio confirmamus, posita infra Reatino & Ciculano & Tiburtino territorio. Denique concedimus in eodem Monasterio Castellum integrum, qui Trollana vocatur, una cum Colle de Ferrari & Sassa, sive quibus aliis vocabulis nuncu-

„ nuncupantur . Et Monesterellum cum villis, „ fundis . . . . . . & casalibus, vineis, & terris, campis, pratis & pascuis, & cum omnibus suis pertinentiis, sicuti extenditur usque in Piscano. Et Casale in integrum, qui „ vocatur Ursano, & Sambuci, cum Ecclesia „ Sancti Thome in desertis posita, & Monte „ in integrum, qui vocatur Gurdiano, cum „ fundis & Casalibus suis, atque medietate de „ loco, qui dicitur Ilice, & locum, qui vocatur Castaniola, cum vineis & terris, cum „ fundis & casalibus extra & intra. Sive etiam „ & Valle Majore, in qua est Ecclesia Sancti „ Eleutherii, cum vineis & terris, vel sua „ omnia pertinentia. Et in ipso confinio Montis, qui vocatur Buberanum cum omnibus „ suis pertinentiis. Concedimus etiam & confirmamus, sicuti a *beata Silvia* concessum „ est, Castellum integrum, quod dicitur Ampolloni, cum Ecclesiis & domibus infra se „ per omnia & extra se, vineis, terris, fundis & casalibus, vel omnibus ad idem Castellum pertinentibus. Et locum qui vocatur „ Pentoma, cum suis omnibus in integrum „ pertinentiis. Verum etiam & medietatem „ de Castello, quod vocatur de Sancto Pamphilo, cum medietate de suis omnibus pertinentiis. Verumtamen & Castellum de Collemalo in integrum. Et locum, qui vocatur „ Romani in integrum. Et medietatem de „ Villa, que appellatur Papi; per unumquemque locum cum fundis & casalibus, vineis „ & terris, campis, pratis, pascuis & silvis, „ salectis, fontibus, rivis cum aquemolis . . . . „ omnibus singulis locis & vocabulis, generaliter & in integrum pertinentibus, omnibus „ jam dictis locis territorio Tiburtino positis. „ Concedimus etiam & confirmamus in supra „ dicto Monasterio *Cellam Sancte Barbare*, que „ est in Civitate Tiburtina, cum domibus & „ Cellis intra se in integrum, cum aquemolis „ suis positis intra eandem Civitatem; & alium „ aquimolum in Castrovetere, & alium foris „ Portam majorem, & de foris cum omnibus „ ad eam pertinentibus. Simili modo portionem in Prato majore, sicut dedit quondam „ *Calvus Episcopus*, & Maria Ancilla Dei: & „ fundum, qui vocatur Macronianus, cum „ casis & vineis, & cum omnibus ad eum pertinentibus: itemque vinee clausuram supra „ se in integrum, que ponitur in fundum..... „ hortum magnum cum Ecclesia Sancte Helene, & cum omnibus ad eum pertinentibus: „ itemque portionem de vinea, que fuit de „ Leone Presbitero, que ponitur in fundum „ Casapetra, cum aquimolo posito in Trullo: „ verùm etiam vinea clausurata super se in integrum posita in Casa Gallorum, territorio „ Ferentinello in integrum. Omnia hec, ut „ superius legitur, in proprium usum & salarium atque utilitatem ipsius venerabilis Monasterii concedimus & confirmamus ad tenendum, & missa preceptione per hujus precepti Privilegii seriem suprascripta roboramus immobilia loca, cum omnibus eorum „ pertinentiis, ut superius legitur, ita sane „ & integre, ut nullus umquam nostrorum „ Successorum Pontificum, vel alia quelibet „ magna parvaque persona ipsa prenominata „ loca a potestate & ditione prefati Monasterii „ auferre vel alienare presumat, sed potius in „ proprio usu omni tempore usque in finem „ Seculi decrevimus permanere, ut cum magna securitate & quiete valeatis fruere & „ possidere ac detinere. Pro quo sub divini „ judicii obtestatione promulgantes decrevimus, „ ut nullus umquam, potestatis ac dignitatis „ qualiscumque sit, vel qualiscumque persona „ cujuscumque sexus, eadem Loca jam superius ab eodem pio Loco auferre aut alienare quelibet, vel minimam partem presumat „ per quodlibet ingenium aut argumentum. „ Si quis (quod non optamus) temerare ausus fuerit, sciat se Domini nostri & Apostolorum Principis Petri anathematis vinculis „ innodatum, & cum diabolo, & ejus atrocissimis pompis, & cum Juda traditore Domini „ Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, in eterno igne concremandum, & in voragine Tartareoque chaos demersurum. Qui verò pio „ intuitu custos & obediens atque observator „ hujus nostre salutifere preceptionis extiterit, „ gratiam & celestem retributionem & eterna „ gaudia a justo Judice Domino nostro consequi mereatur, & vite eterne particeps effici „ mereatur . . . . „ . . . . (*Reliqua desiderantur*.)

Atqui percontetur aliquis: quodnam jus fuit Abbatibus majorum Monasteriorum in Abbates & Monachos minorum sibi subjectorum? Responsum suppeditabunt monumenta Mutinensis Monasterii Sancti Petri, Ordinis Sancti Benedicti, a quo olim pendebat *Candianense Monasterium* in Diœcesi Patavina situm. Inter Episcopum Patavinum, & Abbatem Sancti Petri controversia fervebat, ejusdem Candianensis Monasterii causâ, atque hæc coram non uno Judice agitata est, atque diremta. En sententias & acta, ex Archivo prælaudati Mutinensis Cœnobii descripta.

Sententia

Sententia Ferrarienſis & Adrienſis Epiſcoporum a ſummo Pontifice delegatorum, qua Monaſterium Candianenſe decernitur ſubjectum Monaſterio Sancti Petri Mutinenſis, Anno 1171.

„ IN nomine Sancte & individue Trinitatis. „ Anno Chriſti Nativitatis Milleſimo Cen- „ teſimo Septuageſimo Primo, Indictione „ IV. Menſe Januario, die Beati Vincentii, „ Civitate Ferrarie, in Eccleſia Sancti Ste- „ phani de Ora Canalis, temporibus *Domini* „ *Pape Alexandri*, & *Federici Imperatoris*: „ in preſentia teſtium, quorum nomina ſubter „ leguntur, ſententia talis lata eſt.

„ In nomine Patris & Filii & Spiritus San „ cti. Amen. Nos *Amatus* quidem Dei gra- „ tiâ *Ferrarienſis*, & *Gabriel* eâdem gratiâ „ *Adrienſis*, *Epiſcopi*, ſuper controverſia, que „ vertitur inter *Epiſcopum Paduanum*, & *Ab-* „ *batem Sancti Petri Mutinenſis*, ſuper *Mona-* „ *ſterio de Candiana*, a Domino Papa Judices „ delegati, rationibus hinc inde auditis & di- „ ligenter inſpectis: Abbatis confirmationem, „ ejus & Eccleſiarum conſecrationem, Mona- „ chorum promotionem, curam Populi in Sy- „ nodis, interdictis, & excommunicationibus „ Parochianorum, obedire Domino Epiſcopo „ competere pronuntiamus. Electionem verò „ Abbatum de perſona honeſta & religioſa, „ & illius maturitatis, per quam Eccleſia ſe- „ cundùm Deum poſſit reformari, ſi de aliena „ Eccleſia ſit aſſumenda, cum conſilio Abbatis „ Sancti Petri, ſine pravitate, *Conventui Ec-* „ *cleſie Candianenſis* cumvinire pronuntiamus. „ Correctionem verò Monachorum Eccleſie „ Sancti Michaëlis ſuo Abbati aſſignamus. A „ Quod ſi facere neglexerit, Abbas Sancti Pe- „ tri corrigat. Si verò Abbas Sancti Michaë- „ lis, quod abſit, publice & criminaliter pec- „ caverit, ſi per Abbatem Sancti Petri non „ fuerit correctus, ab Epiſcopo Padue corri- „ gatur. Quando Abbas Sancti Petri Candia- „ nam venerit, ut Dominus recipiatur, ſi Fra- „ ter, ut Frater. Annuum cenſum de more „ perſolvat. Infra annum electionis inveſtitu- „ ram ab Abbate Sancti Petri recipiat, quia „ Eccleſiam Sancti Michaëlis in Candiana in alo- „ dio Sancti Petri ſitam eſſe cognovimus.

„ Prefate Sententie fuerunt teſtes preſentes „ Wido Archipresbiter Ferrarienſis Eccleſie, „ Presbiter Johannes Diſcaltius, Presbiterinus „ Prepoſitus, Paltotius Canonicus, & Ragau- B „ lus Canonicus, Michaël Archipresbiter Con- „ ventus, Alexius Archipresbiter de Cornacer- „ vina, Presbiter Falco, Presbiter Opizo, „ Presbiter Albertus, Ildebrandus, & Bonus „ Johannes Judices & Aſſeſſores, Albertus de „ Alderio Judex, Martellus Mutinenſis Judex, „ Wottus Judex, Falco Cauſidicus, Deoda- „ tus Cauſidicus, & aliorum quamplurium, „ Item Archipresbiter Sancti Fidentii de Mil- „ larino, & Bochus Judex, Procuratores Epi- „ ſcopi Paduani.

„ Ego Dominicus, Chriſti miſericordiâ San- „ cte Adrienſis Eccleſie Notarius rogatus a „ prefatis Epiſcopis ſcribere, ſcripture vincu- „ lis adnexui.

Decretum Petri Ticinenſis & Tedaldi Placentini Epiſcoporum Judicum a Summo Pontifice electorum, per quod decernitur, Monaſterium Sancti Michaëlis Candianenſis ſubjectum eſſe Monaſterio Sancti Petri Mutinenſis, Anno 1173.

„ ANno Dominice Incarnationis Milleſimo „ Centeſimo Septuageſimo Tertio, die „ Sabati, IV. Kalendas Madii, Indi- „ ctione VI. in Civitate Papia. Inter *Domnum* „ *Girardum Paduanum Epiſcopum*, & *Dom-* „ *num Geminianum Abbatem*, & Fratres *San-* „ *cti Petri Mutine*, ſuper *Monaſterio Sancti* „ *Michaëlis de Candiana*, coram *Domno Ama-* „ *to Ferrarienſi*, & *Gabriele Adrienſi Epiſco-* „ *pis*, quibus a *Domno Papa Alexandro hec* „ *cauſa fuerat delegata*, controverſia diucius „ agitata fuit. Aſſerebat ſiquidem Domnus Pa- „ duanus, quod predictum Monaſterium San- „ cti Michaëlis ad ſe in integrum pertinere, „ excepto eo quod predictus Abbas Sancti Pe- „ tri ab eodem Candianenſi Monaſterio de „ quadraginta jugeribus terre cenſum quadra- „ ginta Solidorum Lucenſium deberet recipere; „ & ſi ipſe vel Nuncius ejus ad eundem locum „ caſu aliquo pervenerit, Nuncius debeat re- „ cipi, & ipſe Abbas ut Dominus. Abbas au- „ tem idem Monaſterium Candianenſe tam in „ ſpiritualibus quàm in temporalibus ad ſe per- C „ tinere omnimodis aſſerebat. Super hoc igi- „ tur predicti Epiſcopi, receptis hinc inde te- „ ſtibus, & viſis allegationibus, Sententiam „ promulgaverunt. Cumque ab ea predictum „ Paduanum ad Domnum Papam fuiſſe appel- „ latum: idem Summus Pontifex predictam „ cauſam *Domno Petro Papienſi*, & *Domno* „ *Tedaldo Placentino Epiſcopis*, & *Domno Ber-* „ *nardo Electo Sancti Sepulcri de Placentia*, „ ſublato appellationis remedio, audiendam „ commiſit, & fine debito terminandam. Ii „ autem Judices juxta mandatum Domni Pape „ in unum convenientes, viſis diligenter utriuſ- „ que partis teſtibus & allegationibus: predi- „ ctus Domnus Placentinus in concordia & vo- D „ luntate Domni Petri & Domni Electi, hu- „ juſmodi Sententiam pronunciavit. Monaſte- „ rium ſiquidem Sancti Michaëlis de Candiana „ ad jus Monaſterii Sancti Petri Mutinenſis „ pertinere judicavit. Abbatis verò confirma- „ tionem & benedictionem, Eccleſiarum con- „ ſecrationem, Monachorum promocionem, „ & curam Populi ad Domnum Paduanum

„ cen-

„ censuit pertinere, & ut vocatus ad Sinodum „ eat: servet quoque Interdicta & Ecommunicationes Parochianorum. Decedente autem „ Abbate Sancti Michaëlis, de se ipsis idoneam „ personam secundùm Deum & Regulam beati Benedicti in Abbatem eligant. Quod si „ de ipsis congruam invenire nequiverint, de „ Monasterio Sancti Petri Mutinensis, vel de „ alio, cum consilio Abbatis electionem faciant. Correctionem verò Monachorum Ecclesie Sancti Michaëlis proprius Abbas exerceat. Quod si facere neglexerit, Abbas Sancti „ Petri corrigat. Si verò Abbas Sancti Michaëlis, quod absit, clarescentibus culpis peccaverit, per Abbatem Sancti Petri corrigatur. „ Quod si ipse facere neglexerit, Domnus Paduanus ejus correctionem habeat. Cum autem Abbas Sancti Petri Candianam venerit, „ ut Dominus recipiatur, & que corrigenda „ sunt, corrigat, remotâ omni exactione. Si

A „ verò Frater Monasterii Sancti Petri Mutinensis illuc advenerit, ut Frater suscipiatur. „ Annuum verò quoque censum quadraginta „ Solidorum Lucensium predicta Candianensis „ Ecclesia Ecclesie Sancti Petri persolvat.

„ Signa ✠ ✠ manuum memoratorum Domni Placentini & Domni Electi, qui hanc „ Cartulam fieri preceperunt.

„ „ Interfuerunt Bernardus de Rocha, Albertus de Ser Guizolo, Busuardus de Gratia de „ Vilolano, qui sunt de Papia; Boso Balbus, „ Fulco Strictus, Atto de Inzistino, Guilielmus Siccamelica, qui sunt de Placentia; Albertus Tertius, Ezelinus Judex, qui sunt de „ Padua, testes.

B „ Ego Jacobus Gossonus sacri Palacii Notarius interfui, & predictorum Domni Placentini & Domni Electi jussu hanc Cartulam „ scripsi.

Concordia inita inter Abbatem Sancti Petri Mutinensis & Abbatem Sancti Michaëlis Candianensis coram Gratiano Cardinale Sanctæ Romanæ Ecclesiæ: in qua statuitur Monasterium Candianense subjectum esse Mutinensi, Anno 1187.

I*N nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno ab Incarnatione Nativitatis Millesimo Centesimo Octogesimo Septimo, Indictione V. die V. intrante Mense Novembris. In presentia bonorum hominum, quorum nomina leguntur inferius. Inter* Domnum Michaëlem Sancti Petri Mutinensis, & Domnum Johannem Sancti Michaëlis Candianensis Abbates, *orta questione super quibusdam capitolis*, Dominus Gracianus *Dei gratiâ* Sanctorum Cosme & Damiani Diaconus Cardinalis *se ad componendum inter eos amicabiliter voluntate parcium interposuit. Predictus enim Abbas Sancti Petri Abbatem Sancti Michaëlis Investituram a se debere, & Fidelitatem jurare asseverabat, innitens duobus Instrumentis de pacto quondam inter predicta Monasteria inito, & prestito postmodum juramento confectis, Abbate Candianense dicente, se ad hoc non teneri, cum in sententia, que inter* Gerardum Episcopum Paduanum *& Abbatem Sancti Petri Mutinensis per delegatos Judices*, Thedaldum *videlicet* Placentinum *&* Petrum *bone memorie* Papiensem Episcopos, *&* Bernardum tunc Electum Sancti Sepulcri de Placentia *super Monasterio Candianense lata est, non continetur. Tandem verò mediante prefato Cardinale in hanc transactionem per Dei gratiam voluntate parcium convenerunt. Quod Abbas Candianensis, qui nunc est, & Successores ejus, ab Abbate Mutine qui nunc est, & Successoribus ejus, Investituram recipiant, & exinde obedienciam faciant, ita*

C *quidem quod per obedienciam Abbas aut Monachi seu Monasterium Candianense ab Abbate Mutinensi gravari non debeant supra id, quod per sententiam competit, aut fieri consuevit. Cetera vero, que in memoratis Instrumentis continentur, vires non habeant, nisi quantum ex eis in sententia transfusum est. Abbas igitur Candianensis a memorato Abbate Mutinensi Investiturâ accipiat, & obedienciam faciat. Decedente verò memorato Abbate Candianense, electus in Abbatem de cetero ad Investituram recipiendam, & obedienciam faciendam predicto Abbati Mutine & Successoribus ejus Mutinam ire debet. Promiserunt quoque supradicti Abbates unus alteri per se & Fratres suos, omnia, que superius dicta sunt, firma & illibata servare, & hec subnixa stipulatione firmare.*

D *Actum Ferrarie in Ecclesia Sancti Stephani, in Choro ejusdem Ecclesiæ.*

Testes ibi ad presens Magister Wido *Aretinus Canonicus, Magister Liutherius, Magister Laubertus, Johannes de Vichola Capellanus ejusdem Cardinalis, Albertus Judex Adegerii, Magister Niger Archipresbiter Plebis Sancti Johannis, Ortus Canonicus ejusdem Plebis, Zabonetus Judex de Padua, Matheus de Pegolotto, Calvus de Causelve, Homodeus, & alii multi.*

Ego Petrus Notarius sacri Palacii interfui, & jussu prenominati Cardinalis & parcium scripsi.

Summi Pontificis (fortasse Cœlestini III.) Bulla, qua confirmantur jura Monasterii Mutinensis Sancti Petri in Monasterium Candianense, Anno, ut videtur, 1195.

. . . . Episcopus, *servus servorum Dei. Dilectis filiis* Abbati *&* Conventui Sancti Petri Mutine *salutem & Apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem prebere assensum, & vota, que a racionis tramite non discordant, effectu prosequente . . . . Eapropter dilecti . . . . . filii, vestris justis postulacionibus gratum impercientes assensum, compositionem initam inter bone memorie* Michaëlem Predecessorem tuum, *fili Abbas, & dilectum filium* Johannem Abbatem Sancti Michaëlis de Candiana, *super Investitura de manu Abbatis Sancti Petri Mutinensis recipienda, & obediencia sibi & Successoribus suis ab ipso Abbate Candianensi & Successoribus ejus humiliter facienda, sicut mediante dilecto filio nostro* Gratiano Sanctorum Cosme & Damiani Diacono Cardinale *sine pravitate provide facta est, & ab utraque parte sponte recepta, & hactenus observata, & in Instrumento publico plenius continetur, auctoritate Apostolica confirmamus. & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei* A *ausu temerario contra ire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignacionem omnipotentis Dei, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.*

Datum Laterani IV. Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno Quincto.

A legitima quoque potestate interdum minora Monasteria Majoribus subjiciebantur, ut in iis statueretur aut refloresceret Monastica Regularis disciplina. Duobus exemplis res patebit. Sancti Apollonii Ecclesiam in Arce Canossina Regiensis Diœcesis, a progenitoribus Comitissæ Mathildis constructam, ipsa Mathildis unà cum Beatrice matre in Monasterium B convertit. De ea videndus Donizo in Vita ejusdem Mathildis. Ipsâ autem curante, ut veri mihi videtur simile, Bernardus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Mathildi perquam familiaris, auctor fuit, ut Canossino Monasterio alterum Lunensis Diœcesis subderetur, uti fidem faciet Charta, quam ex Tabulario Canonicorum Regiensium descripsi.

Bernardus S. R. E. Cardinalis, & Papæ Vicarius Ecclesiam & Monasterium Sancti Michaëlis de Monte in Lunensi Diœcesi situm commendat Abbati Monasterii Canusini, consentientibus ejusdem Ecclesiæ patronis, Anno 1105.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis.* Bernardus *Dei gratiâ sancte Romane Ecclesie humilis* Cardinalis Presbiter, atque Domni Paschalis Papæ Vicarius *licèt indignus, omnibus Dei fidelibus per Lunensem Episcopatum constitutis salutem perpetuam, & benedictionem in Domino. Dum olim in Longobardie partibus vices Apostolicas haberemus, & multa de utilitatibus Ecclesiasticis ageremus, venerunt ad nos filii Bosonis, & nepotes Rodulfi de Casula, suppliciter nostram clementiam postulantes, ut quamdam* Cenobilem Ecclesiam *in predicto Episcopio sitam,* Sancti *videlicet* Michaëlis de Monte *a parentibus eorum ad* usum Monasterii *in predio suo fundatam, jam verò totius religionis Ordine penitus destitutam, ad statum Ordinis Monachorum, sicut voluntas affuit defunctorum, pro loci ejusdem possibilitate revocaremus, & alicui religioso Cenobio commendaremus. Quorum justis peticionibus annuentes, Fratrem nostrum venerabilem* Johannem Canusinum Abbatem *ad nos advocavimus, ipsamque Ecclesiam, patronis presentibus, obnixeque flagitantibus, ac unanimiter consentientibus, Guizzolo videlicet, Bosone, Girardo, Guiscardo filiis Bosonis, itemque Girardo, Guidone, Ugicione Rodulfi nepotibus, predicto venerabili fratri nostro Abbati, suisque Successoribus in perpetuum, ad regendum, ordinandumque, ju-* C *re proprietario possidendum commisimus. Quapropter jussimus fieri hoc recordationis scriptum ad memoriam posterorum, nostra subscriptione munitum, vice Apostolica, quam indigni gerimus, confirmatum. Rogamus igitur & precipimus, ut nulla spiritualis aut secularis persona prefatam Cenobilem Ecclesiam ab obedientia & jure* Canusini *Cenobii ulterius debeat qualibet occasione subtrahere, neque oblatas sibi, aut a se emptas terre possessiones, nec illas tres Capellas Sancti Blasii de Viavo, Sanctique Prosperi de Munzone, atque Sancte Julie de Nuceto, quas per plurimos jam possidet annos, aut illa predia vel Basilicas, quas in antea conquisiverit, sciat se pro patrata nequitia Canonice sen-* D *tentiæ subjacere, & penam Dei ultionis incurrere. Que ut verius credantur & firmius habeantur, manus nostre subscriptione firmavimus.*

Ego Bernardus *humilis* Cardinalis Presbiter *sancte Romane Ecclesie hoc scriptum confirmando subscripsi.*

Testes vero interfuerunt idem supranominati patroni illius Ecclesie & reliqui plures.

Actum Anno Dominice Incarnationis MCV. Indictione XIIII. Septimo Kalendas Novembris apud Guarstallam, per manum Frugerii Archipresbiteri & Capellani.

Ego

Ego Guido Notarius ſacri Palatii interfui & hanc conceſſionem ſcripſi.

Ita Cavenſi Monaſterio, quòd ibi Regularis diſciplinæ vigor olim floreret, ſubjuncta fuere A complura Monaſteria ab ipſis Romanis Pontificibus, atque Principibus. Cujus rei teſtis mihi ſit Bulla ex ejuſdem Cœnobii Archivo depromta.

Gregorii VII. Papæ Bulla, qua Monaſterio Cavenſi Sanctæ Trinitatis donat & confirmat quædam Monaſteria, circiter Annum 1076.

GRegorius Epiſcopus, *ſervus ſervorum Dei. Omnibus Chriſti fidelibus Clericis ac Laicis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Notum eſſe volumus omnibus Clericis ac Laicis, Deum piâ Catholicâque fide colentibus, nos in Apoſtolicæ defenſionis tutelam* Cavenſe Monaſterium *ſuſcepiſſe, quod apud Salernum in* Sancte ac individue Trinitatis *honore conſtructum eſſe dinoſcitur; cui Monaſterio nos quedam in Cilentio Monte poſita Monaſteria, videlicet* Monaſterium Sancte Marie de Gulia, Monaſterium Sancti Nicolai, Sancti Archangeli, Sancti Magni, Sancti Fabiani, Sancti Georgi, Sancti Matthei ad duo flumina, *& Eccleſiam Sancti Angeli de Monte Coraſe, Sancti Blaſii de Butrano, Sancti Joannis de Tureſino, Sancti Salvatoris de Nuce, Sancti Zacharie de Lauris, cum* Cellis eorum, *jure perpetuò poſſidenda atque regenda, & ſecundùm Deum ordinanda venerabili* Petro Abbati ejuſdem Monaſterii, *chariſſimo filio noſtro* Giſulfo Principe *concedente, olim donavimus, & nunc eidem Abbati, ejuſque Succeſſoribus ad regendum, corrigendum & procurandum ipſa committimus & auctoritate Apoſtolica confirmamus. Interdicimus igitur in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ex auctoritate beati Petri Apoſtolorum Principis, cujus vice ſancte Romane Eccleſie preſidemus, & omnino prohibemus, ut nullus Archiepiſcopus aut Epiſcopus, nullus Regum, Ducum, Principum, Comitum, nul-* B *lus Clericorum, Laicorum, aut quelibet omnino magna vel parva perſona, prefato Sancte Trinitatis Cenobio in predictis Monaſteriis vel Eccleſiis, cunctiſque ad ea pertinentibus, quocunque modo ſeu qualibet occaſione aliquid minuere, vel dolos vel moleſtias aut aliquam violentiam inferre, aut Dei ſervos inquietare puniendа temeritate preſumat, quatenus Romane ſoli Eccleſie idem Monaſterium cum prefatis Eccleſiis pleno jure videatur eſſe ſubjectum. Tanto enim Religioſi Monachi, ibidem Deo ſervientes, ſinceriori mente Divinum opus exequi devotiſſime poterunt, quanto nos eorum quieti noſtrâ, immo beati Petri Apoſtolorum Principis auctoritate, per omnia providere ſtudemus. Si quis* C *verò adversùs predictum Monaſterium juſtam ſe putat habere querelam, & apud Cenobii Abbatem vel Monachos litem ſuam decidere ac diffinire noluerit, volumus atque edicto perpetuo ſtatuimus, ut ante nos, vel Legatos noſtros querimonia deferatur, quatenus equitate judicii, ſine perſonarum acceptione, ſua unicuique juſtitia, Deo auctore, ſervetur. Si quis autem contra hanc noſtri decreti auctoritatem ire tentaverit, ſciat ſe beati Petri Apoſtoli gratiam amiſſurum, & Apoſtolice indignationis ultione feriendum. Obedientes verò, & hujus pagine precepta ſervantes, dignam a Deo retributionem accipiant, & Apoſtolicam benedictionem conſequantur.*

Sigillum plumbeum.



Et hæc quidem laudanda. Sed quod nonæque laudes, Cæſares interdum alterum alteri Monaſterium ſubdebant, Monachis invitis; atque in eam rem ſuſpicari liceat, potentiores Monachos conatus ſuos addidiſſe. Neque enim ſemper ab eorum cœtibus ambitio aberat; immo quo latius dominari poterant, eo pluris Congregationem ſuam faciendam arbitrabantur. Sed præcipue inſignium Cœnobiorum conditores & conditrices hac ratione conebantur potentiam ac nomen augere loci ſacri a ſe ædificati. Suum exordium (ut ſæpe aliàs memini) Angilbergæ Auguſtæ Ludovici II. conjugi debet inſigne Monaſterium Placentinum Sancti Sixti, primo ſacrarum Virginum, tum Monachorum domicilium. Nihil intentatum D reliquit Imperatrix illa, etiam poſt obitum Auguſti viri ſui, ut quot poſſet modis ſui Parthenonis decus & opes amplificaret. Itaque Anno DCCCLXXXIX. Arnulphum Italiæ Regem pertraxit ad ſubjiciendum eidem Placentino Aſceterio *in Comitatu Priſſanenſi Monaſterium Novum; Papiæ verò Monaſterium Sancti Marini, atque Monaſterium Sancti Thomæ, necnon Monaſterium Reginæ, in quibus Sanctimoniales Domino famulantes commorantur; in Placentino etiam Comitatu Abbatiam, Caput Trepium nuncupatam.* Habes editum Diploma a Campio Tom. primo Hiſt. Eccleſiæ Placentinæ. Quod autem *Monaſterium Novum* appellatur *in Comitatu Priſſanenſi*, nihil aliud fuit, niſi celeberrimum Brixianum Sanctæ Juliæ, a

Sanctimonialibus adhuc inhabitatum. Ac proinde mirari quisquam possit audax Angilbergæ Augustæ consilium curantis, ut novo suo Cœnobio alterum tanti nominis subderetur. Sed ausa id ea fuerat sub Ludovico II. Imperatore marito suo, ut infra intelliges ex ejusdem Imperatoris Diplomate evulgando in Dissertatione LXXIII. *de Monasteriis in beneficium datis*. In subsequentibus tamen Privilegiis Sixtino Monasterio concessis nihil occurrit, unde constet, A Brixianum ac Ticinensia illa Monasteria ad jus Placentini post sublatam e vivis Angilbergam pertinuisse. Cura nempe singulis fuit, ut ejusmodi jugum excuterent. Nonnulla ex hisce Privilegiis evulgavit Campius: ego verò plura in hoc ipso Opere. Sed & nunc alia duo accipere Lectorem non pigebit, quorum alterum ex Archivo ejusdem Monasterii Sancti Sixti deductum est; alterius apographum vetustum vidi in Tabulario Communis Cremonensis.

Berengarius II. & Adelbertus Italiæ Reges Monasterio Monialium Sancti Sixti Placentini confirmant omnia illius jura ac Privilegia, Anno 950. seu potius 951.

IN *nomine Domini Dei eterni*. Berengarius & Adelbertus *divina providente clementia Reges. Si sacris ac venerabilibus locis temporalia atque transitoria concedimus, magnam apud Dominum remunerari in futuro nequaquam diffidimus. Quocirca noverit omnium fidelium sancte Dei Ecclesie, nostrorumque, presentium scilicet ac futurorum industria*, Giseprandum *sancte* Terdonensis Ecclesie Episcopum, *necnon* Widonem *sancte* Mutinensis Sedis Presulem, *humiliter nostram exorasse celsitudinem, quatenus amore superne remunerationis per nostri Precepti paginam quoddam* Monasterium infra Civitatem Placentinam, *a beate videlicet memorie* Angelberga Imperatrice *constructum, & in honore* Sancti Xysti *hedificatum*, Berte *gloriosissime* Abbatisse, *Amite nostre cum omnibus suis pertinentiis confirmare ac corroborare dignaremur; simul quoque roborantes, & in perpetuum concedentes eidem Monasterio quasdam Cortes, Wardistalla scilicet, Campum Miliatico, Curte Nova, Peguniariam, Sexto, Luciariam, Littora Paludana, Villole, cum adjacentiis eorum, & omnia quecumque memorata Imperatrix institutione sui judicati ubicumque eidem Cenobio diffinivit ad habendum. Quorum petitionibus tota devotione faventes id fieri annuimus, hoc nostrum preceptum scribi jubentes, per quod prelibate Berte Abbatisse eumdem Monasterium confirmamus ac corroboramus, quatenus in sua sit potestate & dominio, quousque vixerit, & ibidem dominatrix & ordinatrix atque rectrix invigilet ac permaneat donec ejus fuerit vita; per quod etiam jam prescripto venerabili loco concedimus & confirmamus omnes res & possessiones mobiles ac immobiles, tam per Cartulas quàm extra Cartulas, vel cujuscumque inscriptionis titulo ad partem ipsius Monasterii legibus adquisitas & adquirendas, seu quicquid per Regum vel Imperatorum Antecessorum nostro-* B *rum precepta ad eumdem sacrum locum collatum, atque* Cellulam quandam, *que antiquitus* Monasterium *dicebatur non procul a Placentina Urbe sitam loco, qui* Caput Trebbie *vocatur, in qua Ecclesia Apostolorum Principis dicata consistit, cum omnibus inibi pertinentibus, quemadmodum* Carlomannus *serenissimus* Rex *antiquitus eamdem Cellulam cum universis suis appenditiis & pertinentiis eidem Monasterio proprietario jure largitus est, prenominato venerabili loco per hoc nostre Regalis auctoritatis preceptum ex integro perdonamus, largimur, confirmamus, modisque omnibus corroboramus: familias quoque utriusque sexus & conditionis cum Curtibus & Capellis, earumque appendi-* C *tiis, cum omnibus Castellis, casis, vineis, campis, pascuis, pratis, sylvis, salectis, stationibus, paludibus, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, fluminibus, piscationibus, ripis, rupinis, montibus, collibus, vallibus, ac planiciebus, coltis & incoltis, divisis & indivisis, mercationibus, vectigalibus, districtionibus, servis & ancillis, aldis & aldianis, & cum omnibus ad eumdem Monasterium juxte & legaliter respicientibus in integrum confirmamus, ita videlicet, ut prelibata Abbatissa Berta, quousque vixerit, hac nostrâ auctoritate roborata, de prescriptis rebus eidem Monasterio pertinentibus tam per preceptorum paginam, ut diximus, quamque aliarum Instrumenta carta-* D *rum, & adquisitis & adquirendis potestative omnium faciat, magnarum, parvarumque personarum molestatione remota. Si quis verò hanc nostram auctoritatem violare temptaverit, centum quinquaginta Libras auri optimi componere cogatur, medietatem Kamere nostre & medietatem sepe fate Berte Abbatisse. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, manibus propriis roborantes de anulo nostro jussimus insigniri.*

Signa Domnorum *Berengarii & Adelberti serenissimorum Regum.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Ubertus Cancellarius ad vicem Bruningi Episcopi & Archicancellarii recognovit & subscripsi.

Data XVI. Kalendas Februarii, Anno Dominice Incarnationis DCCCCL. Regni verò Domni Berengarii atque Adalberti serenissimorum Regum I. Indictione Nona.

Actum Papie Ticinum, feliciter. Amen.

Otto

Otto I. Italiæ Rex Bertæ Abbatiſſæ confirmat Monaſterium Placentinum Sancti Sixti, eidemque Cœnobio omnia jura ac Privilegia corroborat. Anno 952.

IN *nomine Domini Dei eterni*. Otto *divina favente clementia* Rex. *Si petitionibus fidelium noſtrorum libenter annuimus, fideliores eos nobis eſſe minime dubitamus. Quocirca omnium univerſalis Eccleſie fidelium, noſtrorum videlicet preſentium ac futurorum noverit induſtria, qualiter* Hadeleyda *dilecta* Conjunx noſtra, *&* Conradus Dux *fideliſſimus noſter noſtram ſuppliciter exoraverit magieſtatem, quatinus ob amorem ſuperne remunerationis, per noſtri Precepti paginam, quoddam* Monaſterium infra Civitatem Placentinam, *a beate memorie* Angelberga *videlicet* Imperatrice *conſtructum, & in honorem* Sancti Sixti *dedicatum*, Berte *nobiliſſime* Abbatiſſe *nobis devotiſſime, cum omnibus ſuis pertinentiis confirmare dignaremur, ſimul quoque roborantes, & in perpetuum concedentes eidem Monaſterio quaſdam Curtes*, W*ardaſtallam ſcilicet, Campum Mil:acio, Curtem Nova, Sexto, Luciariam, Littora Paludana, Villole, Pigoniariam, cum adjacentiis eorum, & omnia quecunque memorata Imperatrix per inſtitutionis ſue paginam ubique idem Cenobium diffinivit habendum. Quorum petitionibus tota devotione faventes id fieri annuimus, hoc noſtrum Preceptum ſcribi jubentes, per quod prelibate Berte Abbatiſſe idem Monaſterium confirmamus, quatinus in ſua ſit poteſtate & dominio, eouſque vixerit, & ibidem dominatrix & ordinatrix atque rectrix invigilet, donec ei fue-* A *rit vita. Per quod etiam jam preſcripto venerabili Loco concedimus & confirmamus omnes res & poſſeſſiones mobiles & immobiles, tam per Cartulas quàm extra Cartulas, vel cuicumque inſcriptionis titulo ad partem ipſius Monaſterii legibus adquiſitas & querendas, ſeu quicquid per Regum vel Imperatorum anteceſſorum noſtrorum Precepta ad eundem ſacrum Locum collatum eſt: atque* Cellulam *quandam non procul a Placentina Urbe ſitam, qui* Caput Trebie *vocatur, in qua Eccleſia Apoſtolorum Principis honore dicata conſiſtit, cum omnibus inibi pertinentibus, quemadmodum* Carlomannus *ſereniſſimus* Rex *antiquitus eandem Cellulam cum univerſis ſuis appenditiis eidem Monaſterio proprietario jure largitus eſt, prenominato venera-* B *bili Loco per hoc noſtre Regalis auctoritatis Preceptum ex integro perdonamus, largimur, & confirmamus, & modis omnibus corroboramus: famulos quoque utriuſque ſexus & conditionis, cum Curtibus & Capellis, earumque appenditiis, cum omnibus Caſtellis, campis, caſis, vineis &c.* (*) *Si quis hujus noſtri Precepti paginam infringere voluerit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi Libras centum, medietatem Camere noſtre & medietatem prefate Abbatiſſe. Et ut hoc verius credatur, & attentius obſervetur, manu noſtra propria ſignavimus, & anuli noſtri ſubter juſſimus adfirmari.*

Signum Domni [monogram] *Ottonis ſereniſſimi Regis.*

Wulgfridus Cancellarius ad vicem Brunonis Archicapellani recognovit.

Data VIII. Idus Februarii, Anno Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCCLII. Indictione Decima, Anno verò Domni Ottonis in Italia Primo, in Francia XVI.

Actum Papie, feliciter in Dei nomine. Amen.

Edita heic Diplomata duo conferenda ſunt cum iis, quæ Frodoardus, Continuator Reginonis, Sigonius, Baronius, Pagius, aliique tradunt de Anno emortuali Lotharii Regis Italiæ, & de exordio Regni Berengarii Secundi, Adelberti, ac Ottonis Magni. Diſſimulare tamen nolim, in Diplomate Berengarii II. vitium fortaſſe latere. Neque enim Anno DCCCCL. *Januario Menſe* decurrere potuit *Indictio Nona*, niſi ſtatuamus, ſecundùm morem Florentinorum ac Venetorum novum Annum DCCCCLI. Martio tantùm Menſe ſubſequenti inchoatum. Sed mihi veri videtur ſimilius pro *Anno DCCCCL.* ſcriptum ibi fuiſſe, aut ſcribendum eſſe *Anno DCCCCLI.* quippe ſubſequens Ottonis Magni Diploma & ipſum Ticini datum, cum *Anno DCCCCLII. Februario Menſe* conjungit *Indictionem Decimam*. In- C fra quoque in Diſſertatione LXX. *de Cler. Immunitat.* Diploma evulgabo, *Actum Papiæ X. Kalendas Octobris, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLI. Regni Berengarii & Adelberti Regum Primo, Indictione X.* inchoatâ videlicet primâ die ipſius Septembris. Ad hæc in Tabulario Archiepiſcopii Lucenſis Chartam vidi ſcriptam *Anno Primo Berengarii & Adelberti Regum, Indictione Nonâ, XV. Kalendas Septembris*, ſcilicet Anno Chriſti DCCCCLI. ubi Conradus Epiſcopus Lucenſis quædam permutat ſpectantia ad *Eccleſiam Sanctæ Mariæ, Plebem Baptiſmalem in Piſcia Majori, quæ eſt ſub poteſtate Epiſcopatus Sancti Martini*, ideſt Lucenſis. Item alteram ibi nactus ſum, exaratam *Anno XIX. Lotharii Regis, Quarto Nonas Martii, Indictione VIII.* hoc eſt, Anno D DCCCCL. quo revera contigerit obitus Lotharii

(*) uti ſupra in Diplomate Berengarii & Adalberti.

rii Regis, & coronatio Berengarii atque Adelberti. In Chronico brevi Regum Italiæ, quod evulgatum a me fuit Tomo II. Anecdotor. Latinor. & Tomo IV. Rer. Italicar. hæc leguntur: *In Vicesimo quarto die, qui fuit die Dominico XV. die Decembris, in Basilica Sancti Michaëlis, quæ dicitur Major, fuerunt electi & coronati Berengarius & Adelbertus filius ejus in Regibus*. Notæ istæ Annum DCCCCL. designant, quo dies XV. Decembris, Domini dies fuit. Quare videntur emendandi Annalista Saxo & alii, anticipantes Lotharii Regis mortem, & Berengarii II. ejusque filii Adelberti Regnum. At institutum iter repetamus. Adelais quoque ejusdem Ottonis Magni summe pia conjux, quum nobile Monasterium Sancti Salvatoris extra Ticinensem Urbem excitasset, eidem subjiciendum curavit *Monasterium Sancti Anastasii una cum Curte Olona, & insuper Monasterium Sanctæ Dei Genitricis Mariæ in loco, Pomposa dicto, constructum*. Id ex compluribus Diplomatis a Margarino editis Tomo II. Bullarii Casinensis edifcimus. En ut antiquissimum & insigne Pomposianum Cœnobium, quod tanto tempore sui juris fuerat sub Romanorum Pontificum, aut Augustorum patrocinio, famulari coactum est Ticinensi Sancti Salvatoris, quo tamen onere non diu pressum fuit. Neque secus egere *Farfenses* Monachi, uti jam animadverti Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. pag. 669. Curarunt enim, ut Henrici Tertius & Quartus inter Augustos sibi subjicerent celeberrimum *Vulturnense* Cœnobium, præter alia, quorum mentio est in Chronico Farfensi.

Sed & alterum subjectionis genus in Italica quædam Monasteria invectum est Sæculo X. & XI. Quum enim Anno DCCCCXVIII. fundatum in Burgundia fuisset Cluniacense Monasterium, & sensim per Christianum Orbem percrebresceret fama loci tum ob sanctitatem Abbatum, tum ob exactam Regulæ Benedictinæ observantiam illic restitutam, immo & multis piis consuetudinibus adauctam, cœperunt in Galliâ primum, tum in Germania, Italia, ac Hispania complura Monasteria celebratissimo A illi sese subjicere (variis autem pactis & conditionibus) ejusque reformationem, consuetudines, ac mores accipere. Ita Cluniacensi celeberrimo Monasterio latissimus factus est dominationis campus, atque illius ope restaurata est plurimis in locis Monastica Disciplina. Verùm ubi opes Monasterii illius mirum in modum auctæ sunt, atque occultum ambitionis ac superbiæ virus, a quo vel meliores sibi interdum cavere nesciunt, in animos Cluniacensium irrepsit: elabi quoque sensim cœperunt ex eorum manibus, qui antea se ipsis subdiderant. Monasteriis enim, ad quorum reformationem advocabantur, ut jugum imponerent, quotquot poterant artibus, studebant; & Pon- B tius eorum Abbas (teste Petro Diacono Lib 4. Chronici Casinensis) eo progressus est, ut se *Abbatem Abbatum* jactitaret. Sed me fortasse longius, quàm par sit, abripuit argumentum vastissimum, quod sane quamquam a doctissimo Mabillonio mirifice illustratum fuerit in Annalibus Benedictinis, attamen, quod est ad Italiam, nondum tamen satis pro dignitate pertractatum videtur, quum viro doctissimo latuerit ingens copia Monasteriorum, simulque Monumentorum ad Historiam Monasticam Italiæ spectantium. Dolendum propterea est, prælaudatum Eminentissimum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Quirinum, cui consilium Historiæ hujusmodi contexendæ susceptum fue- C rat, variis occurrentibus caussis, manum e tabula sustulisse. Duobus exemplis rem absolvam. Nulla Mabillonio facta est mentio, præter tot alia loca, Abbatiæ sive Monasterii *Sancti Laurentii in Campo*, quod in Fanestri Diœcesi situm ad ripas fluvii Cesani non longe a ruderibus antiquissimi Oppidi Suasæ, nunc Eminentissimo sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Alexandro Albano commendatum est. Attamen quantus fuerit sacri Loci splendor Anno MCLIII & quot alia Monasteria eidem supposita fuerint, e subsequentibus Literis, quamquam non satis accurate olim descriptis, disces, quas ad me misit doctissimus vir Joseph Tiraboscus Senogalliensis.

Anastasii IV. Papæ Bulla, per quam jura ac Privilegia confirmat Monasterio Sancti Laurentii in Campo, ejusque Abbati Alberto, Anno 1153.

ANastasius Episcopus, *servus servorum Dei. Dilecto filio* Alberto Abbati Monasterii Sancti Laurentii in Campo, quod in Fanensi Parochia situm est, *ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum .... voluntatis affectu debet prosequenter amplecti, quatenus & devotionis sinceritas laudabiliter innotescit, & utilitas postulat, vires indubitanter assumant. Quapropter, dilecte in Domino fili Alberte Abbas, petitiones tuas clementer admittimus, etiam predecessorum nostrorum* Joannis, Alexandri, Paschalis, & Innocentii Romanorum Pontificum *vestigiis insistentes, Beati Laurentii Monasterium, quod in Campo dicitur, cui adjutore Domino S. R. E. permanere decernitur, statuentes, ut quecunque bona, quascunque possessiones in presentiarum juste & canonice possidere dignoscitur, universa, que in futurum Episcopali concessione, Regali aut Principali largitione, aut oblatione Fidelium, seu aliis justis modis eidem Cenobio, auxiliante Domino offerri contigerit, firma tibi, tuisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis*, Monasterium Sancti Angeli de Monte *cum Ecclesiis & omnibus ad eum pertinentibus*: Monasterium Sancti Paterniani de Mampullo *cum suis pertinentiis*: Monasterium Sancti Michaëlis *filiorum Alfedi: Ecclesiam Sancti Johannis de Montecalvo: Ecclesiam Mauriane in Lucioli, cum Curte de Paleano: Sancte Cecilie cum Curte de Ferbula: Sancti Stephani cum Curte de Fenilio*: Monasterium Sancti Hyppoliti cum Cellis suis, *videlicet Sancto Savino cum Curte sua de Pratalia, Sancto Mauritio, Sancto Michaële, & Sancto Damiano*: Cellam Sancti Stephani: *Ecclesiam Sancti Gerontii: Curte de Valelonga cum pertinentiis suis*: Monasterium Sancti Adriani *cum ipso Castro de Gajo, & cum Insula Arvosicchо usque ad flumen Mecauri*: Cellam *Sancti Martini in Britholi, Sancti Joannis Majoris in Fano constituti, Sancti Gregorii, Sanctorum Philippi & Jacobi de Cavallaria: Curte, que vocatur Canna Domestica: Curte, que nominatur Gurgo fusco: Ecclesiam Sancte Marie in Crutide, Sancti Paterniani: Curtem Numero; Curtem Urciano; Massa Barthi cum pertinentiis suis; Curtem de Sancto Petro in Vettelago; Curtem Roverate cum Ecclesia Sancti Joannis; Antudinam majorem atque minorem: Curtem Sancti Petri de Bolagaria: Castrum de Cerquacupa cum pertinentiis suis: Ecclesiam Sancti Severi, Sancti Donati, cum Curte de Ortaria; Curtem Montis Calvi cum pertinentiis suis*: Monasterium Sancti Laurentii *situm in Urbitalia cum pertinentiis suis, Curtis & Castris. Decernitur ergo, ut nulli omnino hominum liceat eandem Ecclesiam temere perturbare, aut etiam possessiones auferre, vel ablatas retinere, vel injuste datas suis usibus venditare, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare. Que omnia integra conserventur eorum, pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, Secularisve persona hanc nostre Constitutionis paginam sciens contra eam venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat.*

Ego Anastasius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus *subscripsi*.

Ego Gregorius Presbiter Cardinalis titulo Sancti Calisti subscripsi.

Ego Arirbertus Presbiter Cardinalis titulo Sancte Anastasie subscripsi.

Ego Julius Presbiter Cardinalis titulo Sancti Marcelli subscripsi.

Ego Ubaldus Presbiter Cardinalis titulo Sancte Crucis in Hierusalem subscripsi.


Datum Laterani per manum Rolandi sancte Romane Ecclesie Presbiteri Cardinalis & Cancellarii, Quinto Kalendas Decembris, Indictione II. Incarnationis Dominice Anno MCLIII. Pontificatus verò Domini Anastasii Quarti Pape Anno Primo.

Hujus autem sacri loci antiquitatem ut habeas perspectam, Diploma Ottonis III. Augusti adjicio, quod pariter supralaudato Tiraboscо acceptum refero.

Præceptum

Præceptum Ottonis III. Imperatoris, confirmantis bona ac privilegia Monasterio Sancti Laurentii in Campo, ac illius Abbati Petro, Anno 1001.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis*. Otho *Dei gratia* Romanorum Imperator Augustus. *Imperatorie felicitatis est, Ecclesiis amissa jura restituere, & de his, que ad presens possident, securitatis ac libertatis eis in futurum munus concedere, ut dum remotis jurgium litibus in summa pace quiescunt, pro Imperii statu, totiusque gentis salute sponso suo Deo vivo & vero supplicare liberius possint. Quapropter noverit omnium Sancte Ecclesie Fidelium universitas, qualiter per interventum* Domni *spiritualis Patris nostri* Silvestri Secundi Pape, *tibi* Petro *venerabili* Abbati Monasterii Sancti Laurentii in Campo, *de eadem Abbatia cum omni integritate sua per hanc nostre preceptionis paginam confirmationem concedimus, & per te, tuisque successoribus Abbatibus in perpetuum confirmamus, ea scilicet pactione, ut omnia que more .... salario ad utilitatem Monasterii & Heremi substentationem in presenti haberi videris, de hinc quiete & secure possideas, idest omnia, que in circuitu ejusdem Monasterii sita esse videntur inter fluvium Saxanum & Rivumfrigidum, usque ad Terram Sancti Apollinaris in Classe, & Ancudenam eum omnibus ad se pertinentibus*: Cella Sancti Petri *in Bulgaria cum Castello suo & Curte, deque illius tota* .... Cella Sanctorum Philippi & Jacobi *cum Castello suo, quod dicitur Cavallaria*: Cella Sancti Adriani *cum Castello de C jo a strata publica usque ad fluvium Metaurum*: Cella Sancti Martini *in Bretoli cum omnibus ad se pertinentibus*: Cella Sancti Joannis majoris *in Fano constituta. Hec omnia cum omnibus ad se pertinentibus nostra Imperiali auctoritate licet tibi intromittere, & ad usum Monasterii, & tuorum Fratrum deinceps perpetuo possidere. Et non sit tibi fas, neque ullis tuis successoribus Abbatibus de omnibus supradictis quicquam aliquam partem, aut emphiteutam, seu quacumque scriptione transcribere vel ordinare, nisi more colonico ad fruges annuatim persolvendas. Cetera vero, que male sunt transcripta, & secundum Justinianam Legem non sunt ordinata, vel adventitiis emphiteuticis scriptionibus a Monasterio eodem sunt alienata, sancimus, ut potestati tue investias, & predicta preceptione intromittas, idest Corte Vetilago cum omnibus ad se pertinentibus*: Cellam Sancti Geruntii *in Guanze cum omnibus ad se pertinentibus*: Cellam Sancti Savini *in Pratalia cum Corte, & omni pertinentia sua; Cortemque sive loca, que vocantur Metivo cum omnibus ad se pertinentibus, & locum qui vocatur Aroveta cum Ecclesia in eodem loco constituta, & cum omnibus ad se pertinentibus*: Cellam Sancti Donati, & Cellam Sancti Severi *cum Cortibus & omnibus appartenentiis suis. Hec omnia, & cetera quecumque ad jus ejusdem Monasterii pertinere videntur, irritis omnibus scriptionibus eorum, eidem venerabili loco restituimus per hanc nostram inviolabilem Constitutionem. Decernimus etiam, ut nullus Imperator, Rex, Dux, Marchio, Princeps, Comes, Vicecomes de his omnibus possessionibus, quas superius diximus, alicui mortalium aliquid donare, vel in beneficium attribuere presumat, neque alicui Archiepiscopatui aut Episcopatui id Monasterium subjiciat, sed semper sub solo jure & dominio sancte Romane Ecclesie perpetuò consistat. Insuper pro remedio anime mee, meorumque parentum, tibi, tuisque successoribus Abbatibus in perpetuum de nostra Imperiali munificentia concedimus, ut de omnibus Castellis, Massis, Cortibus, Villis, atque cunctis possessionibus ad idem tuum Monasterium pertinentibus, nullum Fodrum alicui magne parveque persone dehinc persolvatur, sed tibi, tuisque successoribus & fodrum colligere, & districtionem in omnibus supradictis possessionibus tenere liceat. Quod ut verius credatur, & ab omnibus observetur, manu nostra propria firmavimus, & Sigilli nostri impressione insigniri jussimus.*

Signum Domni  *Ottonis serenissimi Augusti.*

Locus Sigilli ✠ deperditi.

Heribertus Cancellarius vice Petri Cumani recognovit.

Datum Nonis Martii Anno Incarnationis Dominice Millesimo Primo, Indictione Decimaquarta, Anno vero Tertii Othonis Regnantis XVII. Imperii ......

Actum Perusie.

Animadverte Monogramma Ottonis III. simile alteri Ottonis I. Quid hac de re dicendum, in præsentia non vacat inquirere. Porro quantæ dignitatis nuper memoratum Monasterium fuerit, inde præcipue intelligas, quod alia suberant ei Monasteria, videlicet *Monasterium Sancti Angeli de Monte*, *Monasterium Sancti Paterniani, Monasterium Sancti Michaëlis, Monasterium Sancti Hippolyti*, *Monasterium Sancti Adriani*, *Monasterium Sancti Laurentii*. Neque exilia, neque levis momenti fuisse opineris hæc alia Monasteria subjecta Fanestri. Erant & iis *Cellæ*, *Curtes*, *& Castella*; ita ut denique jam manu tangere possis, defuisse quidem vetustis Sæculis religiosos Ordines Fratrum Mendicantium, quorum domus tam frequentes nunc cernimus in Urbibus & Castellis, immo & in Vicis; sed propterea desideratos minime fuisse Monachos, qui Monasteriis ac Cellis quamplurimis Civitates ipsas & agros implerent. Demum ut, quod superius innui, altero confirmem exemplo, Mabillonio nimirum non pauca per Italiam latuisse Monasteria, quæras quidem in ejus Annalibus Benedictinis originem & monumenta *Monasterii de Ferentillo*, at nulla reperies. Dignum tamen est antiquissimum & insigne Cœnobium, cujus fit apud posteros aliqua mentio. Situm erat in agro & Diœcesi Spoletana in Apenninis montibus, ejusque etiam meminere Leander Albertus

bertus & Ughellius. Teste Bernardino Comite Campelli in Histor. Spoletan. Lib. 12. Monasterii hujus fundator fuit Faroaldus Spoleti Dux circiter Annum Christi DCCXXII. Ita verò illius opes ac potentia creverunt, ut Abbas multis Villis atque Castellis olim dominaretur: quod ex Charta edisces, quam mihi suppeditavit Regestum MStum Cencii Camerarii.

Sacramentum fidelitatis præstitum Gregorio IX. Papæ ab Abbate & hominibus Monasterii Sancti Petri de Ferentillo Spoletanæ Diœcesis, Anno 1231.

IN *Dei nomine. Nos* Abbas & Conventus Monasterii Sancti Petri de Ferentillo, & Homines Abbatiæ *juramus ad sancta Dei Euangelia Domino Papæ sub hac forma, in manu Domini Stephani Capellani sui.*

Ego talis *juro, tactis sacrosanctis Euangeliis, stare & obedire omnibus mandatis* Domini Gregorii Papæ IX. *& suis Nuntiis: & quod ero fidelis ei in perpetuum, & Successoribus suis canonice intrantibus. Non ero in facto vel in consilio, quod vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala captione. Consilium, quod mihi credent, nulli pandam ad eorum damnum. Terram Abbatiæ de Ferentillo adjutor ero eis & Romanæ Ecclesiæ ad retinendum & defendendum contra omnem personam. Item studium dabo, quod omnes alii de Terra Abbatiæ de Ferentillo jurent & servent idem juramentum. Sic me Deus adjuvet & hæc sancta Dei Euangelia.*

Donnus Octavianus Prior juratus.
Donnus Castorius Monachus juratus.
Donnus Aegidius juratus.
Donnus Saracenus juratus.
Donnus Raynaldus juratus.

De Villa Macenani, Valerius Janni juratus. Bonajura Raini jur. Mancinus Berardi jur. Jaurus Follis jur. Valteronus Jauri jur. Henricus Follius jur. Matthæus Accurinbonus jur. Odorinus Valteri jur. Macaramius Janni jur. Gentilis Oddonis jur. Johannes Binniturus jur. Raunaldus Rainerii jur. Rainuccius Acti jur. Johannes Rainuccii jur. Rainaldus Preane jur. Johannes Adæ jur. Rainaldus Berarducii jur. Burlante jur. Rainaldus Petri jur. Berardus Petri jur. Johannes Petri jur. Scaniorinus Berardi jur. Todiscus Janni jur. Minisbare jur. Johannes Salvi jur. Porcaclia jur. Piteccus jur. Massaronus Janni jur. Rainerius Janni jur. Valterius Binicti jur. Ruballus Petri jur. Romanellus jur. Valteronus ejus filius jur. Malloccus jur. Scamius Berardi jur. Bartholomæus Oddonis jur. Brandicia Valteri jur. Johannes ejus nepos jur. Benencasa Morunti jur. Scerive jur. Munallus Janni jur. Tizonus jur. Johannes Azari jur. Blasius Azari jur. Berardus Valteri jur. Presbiter Cras jur. Oddo Valteri jur. Johannes Valteri jur. Berardus de Militi jur. Gintilonus Raicteri jur.

Villa de Ginesta, Ægidius Bernardi jur. Munallus Adæ jur. Gusmerius Adæ jur. Janni Planus jur. Rainallus Thomæ jur. Tomassonus Benencasæ jur.

Item Villa Terriæ, Johannes Surritinus jur. Matthæus Adæ jur. Abmandus jur. Benencasa Adæ jur. Lorencius Stati jur. Matthæus Gramonis jur. Andreonus Benedictæ jur. Petrus Bentevege jur. Turianus jur. Matthæus Janni Adæ jur. Jannucinus Valteri jur. Adam Murus jur. Binnictus Machari jur. Berardus Machari jur. Valterus Machari jur. Binnictus Salvurinus jur. Berardus Salvurinus jur. Petrus Salvurinus jur. Bonavincta Rubei jur. Scamius Rubei jur. Valterius Binnicti jur. Berardus Binnicti jur. Albertus Johannis jur. Valterus Benencasæ jur. Leto Martinus jur. Johannes Benedicte jur. Lonardus Binnicti jur. Johannes Binnicti jur. Apollenaris jur. Berardus Doni jur. Villanocce jur. Petrus Berardi jur. Bonajuncta Berardi jur.

Villa Porcilis, Johannes Ranni Stacii jur. Gregorius jur. Gervasionus jur. Johannes Nicolla jur. Petrianus Nicolai jur. Rainaldus Nicolai jur. Berardonus Gergi jur. &c.

Villa Sanctæ Catharinæ, Actus Ofreducii jur. Balcerus Ofreducii jur. Bonavita Berardi jur. Rainallus Berardi jur. Petrus Berardi jur. Oddo Jannis Donadei jur. &c.

Montis Sancti Viti, Donnus Bennus jur. Bonensenia Petri jur. Oddo Rainerii jur. Corbus Berardi jur. Rainerius Petri jur. Acto Rainaldi jur. Paganellus Janni jur. &c.

Villa Sancti Viti, Appiladorus Rainerii jur. Andreas Mancini jur. Thomas Offredi jur. Salvatus jur. Matthæus Presbiteri jur. Radolfus Berardi jur. Leo Donni Petri jur. &c.

Villa de Gabie, Thomas Thaddæi jur. Donnus Siniballus jur. Rainerius ejus filius jur. Ægidius Donni Siniballi jur. Jannus Gentilis jur. Octavianus Aifredi jur. &c.

Villa de Ferentillo, Bartholomæus Odori jur. Matthæus Fensoris jur. Ormannucius Matthæi jur. Thaddeus Odori jur. Averoltus jur. Vardianus Lorini jur. Benensenia Vardiani jur. &c.

Villa de Brisepto, Bernardus Janni jur. Ægidius Donnæ Kieræ jur. Stephanus Bernardi jur. Lonardus Clavelli jur. Clavellus Clavelli jur. Gintilis Jacobi jur. Angelus Parenzæ jur. &c.

Villa Casalis Religiosi, Sinibaldus Forzæ jur. Oddo Todini jur. Massarius ejus filius jur. Berardus Matthæi jur. Matthæus Donnæbonæ jur. Maximus Berardi jur. Thomas Berardi jur. &c.

Villa Castillonis, Donnus Moricus jur. Valterus Paganelli jur. Matthæus Gentilis jur. Matthæus Cotadini jur. Carolus Matthæi jur. Valterus Matthæi jur. Petrus Manzori jur. Todinus Clari jur. &c.

Villa Collis Olivæ, Simeon Adæ jur. Johannes Vaccari jur. Quintavalles jur. Berardus Petri jur. Rainerius Petri jur. Mancttonus jur. Scanius jur. Adam Berardi jur. Simeon Vardavillæ jur. Adam Franzæ jur. Sinibaldus Raineri jur. Philippus Simeonis jur. Johannes Adæ juratus.

Actum est hoc in Anno Domini Millesimo Ducentesimo Trigesimo Primo, tempore Domini Gregorii Papæ IX. & Domini Frederici Imperatoris, Indictione Quarta, Mense Octobri.

Ego Matthæus, auctoritate sanctæ Romanæ Ecclesiæ Notarius, in iis omnibus supra interfui, & in publicam formam redegi Anno & Mense prædicto.

DE
MONASTERIIS
MONIALIUM.
DISSERTATIO
SEXAGESIMASEXTA.

DISSERTATIO
SEXAGESIMASEXTA.

VEl ab ipsis Religionis Christianæ incunabulis Virginitas Nuptiis prælata est, atque jam tum inventæ sunt piæ Virgines, quæ carnis illecebras contemnentes, ac Deo sese voventes, perpetuæ Virginitatis institutum eligebant, Apostoli videlicet consilium sanctissimum amplexæ. Quæ firmiori mente se Deo dicabant, Velum quoque & consecrationem accipiebant. Sed eo præcipue tempore invaluit sacrarum Virginum institutio atque frequentia, quum redditâ per Constantinum Magnum Augustum pace ac libertate Ecclesiæ, pietatis palam exercendæ facta est omnibus copia. Sæculo igitur Christianæ Æræ Quarto non solùm numerabantur complures aut Devotæ aut Sacratæ Virgines, quæ in paternis sive in propriis ædibus consistebant, sed etiam quæ in Asceteriis convivebant; nam eo ipso Sæculo inclinante, earumdem Monasteria antea in Oriente instituta, in Occidente quoque esse cœperunt. Typis edita est a Bollando ad diem XII. Januarii, Regula iis præscripta Sæculo Sexto a Sancto Cæsario Episcopo Arelatensi. Sacris hisce puellis inter seniores aliqua præerat, iisque sua erat peculiaris forma & color vestis, quæ eas a Sæcularibus feminis distingueret. Antequam sacro velo donarentur, Castitatis votum emittebant. Novitiatus & probatio præcedebat, interdum per triennium. Neque Viduæ a sacris hisce Asceteriis, & a professione Castitatis erant exclusæ. Id solùm Liutprando Langobardorum Regi visum est addere, ne Mulieri, nisi transacto anno post mortem Mariti, liberum foret, *Monachicum habitum induere. Dolor enim*, ut ille ait, *dum recens est in qualemcumque partem voluerit, animam ejus inclinare potest*. Dolore autem refrigerato, facile desideria carnis ita redeunt, *ut nec Monacha esse inveniatur*, *nec Laica esse possit*. Sed eam postea Legem Carolus Magnus, Langobardorum Regno subacto, abrogavit, fatigatus nempe multarum Viduarum precibus & querimoniis, uti ex Legibus Langobardicis liquet. Idem etiam Liutprandus Rex statuit, ut quæcumque femina *velamen Religionis in se receperit*, *quamquam a Sacerdote*, (hoc est Episcopo) *consecrata non sit*, *ad Sæcularem vitam vel habitum transire nullatenus præsumat*. Si qua verò ex iis nuptias inierit, *perdat omnem substantiam suam*; persona verò aut in Monasterium mittatur, aut aliter de illa Rex provideat. Hujusmodi edicto præcipue feriuntur Sanctimoniales illæ, quæ adhuc in privatis ædibus, atque extra Monasterii claustra degebant, quæ caussatæ, quod ab Episcopo sacratæ non fuissent, interdum conculcato Castitatis voto, ad Nuptias convolabant. *Sacerdotem* pro *Episcopo* sum interpretatus, quo etiam nomine olim Episcopi designabantur, & ad quos ex Canonum disciplina spectabat jus velandi Virgines sacras. Attamen si quisquam malit, Presbyteros quoque eâ voce significari, præfracte non adversabor; nam ex Canone 41 Concilii Parisiensis Sexti, habiti Anno Christi DCCCXXIX. constat, *quosdam Presbyteros*, *mensuræ suæ immemores*, *in tantam audaciam prorupisse*, *ut sacrarum Virginum Consecratores existerent*: *quod Canonicæ auctoritati minime concordat*. Ex eodem etiam Concilio discimus, non consuevisse Episcopos *velare Viduas*, sed tantùm *Virgines*. Presbyterorum verò fuisse, *Viduis* velum sacrum conferre, non tamen inconsulto Episcopo. Seniores olim inter Moniales *Nonnæ*, *Nonnanæ*, *Nonnanes* nuncupabantur vocabulo antiquissimo, quod nos Lombardi, aliique Italiæ Populi retinemus, Avum & Aviam *Nonno* & *Nonna* nuncupantes. Nomen a sera antiquitate ad nos venisse puto, non autem a Græco, uti Menagius est opinatus. Sed progressu temporis ad quasvis Moniales *Nonnæ* appellatio translata est. *Abbatissæ* etiam vocabulum invaluit, atque illud Sæculo Christi Sexto potissimùm. Est mihi Inscriptio, Capuæ Anno MDCLXXXIX. effossa, atque ad me missa a Cl. V. Johanne Bernardino Tafurio Neritonensi, singulari amico meo. Posita fuit *Justinæ Abbatissæ*, quæ etiam Asceterii illius *Fundatrix* appellatur, Anno Christi DLXIX. Decurrebat tunc Annus III. *Post Consulatum Justini II. Augusti*. Tertia autem Indictio exordium sumserat Mense Septembri. En ejus verba:

HIC REQVIESCIT IN SOMNO PACIS
JVSTINA ABBATISSA FVNDATRIX
SANCTI LOCI HVJUS QVÆ VIXIT
PLVS MINVS ANNOS LXXXV. DEPOSITA
SUB DIE KALENDARVM NOVEMBRIVM
IMP. D. N.N. JUSTINO P.P. AVG.
ANN. III. P.C. EJVSDEM INDICTIONE TERTIA.

Plerumque verò in sacrarum puellarum Monasteriis ea sanctitas morum vigebat, atque inde tam bonus odor pietatis ac virtutum prodibat, ut vel ipsi Reges & Augusti in hujusmodi Cœnobiis construendis certarent, atque ipsæ eorum filiæ Monasticam vitam ibidem profiterentur. Ticini Bertharidus Langobardorum Rex *Monasterium*, *quod Novum appellatur*,

tur, in honorem Sanctæ Agathæ construxit, in quo multas Virgines aggregavit &c. ut habet Paulus Diaconus de Gest. Langobard Lib. V. Cap. 34. Ibique *Cuniberga Cuniberti Regis filia* Abbatissam postea egit. Ita Cunibertus ipse in eâdem Civitate excitavit nobile *Monasterium Sanctæ Mariæ Theodotis*, seu *Theodotæ*, quod adhuc vetustum splendorem servat. Et passim quidem *Ancillæ Dei* appellabantur olim Deo sacratæ Virgines, quasi essent *le Schiave di Dio*. In Concilio Romano Anni DCCXXI. hæc leguntur: *quis Monacham, quam Dei Ancillam appellamus, in conjugium duxerit, anathema sit.* Ita Romoaldus Beneventanorum Dux *Basilicam in honorem beati Petri Apostoli construxit, quo in loco multarum Ancillarum Dei Cœnobium instituit*: sunt ejusdem Pauli verba Lib. 6. Cap. primo. Celeberrimum quoque olim fuit, & magnâ nominis celebritate nostris etiam temporibus fulget Brixianum Monasterium sub titulo Domini Salvatoris, & exinde Sanctæ Juliæ, a Desiderio Langobardorum Rege, & Ansa ejus conjuge constructum. Ibi Deo sedicavit *Anselberga* eorum filia, primaque Abbatissa ceteris Sanctimonialibus præfuit. Ibi & aliæ filiæ Regum, postea Monasticam vestem induerunt, & locum nobilitarunt. Nonnulla Diplomata Desiderii ac Adelgisi Regum ad idem Monasterium spectantia edidit Margarinus, vir alioqui non satis accuratus in Bullar. Casinens. Tom. 2. Hæc olim nonnullis suspicionem falsi ingesserant, quorum argumenta

A nunc refellere non vacat. Potius, quando & mihi nobilissimi ejus Cænobii Chartas habere præ manibus licuit ex humanitate illarum Sanctimonialium, heic aliquid proferam, quod nondum editum vidi, ut certissima alioquin ex Regiâ munificentiâ Monasterii illius origo luculentius confirmetur. Quod antequam facio, adnotare juvat, in nuper memorato Bullario Constitutionem XV. a Desiderio Rege emissam pro Monasterio eodem præferre has notas Chronologicas: *Actum Brixia die X. Mensis Julii, Anno felicissimi Regni ...... XII. per Indictione VIII.* Membranam & ego inspexi, atque hæc ibi legebam: *Acto Brixia die Mense Julii, Anno felicissimi Regni ....*
B *XV. per Indictione VIIII.* hoc est, Anno Christi DCCLXXI. Itidem apud Margarinum Constitutio XVII. Desiderii & Adelchisi Regum data dicitur *Anno felicissimi Regni nostri Quartodecimo, & Duodecimo*: ego verò legi *Sextodecimo & Duodecimo*. Alia Margarini sphalmata in ejusdem Archivi Chartis referendis suo loco emendata dabo. Accipiant ergo Lectores, quid habeat Charta ibidem a me visa atque descripta. Quam etsi mire mutilam ac deformatam, ideo edere constitui, quod ante reliquas in Bullario Casinensi editas, a Desiderio Rege emissa videatur, grataque futura sit eruditis Brixianis, ac præcipue Cl. Viro Paulo Galeardo Canonico Brixiano, cu-
C jus eruditioni illa Civitas multum debet.

Desiderius Langobardorum Rex, & Ansa Regina ejus uxor, Monasterio Sancti Michaëlis & Sancti Petri in Civitate Brixiana multa donat, Anno 758.

.... *Rex, & gloriosa atque precellsa* Ansa ...... *Michaëlis, atque Apostolorum Principis Petri, quod ..... intra Civitatem nostram Brixianam, & Deo dicata* Ansilperga Abbatissa...... *Monacharum ibidem Domino servienti. Prophete electi, & Regis David vatici ...... mentum est Dominus timentium eum. Et quia confidimus omne Dominus nostrum firmamentum nostrum dignatus est .... hujus seculi possessione gloria nomini ejus ipsius sanctis locis dona tribuendo decora ...... ipsius Prophete testimonium dicentis*: Domine, dilexi decorem domus tue, & locum habitationis ...... *ut a peccatorum nexibus mereamur absolvi, & eterne vite gaudium consequamur, per nostre ..... preceptum offerimus in jure ipsius Monasterii ex propria facultate nostra . Primum omnium ..... Monasterii cum Ecclesiis, & reliquis edificiis a nobis ibidem constructum atque area vel omnia coherentia ibidem pertinentia, qualiter jam dudum a predecessore nostro* Domno Aistulfo Rege *nobis concessa fuit, aut qua .... ibidem post ...... aut quolibet ingenio advenit, sicut posita, & clausa, atque ..... ibidem a nobis largito ..... ctionem. Itaque supradicta ..... largimus Curtem nostram in loco, cui vocabulum est Cerr..... in integrum ad ipsam Curtem pertinentibus, qualiter nobis ab eodem ...... concessa fuit, quod postea ibidem per comparationem, donationem, aut quocumque ..... decimis tocius terre, quàm earum operarum alicubi laborave-*

D *runt, ad illarum commu ..... superius nominata, cum edificiis cum bovibus & .... utriusque sexus simul cum familiis, servis..... liberos, liberis, cum omni & in omnibus mobilibus & immobilibus rebus in integrum, sicut nostre pertinuit potestati in jura jam fati Monasterii concedimus, & per presentem nostrum confirmationis preceptum ..... ab hac die ... Comitibus, Gastaldiis, & gentibus nostris ... in aliquo audeat molestare... Et ut hec ..... doale Notar ..... Mensis Januarii .... nostri in Dei nomine Secundo .... ne XII.......*

Ni mei me fefellerunt oculi, quæ literæ in calce membranæ supersunt, indicare mihi visæ
E sunt *Januarium Mensem, & Annum II.* Desiderii Regis, & *Indictione XII.* quæ Indictio Annum proderet DCCLIX. Verùm quum Desiderius Regnum inierit Anno DCCLVI. veri videtur similius ibi legi *Indictionem XI.* atque adeo ad Annum DCCLVIII. mutilam hanc Chartam esse referendam. Sed quidnam, quæso, priora verba significant, nempe *Michaëlis, atque Apostolorum Principis Petri?* Nemo non dicat, supplendum heic esse Monasterium; ei autem Cœnobio eadem *Anselberga Abbatissa* præerat, quæ, ut nuper ajebam, Desiderii ipsius filia fuit, atque *Abbatissa Monasterii Domini Salvatoris*, quod postea Sanctæ Juliæ appellatum est. Numquid ergo unum idemque Monasterium sub variis hisce titulis erectum fuit? An antea *Sanctorum Michaëlis & Petri* nomine

nomine dedicatum, postea jubente Rege, *Domini Salvatoris* nomen assumsit? An potius agitur heic de altero Monasterio, quod Desiderius construxerit, & celebriori Monasterio Salvatoris suppofuerit? Ego in re obscura sententiam suspendere, eamque peritioribus Brixianæ Urbis reservare satius duxi, atque interim proferre alias tabulas ad confirmandam originem puellaris illius Monasterii, cui paria in Italia, quod est ad antiquitatem, nobilitatem ac famam pauca ostendas. Hasce legi in eodem Archivo, nempe exemplum ex authentico coram Judicibus Brixianis Anno MCCXCIX. comprobatum.

Anselperta Abbatissa Monasterii Sancti Salvatoris & Sanctæ Juliæ Brixiensis, commutationem multorum bonorum facit cum Natalia Conjuge Alechis, & Pelagia Abbatissa Monasterii Laudensis Sancti Johannis, Anno 761.

Regnante Domno Desiderio *Viro excellentissimo* Rege, *Anno pietatis ejus in Dei nomine Quinto, & gloriosissimo filio ejus* Domno Adelchis Rege *Anno Tertio, decima die Mensis Septembris, Indictione Quintadecima. Commutatio bone fidei noscitur esse contractum, & vicem emptionis obtineat firmitatem, eodemque nexo obligat contrahentes. Placuit itaque & bona voluntate convenit inter* Anselperga sacrata Deo Abbatissa Monasterii Domini Salvatoris, *qui fundatum est in Civitate Brixia, quam* Domnus Desiderius *excellentissimus* Rex, *&* Ansam *precellentissimam* Reginam *genitores ejus ad fundamentis edificaverunt, necnon & inter* Natalia *clarissima* conjuge Alehis *V. M. Gastaldo Regis, ipso jugale suo consentiente, &* Pelagia dicata Deo Abbatissa Monasterii Sancti Johannis, *que sito est intra Civitatem Laudensi, quam Genitor eorum quondam Ghisulf condedit, ut in Dei nomine debeat dare, sicuti & a presenti dedit habens ipsa Anselperga predictarum Natalie & Pelagie in causa commutationis; idest in primis Curte cum Casas intra Civitate cum ortoras sex cum omni edificia insimul valentes solidos quinientos, seu & alia Casa intra ipsa Civitate Laudensi cum Curtizola vel orto, atque usum putei extimatum est Solidos numero centum. Item Curtes duas, una in Asellias, & alia in Gambate habentes insimul ipsas Curtes, terras videlicet, pratas & silvas, juges numero triginta & novem; extimata sunt Solidos quatrinientos quinquaginta. Item Casa in Vico Maconi habente terra videlicet & pradas, vel omnia ad eam pertinentem insimul numero undecim. Et est Solidos numero centum quinquaginta: seu & vitis intra clausura prope Celera Inge, una valente Solidos treginta. Item Casa in Villa . . . . . habente juge numero viginti & octo semis; extimatum est insimul Solidos trecentos. Necnon & Casella cum terra in loco Auriate, juges numero decem, cum vidis & silvas &c. Item prato prope Civitate, qui est riba Ponte de Celera cum puteo vel Curte seu sala, insimul juges duas, & pertica una, & tavolas octo, extimatum solidos octuaginta &c. Ita omnia super suprascriptas locas pertinent de Territorio Laudensi; seu & domum coltilem in alio Paterno de suprascriptis Territorio Laudensi &c. Item & de Curte in Valle Telina dedit predicta Anselperga ipsarum Natalie & Pelagie extimatum Solidos quinientos quinquaginta, idest & aldionis quattuor cum omnibus res eorum, extimatum est Solidos trecentos quatraginta, idest nomen eorum Deusdedit, Lopo, Gutefrit, atque & Bono insimul Aldionis &c. Extimatum est hec omnia suprascriptas res per Gaupert Sculdascio, Gauso, Dagipert, Warnefrit &c. Adoin Notarium, & Arioald filio quondam Gervasii aurifici, toto insimul res istas, que extimaverunt Solidos quattuor millia. Et ad invicem recepit habens ipsa Anselperga Abbatissa in causa commutationis ad suprascriptas Natalia & Pelagia germanas, idest Curte super Fluvio Olio in finibus Brixiana, locus, qui dicitur Alphiano, cum medietate de omnibus rebus ad ipsam Curtem pertinentem tam de massariis vel de peculiare, idest cum omnem edificia, curte, orto, area, campis &c. simulque & Recona in ipso loco a predicta Curte pertinere videtur. Unde aliam talem medietatem ante hos annos jam dicta Anselperga ex comparatione habere videris de* Epolito Episcopo Civitati Laudensi; *& quod ipse quondam Genitor noster instituerat per manus Pontifici nostri Civitati Laudensi fieri venundatus est pro ejus anima pauperibus distribuat, tantomodo de ista medietate antepofito centum viginti juges terra & silva, quam ego Natalia ante hos annos in commudatione dedit Rodoin, Benigno, & Boni, & Augefrit germanis. Nam aliud omnia & in omnibus in integrum de quanta nobis de quondam genitore advenit in ipso suprascriptus locus. Ergo hiis commutatis rebus superius comprehensis una cum omni edificia, vel adjacentia & accessa sua, sibi jure ottimo vindicabunt; & faciant omni tempore ipsas vel successores earum de res superius comprehensas, de res, que inter se commutaverunt quicquid voluerint, excepto de familia, que per istas locas res commodaverunt in sua omnem familia ad ipsas res pertenentes unus alterius in suas reservaverunt potestate. De quibus & pena inter se posuerunt, ut si qua pars &c. Unde duas Cartulas uno tenore conscriptas inter se fieri voluerunt, atque ad invicem tradederunt.*

Quidem & ego Gompert Notarius Regis rogatus ad partibus perscripsi Ticino, die & Indictione suprascripta Quintadecima feliciter.

Signum manus . . . . qui hanc Cartulam fieri rogavit.

Pelagia Abbatissa huic Cartule convenientie a me facte relegi, subscripsi, & testibus obtuli rovorande.

Ego Alhis V. M. huic cartule commudationis facte ad Natalia Conjuge mea ex ipsius Natalie sibi ei consensi.

Signum manus Lazaro Gastaldio Domne Regina, filio quondam Piccioni de Cremona, testis &c.

Ego Gompertus V. M. rogatus ad Natalia & Pelagia germanas testis subscripsi, qui me presente

sente confirmaverunt , & eorum relictum est in hac Cartula convenientie &c.

Gumpert Notarius Regis scriptor hujus Cartule , quam post tradita complevit & dedit .

A

Hinc habes , addendum esse Catalogo Episcoporum Laudensium *Hippolytum* in Charta ista memoratum . At quoniam de celeberrimo Cœnobio Brixiano sermo fuit , religioni mihi ducerem, nisi & alterum adtexerem , non minori olim amplitudine ac splendore exstructum Placentiæ, sub titulo *Dominicæ Resurrectionis, & Beatorum Apostolorum* , nunc autem *Sancti Sixti* , quod Casinates Monachi mulieribus olim inde pulsis , incolunt . Ejus fundatrix fuit *Angilberga Ludovici II. Imperatoris Conjux* , ut apud Campium in Histor. Eccles. Placentin. monumenta antiqua testantur : quod & aliis monumentis in hoc ipso Opere a me editis , ac præcipue in Dissertat. XI. *de Allodiis* confirmatum vidisti . Post multos annos a morte viri Augusta mulier in supra memorato Brixiano Monasterio Sanctæ Juliæ , aut potius in ipso Placentino Cœnobio a se ædificato finem vivendi fecit ; non taman Anno DCCCCXV. ut Arnoldus Wion censuit , sed longe citius : excedit enim fidem tamdiu prorogata illius vita Fallitur autem Bouchetus in Lib. de ver. origine Familiæ Regum Francorum , quum illam *Ticini* Monasticum institutum iniisse arbitratur . Certum est , Angilbergam in Brixiano Cœnobio Sæculo renuntiasse . An verò illius pater naturalis fuerit *Ludovicus Germaniæ Rex* , quem Ludovicus Pius Augustus genuit , investigatum a me fuit in eadem Dis-

B

sertatione XI. Alterum testem constructi ab ea nobilissimi Asceterii Placentini habeo Chartam nondum evulgatam , quæ in Archivo ejusdem Monasterii adservatur .

Carlomanni Italiæ Regis Diploma, quo Angilbergæ Imperatrici Viduæ ad utilitatem Monasterii Monialium, Placentiæ ab ipsa fundati, concedit Cellam cum Ecclesia in loco nuncupato Caput Trebiæ, Anno 877.

C

IN nomine Sancte & individue Trinitatis . Karlomanus divina favente clementia Rex . Omnibus sancte Dei Ecclesie , nostrisque fidelibus , presentibus videlicet ac futuris , cognitum fieri volumus , Angilbergam *dive memorie* Hludowici *piissimi* Imperatoris *fratris nostri & consobrini nostri* Conjugem *Augustam , dilectam Sororem nostram* ,quoddam noviter Cœnobium Ancillarum Dei ad laudem & gloriam Dominice Resurrectionis infra muros Urbis Placentinæ in solo proprio piâ devotione fundasse . *Ad cujus operis suplementum nos quoque ob honorem Dei, & ejusdem Fratris & Consobrini nostri amorem & nostræ mercedis aumentum* , Cellulam quamdam *haud procul ab eadem Urbe Placentina sitam* loco , *qui* Caput Trebie *vocatur , in qua & Ecclesia Apostolorum Principis honori dicata consistit, & ut fertur , Monasticis quondam habitationibus adtributa , cum omni integritate sua ad famulorum Christi usus præfato Monasterio clementi liberalitate conferimus , donamus atque largimur , & per hanc nostre auctoritatis paginam in jus & potestatem prænominati loci sollemniter transfundimus , confirmamus , roboramus , stabilimus cum universis intrinsecis & extrinsecis , appendiciis, casis , & rebus mobilibus & immobilibus, ac promiscui sexus familiis ad ipsam Cellulam respicientibus , ut habeant illam famule Christi inibi militantes , & hoc nunc & deinceps , & possideant jure quieto ac pacifico absque ullius in posterum repetitione vel subtractione, altissimum Dominum jugiter exorantes tam pro nostre anime salute , quàm & pro dive memorie genitoris, fratris , ac consobrini nostri piissimorum Principum eterna requie . Si quis autem , quod non credimus , ex heredibus vel successoribus nostris hanc nostram in divino famulatu donationem*

D

atque munificentiam infringere aut violare temptaverit , centum libras auri probatissimi componere compellatur , medietatem Palatio nostro , & medietatem supra taxato venerabili loco , & quod repetit , irritum sit. Ut autem hoc nostre auctoritatis atque largitatis preceptum pleniori robore cumuletur , manus proprie adnotatione insignitum anulo nostro sigillari precepimus .

Signum  *Domni Karlomanni serenissimi Regis .*

Adest Sigillum cereum .

Baldo Cancellarius ad vicem Theotmari Archiepiscopi summique Capellani recognovi & subscripsi .

Data XIIII. Kalendas Novembris, Anno, Christo propitio , Primo Regni Domni Karlomanni serenissimi Regis in Italia .

Actum in Curte Sancti Ambrosii , que vocitatur Cassianum juxta Attuam fluvium , Indictione XI. in nomine feliciter Dei .

E

Eodem quoque tempore piam Regum liberalitatem imitati sunt Duces, Episcopi, & reliqui Italiæ Magnates . Immo & postremi ordinis Cives ad Sanctimonialium Cœnobia ædificanda convolabant ,eâ potissimum de causâ, ut si quas filias haberent virginitatem Deo sacrare aut jam cupientes , aut aliquando cupituras , illic recluderent : quas etiam constituere sacri loci Abbatissas consueverunt . Egregie ritum hunc confirmabit atque illustrabit antiquissima Charta , quam olim depromsi ex Archivo Lucensis Archiepiscopii , ubi pervetustum illius apographum adservatur .

Fundatio

Fundatio Monasterii Sanctimonialium Sanctæ Mariæ in Civitate Lucensi, quam Ursus Clericus facit, constitutâ ibi Abbatissâ Ursa filiâ suâ. Anno 722.

IN *nomine Domini nostri Jesu Christi. Regnante* Domno *nostro* Liutprand *viro excellentissimo* Rege, *Anno filicissimi Regni ejus in Dei nomen Undecimo per Indictione Quincta. Dum presentis vite & transitus istius temporis &c. Hinc itaque ego* Ursus *ex tota mente devotionis pertractans, que prememorata sunt, pro mercedem & remedium anime mee & comparationem vite eterne, edificavi Ecclesia proprio in territorio meo in honore Sancte Dei genitricis Marie, in qua* Ursa filia mea Abbatissa esse constituo, una cum germana sua Anstuda . . . . *religiosa hac Monastica vitam gerent, in qua Ecclesia mea pro facinera hodie in presentia Civium do, dono, trado, donataque esse volo. In primis fundum meum, ubi prædicta Ecclesia fundata est, cum Curte & puteo suo, orto, aditu, accessu, & . . . . . suo: hoc est terra modio simis: Campo in Fussinulo, qui nobis in cambio advenit, medietate de vachis, & medietate de avibus in integra. Et Casa Rusculi in Massa Fagoni, qui mihi advenit ex dono* Domni Aripert Rege. *Candido vaccario cum armento suo . . . . . . mercato suo in loco Tuniolo: Sala in loco Ferroniano cum duas Casas tributarias, una qui regitur per Candido, altera per Majorano, cum familia eorum, vinea, oliveto, silva peculiare, prato in ipso loco supra memorato. Et Casa Aroald . . . . . . Casas duas in Novale de morgincaput mulieri mee: una, qui regitur per Fridichis, & alia per Corbolo. Godoara, ancilla . . . . . . gunda pro livera, Wilpergula pro livera, Candida pro ancilla, Tinctula pro ancilla. Ut hec omnia jam dicta Dei Ecclesia jure possideat, & quod adhuc ibidem largitus fuero, firmum permaneat, & Christianis temporibus sanctarum Ancillarum Monasterio nuncupentur. Et post decessu Urse filie mee, Anstuda germana ejus, Monasterii cura ipsa suscipiat. Et post ambarum decessum eam, que sibi Congregatio eligere voluerit, ipsa in Abbatisse ordo succedat. Et ego qui supra Ursus Clericus ab . . . . . . juxta Dei voluntate in mea volo esse potestate gubernandi; nam filius meus, vel heredis meus nullam ibidem habere part . . . . . . dominandi, nisi orare & benefacere. Nec nullus Sacerdos ibidem habitare presumat, nisi quem ipsas Ancillas Dei invitare voluerint, Missarum sollempnia celebrando. Si quis contra hanc decretum meum ire quandoque presumpserit, judicium incurrat Dei, & de ipsa Sancta Dei Genitricem, anathematus subjaceat. Quam vero Cartulam decretionis mee. . . . . venerabili Presbitero scribendum rogavi, & subter pro confirmationem propriis manibus meis signum sancte Crucis feci, testibusque obtuli eam roborandam sub stipulatione & spunsione, quod interpositum.*

A *Actum Luca: Diem & Regnum & Indictione suprascripta feliciter.*

Signum manus Ursuni Autori & Donatori, seo & Conservatori, qui hanc cartulam fieri rogavit.

Ego Talesperianus *eximius* Episcopus *uic cartule donationis rogatus ad filio meo Ursone testi subscripsi.*

Rodual indignus Presbiter rogatus ad Orsum testis subscripsi.

Rachiprandus Presbiter ipsum autenticum vidi & legi, unde hoc exemplar relevatum est, in qua manu mea subscripsi &c.

Uti in præcedenti Dissertatione vidimus, B alteri Chartæ, in qua virorum Monasterium in Lucensi Diœcesi constituebatur, subscripsit *Talesperianus eximius Episcopus*. Huic etiam ille subscribit, eodemque titulo utitur, pro quo legendum suspicabar *exiguus*: neutrius enim monumenti archetypa Charta superest, sed tantùm pervetustum exemplum. Episcopi certe, atque Abbates sæpissime reperiuntur, *humilis*, & *exigui* appellationem suis nominibus apposuisse. Quare utrobique subscripserit *Talesperianus*, id caussæ fuit, quod sine Episcopi consensu nulla Monasteria instituere de novo licebat. Nam & iis ipsis temporibus sua Episcopis jura in virorum, sed præcipue mulierum Cœnobia, intacta restabant; atque C ad eos potissimum pertinebat in Sanctimonialium mores inquirere, earumque regimini sedulo vacare, simulque regularem observantiam in illarum Asceteriis aut vigentem promovere, aut deperditam restaurare ac restituere. Sunt autem & aliæ novorum Cœnobiorum institutiones, quibus nequaquam interfuit Diœcesanus Episcopus; ad perficiendum tamen opus, credendum est præcessisse aut successisse illius benedictionem atque consensum. Ita Radefridus quidam Civis Pistoriensis, inconsulto, ut videtur, Episcopo, fundationem iniit Monasterii Sancti Petri, quod adhuc Sanctimoniales alit, & reliqua sacrarum Virginum loca Pistoriensis Urbis nobilitate præcel- D lit, sub titulo *Sancti Petri Majoris*. Pendebat olim, ut conjicere fas est, præclarum hoc Virginum Cœnobium a Benedictinis Monachis, in antiquissimo Sancti Bartholomæi Monasterio degentibus, quod nunc a Canonicis Regularibus Lateranensibus incolitur. Ego Chartam fundationis in Archivo eorumdem Canonicorum legi, descripsi, atque heic edendam censui. Erat autem exemplum ante annos circiter quingentos scriptum, & membrana ex una parte succisa, quæ caussam lacunis infra aspiciendis dedit.

Fundatio Monasterii Monialium, & Xenodochii Sancti Petri Pistoriensis, per Ratefridum filium Guilichisii facta, Anno 748.

IN *nomine Domini . Die octavo Mense Septembrio , Regnante* Domno Rachis *vir excellentissimus* Regem *Anno Quarto , per Indictione Secunda feliciter .* Ratefredi filius quondam Guilichisi *sperave in me divina potentia , dum complexus rejacere in infirmitate ...... sine fine , ubi fures non effodiunt , nec furantur , ut illa voce audire merear , quia Dominus noster Jesus Christus ac Redemptor omnium in se credentibus promittere dignatus est :* Venite , benedicti Patris ; percipite Regnum , quod vobis paratum est ab origine Mundi . *Et iterum ammonuit, dicens ....* filius Masculus . *Previdimus* in proprio meo edificare Ecclesiam Monasterio beatissimorum Sancti Petri & Pauli atque Anastasii , *& inivi me vel anima mea commendare atque offerre medietatem de omnem parvitatem pecuniam vel adquisitum meum , quod nunc presenti die avere & ...... tuero , cum Case avitacionis mee , quàm & Case massaricie , seo Casalia , vinea , terra , pratis , pascuis , silvis , salectis , sationibus , cultum atque incultum , movilem vel inmovilem , seseque moventibus , omnia & in omnibus , ad ipsum sanctum & venerabilem locum offerri & condonare previdi .... seu &* Astruelda, qui veste Monastica induta esse videtur . *In eum vero tenore , ut si jam dicta Filia mea voluere cum Genitrice mea Muntia , atque Conjuge mea Perterada , seu Germana mea Ratperta in ipso Monasterio deservire voluere in ......* Senodochio *egenos vel pauperes recipiendum & elemosina tribuendum & gubernandum per ebdomata una pauperes vel peregrinas animas , & una cum* Dominico Abbate *Rectore , quem inivi ordinare previdi . Omnia , ut dixi, in sua habeat potestate regendum .... elemosinam tribuendam , de quod inivi Dominus condonare dignatus fuerit ; & pro anima mea gravata ponderibus peccatis meis die noctuque omnipotentem Deum , & etiam Dei Genitrice Maria , vel Beatissimi Sancti Petri & Pauli seu Anastasii inci ..... nimis peccator de vinculis penarum eripere dignetur , & inter Sanctis & electis suis aliqua parte vel societas tribuere jubeat , quia scriptum est per eloquium & ministrationem Domini nostri Jesu Christi :* Petite & dabitur vobis : quærite & invenietis .... *per ideo ego miser & nimium peccator creditur in ejus magna misericordia , quia pius Dominus & Redemptor omnium Celi & Terre de parvitatis mea terrenis tribuendum ad ipsa sancta virtute nominis beatissimi Sancti Petri & Pauli seu Anastasii celeste gau ..... Conjuge mea Perterada carnali vitio fuerit consecuta , & in ipso Senodochio vel Monasterio noluerit deservire, nulla de rebus meis avere debeat , nisi vacua & inane exinde foris exire deveant , ambulando ubi voluerit , & forsitan filia ...... rio deservire , si de cumportione mea , vadat , ubi voluerit , amplius de rebus meis , vel in ipso Monasterio nulla posset avere, vel imperatione facere. Nam si inivi permanserit , omnia cum supradicto Rectore vel Genitrice, atque Conjuge , vel s ...... Dominus vitam concesserit in hunc exilium Mundi avitandum , omnia mea sit potestate regendum , remeliorandum , usufructu capiendum , nam non ad secularibus pro nullo ingenio subtrahendum nisi pro Anima mea ...... demittendum ...... si .... mihi heredes esse deveant secundùm* Lex Gentis *nostre , & ipse Senodochio in sua aveat potestate , vel quod per ipso mihi fuerit ordinatum . Et si ad secularibus voluerit permanere , portionem suam suscipiat , & in ipso Monasterio nulla imperatione ..... ordinatione justa Deo fuerit ordinatum . Et quia me optandum ire , si sine filius masculo transiero , & antea de hac luce migratus fuero , quam ipsum sanctum & venerabile locum consecratum sit , volo atque decerno , ut ipso Oratorio vel Senodochio jam dictum ...... ge , seu Sorore & Filia mea de omnia medietate rebus meis , que inivi condonare visus sum , diebus vite sue aveat potestatem ; & post ovito eorum , quod per ipsi inivi fuerit ordinatum & servi vel ancillas meas parte mea liveri demittendi .... ratum sic in ipsi livertas permaneat, sicut* Princeps Domnus noster *bona memorie* Liuprandi Rex *per edictum confirmavit, & iterum confirmare previdi , ut sub nullius matricis Ecclesia subjacentem ipsum sanctum Oratorium vel Senodochio parvitate mu .... Dominico Abbas , per me inivi positus , & ipsa Genitrice , atque Conjuge seu Germana atque Filia mea , in suam aveat potestatem diebus vite sue , aut Fratri vel Sorori , qui per ipsi inivi positi fuerint , vel postmodum unus quislibet secundùm Deum electis spiri ...... peres , & pro scelera mea Dominum deprecandum ; nam pro nullo titulo malum hominem alienandum , aut per corruptionem inivi alio superponendum , nisi quem ille voluerit , qui inivi fuerit ordinatus & nullus de heredibus proheredibus meis quandoque aliqua possessi .... tuis temporibus stavilitum permaneat . Et qui contra hanc Cartulam vel ipso Monasterio , aut sanctum Senodochio ire quandoque presumpserit , aut ea inrumpere voluerit , in primis in ira Dei & omnis Virtutis Celorum , & Archangelorum & Angelorum .... Scarioth , qui tradidit Dominum nostrum Jesum Christum , & in Tartaro sit conscriptum . Ecce ut mea fuerunt desideria adimplevi, & Avondus Notarius scrivere rogavi .*

Actum Pistoria , Regnum & Indictione suprascripta feliciter .

Signum manus ..... fredus Medicus rogatus a Ratperto manu propria teste subscripsi.

Ego Lazarus rogatus a Ratperto testis subscripsi .

Ego Rachiperto rogatus a Ratperto testis subscripsi .

Signum manus Maurelli , qui filio quondam Statari , rog ......

Signum manus Anselmi , qui filio quondam Barufula , testis .

Signum manus Tatoni, qui filio quondam Fusoni , testis .

Ego Avondus , qui supra Scriptor hujus cartule post a testibus rovorata & tradita ipsius Abbas presente Andrea filio ......

....

. . . . *Domni Karoli*, *Anno Regni ejus Quarto per Indictione Prima complevi & dedi*.

Ego Gausperto Notario, *sicut in autentica inveni scriptum*, *fideliter exemplavi*.

Ego Gualbertus Notarius & Judex sacri Palatii Scriptor, *autenticum illud vidi & legi*, *sic inibi continebatur*, *quomodo in hoc exemplar scriptum est*, *preter plus minusve*, *& manu mea propria scripsi*.

Sed quando nobilis Monasterii Sancti Petri Pistoriensis injecta est mentio, Lectoribus non ingratum fore puto, si celebrem & perquam peregrinum ritum oblivioni & ego eripiam, qui olim ibi obtinuit; sed proximis tamdem temporibus exolevit. Ubi novus Pistorii Episcopus Civitatem primùm ingrediebatur, universo Clero ac Populo stipatus, solenni pompâ deducebatur ad Templum Sanctimonialium *Sancti Petri Majoris*. Spectabatur ibi paratus dapsilis Lectus, quem sedis loco petebat Antistes. Tum Abbatissa, quæ effracto claustri muro in sacram Ædem cum universis Monialibus prodierat, ad sinistram Episcopi & ipsa super Lectum assidebat. Exinde a Præsule ejusdem Abbatissæ digito annulus pretiosus inferebatur, desponsantis ad instar, & pastoralis etiam baculus dexteræ illius paulisper dimittebatur. Atque his peractis, procedebat ad Cathedrale Templum Episcopus, Abbatissa regrediente cum suis virginibus ad consueta penetralia Cœnobii. Testes hujusmodi antiquati ritus jam supra dedi in Dissertatione LXIII. *de Advocat*. Addere tamen in præsentia juvat, adservari in Archivo Pistoriensis Episcopatus, Librum manu exaratum cum hoc titulo: „ Liber Collationum Beneficiorum Ser Donati de Politis Cancellarii Episcopalis ab Anno „ MDXLIV. ad MDLXXV. Ibi verò pag. 327. cæremoniæ novo Episcopo adhibendæ, his verbis describuntur: „ Giunto all' Antiporto della Città il Vescovo, accompagnato „ da tutto il Clero Regolare e Secolare, e „ da tutti i Magistrati, scavalca, e sopra un „ tapeto s' inginocchia, e adora la Croce, „ quale gli porge il Proposto della Cattedrale. E fatto questo il Vescovo domanda, se „ v' è la Famiglia de' Cellesi. E subito tutti „ i Cellesi, quali saranno ivi preparati, si „ fanno avanti, e posti ginocchioni, si levano in piedi; e quello, a cui è da loro ordinato, dice alcune parole, e gli baciano „ la mano. Dipoi rimonta sulla mula, e in „ mezzo a' Cellesi entra sotto il baldacchino, „ e li giovani de' Cellesi vanno alla staffa, e „ seguita la Processione dentro alla Città con „ li Priori, Magistrati, inverso San Pier Maggiore. Arrivato alle scalette della Chiesa, „ si cava i guanti di seta; e la mula co i „ guanti pigliano i giovani de' Cellesi deputati. Il Vescovo accompagnato da' Cellesi „ entra in San Pietro Maggiore, ove si pone „ a sedere nella sedia per lui preparata; e la „ Badessa, e le Monache vengono a baciargli „ la mano. Fatto questo, il Vescovo si ritira appresso il Letto quivi preparato, e postosi a sedere, viene la Badessa, quale fatta „ la debita riverenza, ancor lei siede da mano sinistra, e dal Vescovo riceve l'anello in „ dito, e di poi il Pastorale in mano con „ quelle parole, che parrà a sua Signoria „ Reverendissima &c. Interea riserint, & non injuria, ipsi etiam severi Lectores ad hujus consuetudinis aspectum, eamque idcirco tamdem sublatam intelligent, quod vulgi dicteriis nimis facile pateret. Mihi tamen in eo ritu nihil improbandum fuisse creditur, verique videtur similius, ipsum eâ solum de causâ in desuetudinem abiisse, quod novi Episcopi tam solemnem ingressum non amplius usurpent. Nam ad anulum quod attinet in digitum Abbatissæ immissum, jam notum est, Virginibus etiam sacris conferri, & Benedictinis præcipue, solere, ad significandum eas nubere Christo. Atque is ritus multis olim in locis frequentabatur, immo adhuc alicubi perdurat, Episcopo tunc dicente: *anulo suo subarravit me*. Tota proinde ritus hujus deformitas in *Lecto* præparato sita erat, super quem sedisse dicuntur Episcopus & Abbatissa. Verùm a recentioribus, qui numquam spectaculo interfuere, hoc non satis rite traditum, affirmatumque fuit. Non *Lectum*, sed *un Palco*, idest *tabulatum* in Templo præparatum fuisse tradunt alii Scriptores in eâdem Dissertatione LXIII. a me laudati. *Stratum paratum* in Templo fortasse legebatur in antiquis Monasterii aut Episcopii Ritualibus: quam vocem nonnulli interpretati sunt pro *Letto*, quum *Tabulatum* quoque significare potuerit. Atque in eam sententiam vehementius rapior, quod animadverterim in eâdem Dissertatione LXIII. parem ritum Florentiæ olim observatum in pari solennitate atque in Templo ac Monasterio ejusdem Ordinis ac nominis. Vide præcipue, quæ scripsit Petrus Ricordatus Casinensis Monachus in Histor. Monast. editâ Romæ Anno MDLXXV. Is enim memorat, non *Lectum*, sed *un Palco benissimo parato*. Idem quoque Florentinorum ritus fuse descriptus legitur in Cæremoniali, manu exarato, cui titulus *il Bullettone*, in Archivo Archiepiscopatus Florentini, & in eorumdem Florentinorum Præsulum Chronologia, a Cerracchino editâ Anno MDCCXVI. Florentiæ. Unde verò originem traxerit hujusmodi solennitas, quidve revera significarit, inquirere mihi non vacat, & præsertim quod antiquata jam fuerit. Ego rem innuisse contentus ad alia progredior.

Vidisti Sanctimoniales non ita Claustro olim addictas, ut iis inde pedem efferre interdum non licuerit. Heic igitur animadvertendum est, eum in finem Monasteria quidem Sanctimonialium instituta vel antiquitus fuisse, ut Virgines Deo dicatæ, ibique collectæ obliviscerentur Populum suum, & domum patris sui, atque a Sæculo remotæ uni cælesti Sponso suo in sancta solitudine perpetuò inservirent. Verùm e Claustro quandoque egredi nequaquam iis nefas erat, ubi justæ caussæ intercederent, quippe clausuræ observatio nondum severis legibus ac pœnis constituta erat, uti nostris temporibus, ac potissimum post Pii Quincti Pontificis Maximi salutarem hac de re constitutionem observatur. Quod tamen ita dictum volo, ut simul affirmem, neque olim desideratas leges, quibus præscriberetur religiosa clausuræ custodia sacratis Deo Virginibus. Gregorius Magnus Lib. IV. Epistol. 9. ad Januarium Episcopum non tulit, Sanctimoniales Monasterii in Sardinia siti *per Villas*, *prædiaque discurrere*, hanc obtendentes caussam, quod probato quopiam Clerico carerent, qui earum negotia procuraret. Itaque Episcopo mandat, ut quispiam ipsis deputetur, *quatenus ulterius eis pro quibuslibet caussis privatis vel publicis extra venerabilia loca contra Regulam vagari non liceat*. Viden', ut Sanctimonialibus *Regula* interdiceret vagandi licen-

centiam? Ita in Concilio Vernensi Anni DCCLV. statuitur, *ne Monachæ extra Monasterium exire debeant*. Carolus verò Magnus in Capitulari Anni DCCCII. hæc habet: *Monasteria puellarum firmiter observata sint, & nequaquam vagare sinantur*. Quod infra repetit his verbis: *Ut Abbatissæ una cum Sanctimonialibus suis unanimiter ac diligenter infra Claustra se custodiant, & nullatenus foris Claustra ire præsumant*. Denique, ut alia omittam, Concilium Aquisgranense Anni DCCCXVI. de Monasteriis puellarum loquens Lib. 2. Cap. XI. satagendum esse ait, *ne Sanctimoniales foras vagandi habeant facultatem*. Quod etiam animadvertendum est, Sanctimonialibus tunc erat Ecclesia interior, in qua, & non exteriori, sacrum pro illis celebrabatur, Presbytero earum Claustra ingrediente. Propterea in Synodo Cabilonensi Anni DCCCXIII. Cap. 60. constitutum fuit: *Non debere Presbyteros amplius in Monasterio puellari immorari, nisi donec Missarum solemnia celebrent, aut aliquid ibi de Dei servitio, & suo ministerio expleant*. Id ab aliis Conciliis cautum reperio. Attamen, uti supra innui, si quando legitimæ aderant caussæ, ut Sanctimoniales, & præsertim Abbatissæ, extra Claustrum versarentur, id facere crimini nequaquam vertebatur. Idque potissimum Quarto & Quincto Ecclesiæ Sæculo licuit. Sanctus Hieronymus in Epistola ad Demetriadem, & in altera ad Eustochium, disertis verbis id prodit. Sed & Gregorius Turonensis publicas supplicationes a Gregorio Magno Papa institutas in Urbe referens Lib. X. Histor. Francor. hæc habet: *Omnes Abbatissæ cum Congregationibus suis egrediantur ab Ecclesia Sanctorum Martyrum Marcellini & Petri cum Presbytero Regionis primæ*. Concilium ipsum Vernense supra memoratum hæc addit: *Sed Domnus Rex quando aliquam de ipsis Abbatissis ad se venire jusserit, semel in anno, per consensum Episcopi, in cujus Parrochia est, ut tunc ad eum aliqua veniat ex sua jussione, si necessitas fuerit* &c. Idem quoque statuit Concilium Turonense III. Anno DCCCXIII. Canone 30. Idem & alia Concilia decrevere. Carolus etiam Magnus in laudato Capitulari adjungit: *Sed Abbatissæ, quum aliquas de Sanctimonialibus dirigere* (supple: *foris Claustra voluerint*) *hoc nequaquam absque licentia & consilio Episcopi sui faciant*. Idem quoque in Concilio Turonensi Tertio, Canon. 30. Anni DCCCXLVII. sub Rabano statutum de Abbatissa legas: *Et si quando foras pergat, comites habeat quasdam e Sanctimonialibus, quarum mores & actiones observet*.

Ergo non prorsus tunc interdictum Virginibus clausurâ obstrictis exerere pedem ex Monasterio; atque eâ de ratione Sancta Scholastica soror Sancti Benedicti, quam novimus in Cœnobio Virginum Monasticam vitam ab infantia servasse, *semel per annum* ad invisendum fratrem non longe a Casinensi Cœnobio se conferebat. Et in Constitutionibus Galteri Archiepiscopi Senonensis circiter Annum Christi DCCCCXV. statutum fuit: *Ut Moniales nullatenus exire permittantur, vel extra pernoctare, nisi ex magna caussa. Et si Abbatissa ex causâ justâ alicui permittat, eidem injungat, quod sine mora revertatur*. Anno quoque MCXI Donizone teste Lib. 2. Cap. 18. de Vita Mathildis, obviam Henrico V. Regi, ad Romanam coronationem accedenti, præter alios missæ sunt

- - - - - - - - - - Monachæ quoque centum,
Lampadibus multis cum claro lumine sumtis.

Idque ex antiquo more; nam ut Anastasius habet in Vita Leonis III. quum solemni Pompa invehendus esset idem Pontifex in Urbem, ei occurrerunt *Proceres Clericorum, Optimates, & Senatus, cunctaque Militia, & universus Populus Romanus, cum Sanctimonialibus, & Diaconissis* &c. Immo etiam coram Judicibus adstabant Sanctimonialas, si quando litibus pulsabantur. Animadverte, quid habeat pergamena mihi inspecta in Chartario Capituli Canonicorum Cremonensium, scripta *Anno Imperii Tercio Ottoni Imperatoris Quincto, Mense Genuarius, Indictione XIV.* idest Anno MI. Hæc inde excerpsi: *Dum in Dei nomine Civitate Cremona in Caminata Majore domui Episcopio ipsius Civitatis, per data licentia Domni Odelrici Episcopi ipsius Episcopio, in judicio resedisset Adelelmus, qui & Azo, Missus Domni Ottonis Imperatoris* &c. *Ibique eorum veniens presentiâ prædictus Domnus Odelricus Episcopus, & Gezo ejus & ipsius Episcopii Avocatus; necnon & ex alia parte Roza filia quondam Lanizoni, Veste velamen sancte Religionis induta; seu Adam infantulo* (hoc adnota, opus quoque fuit, ut in civili controversia, ejusque decisione, *infantulus* judicio interesset) *& Albizo tutor eorum, qui per jussione ipsius Adelelmi Missus tutor resistebad. Et ceperunt dicere ipse Domnus Odelricus Episcopus* &c. Quod tamen Roza ista *veste velamen sanctæ Religionis induta* in judicio steterit, nil fortasse mirandum. Nam pæne ab ipsis Ecclesiæ incunabulis numquam aliquot sacræ Virgines, quas *Moniales* nunc appellamus, desideratæ sunt, extra claustrum, suisque in ædibus Deo famulantes, quales nunc cernimus Sorores de Pœnitentia Ordinis Prædicatorum, seu Sorores Tertii Ordinis Fratrum Minorum, Ursulinas &c. Ejusmodi Virginum sacrarum in paterna domo degentium vestigia sæpe occurrunt apud veteres Scriptores. Ego tamen alterum illustrius moris hujus exemplum heic editum volo. Ageltruda Adelchisi Principis Beneventani filia, Radelchisi itidem Principis soror, uti ex infra evulganda Charta, aliisque monumentis colligi potest, Guidoni Spoletino Duci nupserat. Is cadente Sæculo Nono Imperium Romanorum arripuit, cujus dignitatis consors Angeltruda divitias non paucas cumulavit. Viro e vivis sublato, viriliter illa Lamberti Augusti filii sui coronam tutata est contra conatus Arnulphi Germanorum Regis. Demum post Lamberti mortem reliquum vitæ suæ Deo sacravit, Religionisque vestem induens, Camerini sedem suam fixisse, domique suæ vixisse videtur. Itaque ibi donationem fecit Monasterio Sancti Eutitii, ut Major Abbas inter Monachos reciperet Johannem Presbyterum. Chartam ad me misit Philippus Camerinius, doctissimus Presbyter Congregationis Oratorii Camerinensis, sive Camertis.

Agel-

Ageltrudis olim Imperatricis donatio facta Monasterio Sancti Eutitii, Anno 907.

A IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi Anni Nongentesimi Septimi, die XI. Mense Decembro per Indictione Decima. Actum in Camerino, in ipso Monasterio de Natabene. Manifesta est me Ageltruda olim Imperatrice, filia quondam Principis de Benevento, relicta, veste Religionis induta, quæ fuit relicta quondam bone memorie Domni Guidoni Imperatori, quæ modo in domo permanet, & per qualiter edita Lex Longobardorum continet pagina, ut Religiosa femina, que in domo permansisse, licentia & potestate sua velle de res suas pro anima sua dare & judicare tertia parte, & pro qua Domni Guidus & Lambertus Imperatoribus, qui fuerunt Virum adque Filium meum, per eorum precepta mihi confirmaverunt, & consensum prebuerunt, ut de omnibus rebus meis licentia & potestate, habuisse pro anima mea dare & judicare vel disponere omnibus, quomodo & qualiter voluissem. Propterea volo, judico, adque pro anima mea, & de predicto Viro adque Filio meo, idest in Monasterio Sancti Eutitii Confessoris, quod situm est in loco, quod dicitur Campoli, hoc est Curtem meam in territorio Hesinata, locum qui dicitur Rubilliano, cum Oratorio beati Petri Apostoli, & cum Casis arilis & terris & vineis, & omnia ad ipsa cum dicta Curte pertinentes vel subjacentes res, secundùm qualiter mihi da Irilgarda per Cartula evenit. Ipsa suprascripta Curte do, trado, & judico, adque pro anima mea dispono in ipso antedicto Monasterio, ubi modò Domnus Major abbas esse dignoscitur cum aliis Fratribus, regulariter viventes. Hoc autem tenore, ut ibi Petrus Presbiter in ipsa Ecclesia beati Petri habitum & obedientiam habeat, sicut voluerit sicut ceteri Fratres Monachi in ejusdem Monasterium diebus vite sue; & ibidem orationes pro anima mea seu de predicto Viro adque Filio meo: & ibi faciat obedientiam ipse prefatus Presbiter, sicut aliis Fratres ejusdem Monasterii, & alia obedientia faciunt, & sive voluerit, sic suprascripta res in potestate de ipso . . . . Monasterio vel ad ipsos Monachos, quomodo ego pro anima mea decrevi, ibi firmum & stabile permaneat; & ego pro anima mea dedit vel judicavit, quod neque a me, neque ab heredibus meis, neque ab ullo homine numquam contradicatur, sed semper in perpetuum ibi firmum & stabile permaneat, quomodo ego pro anima mea dedit vel judicavit, sicut in edita Lex Longobardorum continet pagina, seu & quomodo per precepta dictorum Imperatorum habeo confirmata sicut supra leguntur. Quam vero Cartula Testamenti rogatus ad suprascripta Domna Ageltruda scripsi ego Gregorius Notarius sub Die, Mense, & Indictione suprascripta feliciter.

Signum manus suprascripta Domna olim Imperatrix, que banc Chartula Testamenti fieri rogavit.

✠ Ego Aifredo rogatus a Domna Ageltruda olim Imperatrix subscripsi.

✠ Ego Aufredo rogatus a Domna Ageltruda Imperatrix subscripsi.

✠ Ego Treffea rogatus a Domna Ageltruda Imperatrix subscripsi.

✠ Ego qui supra Gregorius Notarius Scriptor hujus Cartula Testamenti & post tradita testibus tradidit & dedit.

Sed & ipsis Virginibus Deo sacratis, atque in Claustro degentibus, licuit olim inde pedem aliquando efferre: quod factum ostendunt exempla jam producta. Placentiam quoque profectus est Sanctus Symeon Eremita sub initium Sæculi XI. cujus Vitam edidit Mabillonius Sæculo Sexto Benedictino Part. I. pag. 157. Quum is, *antequam mediæ noctis terminus incumberet*, præ foribus staret Monasterii sacrarum tunc Virginum, nunc Monachorum, Sancti Sixti, atque odas dulcisonas decantaret, hisce *laudibus una ex Ancillis Dei, Maria nomine, sacrista ejusdem Ecclesiæ, vehe-* B *menter exterrita ad Basilicæ januas cucurrit, & quas vectibus & seris obfirmaverat, quia apertas invenit, mirata obstupuit*. Viden', ut liceret iis temporibus Sanctimonialibus in Basilicam exteriorem progredi, cujus etiam portas claudere ac reserare ad ipsas pertinebat? Immo ne hi quidem erant earum fines. Aribertus, seu Heribertus Archiepiscopus Mediolanensis in postremis tabulis suis Anno MXXXIV. exaratis, Monasteriis sacrarum Virginum *Majori* videlicet, & *Widelindæ*, & *Auroni*, & *Dathei* &c. annuam eleemosynam decernit. Tum imperat, *ut duæ Monachæ per unumquodque Monasterium Puellarum, quæ superius leguntur, veniant omnes insimul* C *in eodem die Veneris de prædicta hebdomada Quadragesimæ in prædicto Presbyterio Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ ad percipiendam prædictam benedictionem omni anno*. Immo Anno etiam MCCLXXXVII. aliquibus in Urbibus nondum vigebat rigida illarum clausura. Quod ex Synodo Mediolanensi ediscas, habitâ Anno eodem ab Ottone Archiepiscopo, quam edidi Tomo VIII. Rer. Italicarum. Ibi Cap. V. statutum est, *Ut Abbatissæ, vel Moniales ad exequias mortuorum non vadant*. Quid plura? Vide luculentum hujus rei testem, hoc est monumentum a me prolatum in Antiquitatib. Estens. Part. I. Cap. XIV. pag 110. Habente D videlicet Placitum publicum Ticini *Ottone Comite Palatii* una cum Otberto & Anselmo Marchionibus Anno MXIV. *eorum veniens præsentia Eufrasia Abbatissa Monasterio Domni Salvatoris præsentavit ibi præceptum unum* &c. Hujusmodi exempla non pauca ex editis Libris adferre possem, & quasdam etiam Abbatissas memorare, quæ Conciliis interfuere; sed præstat, Chartis nondum editis rem illustrare. Primam accipe, ad Annum DCCCLXVII. spectantem, quam olim ad me misit Hubertus Benvoglientus Patricius Senensis. Ex ea liquet, a *Winigiso Comite Senensi* Monasterium Sanctimonialium in honorem Domni Salvatoris conditum fuisse Anno præmemorato DCCC- E LXVII. eâ conditione, ut semper *viginti Moniales* ibi alerentur. Quod si conditio hæc minime impleretur, *tunc licentiam & potestatem habeant heredibus, hac proheredibus nostris, præfata Abbatissa* (hoc est, Abbatissimam præfatam) *de ipso Monasterio foras jactare, & alia Abbatissa ibidem mittere &c.* Integram pergamenam nunc Lector accipiat.

Fundatio Monasterii Sanctimonialium facta in agro Senensi a Winigiso Comite Senensis Urbis, sub titulo Domini Salvatoris, Anno 867.

„ *Privilegium*, *quod fecit Guinisçius Comes*.

„ IN nomine Domini & Salvatoris nostri
„ Jesu Christi. Antiqui Principes, & San-
„ cti Patres statuta sanxerunt, quod no-
„ bis modo per futura tempora conservare ob-
„ sequi oportet. Ut quicunque in sua propria
„ hereditate loco sancto in onhore Sanctorum
„ construere vel hedificare deliberat, oportet,
„ ut idem ei in ipso sancto loco, quam hedifica-
„ verit, aliquid de rebus suis conferrere vel
„ donare debeat, unde aput pium Dominum
„ mercede comula accipiat; hoc per scriptu-
„ rarum series debet obligare, ut aliquibus in
„ posterum non valeat infrangere, sed perhen-
„ niter maneat inconvulsu. Igitur ego in Dei
„ nomine Winigis *Comes Senense filio quondam*
„ *Reghinari*, *&* *Conjux mea Richildam*, &
„ divina superna inspiratione, sana mente,
„ salubrique consilio, unanimiter pertractan-
„ tes, sicut dicit in Euangelio: *Vende omnia*,
„ *que abes*, *&* *dat pauperibus*, *&* *abebit the-*
„ *saurum in Celo*. Idcirco pro amore Dei
„ omnipotentis, & remissione peccatorum no-
„ strorum, ut pio Domino largiente veniam
„ consequi mereamur, donamus adque tradi-
„ mus ad Basilica nostra, quem constructa
„ ibi, quem nos in honore Domini & Salva-
„ toris unanimiter nostro opere hedificavimus,
„ donatumque imperpetuo esse volumus, hoc
„ est ipsa area, hubi ipsa Ecclesia a fundamen-
„ to est hedificata in loco nuncupante Campi,
„ hubi dicitur Fonte bona super fluvio Cogia,
„ pago Senense, cum ipsa terra & silva, uno
„ tenente ipsa silva nuncupante Acceptoraria
„ & silva, & terra de Piscina sancta & Villa,
„ que nuncupante Septiminula, ibidem prope
„ ipsam Ecclesiam, cum casis, terris, vineis,
„ silvis, servis, proservis, aldiis, proaldiis,
„ liberis, proliberis, omnia & in omnibus ad
„ ipsa Villa pertinentes: & Casas in ipso su-
„ prascripto Campi, cum servos & ancillas,
„ cum greges porcorum, greges pecorum,
„ greges caprarum, greges jumentorum,
„ greges armentorum. Et dedimus res no-
„ stras in Casprina, que nobis da quondam
„ Odone & Albisinda Saligos per cartula eve-
„ nerunt, cum casis & hedificiis, cum gregis
„ ovium, & greges porcorum, & greges ar-
„ mentorum, cum servos & ancillas, & cum
„ ipsos pastores, qui ipsa animalia custodiunt.
„ Idest nomina eorum; in primis ibidem ad
„ ipsius Monasterio in Villa, que dicitur Cam-
„ pi, Johannes Celerario cum Rodelinda uxore
„ sua, & cum Adelberto filio suo: Wale-
„ prando besulcus frater eidem Johanni, cum
„ uxore sua nomine Magna, & Ursa filia sua:
„ Lupari besulcus cum Waleperga uxor sua,
„ & Sperandeo, & Raintruda, & Bonula
„ filie eorum: Johannes besulcu, cum Scam-
„ perga uxore sua: Albini besulcus cum Obi-
„ siada uxore sua: & Donatulo bisulcus cum
„ Ranperga uxore sua, & abitat in Septimi-
„ nule: Bertelusu cum uxore sua Ildiperga,
„ & Bertisinda filia ejus: Jumentario uno,

A „ nomine Ildeprando, cum Ansiperga uxore
„ sua: Savino pecorario, & Viccineperga
„ uxore sua, & Ursula filia suprascripto ejus.
„ Felix pecorario cum Sinitruda uxore sua,
„ & Johannes, Lupulo, Ursianulo, Fileper-
„ ga, Ansula, Ursula filiis eorum, & Johan-
„ nes Silla junior ejus. Et de suprascripta
„ Casprina Pastores, Servos & Ancillas, no-
„ mina eorum: idest, Magiolo pecorario,
„ cum Teupla uxor sua, & filios masculos
„ tres, idest Johannes, Petrus, Teupala, &
„ filie femine due Gumperga & Magiperga,
„ nuruam eidem Magioli, Raintruda cum
„ Andrea filio suo, & juniores ipsius Magioli
„ duo Lupolo & Teupulu: Vaccario uno no-
B „ mine Deodato cum Lupula uxore sua, &
„ Martino filio suo: Porcario uno nomine
„ Amulo, cum Paitruda uxore sua, cum Amal-
„ perga & Raintruda filie ipsius, Ganripaldo
„ eidem Amuli. Et donamus ibidem alios
„ Servos nostros manuales ministeriales, Ro-
„ dulo Coco cum Teuderada uxore sua: Il-
„ deprandello pistrinario, cum Dativa uxor
„ sua: Gottefredo lavandarius cum Froum-
„ berga uxore sua: Anastasius & Atriano fi-
„ liis eorum: Tappetarios tres, id sunt, Ur-
„ sulu, cum Sighitruda uxore sua, Flodard,
„ & Ansipertu. Donamus atque concedimus
„ & tradedimus in ipso prefato Monasterio
„ Domini Salvatori Curte nostra ad Sanctum
C „ Paulo cum ipsa Ecclesia, que est posita pro-
„ pe Piscina Insi, super fluvio Bumba. Si-
„ mulque donamus ibi ipsis Casis, Curtis &
„ rebus nostris, quas habemus in Casalis Sex-
„ tano, que nobis per Cartula advinet da Teu-
„ datico filio quondam Arponi, seo casis &
„ rebus ipsis ibi in Sextano, qui Petro Bur-
„ gundio ad suas tenet manus. Simulque &
„ donamus ibi alia Ecclesia nostra, quod est
„ dedicata in honore Sanctorum Cosme & Da-
„ miani, que sita est ibidem in Campi Seo &
„ donamus ibi alia Ecclesia Sancti Petri cum
„ ipsa Curte nostra Dominicale sita Calatina,
„ Donamusque & tradedimus ibidem Curte &
„ Ecclesia nostra, que hedificata est in hono-
D „ re Sancti Fabbiani super fluvio Arbia. Si-
„ mulque donamus ibidem Oratorio nostro,
„ qui est constructus in honore Sancti Ansani
„ sito Platea Senense. Seo donamus atque
„ tradedimus ibidem Curte nostra illa in Ga-
„ murisa prope Fluvio Umbrone. Et dona-
„ mus ad ipso Monasterio Servo nostro illo in
„ Clatino nomine Ildeprando cum Oda uxore
„ sua, & Johanne filio ejus. Ideo omnes istas
„ suprascriptas & denominatas Ecclesias cum
„ Curtis donnicatis, cum casis, curtificiis,
„ casticiis, mansis, mancipiis, massaritiis,
„ terris, vineis, pratis, pascuis, silvis, sale
„ ctis, ripis, rivis, aquis, vel decursibus
„ aquarum, farinariis, quadris, campis, per-
E „ viis tam donnicatis, quàm & massaritias,
„ aldiaricias, colonicas, servi, pro-servis,
„ aldios, pro-aldios, liberis, pro-liberis,
„ simul

„ simul & diversis gregibus cum pastoribus, „ movilibus adque inmovilibus. Nisi anteponimus & reservamus de predictis rebus Ecclesia Sancti Pauli ipsas casas & rebus in Campiano, & ipso cambio, que fecimus cum Ilderico filio quondam Ildoni, quod ipso Monasterio menime donavimus. Nam illas alias omnia predictas, & denominatas Ecclesias & Curtes cum rebus, pertinentiis, & abjacentiis earum, cum Servos & Ancillas, cum mansis, casticiis, & mancipiis &c. omnia & in omnibus rebus exquisitas, totum atque integrum donamus adque concedimus, & secundùm Legem nostram Saliga firmamus per fistucum, wantonem, & andilagine tradimus ad ipso sancto loco de jure nostro in jure dominationis ipsius prefati Monasterio Domini Salvatoris, *quod nos in Puellare ordine construximus*. In ea videlicet ratione, ut dum nos prefati Winigis Comes, & Richilda Jugalibus in hoc Seculo advivere meruerimus, in nostra sit potestatem & regimen gubernandi, struendi, & edificandi. Nam nec vindendi, nec donandi, nec alienandi, nisi de adversa parte nostra sit potestas defendendi. Post verò ambarum nostrarum decesso, fit, deveniat ipsius Monasterio in potestate *Ittane*, que est *Sorori mee* Winighis, & Genitrice Richild conjuge mea, seu *Richild filia nostra* in eo ordine, ut in ipso prefato Monasterio ipsa *Ittana Abbatissa sint*, si voluerit; & si noluerit, tunc sit *ipsa Richild filia nostra in ipso Monasterio* . . . . diebus vite sue; & ibi Deo secundum vires illorum deserviant, oraziones, & elemosinas, seo Officium, & Luminaria, quantum Deus illas concedere dignatus fuerit, pro nos, suisque nostris parentibus facere studeant, & de illas Abbatissas prefatas superius nominatas Itta & Richild, que supra alia vixerit, habeat potestatem de cispite nostro masculino, qui de eorum nata vel procreata fuerit, ipsa eligere Abbatissam. Dum vero de ipso cispite ulla fuerit, que in ipso Ordine in jam dicto Monasterio vivere & abitare, & omnia, ut supra legitur, facere studuerit, non abeat licentiam de alio cispite ibidem Abbatissam eligere aut ordinare. Et si hoc evenerit, quod somnu mortis jam perpesse sint, quod de ipso paterno cispite non sit, que Abbatissa eligere aut ordinare possit, vel si fuerit, & esse noluerit; tunc postea habeat licentiam ipsas Monachas, quod de eodem tempore in ipso Monasterio fuerint, una cum heredibus ac proheredibus nostris, de ipso cispite Richild, que de masculino genere nata fuerit, in suprascripto Monasterio Abbatissam eligere & ordinare. Nam & ipsa electione & ordinatione de ipso Monasterio sine licentia & consensum de eredibus ac proheredibus nostris stabilis esse non debeat.

„ In eo ordine, ut non habeat licentia vel potestatem eredibus, hac proeredibus nostris de ipsis rebus de predicto Monasterio nec vendere, nec donare, nec alienare, nec pro nullo negotio, nec proscriptione vel adversa parte de ipso Monasterio abstrahere, nisi de adversa parte ad jure ipsius Monasterio defendere & mundiburdire; & ipsa Abbatissa de ipso Monasterio, nec de res eidem Monasterii non abeat potestatem per nullum argumentum ingenio in adversa parte dare nec alienare; & ipsa verò Abbatissa, qui pro tempore in ipso prefato Monasterio ordinata fuerit, nulla alia laboratione, nec aliut censum, nec superposita faciat, nisi per singulos annos in dedicatione eidem Monasterii ad eredibus hac proheredibus nostris ibidem ad ipso Monasterio donet denarios duodecim in pensione. Et si ipsa Abbatissa predicta pensione non dederit, & dare neglexerint in primo & secundo, vel usque in septimo anno, tunc dent postea ipsa pensione insimul, quod reliquus est. Et si & tunc ipsa pensione dare neglexerint, componat ipsa Abbatissa ad heredibus hac proheredibus nostris aurum Libras tres; & postea abeat ipso Monasterio, ut supra legitur, omnia adimplendum. Si quis verò, quod futurum esse non credimus, si nosmetipsis, aut ullus de heredibus hac proheredibus nostris, seo quislibet ulla opposita vel extranea persona, qui contra prefato fulgenti Monasterio, quem nos propter nomen Domini & reverentia Domini Salvatori nostro opere edificavimus, inrumpere, aut infrangere temptaverit, quod Deus non permittat, absit: in primis ira Dei omnipotentis incurrat offensa, & ad liminibus Sanctorum simul, & ad ipso sancto loco excommunicatus appareat. Et insuper una cum distringente socio Fisci aurum Libras quinquaginta, argentum ponderas centum, partibus prefati Monasterii multa componat, & quod reppetit, evindicare non valeat; set has donatio, & traditio omnique tempore firmam, & inviolatamque permaneat cum stipulatione subnixa. Et quod ne permittat Deus fieri, si casus evenerit, quod de meo cispite aut de Richild conjuge mea, inventa non fuerit, que in ipso suprascripto Monasterio Abbatissa esse possit, vel si fuerit, & Abbatissa esse noluerit: tunc ipsa Monachas de predicto Monasterio habeat potestatem & licentiam una cum notitia de heredibus hac proheredibus nostris inter se Abbatissam eligere & ordinare in ipso prefato almo loco, ut omnia statuta capitula faciat & adimpleat, ut supra legitur. Et si ipsis eredibus hac proheredibus nostris vel quislibet personas, quod Abbatissa in ipso Monasterio vel in res ejus Monasterii aliquas superflua fecerint: tunc in suprascripta multa & pena subjaceat, qualiter supra legitur.

„ Facta donatio & traditio hanc in Septimo Decimo Anno Imperii Domno nostro *Ludovici Imperatori filio Lotharii quod Augusto*, Mense Februarii, Indictione Quintadecima feliciter. Unde & rememorati sumus, *ut predicta Abbatissa in ipso Monasterio habeat omni tempore Monachas viginti: & quando de ipsa Monachas aliqua mortua fuerint, habeat spatium usque ad annum integrum, ipsum numerum complendi, ut sint similiter Monachas viginti. Et si infra ipso anno ipsum numerum recomplere neglexerint, tunc componat ipsa Abbatissa ad heredibus hac proheredibus nostris, aurum libras tres. Et si postea ipsa Abbatissa suprascripto numerum complere neglexerint, ut ipsa Monachas viginti non fuerint: tunc licentiam & potestatem habeant heredibus hac proheredibus nostris prefata Abbatissa de ipso Monasterio foras jactare, & alia Abbatissa ibidem mittere, eligere, & hordinare*; ut omnia „ supra-

„ fuprafcripta capitula faciat & adimpleat, „ qualiter fuperius decrevimus, nifi tantum de ipfa Congregatione fit ipfam Abbatiffam, „ que poftea ibidem ordinaverit.

„ Ego Winigis Comes fuprafcriptus.

„ Ego Adelom fubfcripfi.

„ Signum manus ✠ ejufdem Richilde, ut „ fupra legitur, fcrivere rogavi.

„ Ego Leonardus fubfcripfi.

„ Ego Dionifiga fcribere rogatus ad Winigifo Comes fubfcripfi.

„ Ego Leodoinus Levita fubfcripfi.

„ Ego Crifoconius fubfcripfi.

„ Ego Rainulfus fubfcripfi.

A

„ Ego Bernardus fubfcripfi.

„ Ego Willefredus fubfcripfi.

„ Ego Pelerino Notarius ex rogato fuprafcriptorum Jugalibus hanc dote, qualiter „ fupra legitur, fcripfi, & poft tradita complevi & dedi.

Alterum monumentum longe nuper allato pofterius addo, quod ex Archivo Sanctimonialium Ferrarienfium Sancti Silveftri depromfit, mihique liberaliter fuppeditavit, fæpe mihi laudatus in hoc Opere Jofeph Antenor Scalabrinius, impiger antiquitatum medii ævi cultor.

Teftes producti a Gualdrata Abbatiffa Monafterii Sancti Silveftri Ferrarienfis, ad confirmanda jura fua in Ecclefiam ruralem Sanctæ Margaritæ, Anno 1214.

Die II. intrante Octubri MCCXIV. teftes Rubei Notarii, Syndici Monafterii Sancti Silveftri Ferrariæ pro ipfo Monafterio, contra Syndicum Popularii.

Domna Gualdrata Abbatiffa Monafterii Sancti Silveftri, *jurata dicit, quod bene funt XXX. anni, fecundùm quod de tempore credit, & plus, quod ipfa teftis apud Popularium cum* Domna Julitta Abbatiffa ejufdem Monafterii, *ubi dicta Domna Abbatiffa conceffit vicinis de Populario, ubi Ecclefia Sanctæ Malgaritæ eft ædificata, locum pro dicta Ecclefia ædificanda, & locum, ubi eft Canonica, & Vineam similiter dictæ Ecclefiæ ædificandæ conceffit. Et dixit dicta Domna Abbatiffa, quod volebat, quod dicta Ecclefia Sanctæ Malgaritæ ædificanda in dicto loco, quem ei dabat pro ipfa ædificanda, ita deberet effe fub Monafterio Sancti Silveftri, & effe de illo Monafterio, & eadem omnia fervicia facere dicto Monafterio, & in omnibus ei fubeffe, ficut Ecclefia Sancti Gofmedis & Damiani de Foco Mortuo. Et vicini, qui ibi erant, dixerunt, quod bene eis placebat. Et dicit, quod ibi erant multi de vicinis Popularii, inter quos dicit, quod erat Dominicus de Malgarinis, Ricardinus n . . . . . quidam de Capellis, & Galicius Stephanus, fecundùm quod credit; & dicit, quod erat Bonus Martinus de Aufelenda, fed de aliis non recordatur. Et dicit, quod de Monachabus Monafterii cum Domna Abbatiffa erant Domna Ymelda, quæ mortua eft, Domna Adelafia, Domna Viviana. Sed de nomine aliarum non recordatur. Sed credit, quod plures erant. Et dicit, quod poft illud factum & Ecclefia facta & ædificata in die feftivitatis Sanctæ Malgaritæ, vidit dictam Domnam Abbatiffam ire cum fe tefte, quæ erat Monacha dicti Loci, & cum aliis Dominabus. Et dicit, quod inter ipfam Domnam Abbatiffam & eas Monachas, fuerunt feptem. Et duxit fecum tres Sacerdotes, videlicet Sacerdotem morantem ad dictum Monafterium, Presbyterum Johannem, & Presbyterum Girardum morantem ad Sanctum Thomam, & Presbyterum Philippum de Sancto Laurentio, & quofdam alios Laicos; qui inter Monachas, Presbyteros, & Laicos fuerunt illi, qui iverunt cum dicta Domna Abbatiffa ad dictam Ecclefiam XVIII. aut XX. perfonæ. Et dicit, quod fuerunt bene recepti in dicto loco, & omnia præftita ad jacendum, & victualia præftita*

B

fuerunt a Sacerdote tunc, quem audivit fore Presbyterum Lanfrancum, & a vicinis. Interrogata de tempore, quo fuit hoc, dicit, quod magnum tempus eft, & dicit, quod dictam Domnam Abbatiffam, donec vixit, femper vidit ire & ducere quofcumque voluit, & pro fuo arbitrio, & fine alicujus contradictione. Et dicit, quod numquam ibat dicta Domna cum paucioribus quatuor Monachabus, fine alia familia. Poft ejus mortem ipfa teftis fuit Abbatiffa dicti loci, quæ dicit fore XX. annis, numquam mifit minus octo perfonis inter Monachas, & alias perfonas; fed ab illo numero infuper plures mifit, & numquam vidit quidem fieri. Et dicit, quod confuetudinem iftam & fervitia ifta facere debet & facit Ecclefia Sancti Gofmedis & Damiani Monachabus Sancti Silveftri,

C

quia in feftivitate ipfius recipit quafcumque perfonas & quotcumque Domna Abbatiffa mittit, & præftat neceffaria cum comeftibilibus & lectulis & aliis neceffariis. Et dicit, quod medietatem oblationum in Pafcha & Nativitate Domini, & duas partes oblationum in die fefti, & medietatem candelarum præftat dicto Monafterio, & in feftivitate Sancti Silveftri, Presbyter, qui moratur in Ecclefia Sancti Gofmedis & Damiani, venire debet & deferre tortam unam. Et tranfacto fefto Sancti Gofmedis & Damiani, defert fimiliter aliam tortam; & mittere Sacerdotem, & extrahere ad fuum fenfum, & mittere fuum Nuntium ad Ecclefiam illam, & facere eum accipere de illo loco quidquid vult, pariter vinum, vaccas de curia, &

D

alia omnia pro voluntate & arbitrio Abbatiffæ in dicto Monafterio. Interrogata, quomodo fcit, quod talia facere debet; refpondit, quod bene funt XL. anni, a quo eft pro Monacha in dicto loco. Et antequam foret Abbatiffa, vidit fieri, & fuo tempore fecit fine alicujus contradictione. Et dicit, quod eadem vidit fieri, & ipfa fecit fuo tempore, excepto a parvo tempore, quo quæftio non faciendi fibi mota eft. Et ipfa teftis mifit in dicto loco Sacerdotem Presbyterum Johannem, qualem fervum in omnibus, ficuti voluit. Et dicit, quod hoc fecit fine confenfu vicinorum. Et dicit, quod quando non erat Sacerdos, vicini venire confueverunt ad fe teftem,

E

& petere Sacerdotem dicentes, quod fuum erat peccatum, quod non mittebant Sacerdotem, qui ibi celebraret divina. Et dicit, quod vicini non eligunt, fed ipfa Abbatiffa. Et dicit, quod num-

numquam in suo tempore de oblationibus pertinentibus in suam partem reliquit aliquid ipsi Sacerdoti ibi moranti. Et sic ipsa testis suo tempore de una pur . . . . . . dictæ donavit cuidam sine alicujus contradictione. Et dicit, quod vicini illius terræ, & boni homines illam construxerunt. Et dicit, quod dictæ Ecclesiæ dedit Altare, viaresum, pallium, toalias, & antiphonarium unum de die & alium de nocte, & unum Psalterium, & unum Matutinale.

Domna Viviana Monacha jurata dicit idem per omnia, quod Domna Gualdrata, excepto quod non est Abbatissa. Sed dictis omnibus interfuit. Et addit, quod quando Ecclesia construebatur, de oblationibus dimittebat pro illo facto; sed ab illo tempore numquam reliquit. Et dicit, quod accessio fuit facta in Monasterium Sancti Silvestri. Et dicit, quod nulla conditio fuit apposita, nisi ut supra dictum est.

Domna Tarsilla jurata dicit idem per omnia, quod Domna Viviana: excepto quod non recordatur de nominibus vicinorum, qui interfuere, quando concessio fuit facta.

Agitella Conversa Monasterii Sancti Silvestri jurata dicit idem per omnia, quod Domna Tarsilla, excepto quod non est Monacha; sed Conversa est. Et dicit, quod illo tempore erat Camareria Domnæ Julittæ Abbatissæ, *& non Conversa. Et dicit, quod non recordatur de tempore. Sed dicit, quod sunt XXX. anni, & parum plus, aut parum minus, & excepto quod nescit, quam partem solvere debet in Nativitate Domini & in Pascha. Sed vidit venire Sacerdotem & dare: sed quid daret, nescit. Et dicit, quod multocies ivit ad dictum festum cum Abbatissa Julitta; & vidit dicta fieri, & vidit ipsam ire, & istam Abbatissam præsentem mittere, quas ea volebat, & quantascumque: & venire Sacerdotes, & turtas deferre pro dicta festa; & ipsam Abbatissam mittere Sacerdotes pro suo arbitrio; & dicit, quod vidit ipsam Abbatissam, quando dabat oblationes, ad impetrationem ipsorum Sacerdotum eis dimittere. Et vidit Abbatissam Julittam vendere terram de Ecclesia Sancti Gosmedis & Damjani, & calicem argenteum, qui ibi erat, accipere, & alias res pro arbitrio suo: excepto, quod non recordatur de nominibus illorum, quos duxit Abbatissa ad dictam Ecclesiam Sanctæ Malgaritæ. Sed ipsa testis fuit, & non recordatur de numero.*

Domna Miliana Monacha jurata dicit, quod in tempore Abbatissæ Julittæ ipsa testis erat scholaris. Et ivit cum dicta Abbatissa ad Ecclesiam Sanctæ Malgaritæ de Populario, & vidit ipsam Abbatissam habere ibi multas secum ad dictum festum, & fore receptas honorifice in comedere & bibere ad suum arbitrium & voluntatem Abbatissæ. Et dicit, quod postquam fuit in dicto Monasterio, quod dicit fore XIII. annos, vidit istam Abbatissam mittere ad dictam Ecclesiam se testem, & alias de Monachabus, & sine illa alias personas, & non minus de octo personis ad festum Sanctæ Malgaritæ ad Popularium, & honorifice fore ibi receptas a Sacerdote, & vicinis dicti loci in comedere & bibere, & in jacere & stare. Et postquam ibi erat, invitabat, quos volebat, ad comedere & bibere. Et in ipso die post festum, vel alio die, vidit Sacerdotem dictæ Ecclesiæ venire, & deferre tortam ad Monasterium vel mittere; & hoc id in festo Sancti Silvestri vidit facere, & in festivitate Sanctæ Malgaritæ de oblationibus dabat duas partes dicto Monasterio in Nativitate Domini & in Pascha . . . . . . am partem si firmiter de illa non recordatur. Et vidit ipsam Abbatissam, quæ modo est, mittere Sacerdotem in dicta Ecclesia pro suo arbitrio, & extrahere pro suo arbitrio. Et hæc omnia vidit fieri a dicto tempore infra in dicta Ecclesia. Et audivit semper dici, quod eadem omnia facere debebat dicta Ecclesia Sanctæ Malgaritæ Monasterio Sancti Silvestri, secundum quod faciebat Ecclesia Sancti Gosmedis & Damiani. Et hæc omnia vidit similiter fieri per dictam Abbatissam in dicta Ecclesia Sancti Gosmedis & Damiani, & Sacerdotem facere dicto Monasterio.

Die X. exeunte Octobri MCCXIV. Indictione III. testes Syndici Monasterii Sancti Silvestri contra Syndicum Popularii.

Presbyter Ugo de Ecclesia Foci Mortui juratus dicit, quod a quatuor annis infra transactis ipse de præcepto Dominæ Abbatissæ de Sancto Silvestro, cum quibusdam Monachabus dicti Monasterii, & aliis personis, ita quod cum illis & aliis, quas misit ad festum Sanctæ Malgaritæ, fuerunt octo personæ & plus. Et dicit, quod Presbyter illius Ecclesiæ, & vicini bene receperunt se testem, & dictas personas; & in duabus comestionibus fuerunt bene recepti a dicto Sacerdote & vicinis, & ad Canonicam. Et dicit, quod ipse testis ex sua parte, quos voluit, & dictas Monachas, quas voluit, vidit invitare ibi ad comedendum. Et tunc ibi fuit dictum, & in duabus ex dictis vicibus collegit oblationes pro Domina Abbatissa, & dividit cum Sacerdote eas, & medietatem candelarum habuit, & duas partes denariorum pro Domina Abbatissa. Et Sacerdos reliquit. Et sic de aliis vicibus vidit fieri. Et vidit illum Sacerdotem venire ad festum Sancti Silvestri, & deferre turtam unam. Et dictam Dominam Abbatissam audivit protestantem, dicentemque, quod potestatem habebat mittendi ad dictum festum quantascumque personas vellet ad festum Sanctæ Malgaritæ, & Sacerdos tenebatur illos recipere, & servire in duabus comestionibus, & debebat habere medietatem candelarum, & duas partes denariorum & turtas in ipso festo. Et in festo Sancti Silvestri deferre, & alia omnia facere, & in omnibus obedire, secundum quod Ecclesia de Foco Mortuo, in qua moratur. Quæ omnia ipse fecit & facit a tempore illo infra, quod fuit hoc, quod dicit fore quinque annos. Et dat medietatem denariorum de Nativitate & de Pascha. Et in isto anno audivit Sacerdotem, qui moratur ad Sanctam Malgaritam dicentem, quod dederat. Aliud dicit, se non recordari.

Blancolinus juratus dicit, quod bene . . . . . per octo annos cum Capellano Ecclesiæ Sancti Silvestri, & duabus de Monachabus, & cum dictis in tanta quantitate, quod erant octo personæ, ire ad Ecclesiam de Populario in Vigilia Sanctæ Malgaritæ; & bene recipiebantur a Sacerdote dictæ Ecclesiæ, & ad panem & vinum, & omnia necessaria, & in die festi ad prandium. Et videbat Monachas invitare, quos volebant, & tenere secum ad prandium sine alicujus contradictione. Et dicit, quod est unus annus, quod non ivit. Et dicit, quod vidit Presbyterum Martinum deferre unam turtam ad dictum Monasterium in die festi. Et quando ibat, dicebat Jacobinus Capellanus, quod male faciebant, quod auferebant turtam a Sacerdote dictæ Ecclesiæ in die festi. Et dicit quod interfuit, quando dicta Abbatissa Sancti Silvestri investivit Presbyterum, qui modo est de Ecclesia Sanctæ Malgaritæ, & dixit illi, quod deferret tur-

turtam unam in festivitate Sancti Silvestri, & festivitate Sanctæ Malgaritæ; & ipse promisit dare; & promisit medietatem dare denariorum de Nativitate & de Pascha, & de festivitate Sanctæ Malgaritæ duas partes denariorum, & medietatem de candelis, & sic vidit fieri in dictis temporibus, quibus ivit, & ipse testis divisit cum Presbytero Martino.

Sigizius juratus dicit se scire, quod Abbatissa Sancti Silvestri consuevit mittere ad dictum locum Sanctæ Malgaritæ, quas vult de suis Monachabus. Interrogatus, quomodo scit, respondit, quia ipse testis multoties interfuit, ubi Domina Abbatissa misit quantascumque voluit. Et jam sunt decem Anni, quo hæc vidit fieri. Et quando vidit duas de Monachabus ire, & mittere, & quando quatuor; & semper vidit mittere inter Monachas & alias personas ab octo personis insuper, & mittere Sacerdotem suum & Capellanum, & bene recipi ibi a dicta Ecclesia. Interrogatus, quomodo scit, respondit, quia ipse testis interfuit & facere vidit. Et dicit, quod vidit Dominam Abbatissam donare vinum de dicta Ecclesia pro suo arbitrio, nullo contradicente. Et vidit dictas Dominas invitare ad festum quoscumque vellent. Et dicit, quod quando Canonica Sanctæ Malgaritæ fuit combusta, multocies Jacobinus Caparelli venit, & alii de vicinis ad se testem dicentes, quod damnum erat Monacharum Sancti Silvestri; & quod ipse face . . . . . se caput; & petiit ab illis, qui dicebantur fecisse. De facto turtæ dicit idem, quod Blancolinus. Et dicit, quod semper audivit, quod eamdem jurisdictionem in omnibus & per omnia debet habere in Ecclesia Sanctæ Malgaritæ, sicut in Ecclesia de Foce Mortuo.

Et ego Nicholettus sacri Palatii Notarius dictos supradictos testes recepi & scripsi sub Domino Zaneto Valentini, delegato a Domino Rolando Episcopo Ferrariæ, *ut ab eis audivi, sub Millesimo Ducentesimo Quarto Decimo, Indictione Secunda.*

Tertium exemplum Ticinensis Urbs nobis suppeditabit, desumtum ex Monasterio Salvatoris, nunc Sancti Felicis, ubi autographum vidi.

Placitum Ticini habitum coram Adalgerio Cancellario, aliisque Episcopis & Proceribus, Missis Henrici Regis, in quo Helena Abbatissa Monasterii Sancti Felicis protectionem Regiam obtinet pro rebus ejusdem Monasterii, Anno 1043.

„ DUm in Dei nomine, in Monasterio Sancti Petri, quod dicitur Cellum aureum, in Sala murata ipsius Monasterio, que est da Aquilone, justa muro ipsius Monasterio, per data licentia, *Domnus Balduinus Abba ipsius Monasterii*, in judicio residebat *Domnus Adalgerius Cancellarius, & Missus Domni Heinrici Regis* justiciam faciendam hac deliberandam, residentibus cum eo *Domnus Aribertus Archiepiscopus Mediolanensis, & Domnus Raynaldus Episcopus Papiensis, & Domnus Riuprandus Episcopus Novariensis, & Domnus Litigerius Episcopus Comensis, & Adelbertus Comes*, & item Adelbertus Judex & Missus Domni Regis, & Antonio filio ipsius Adelberti, similique Missus, & Lanfrancus Advocato Domni Regis, & item Lanfrancus, qui & Otto, Richardus Vicecomes, Ingezo, Walandus, Petrus, Johannes, item Johannes, qui & item Lanfrancus, Adam, Sigefredus, item Sigefredus, Teuzo, qui & Otto, Giselbertus, Stephanus, qui & Ribaldus, Teudaldus, Arialdus, & Lanfrancus Judices sacri Palatii, & reliqui plures. Ibique orum veniens presencia *Donna Elena Abbatissa Monesterio Sancti Felicis, & Domini Salvatoris, qui dicitur Regine*, una cum &c. & ibi loci mixit predictus Domnus Adalgerius Cancellarius & Missus Domni Regis bannum Domni Regis super eandem Donna Elena Abbatissa, & super omnes res ipsius Monasterii, ut nullus quislibet omo eandem Donna Elena Abbatissa, ejusque succeslature, vel partem ipsius Monasterii disvestire vel molestare audeat de predictis omnibus rebus juris suprascripto Monesterii, centum Libras auri. Qui verò fecerit, predictas centum Libras auri se compositurus agnoscat, medietatem Camere Domni Regis & medietatem predicte Donne Elene Abbatissa, ejusque successature, vel partem ipsius Monesterii. Et hanc noticia qualiter acta est causa pro securitatem, quidem & ego Bonizo Notario sacri Palacii ex jussione suprascripto Donno Adalgerius Cancellario & Misso Domni Regis, & Judicum amunicione scripsi, Hanno ab Incarnacione Domini nostri Jesu Christi Milleximo Quadragesimo Tercio, Regni vero suprascripto Domni Heinrici Regis Deo propicio hic in Italia Anno V. Terciodecimo Calendas Madias, Indictione XI.

„ Adalgerus Cancellarius interfui & subscripsi feliciter. Amen.

„ ADALBERTUS COMES INTERFVI.

„ Adelbertus Judex & Missus Domni Regis interfui.

„ Antonius Missus Domni Regis interfuit

„ Walandus Judex sacri Palacii interfui.

„ Petrus Judex sacri Palatii interfui.

„ Sigefredus Judex sacri Palatii interfui.

„ CΤΓΗΦΡΗΔΟϹ.

„ Richardus Vicecomes & Judex sacri Palacii interfui.

„ Ego Johannes Judex sacri Palacii interfui.

„ Ego Teuzo Dei adminiculo Judex sacri Palacii interfui.

„ Lanfrancus Judex sacri Palacii interfui.

Habemus illustre nomen *Regine* Asceterio huic Ticinensi tributum. Scriptores Ticinenses id factum putant, sive quod sancta *Adelais* Ottonis Magni Augusti conjux illud restauravit, aut ditavit, sive quod *Felicitas* eorum filia, ibi Monasticâ veste assumtâ, insigni virtutum professione floruerit. Sed falluntur. Longe antiquius est nobile istud Monasterium, ejusque mentionem habes in Diplomate Arnulphi Italiæ Regis Anno Christi DCCCLXXXIX apud

apud Campium Tom. I. Histor. Placent. Eccles. ubi appellatur *Monasterium Reginæ*. Neque ullum vestigium Adelaidis Augustæ, aut cujuspiam ejus filiæ, occurrit in Diplomate Ottonis III. Augusti, quod archetypum vidi apud easdem Sanctimoniales Ticini, dignumque est, quod e tenebris educatur in lucem.

Confirmatio trium Castrorum facta ab Ottone III. Imperatore Parthenoni Sancti Felicis Ticinensis, Anno 1001.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto Tercius *servus Apostolorum. Omnium Fidelium nostrorum tam presentium quàm & futurorum noverit universitas, quod nos ob Dei omnipotentis amorem, & animæ nostræ remedium, aut ut a peccatorum nexibus absoluti veniam mereamur æternam*, Monasterio, in quo habetur pretiosum Lignum Sanctæ Crucis, quod tempore gloriosi atque victoriosi Imperatoris Secundi Ottonis a bonæ memoriæ Benedicto Episcopo æternæ Urbis, Hierosolymis invectum est, *dedimus & confirmamus Cortes sive Castella, quæ* Berengerus & Adalbertus Reges *tenuerunt: Maringum scilicet & Corvetula, & Gamundum, cum omnibus pertinentiis & adjacentiis earum. Quæ omnia in omnibus ad utilitatem, ad victum scilicet & usum Monacharum Deo militantium in loco ubi ipsius Crucis Domini patrocinia haberi videntur, in quo* Abbatissa Domna Geppa, *vel sibi successuræ preesse dinoscuntur. Si quis igitur hoc preceptum violare aut corrumpere sine legali judicio temptaverit, componat centum Libras auri cocti, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem predictæ Abbatissæ Domnæ Geppæ, suisque successuris; ipseque violator, & hujus precepti contemptor anathemate perenni sit constrictus, & cum omni maledictione, quæ in novo aut in veteri Testamento habetur, perenniter interemptus. Et ut traditio firmiter permaneat, hanc paginam manu propria roborantes insigniri precepimus.*

Signum Domni Ottonis  *Cesaris invicti.*

Heribertus Cancellarius vice Willigis *Archiepiscopi recognovit.*

Data *X. Kalendas Decembris, Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Primo, Indictione XV. Anno Tercii Ottonis, Regni XVII. Imperii VI. feliciter.*
Actum Ravennæ.

Locus Sigilli ✠ plumbei pendentis olim & nunc deperditi.

Heic vides memoratum Benedictum VII. Papam sub nomine *Episcopi æternæ Urbis*. Sed quod potissimùm animadvertas velim, Otto III. se inscribit *Servum Apostolorum*. Mirum est (idque repetere nunc mihi liceat, quod antea monui in Dissertatione XLVII.) quo impetu declamarit Illustrissimus Fontaninius Archiepiscopus Ancyranus, in Defensione Secundâ jurium Apostolicæ Sedis in Comaclum pag. 327. ut falsi argueret ejusdem Ottonis III. Diploma, Anno eodem datum, (immo ipso die, atque in ipsa Urbe Ravenna) editum a Margarino in Bullario Casinensi Tom. 2. Constitution. 70. Præ ceteris insectatus est ille titulum, quem sibi tribuit Augustus ille. Ego authenticum alterum Diploma cum eodem titulo ipsis Sanctimonialibus, eodemque tempore concessum, publici juris feci in nuper memorata Dissertatione XLVII. Rursus ergo habent Lectores in proxime evulgato Diplomate, unde agnoscant, quàm illegitimis interdum armis Critici nonnulli in antiquitatis monumenta insurgant. Autographum est Diploma Ticinense, ibique Otto III. diserte inscribitur *Servus Apostolorum*, ita ut certum jam & exploratum agnoscas, quod Præsul Ancyranus suâ tantùm fretus confidentiâ negare atque irridere antea est aussus.

In præcedenti Charta *Guinisi Comitis* a me productа vidimus, *Abbatissam tantùm de ipsa Congregatione* fuisse eligendam, hoc est ex ejusdem Monasterii Sanctimonialibus. Atque id familiare erat in ipsis etiam Monachorum Cœnobiis, dum idonea ibidem exsisteret persona. Neque enim nefas fuit aliunde optimam aut idoneam quandoque adsciscere, si postularet necessitas aut utilitas loci. Eligebantur autem Abbatissæ a Monialibus pluralitate votorum, ut nunc etiam fit, nisi jus eligendi penes Monasterii fundatorem ac patronum fuisset antea reservatum. Eaque electio in publicas tabulas referebatur tum ad confirmationem actus, tum ad lites ac dubitationes in posterum tollendas. Idem quoque præstitum fuisse novimus in electione Abbatum. Egregia mihi visa est in hanc rem Charta, quam olim legebam in Archivo Lucensis Archiepiscopii; quum inde elucescat, quales ritus in ejusmodi electionibus servarentur. Hanc igitur libenter profero. Animadvertas autem velim ea verba: *Regulam & Ferulam de manibus nostris in manum tuam dedimus*. Jam notum est, Abbatibus *Ferulam*, sive baculum pastoralem, ante complura Sæcula in usu fuisse. Hinc discis (idque perquam rare occurrit) eamdem Ferulam Abbatissis quoque fuisse traditam, & quidem ante annos octingentos. Ita in Charta Anni MXXVIII. apud Ughellium in Episcopis Taurinensibus Tom. IV. Ital. Sacr. quæ Sanctimonialibus eligenda erat Abbatissa Monasterii Caramaniæ, *accipiat Baculum super Altare ejusdem Monasterii, & fiat Abbatissa*. In-

Interfuerunt etiam, ut vidisti in Carta nuper editâ, Abbatissæ electioni tum ex Clero, tum ex Populo non paucis, ut sub eorum oculis legitime factum scrutinium appareret. Propterea illi tantummodo testes fuere. Legimus tamen, ad electionem quorumdam Abbatum accessisse olim ejusdem Cleri & Populi consensum. Heic etiam Chartæ subscribentes invenimus *Cardinales* quosdam Lucensis Ecclesiæ: qua de re vide supra, si lubet, Dissertationem LXI. *de Cardinalibus*. Denique diligenter observa, *Atruildam* eligi Abbatissam, eidem verò Chartæ subscribere *Adalsindam Abbatissam*. Num ergo, uti olim duo Abbates interdum uni præsuere Cœnobio, sic duæ Abbatissæ heic uni Asceterio datæ? An potius viventi adhuc Adalsindæ seniori Abbatissæ concessa est, ut ita loquar, Coadjutrix, quæ ipsi demum morienti in regimine succederet? Postremum potius amplector, quamquam nihil horum ex Charta exculpi possit, quæ mihi authentica sive archetypa visa est. Intuere infra non absimilem Chartam. Liberum heic erit Lectori sentire, quod propius ad veritatem accedat.

A

Charta electionis Atruildæ Abbatissæ in Lucensi Monasterio Sancti Michaëlis, Anno 915.

IN Christi omnipotentis nomine. Manifesta causa est, qualiter quondam Aliprando in proprio territurio suo hic infra Civitate ista Lucense construxit Ecclesiam in onore Dei, & beati Sancti Michaëli Arcangeli, ubi de rebus suis nominative contullit, & constituit ibidem de suis esse Abbatissa, Rectrix, & Gubernatrix, vivenda juxta Regula ordine: & constituit pro ipsa dotalis paginam, ut si in ipso Monasterio beati sancti Michaëlis Arcangeli post suum obitum eidem aliquit parentibus suis nominative, quos in ipsa dotalis pagina continebat, sit, ibi congregatio Ancillarum Dei fuisset, ut qualem inter se Abbatissam inibi constituissent duas partes ex ipsis congregatio Ancillarum Dei, talem ibi Abbatissa, Rectrix & Gubernatrix esset; etiam verò tertia pars ex ipsa congregatio eorum consentiens esse debuisset, & ceteras, sicut in ipsa dotalis paginam continebat. Modò autem juxta testum ipsius dotalis pagina, nos omnes Congregatio Ancillarum Dei ex ipso Monasterio pari consensu & bona voluntas ordinum adque elegimus nobis, & preesse Abbatissa Atruilda, Religionis velamen induta filia Benedicti Scabini, ut ibi diebus vite tue Abbatissa esse debeas, Rectrix, & Gubernatrix, *abendi, imperandi, regendi, gubernandi, adque fruhendi juxta ipsam dotem*. Itaque Regulam & Ferulam de manibus nostris in manum tuam, quæ supra Atruilda dedimus adque tradimus, ut omni tempore diebus vite tue in eadem stabilitate, qualiter te elegimus, persistas. Et ita te nobis Abbatissa elegimus, *& confirmavimus presentiâ Sacerdotum Marini Archipresbiteri, Suntripaldi, Stefani Sichardi, Natali, Ghisalprandi, & Chimundi, Andrea, Imberti, Dameli, Teuperti, Dominichi, Gundalfini, Chimundi, Bordi, Tressimani, alio Dominicho, Willeradi, alio Andrea, Lei Presbiteri, Daiprandi Archidiaconi, Andrea, Teupaldo, Rachisusi, Filippo, Ghisolfi Diaconi: De Laicos, idest Adalpertus, & suprascripto Benedicto, & Cosperto, & Petrus Scabini, Teudilascio, Teudimundo &c.*

Hoc factum est Anno Domini nostri Berengarii, *divina ordinante clementia* Rex, *Vigessimo Septimo, III. Idus Januarii, Indictione III.*

✠ *Signum de manus* Adalsinda Abbatisse, *quia omnia suprascripta per consensum Monache ipsius Monasterio elegi & consensi.*

Signum ✠ de manus Amaldrude Monache, que consensi & elegit.

B *Signum ✠ de manus Angalperghe Monacha, que consensi & elegit.*

Signum ✠ de manus Inghile Monacha, que consensi & elegit.

Ego Martinus Archipresbiter ibi fui.

Ego Ramberto Presbiter ibi fui.

Ego Stephanus Presbiter & Cardinalis ibi fui.

Ego Sichardus Presbiter Cardinalis & Primicerius ibi fui.

Ego Suntripaldus Presbiter & Cardinalis ibi fui.

Ego Richimundo Presbitero &c.

Ego Daiprandus Archidiaconus ibi fuit.

Ego Andreas Diaconus & Cardinalis ibi fuit &c.

C Ceterum ad constituendas Abbatissas Episcopi consensus & confirmatio secundùm Canones exigebatur, nisi Privilegia obstarent. Vide Chartam apud Ughellium Tom. 3. Ital. Sacr. in Episcop. Florentin. Sæculo Nono scriptam, in qua Berta neptis Hucpaldi Comitis Palatii, *per sonum de ipsa campana, & thuribulum*, creatur Abbatissa Monasterii Sancti Andreæ, siti intra Civitatem Florentiam, & *de ipso Monasterio investitur cum consensu Domni Andreæ Episcopi*. Dixi, nisi Privilegia obstarent: Neque enim defuere priscis temporibus Virginum sacrarum Collegia, quæ aut in ipsa origine ac fundatione sua, aut progressu temporis, ab Episcoporum auctoritate
D avulsa fuere, subjecta dumtaxat aut Abbati alicujus Cœnobii, aut Metropolitæ, aut Apostolicæ Sedi. Quare a disciplinæ Ecclesiasticæ legibus abhorrere videatur, quod in institutione Monasterii puellaris de Caramania Diœcesis Taurinensis Anno MXXVIII. facta a Maginfredo Marchione, & ab ejus Conjuge Bertâ Comitisâ legimus Tom. 4. Ital. Sacræ. Quippe statuunt fundatores, *ut nullo modo permaneat ipsum Monasterium in regimine illius Episcopi, in cujus Episcopio est situm, nec alterius personæ, nisi in Dei omnipotentis, quem ejusdem facimus heredem, & sequente eo sit ordinatum*. Ad hæc præcipiunt, ut nova Abbatissa *a quocumque voluerit Episcopo, si consecrandi & eamdem ordinandi Monacham*, facultatem
E habeat. Saltem dixissent, sacrum locum sub jure aut ordinatione Apostolicæ Sedis deinceps futurum. Verùm tanta licentia atque libertas eo denique recidit, ut multiplicatis in Asceterio illo vitiis & scandalis, Anno MCCCXLIV. expulsæ inde fuerint sacræ mulieres, & in locum illum Monachi invecti.

cedenti Dissertatione monui, ad Sancti Benedicti Regulam sensim fere omnes Occidentis Monachi sese receperunt, eamque amplexi, veluti suam effecerunt. Paria Sanctimoniales quoque præstitere, atque ad ipsam institutum suum accommodarunt, retentis iis, quæ cum muliebris sexus conditione conformari poterant. Itaque par vitæ institutum, & validæ protectionis desiderium, paulatim in caussa fuere, cur Moniales non paucæ ad se accerserent Monachos, ex quarum sacris concionibus proficerent, ac in via pietatis erudirentur. Eorum præterea defensioni aut ipsæ se commendarunt, aut a fundatoribus sunt commendatæ. Quare antiquis etiam Sæculis sacrarum Virginum Cœnobia erant, quæ ab alicujus Monasterii Abbate pendebant, & non solis Clericis, sed etiam Monachis ministris utebantur: quæ consuetudo adhuc in nonnullis Urbibus perdurat. Plerumque tamen hi ipsi Monachi Abbatissæ suberant, ejusque nutibus parebant. Chronicon Vulturnensis Monasterii exempla suppeditat. Leo verò Ostiensis Lib. I. Cap. 9. Chronic. Casinens. inter alia memorat celebre Monasterium Sanctæ Sophiæ Beneventi conditum ab Archiso Principe Beneventano Anno Christi DCCLXXIV. quod *sub jure Beati Benedicti in Monte Casino tradidit in perpetuum permansurum*. Porro ignotum mihi est, an apud Italos spectata umquam fuerint *Monasteria duplicia*, hoc est, conjuncta Monachorum & Monialium domicilia, seorsum tamen habitante utroque sexu, & in alterius septa ingredi vetito: quam consuetudinem jamdudum, & longe antequam nasceretur Sanctus Benedictus, Orientis Monachi invexerant. Verùm tam viri quàm feminæ illorum temporum, eâdem constabant carnis compagine, atque humorum temperie ac nostri temporis: quare in Synodo Nicæna Secunda hujusmodi Cœnobia deinceps ædificare interdictum fuit. Longe verò antea Sanctus Gregorius Magnus Papa Lib. XI. Epistol. 25. Januarium Episcopum Calaritanum laudarat, quod in domo Epiphanii *Monachorum Monasterium construi vetuisset, ne pro eo quod domus ipsa Ancillarum Dei Monasterio cohærebat, deceptio exinde contingeret animarum*. Idem quoque interdixerat Justinianus I. *sanctissimarum C. de Episcop. & Cleric.* ut aliis exemplis parcam. Sed hoc minime obstitit, quin extra Italiam Sæculis etiam po-

A sterioribus conjuncta cernerentur Monasteria virorum atque mulierum, Claustris tamen semper separatis. Id mihi tantummodo certum, plurima sacrarum Virginum Cœnobia fuisse, quæ vel antiquis Sæculis a Monachis regebantur. Bene huic loco sedebit Charta Veronensis, cujus vetustissimum antigraphum servant in Archivo suo Monachi Olivetani Veronenses in pariter antiquissimo Cœnobio Sanctæ Mariæ ad Organum. Ut ex ea constat, Autconda & Natalia Anno DCCXLIV. novum Monialium Monasterium exstruunt; quo facto addunt: *Defensionem verò vel admonitionem sancti Monasterii volumus habere a Monasterio Sanctæ Mariæ foris Porta Organi*. Quod si

B Abbas contra Regulam, aut contra Canones aliquam Sanctimonialibus *dominationem aut fortiam imponere quæsierit: tunc eligat sibi Abbatissa cum Sororibus defensionem vel admonitionem Sancti Zenonis & nutritoris nostri* (heic innuitur, ut suspicor, insigne præ ceteris Benedictinorum Cænobium Veronæ, cujus adhuc amplissima Basilica, & illustre Archivum mihi visum, perdurat) *vel Præsulis, qui pro tempore fuerit*. Quibus ex verbis intelligis, Asceterium hoc primo commendari Monachis Sanctæ Mariæ ad Organum. Illis suo munere abutentibus *Sanctus Zeno, vel Præsul, qui pro tempore fuerit*, substituitur. Quibus verbis obscurum esse dixi, num Mo-

C nasterium Sancti Zenonis, ejusque Abbas, an Episcopus Veronensis heic designetur. Quippe *Præsulis* etiam appellatione donatos interdum reperio Abbates, & nominatim in Privilegio Ludovici Pii Anno Christi DCCCXVI. apud Ughellium Tom. V. Ital. Sacr. pag. 601. memoratum cernas *Præsulem Monasterii Sancti Zenonis*, ita ut heic agi videatur de uno Monasterio ac Abbate Sancti Zenonis. Contra quum in aliis monumentis Veronensibus apud eumdem Ughellium occurrat *domus Sancti Zenonis, ubi Hildericus Episcopus Cathedram Episcopalem regere videtur*, & in Ottonis I. Diplomate *Episcopium Sancti Zenonis* commemoretur, ut alia prætermeam: veri videtur si-

D milius, *Sancti Zenonis*, & *Præsulis* nomine heic intelligendum esse Episcopium ipsum, & Episcopum Veronensis Civitatis. Has nebulas depellendas Eruditis Veronensibus relinquens, ego Chartam ipsam tandem depromo.

Autconda & Natalia ſorores Monaſterium Monialium in Civitate Veronenſi fundant, atque illud ſub regimine Abbatis Sanctæ Mariæ ad Organum conſtituunt, Anno 744.

„ IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. „ Regnante excellentiſſimo viro adque „ piiſſimo *Domno Ratechis Rege*, Anno „ Regni ejus Primo per Indictione XII. felici- „ ter. Oratorio ſemper Virginis & Dei Gene- „ tricis Marie, que intra domum Cella noſtra „ Veronenſe ſito in Civitate conſtruere viſi „ ſumus ſimul cum Nazario Connato & Jogali „ noſtro *Autconda* & *Natalia germanas* pro „ utilis Chriſti Ancillas, preſens preſentibus „ dixi: Dominus ac Redemptor noſter Jeſus „ Chriſtus & admonentibus nos ad gremium „ Sanctæ Marie Eccleſie redire ortatus eſt, „ & dulci uberum, qua primus admiſerat pa- „ rens, ubertim fluentia ſaciare commoniſſet „ dicens: Venite, ſaciamini: & qui non „ abetis precium, venite; bibite in letitia, „ ſub tali verò tenore aut condicione: *con-* „ *vertimini ad me, & convertar ad vobis*; & „ ſi conveneris, queſieritis me, *ero vobis in* „ *patrem, & vos eritis mihi in filios* & filios, „ dicit Dominus. Et perſemetipſa clamat ve- „ ritas, & redencio noſtra Jeſus bonus: *Peti-* „ *te & accipietis. Querite & invenietis. Pul-* „ *ſate & aperietur vobis*. Et quia ob noſtra „ neglegentia uſque undecima hora clauſa eſt „ janua vel ſero venientibus, petimus remiſſa „ de noxis. Hanc igitur racionem conpunctas „ nos, que ſupra, Autconda & Natalia ger- „ manas, cum conſenſu etiam Nazario Con- „ nato & jogali noſtro non de noſtra meri- „ ta, ſed de Jeſu Chriſti miſericordia fiden- „ tes, qui & profitico exoratus eloquio di- „ cens, *nolo morte peccatoris, ſed convertatur* „ *& vivat*: Previdimus in auctoritatem domi- „ ne noſtre ſanctiſſime Virginis Marie *intra do-* „ *mo Cella noſtra Monaſterium conſtruere, in eo* „ *& regulariter ſecundùm Domini fuerit voluntas* „ *convivere diſponimus*. Item omnem noſtram „ ſubſtantiam quicquid habere videmur, ibi- „ dem offerimus: ideſt in primis Caſa, ubi „ ipſe Oratorius eſt fundatus, & alias Caſas, „ Curte, Orto intrinſecus, foris terris, vi- „ neis, colonicas, pradis, paſcuis, nubali- „ bus, montibus, ſervis, ancillis, peculia „ omnia, ſeſeque moventibus, cultu & incul- „ tum, ere, ferro, utenſilia, quicquid nunc „ poſſidere videmur, aut in antea aquirere & „ laborare potuerimus. Eo ſcilicet ordine, „ ut ſi nobis Dominus alias Sorores dederit, „ & Congregatio Monacharum iſtis facta fue- „ rit poſt obitum noſtrum exinde ipſas ſibi ele- „ gant Matrem ſpiritalem, que eas ſecundùm „ Domino & Sanctam Regulam foveat adque „ gubernat, & cunctam noſtram ſubſtantiam „ regulariter diſponendi in ipſius Abbatiſſe „ vel Sororum per omnia permaneat poteſta- „ tem. Et ſi Congregatio hic facta non fue- „ rit, poſt obitum noſtrorum *omnis pecunia* „ *noſtra ſit in poteſtatem Eccleſie Sancte Marie* „ *ſita foris Portam Organi, & Abba qui* „ *pro tempore fuerit, ipſe diſponat de oficio* „ *vel Luminaria ſancti Oratorii, & de pecu-* „ *nia noſtra, quid a Fratribus, vel quid ad* „ *Pauperibus, ſeu Famulis, qui cum ipſam* „ *pecuniam laboraverint, debeat pertinere. De-* „ *fenſionem vero vel admonicionem ſancti Mona-* „ *ſterii volumus abere ad Monaſterium Sancte* „ *Marie foris Porta jam ſuperius memoratum,* „ *ſeu Andrea venerabilis Presbitero & Abbati*; „ ea condictione, ut ſi aliquid diſcordia inter „ Sorores fuerit exorta, quam non poſſimus „ per nos evellere, tunc Abba per ſemetipſum, „ aut Deo timentem perſonam ipſum mali de- „ beat monendum & corrigendum amputare, „ nam nulla nobis aut Sororibus contra Regu- „ lam violentia imponere audeat, neque per „ ſe neque per ſucceſſores ejus, ſed Abbatiſ- „ ſa, que pro tempore fuerit, ſemetipſam & „ Monachas ſuas diſponat. Et quod abſit poſt „ diſceſſo Andreæ Abbati, qui in tempore „ fuerit Abba, aliqua contra Regula vel ſan- „ ctis Canonibus dominacionem aut forciam „ imponere queſierit, qua ipſas non poſſit, „ *tunc elegat ſibi Abbatiſſa cum Sororibus de-* „ *fenſionem vel admonicionem Sancti Zenonis* „ *nutritoris noſtri, ſeu Preſulis, qui in tem-* „ *pore fuerit*: ſub eo namque ordine, ſicut „ ſuperius eſt ſcriptum, ut nulla eis violentia „ aut dominacio contra Regulam imponatur. „ Nam nos predicti Andrei Abbati, dum ipſe „ advixerit & defenſionem & admonicionem „ ſive inter Sorores, ſeu de alias cauſas, ſi „ nobis emerſerint, elegimus, ut ipſe nobis „ pater atque defenſor exiſtat. De filia vero „ & Nepte noſtra Nazirimda ſtatuimus, ut ſit „ Monacha, & cum alias Sororibus ſic adu- „ nate fuerint, regulariter vivant; quod ſi in „ hoc factum non fuerint, & ipſa poſt noſtrum „ remanſerit obitum, Abba, qui prò tempo- „ re fuerit, aut ſucceſſores ſui provideat ſe- „ cundùm Deo, qualiter ipſa in Dei ſervicio „ permaneat. Et ex pecunia noſtra in quan- „ tum illis ſufficiat victus adque veſtitus pro- „ currat, quatinus ſine neceſſitate vivant. De „ Servos vel Ancillas noſtras ita decernimus. „ Omnes liberi & liberi ſint: & abeant per „ caput mundio tremiſſis ſingulas; in ea vero „ racionem, ut dum nos advixerimus, nobis „ deſerviant: poſt noſtrum verò diceſſum, ſi „ Sororis, que nobis ſucceſſerint, aut fortè „ Abba, ſi ipſe defuerint, aliqua eis violen- „ tia inferre voluerint, que ipſi portare non „ poſſint, dent mundio per capud tremiſſe „ unum in ipſum ſanctum Locum, & vadant „ ſoluti ab omni jus patronati, ubi voluerint. „ Hec omnia ſuperius comprehenſa jam, ut „ premiſimus, inconvulſa ſtatuimus permane- „ re. Quam vero ordinacionis noſtre paginam „ Bonoſo Archidiaconus ſancte Veronenſis Ec- „ cleſie ſcribere rogavimus, & per noſmetip- „ ſos, ſeu teſtibus roboravimus.

„ Acto in Civitate Verona, die XV. Men- „ ſis Magii, Regnum, & Indicio ſupraſcripta „ feliciter.

„ Signa eorum, qui in otentico manus po- „ ſuerunt: in primis Auteonda, & Natalia, „ que ipſa cartola fecerunt,

„ *Sigipert Epiſcopus*.

„ *Giſelpert Dux*.

„ Cu-

„ Curerat Presbyter.
„ Auderat filius conda Wibiloni.
„ Sigelais filius Sigerat.
„ Azo filius conda Raziloni.
„ Radoin filius conda Totoni scripsit.

Jam vidimus commendatum hoc Sanctimonialium Cœnobium Monachis Sanctæ Mariæ ad Organum, sive ejus Abbati, *ad defensionem vel admonitionem*. Importabat *defensio* protectionem contra quoslibet usurpatores. Quoddam verò jus superioritatis & auctoritatis acquirebat Defensor in loca suæ tutelæ tradita. *Admonitionis* autem vocabulo significatum videtur, quidquid præsidii præstare possent Monachi infirmo sexui, tum salutaribus pietatis documentis, tum œconomicis consiliis. Jus autem plenæ dominationis per ista non tribuebatur Abbati, nisi quoties revera Monialium Monasteria Monachorum subjiciebantur Cœnobio, atque ab ejus ditione pendebant, quale, ut supra significavi, fuit Beneventanum *Sanctæ Sophiæ*. Ex Chronico ejusdem Parthenonis edito per Ughellium Tom. 8. Ital. Sacr. constat, eidem præfuisse Abbatissam, sed simul fuisse Monachum *Præpositum* eidem *Monasterio Sanctæ Sophiæ*. Ita Casinatibus subjectum erat *Monasterium* Monialium *Sanctæ Mariæ in Plumbariola*, & *Sanctæ Mariæ de Cingla*, ut alia prætereaam. Hoc autem a fundatoribus præcipue factum, ut essent qui exemplo & auctoritate in officio continerent infirmos mulierum animos, eosque ad virtutem erudirent. Quid plura? Christiani Principes soliciti & ipsi, ne, quod facile est, in religiosos cœtus irreperent vitia & abusus, & ne Regulæ observantia sensim excideret ac deperiret: *Missos Dominicos*, hoc est Regios, A identidem delegabant, qui in eorum vitam ac disciplinam inquirerent. Carolus Magnus in Capitulari Anni DCCCVI. constituit, *Ut Missi Dominici per singulas Civitates & Monasteria virorum & puellarum prævideant, quomodo aut qualiter in domibus Ecclesiarum, & ornamentis Ecclesiarum emendatæ vel restauratæ esse videntur; & diligenter inquirant de conversatione singulorum, vel quomodo emendatum habeant, quod jussimus de eorum lectione & cantu, ceterisque disciplinis, & Ecclesiasticæ Regulæ pertinentibus*. Iisdem fere diebus Pippinus quoque Italiæ Rex paria statuit, *Monachis* præcipue ad hæc investiganda selectis, ut ex ejus Lege XXI. constat, quæ inter Langobardicas habetur. B *Stetit nobis* (inquit), *ut Missos nostros, unum Monachum & unum Capellanum, direxissemus infra Regnum nostrum, pro videndo & inquirendo per Monasteria Virorum & Puellarum, quæ sub sancta Regula vivere debent, quomodo est eorum habitatio, vel qualis est vita aut conversatio eorum, & quantum unumquodque Monasterium de rebus habere videtur, unde vivere possit*. Sed præter hæc Lotharius Augustus Ludovici Pii filius stabiles in quibusdam Italiæ locis constituit Sanctimonialium Correctores, eosque *Inspectores* appellavit, quorum studium fuit invigilare, ut ab eisdem sacris Puellis Regula rite servaretur. Hanc in rem, quippe parum vulgatam, lubenter adfero Diploma ejusdem Imperatoris, quod C olim descripsi ex sæpe laudato Archivo nobilis Monasterii Ticinensis, nunc *de Posterla* nuncupati, relictâ tamen mihi dubitatione non levi, num archetypum foret, uti ejus facies præferebat, an exemplum ad archetypi imitationem conscriptum.

Lotharii I. Imperatoris Privilegium concessum Monasterio Sanctimonialium Ticinensium Dodosi, Anno 833.

In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni. Hlotharius Augustus *invictissimi* Domni Imperatoris Hludowici *filius*. *Cum petitionibus servorum & Ancillarum Dei justis & rationalibus divini cultus amore favemus, superni muneris donum nobis a Domino impertiri credimus. Idcirco notum sit omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ præsentium & futurorum sollertiæ, qualiter* Asia *venerabilis* Abbatissa ex Monasterii Dodosi, *quod est situm intra muros* Civitatis Papiæ, *nostram petiit clementiam obnixe, ut eumdem Monasterium una cum omnia sibi pertinentia sub nostra emunitatis tuitione ac defensione ob amorem Dei & reverentiam sancti loci illius preciperemus. Cujus petitio-* D *nem libenter adquievimus, & ita ut petiit concessimus, atque per hoc nostrum Imperiale preceptum confirmavimus. Quapropter præcipimus, ut nullus &c. Sed liceat memoratæ Abbatissæ, Successoribusve suis res prædicti Monasterii sub inmunitatis defensionis nostræ quiete & ordine possidere, & quicquid exinde Fiscus noster sperare poterat, totum nos pro æterna remuneratione præfato Monasterio concedimus, ut in alimonia Ancillarum Dei ibidem sub Regula Sancti Benedicti Deo famulantium &c.* Meramnum quoque venerabilem Abbatem in eodem loco constituimus Inspectorem, quatenus diebus vitæ suæ studio in omnibus Regula ibi exequatur Sancti Benedicti *&c.*

Signum [monogram] *Hlotarii gloriosissimi Augusti*.

Locus ✠ Sigilli cerei deperditi.

Luithcasus ad vicem Ermenfredi recognovi.

Data XV. Kalendas Majas, Anno Christi propitio, XXI. Imperii Domni Hludowici serenissimi Imperatoris, Regnique Hlotharii gloriosissimi Augusti in Italia XI. Indictione XI.

Actum Papia Civitate, Palatio publico.

Accipe

Accipe nunc deteſtandam conſuetudinem temporibus barbaricis in Italia vigentem. Si qua mulier Religioſâ veſte induta votum pudicitiæ Deo factum aut adulterio aut fornicatione fregiſſe deprehendebatur, *inter penſiles Ancillas Regis*, fortaſſis etiam & privatorum, ad nendum ac telas & pannos elaborandum trahebatur; hoc eſt illi eadem pœna imminebat, qua Liberæ mulieres cum Servo ſeſe impudice miſcentes plectebantur. *Gynæceum* locus ille appellabatur. Earum corruptoribus pœna tantùm pecuniaria ſecundùm Langobardicas Leges infligebatur, quum contra in Galliis e Clotharii Secundi Regis edicto huic facinori capitalis ſententia indicta fuerit. Quis pravum hunc uſum tradendi *Gynæceo* Sanctimoniales adulteras invexerit, incompertum mihi eſt. De ipſis Regibus Langobardis dubitari poteſt. Liutprandi Legem primam Lib. V. habemus, de Sanctimonialibus agentem, ubi hæc ſunt verba: *De perſona verò ejuſdem feminæ, quæ tale malum commiſerit, judicet Rex, qui pro tempore fuerit, qualiter illi placuerit, aut in Monaſterium mittendo, aut qualiter ſecundùm Deum melius providerit*. Et ſane Hadrianus I. Papa in Epiſtol. 94. Codicis Carolini eodem Sæculo conqueſtus eſt, quod in Langobardico Regno familiares jam evaſiſſent illicitæ Sanctimonialium nuptiæ. Quare ut huic morbo mederetur, Lotharius I. Auguſtus & ipſe Legem promulgavit, quæ eſt Sexta inter Langobardicas, ubi curam caſtigandi ejuſmodi mulieres dimittit Epiſcopo. *De Sanctimoniali femina*, inquit, *ſtatuimus, ut ſi adulterium fecerit, & inventum fuerit, res, quas habet, in Fiſco noſtro ſocientur. Perſona verò ejus ſit in poteſtate Epiſcopi, in cujus Parochia eſt, ut in Monaſterio mittatur*. Scilicet tunc minime deerant & Virgines & Viduæ Deo ſacræ, *velamen aut veſtem Sanctæ Dei Genitricis* geſtantes (ita enim Monaſtica earum veſtis appellabatur) quæ extra Monaſterium, hoc eſt, in ædibus propriis degebant. Sed ne ſic quidem ſublata eſt abominanda conſuetudo deducendi in *Gynæceum* hujuſmodi fœdifragas mulieres. Abominanda, inquam: loca enim illa, etſi unis deſtinata feminis, virorum tamen ac præcipue cuſtodum inſidiis paullatim ita patuere, ut parum inter Gynæcea ac Lupanaria intereſſet. Immo Lupanaria reperimus *Gynæcei* nomine donata. Turpem ſane locum, in quem truderentur feminæ Caſtitatis voto etiam poſt crimen obſtrictæ. Pœnæ deformitatem agnovit Lotharius Imperator ſupra laudatus, quare alteram Legem, quæ eſt 88. promulgavit his verbis: *Statuimus, ut ſi femina veſtem habens mutatam* (hoc eſt, quæ Sæcularem veſtem in Monaſticam mutarit) *mœcha deprehenſa fuerit, non tradatur Geniceo, ſicut Uſque Modo, ne fortè quæ prius cum uno, poſtmodum cum pluribus locum habeat mœchandi; ſed ejus poſſeſſio* (ideſt facultates) *Fiſco redigatur; & Epiſcopi ipſa ſubjaceat judicio*. Propterea Ludovicus II. Auguſtus Lotharii ipſius filius, ut habet Diploma editum in Chronico Caſaurienſi Part. II. Tom. II. Rer. Italicar. Monaſterio Caſaurienſi donat *res, quæ fuerunt Gundi uxoris Juſtoni, que poſt velamen Religionis in adulterio copulata, in placitum ante Judices Sacri Palatii noſtri legaliter devicta eſt*. Ita in donatione Arichiſi Principis Beneventani facta Monaſterio Sanctæ Sophiæ, Tom. 8. Ital. ſacr. legimus, *ſubſtantiam Alipergæ Domini Ancillæ, quæ, derelicto Religionis habitu, Tauro filio Raniſoni, illicito ſe tradidit Matrimonio; unde ſecundùm Edictum* (ideſt ſecundùm Legem Langobardorum) *& ejus tenorem, omnis ſubſtantia ad noſtram devenit poteſtatem*.

Temporibus autem iis hercle ingens copia erat ſacrarum Virginum atque Viduarum, Deo fideliter famulantium, ac probos mores ſanctiſſime conſectantium. Nihilo tamen ſecius, ut ſunt mores hominum in pejora proni, nullumque inſtitutum indicare poſſumus quamvis ſanctiſſimum, a quo vitium omne, & ſemper, abſit: barbaricis Sæculis facilius, quàm nunc, in ſacratas Deo mulieres, atque in ipſas earum Congregationes, morum corruptela penetravit. Potiſſimum verò in illas, quæ velo Religionis ſuſcepto in ædibus propriis habitare pergebant. Cujus rei non privatum teſtem, ſed publicum, habemus Capitulare a nuper memorato Arichiſo Principe Beneventano ſub finem Sæculi Octavi promulgatum, atque editum Tomo II. Rer. Italicarum pag. 337. Deſcribit ille mulierculas, quæ *defunctis viris, habitum Sanctimonialis in ſecreto domi ſuſcipiunt, ne vim nuptialem perpetiantur*. Tum verò *delictis effluunt, comeſſationibus ſtudent, potibus vineis ingurgitantur, lavacra frequentant* &c. Addit infra: *Si quando in plateas proceſſuræ ſunt, facies poliunt, manus candidant, incendunt libidinem, ut viſentibus incendia miſceant. Sæpe etiam formoſos videre, atque videri impudentius appetunt. Et ut breviter dicam, ad omnem laſciviam, voluptatemque animi frena relaxant* &c. *adeo ut non ſolum unius, ſed, quod dictu nefas eſt, plurimorum proſtitutionibus clanculo ſubſternantur; & niſi uterus intumuerit, non facile comprobatur*. Quapropter ſtatuit Princeps, ut ſi qua innupta aut vidua *velamen ſanctæ Religionis* ſuſceperit, neque *intra anni circulum in Monaſterium* truſa fuerit, & ſtupri crimen incurrerit, componat *Guidrigild ſuum in Palatium*, atque a Principe in Monaſterium trudatur. Notiſſimum quoque eſt, temporibus iis Abbatiſſas non ſecus atque Abbates, uſquedum in vivis agerent, neque indignas illuſtri eo munere ſeſe efficerent, Monaſterio ſibi commiſſo præfuiſſe. Quod e ſubſequenti Charta ediſcas, cujus antiquum apographum in Archivo Lucenſis Archiepiſcopii vidi. Ea autem rationem eligendi & conſtituendi Abbatiſſam tibi rurſus indicabit.

Electio

Electio Grimæ in Abbatissam Monasterii Lucensis Salvatoris, nunc Sanctæ Justinæ, loco Theuderadæ Abbatissæ senescentis: ejusque confirmatio per Conradum Lucensem Episcopum, Anno 960.

IN *Christi nomine. Notitia ordinationis, qualiter* Domnus Chonradus *gratiâ Dei hujus sancte* Lucane Ecclesie *humilis* Episcopus *cum Sacerdotibus & Diaconibus seu Clericis multis venisset ad Ecclesiam Monasterii Domini & Salvatoris, qui dicitur Brisianum, situm infra hanc Urbem Lucam, & invenerunt eum destructum. Congregaverunt ibidem simul congregationes Monacharum ipsius Monasterii Domini & Salvatoris parti cum ipsa* Teuderada, que erat ibi Abbatissa de ipso Monasterio. *Et interrogavit eas Presul, pro quod ipsum Monasterium esset destructum. Cui ipsa Abbatissa Teuderada dixit:* Dum potui, gubernavi hoc Monasterium. Veni in tempore senectutis & caliginis oculorum, & nimium infirmitatis: ideo non possum eum gubernare nec regere. Tantùm rogo mercedem vestram, ut in locum meum mittetis Abbatissam, que eum regere & gubernare valeat, quia ego hunc locum nullo modo tenere valeo. Volo etiam una cum omnibus istis Monachabus istius Monasterii, ut istam Sororem nostram Nepotem meam, nomine Grima, que ab infantia in hoc Monasterio nutrita fuit, in hoc venerabili loco Abbatissa & Gubernatrix dignemini ordinare ac benedicere. Eo tenore ego, quæ supra Teuderada, trado tibi, cui supra, Domno Chonrado Episcopo hoc sanctum Monasterium ad ordinandum. *Cum ipsa Teuderada taliter diceret, tunc ipse Domnus Chonradus Episcopus interrogavit & inquisivit ipsas Monachas predicti Monasterii Domini & Salvatoris, que ibi aderant, si ipsam Grimam voluissent Abbatissam in ipso Monasterio eligere & habere. Tunc omnes unâ voce misericordiam clamare cœperunt.* Si jubet Paternitas vestra, volumus ac petimus, ut nobis hanc nostram electam Dei Ancillam, nomine Grima in hoc sancto regimine absolute ordinare ac benedicere dignemini, eo quod juste & rationabiliter hunc venerabilem locum secundùm Deum regere bene scit, simul & gubernare potest: & nos Abbatissam eam elegimus. *Statim predictus Domnus Chonradus Episcopus adquievit petitioni voluntatis earum, &* per Regulam & Ferulam, *quas in suis manibus detinebat, per voluntatem & consensum predicte Abbatisse Teuderade, cessit, tradidit, &* ordinavit predictam Grimam in supradicto Monasterio Domini & Salvatoris, & eam inde investivit, & Abbatissam ordinavit & benedixit: *& deinces in antea, dum vita ipsius Grime Abbatisse fuerit, in ejus potestate constituit predictum Monasterium cum omnibus casis & rebus &c. habendum, tenendum, regendum, gubernandum, laborare faciendum, & usumfructum, dum & in ipsa Domini Ecclesia Monasterii per ipsius Grime Abbatisse dispositionem, officium Dei, & luminaria, seu incensus, atque Missæ fierent.*
A *Unde statuit predictus Presul atque constituit, ut neque a se ipso Pontifice, neque a Successoribus suis hec notitia ordinationis aliquo tempore disrumpi possit nec frangi, sed cunctis temporibus, dum vita ipsius Grimæ fuerit, hæc ordinationis pagina in sua permaneat firmitate & robore. Quam Leo Notarius Domnorum Regum pro securitate & futura ostensione eidem Grimæ Abbatissæ scripsit.*

Actum Luca tempore Domnorum Berengarii & Adelberti *filii ejus gratiâ Dei Regum, Anno Regni eorum Deo propitio Decimo, Tertio Idus Januarii, Indictione III.*

Ego Choonradus *gratiâ Dei humilis* Episcopus *in hac ordinatione a me facta subscripsi.*

B *Ego Johannes Archidiaconus ibi fui.*

Ego Martinus Archipresbiter ibi fui.

Ego Petrus Presbiter & Primicerius ibi fui.

Ego Daiprandus Presbiter & Cardinalis ibi fui.

Ego Stefanus Presbiter & Cardinalis ibi fui &c.

Ego Diaconus Johannes & Cardinalis & Cantor ibi fui.

Ego Ildeprandus Diaconus ibi fui &c.

Ego Maria Monacha consensi & legi.

Ego Dominica Monacha consensi & legi &c.

Signum manus Albisinde Monache consensi & legi &c.

Leo Judex Domnorum Regum ibi fui &c.

C Vidimus inventum fuisse ab Episcopo *destructum Monasterium* illud Lucense, hoc est, ut puto, pessime gubernatum, ejusque reditus & bonos mores pessum ire deprehensos. Et sane non pauca olim fuere Virginum Asceteria, quæ sive ob dissipatos raptosve fundos, sive ob morum corruptelam, esse earum habitacula desierunt; ac propterea prorsus abolita, aut Monachis meliorem disciplinam pollicentibus tradita. Id quamquam alibi innuerim, heic tamen altero exemplo confirmatum volo, quod acceptum refero benefico in me animo Clarissimi olim Viri Huberti Benvoglienti, e Senensibus membranis monumentum hoc mutuati. Ecclesiam Sancti Salvatoris in agro Senensi
D ædificatam ejusdem Sæculares Patroni Anno MIII. Monachis incolendam ac regendam commisere, qui & indicant, antea *ibidem fuisse Monasterium Puellarum*, a majoribus suis constructum. Cur verò inde pulsæ fuerint Sanctimoniales, reticetur. Sed vix alia fuisse caussa videtur, quàm ab eis male adimpleta conditio eadem, quæ in ipsa Charta Monachis successoribus præscribitur, videlicet: *Sed volumus, ut ipsi Monachi regulariter vivant; & si ipsi Monachi regulariter vivere noluerint, tunc habeamus licentiam nos suprascripti, & nostri heredes, illos foras ejicere, & alteros introducere meliores, qui ipsum Ordinem melius custodiant.* Sed prodeat Charta ipsa.

Monasterii Senensis Sancti Salvatoris collatio facta Monachis ab ejus loci Patronis, Sanctimonialibus inde amotis Anno 1003.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis. Manifesti sumus nos* Rodulfus & Bernardus *germani Saligi, filii bone memorie item Berardi, qui fui Saligo ex gente Francorum, &* Jeta Conjuge *ejusdem* Rodulphi, *filia bone memorie Ferolfi, &* Gisla Conjux *ejusdem* Berardi, *filia bone memorie Rodulfi, qui presentem diximus: Vita & mors in manu Dei est. Sed melius est homini metum mortis vivere, quàm in spe vivendi & morte subitanea provenire. Etiam recordantes nos, quia larga est misericordia Domini, propterea quicquid in sanctis & venerabilibus Locis ex suis aliquid contulerit rebus, juxta Auctoris vocem, in hoc Seculo centuplum accipiet: insuper quod melius est, vitam possidebit eternam. Ideo qui suprascripti Germani, Jugalibus, manifesti sumus,* quia volumus reconciliare & ordinare in Ordine Monachorum Ecclesia nostra, cui vocabulo est Sancti Salvatoris, & Sancti Alexandri, quod ibidem fuit Monasterio Puellarum, qui Parentibus nostris edificaverunt eum, quod est posito in vocabulo & loco Campi, ubi dicitur Fontebona, super Fluvio Cojo, infra Comitato Senense. *Idcirco pro amore Dei omnipotentis & remissionem peccatorum meorum, & remissionem Berardi & Ermingarde genitoris & genitrice nostra, ut pio Domino largiente veniam consequi mereamur, donamus adque tradimus a suprascripto Monasterio ipsa terra, ubi ipso Monasterio est edificatum, cum integro donicato & integra Silva, que dicitur Cetoraja, & alia Silva, sicut ab omni circuito est, quia de una parte decurrit eis fossato, qui dicitur Lavanderia, & de alio latere fossato Marmorajo, & de subto fluvio Coja, tam de ista parte Coja, quàm de illa, que ad suprascripta est pertinentes, & desuper finitis fere & termine, & infra ipso circuito est Ecclesia Sancti Martini cum donnicato, & cum suis pertinentiis, & cum casis & rebus massariciis, qui ibi sunt, prout in supradicto Campo Mansa cum Casa super se habentes, qui regitur per Salamone. Alia mansa absa, qui regitur per Alberto Presbitero. Tertia, qui regitur per Petrus. Quarta Casa & Sorte, qui regitur per Dominico. Quinta, qui regitur per Johanni. Sexta per Bezo. Septima per Boninzo. Octava absa, qui detinet Teuzo Presbitero. Nona, qui detinet Urso in Scopitulo. Decima, qui detinet Dominico. Undecima Stephano Presbitero. Duodecima predicto Presbitero. Tertiadecima, qui detinet Lamberto. Quartadecima, qui detinet Azo Presbitero. Quintadecima, qui detinet Dominico Barello. Sextadecima in Gellino Putido absa. Septimodecimo in Colle Genculi, qui detinet Petrus. Octavadecima in Cestina, qui detinet Urso. Nonadecima in Monte Tulli, qui detinet Martino. Vicesima in Sextano, qui detinet Dominico. Vicesima prima in Piscinule, qui detinet Ado. Vicesima secunda in Ferrale absa. Vicesima tertia super Peritulo absa, seo in loco & vocabulo Casprino. Ecclesia Sancti Angeli cum donicato & cum molendino & suis pertinentiis, & aqueductum predicti Molendini,*

A *quocumque loco in futurum necesse fuerit, concedimus. Nam alia omnia suprascripta Ecclesia, & Donicata, & Molendino cum casis & rebus massariciis quatuor: una, qui regitur per Bonizo; alia, qui regitur per Guido; tertia qui regitur per Dominico Turdello; quarta, qui regitur per Prando Massario, una cum integra Decimatione nostra donicata de omnibus rebus Curtis nostris; seo & Servis quatuor, ad predicto Monasterio donamus & tradimus, ac predictis Ecclesiis cum donicatis, & cum rebus massaritiis, & cum silvis & rebus, sicut jam dicti & nominati & circumdati & aterminati, cum omnibus eorum pertinentiis, & nostri arvis qua cultis, cum Curtis, ortis, terris, vineis,*
B *silvis, pratis & pascuis, cum olivetis & castanietis, cum fontibus & puteis & piscariis atque molendinis, cum predictis Servis: nomina eorum, Petrus, & Ugo cum omnia & in omnibus, sicut superius legitur; totum adque integrum donamus atque concedimus, & secundùm Lege nostra Saliga confirmamus per fistucum nodatum, & cultellum plecatum, vvantone, seo ramis arboribus, adque vvasioni, & adigilaginem tradimus ad ipsum sanctum loco de jure nostro in jure donationis ipsius prefati Monasterii Domini Salvatoris,* qui nos in Monachorum Ordinem reconciliamus, *in ea videlicet rationem, ut dum nos prefati germani Rodulfi, Bernardi, & Icta, Gisla jugalibus in*
C *oc Seculo advivere meruerimus, in nostra sit potestate & regimine gubernandi, struendi, & meliorandi, nam non vendendi nec donandi nec alienandi, nisi de aversa parte nostra sit potestas defendendi. Et post nostrum decessum deveniat ipso Monasterio in potestate & regimen de eredibus, & anc proeredibus nostris.*

Sed volumus adque concedimus, ut ipsi Monachi, qui ad ipso Monasterio sunt ordinati, regulariter vivant. Et si ipsi Monachi regulariter vivere noluerint, tunc habeamus licentiam nos suprascriptorum & nostris heredibus ac proheredibus, illis foris ejicere, & alteris introducere meliores, qui ipsum ordinem melius custodiant. *Ipso Monachos in alias potestas*
D *non se mittere debea, nec commendare, nisi in nos germanis & nostris filiis, heredibus, & anc proheredibus, si nos vel nostri heredibus licentiam non dederimus. Sed qualiter de nos germanis & jugalibus, vel nostris filiis heredibus, & anc proheredibus, vel omnia, sicut superius legitur, conservare noluerit de ipso Monasterio & de suis pertinentiis, inanis & vacuus permanet, & reveneat in potestatem ad illum Conservatore ipsum Monasterio, & ipsi Monachi, qui conservaverit omnia, sicut superius legitur. Nam & ipsam electionem & ordinationem sine licentia & consensu nostru, & de heredibus & anc proheredibus nostris stabiliter esse non debet. In eo ordine, ut non habeat li-*
E *centiam vel potestatem nos nec nostris heredibus & anc proheredibus de ipsis rebus de predicto Monasterio nec vendere nec donare nec alienare, nec per ullo ingenio, nec per scriptionem in aversa parte de ipso Monasterio abstraere, nisi de*

de aversa parte jure ipsius Monasterii defendere, & manburdire. Et ipse Abbas de ipso Monasterio nec debeat Monasterii habea potestatem per ullum argumentum ingenii in aversa parte dare nec alienare ad dannietate ipsius Monasterii; set omnique tempore per nos vel pro nostris parentibus orationes, nulla alia liborationem, nec alium censum, nec superposita faciat, nisi per singulos annos in dedicationem ejusdem Monasterii ad nos suprascriptorum germanis jugalibus, vel ad nostris heredibus ac proheredibus ibidem ad ipsum Monasterio done in pensionem denarios duodecim. Et si ipse Abbas, aut suis posteris successoris predictam pensionem non dederit, & dare neglexerit in primo & secundo, vel usque in septimo anno: tunc dent postea ipsam pensionem insimul. Quod dictum est, si tunc ipsam pensionem dare neglexerit, compona ipse Abbas nos germanis & Jugalibus & nostri heredibus ac proheredibus aurum Libras tres, & postea abea ipsum Monasterio, ut superius legitur, omnia adimpleta. Et si quis vero, quod futuro esse non credimus, & si nos suprascriptorum germanis & jugalibus, aut ullus heredibus ac proheredibus, seo quaslibet alia aposita, vel extranea persona, qui contra prefato fulgenti Monasterio, qui nos propter nomen Domini & reverentiam Domini Salvatoris reconciliavimus, inrumpere aut infrangere tentaverit, aut in ordine Monachorum non conservaverit, quod Deus non permittat absi: tunc primis omnium ira Dei & ipsius sancti Loci exitatus occurra, & a limina Sanctorum excommunicatus appareat, & illa sententia recipiat, quem Juda Scariot, qui Dominum tradidit, & cum Datan & Abiron, qui terra vivo decrutivit, & sit consortio cum Antichristo, excommunicatus sit ad trecento & octo Patri Sancti, qui Canones constituunt; non in ea in dextera, set in sinistra parte cum peccatore & impii puniatur. Et insuper componere promittimus nos suprascripti germanis & jugalibus cum filiis, heredibus, & anc proheredibus a pars predicto Monasterio, si omnia, que superius legitur, & decrevi facere, non permiserimus habere & detinere & ordinare, sicut superius legitur, multa quod penam de auro optimo Libras centum, argenti ponderas duocenti. Ecce qualem fuit nostro desiderio & oc voluntas Deo opitulante adimplere festinavimus. Et ec traditio omnique tempore firma & inviolata permanea cum omni firmitatem, & stipulatione subnixa, & pargamena cum agramentario de terra levavimus; tibi Johanni Notario Domni Imperatoris ad scribendum tradidimus & scrivere rogavimus, in quod subtus confirmans, testibus obtulit roboranda.

Actum Comitato Senense facto unc scriptum dotis in Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi Millesimo Tertio, Mense Genuario, Indictione XV feliciter.

Signum manum suprascriptorum germanis & jugalibus, qui unc scriptum dotis, sicut superius legitur, scrivere rogaverunt.

Signum manum Petroni Saligo filio bone memorie Berardi, qui Benizo vocatus est, testes.

Signum manum Ardimanni filio Cilaldi, rogatus testes.

Signum Uberti filio Mariovu, Lege vivente Longobardorum, testes.

Signum manum Wilelmi Saligo filio Rodulfi, rogatus testes.

Signum manum Petroni filio bone memorie ...... rogatus testes.

Signum Ugi Saligo filio de suprascripto Rodulfo, rogatus testes.

Signum manum Petroni filio bone memorie Rolandi, qui Roizo vocatus fuit, rogatus testes.

Ego Arduinus Notarius, rogatus testes.

Johanni Notarius Domni Imperatoris, qui ex roito ejusdem suprascriptorum germanis & jugalibus scripsi unum scriptum dotis, & post tradita complevi & dedi.

Quamobrem Sæculis barbaricis etsi in plurimis Virginum Cœnobiis pietas & compositi mores efflorerent, in aliis tamen non defuere calamitates illæ, quibus humanum genus obnoxium est, ita ut cum iis comparatis temporibus nostris, non in Italia solùm, sed & in reliquis Catholicorum Regnis, habeamus unde gloriemur, ac Deo gratias agamus. Nolo huc adferre, quæ de Monachabus antiquis veteres Scriptores memoriæ prodiderunt. Præstat alio oculos convertere, & susceptum cursum tenere. Neque omittendum est, ad postrema Sæcula referendam minime esse institutionem Sanctimonialium earum, quæ *Canonicæ* olim appellatæ sunt, nunc verò *Canonichesse* Italice dicuntur, ac frequentes habentur in Belgio, & in Urbibus quibusdam Germaniæ orthodoxis Jonas Episcopus Æduensis Anno Christi DCCCLVIII. uti adnotavit Clariss. Mabillonius in Annalib. Benedictinis, memorat *Monasterium sacrarum Monialium, sub Canonico habitu* degentium, *quas prædecessor meus sanctæ recordationis Mothoinus Episcopus in Regularem & Monasticum transferre studuit ordinem*. Differebant ergo *Canonichissæ* illæ a *Monachabus*. Tomo etiam Septimo Concilior. Labbei, decreta quædam Eugenii II. Papæ referuntur Anno circiter DCCCXXV. efformata, nisi tamen potius ad Eugenium III. (ut verisimilius videtur) eadem sint referenda, in quibus commemorantur *Sanctimoniales, & Mulieres, quæ Canonicæ nominantur, & irregulariter vivunt, juxta beatorum Benedicti & Augustini Regulam, vitam suam in melius corrigant & emendent, superfluitatemque vestium, & inhonestatem deserant*. Itaque Regula diversa erat Monialibus, & mulieribus Canonicis. Sed de his vide, quæ congessit doctissimus Thomassinus Part. I. Lib. 3. Cap. 43. de Beneficiis. Unum tantummodo addam, scilicet ejusmodi *Canonichissis* Regulam præscriptam fuisse in Concilio Aquisgranensi Anno DCCCXVII. Illarum vero institutionem (quum ceteræ sacræ Virgines antiquis Sæculis, post Cœnobiticam disciplinam Sancti Benedicti in Occidente propagatam, ejusdem Sancti viri Regulam profiterentur) minime probavit Concilium Romanum Anno MLVIII. sub Nicolao II. Papa celebratum. Attamen ejusmodi Canonicarum Monasteria ne nunc quidem in Italia desiderantur, quæ Regulam sub Sancti Augustini nomine evulgatam amplexæ, atque ab aliis ejusdem instituti puellis veste tantùm ferme distinctæ, Sedis Apostolicæ auctoritate & consensu comprobantur.

Olim verò uti Monachorum, ita sacratarum Virginum Cœnobia ab Episcopis pendebant. Sed neque desiderata sunt Regalia, quæ sub potestate ac defensione Palatii posita erant. Fuerunt & alia, quæ majori alicui Monasterio itidem Virginum subjecta libertatem pristinam amisere. In Civitate Fori Julii (nunc *Cividale*) effloruit olim, & adhuc floret *Monasterium*

rium puellarum Sanctæ Mariæ in Valle. Ignotum mihi est, num ante Annum DCCCXXX. Asceterium illud a Patriarchæ Aquilejensis regimine avulsum fuerit, an potius juri ejusdem Patriarchæ in spiritualia, additum quoque jus fuerit in temporalia. Clarissimus Mabillonius edidit in Appendice ad Tom. II. Annalium Benedictinor. Diploma, in quo traditum fuit hujusmodi Monasterium juri & potestati Aquilejensis Ecclesiæ & Rectorum ejus. Datum fuit Diploma illud Anno Christi DCCCXXX. A a Ludovico & Lothario Augustis Maxentio Aquilejensi Patriarchæ. Quare inde colligas, emendandam esse apud Ughellium Tom. V. Ital. Sacr. Chronologiam Patriarcharum Aquilejensium. Ibi Andreas Maxentio successisse traditur, citius tamen, quàm par erat. Forojuliensis illius Asceterii tabulas etiam subjungere decrevi, ad ipsum spectantes, quas ex autographo eductas ad me misit Illustrissimus olim Adriensis Ecclesiæ Episcopus Philippus de Turre.

Donatio quatuor prædiorum facta Monasterio Forojuliensi sacrarum Virginum Sanctæ Mariæ in Valle a Goteboldo Patriarcha Aquilejensi, circiter Annum 1055.

N*Otum sit omnibus præsentibus & futuris, qualiter ego* Goteboldus *Dei gratia* Patriarcha *quatuor Massaricias in Carnia positas, scilicet in Villa quæ vocatur Ampez*, Sanctæ *& venerabili* Ecclesiæ de Sancta Maria de Valle, quæ est in Civitate Forijulii posita, ad servitium illarum Monacharum, quæ ibi serviunt, *cum omni jure in perpetuum tradidimus. Eo tenore, ut illarum quatuor Massariciarum impensio non admisceatur reliquo stipendio Monacharum, sed semotim & singulariter in quattuor festivitatibus Sanctæ Mariæ inter illas dividatur. Manu nostra subscripsimus, & sigilli nostri impressione confirmari jussimus.*

✠ EGO GOTEBOLDVS *Patriarcha subscripsi.*

B ✠ *Ora pro famulo, Sancta Maria, tuo.* ✠

Patriarcham istum *Godeboldum* Ughellius nuper memoratus perperam appellat *Gosobaldum*. Olim ergo quum pleraque Virginum Cœnobia virtutum odore fragrarent, certabant pii cum in condendis novis Monachorum habitaculis, & ædificandis etiam novis Sanctimonialium Cœnobiis, tum iis locupletandis. Ac præcipue sacri Antistites ejusmodi studio ardebant, inter quos mihi nunc laudandi sunt Regienses; eorum quippe Chartas nonnullas suppeditavit mihi Tabularium Asceterii Regiensis Sancti Thomæ. En quid egerit Teuzo ejusdem Urbis Episcopus.

Fundatio Monasterii Sanctimonialium Sanctorum Viti & Modesti prope Scantianum, facta a Teuzone Episcopo Regiensi, Anno 1015.

I*N nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.* Teuzo *sanctæ* Regiensis Ecclesiæ Præsul. *Cum in omnibus causis & terrenis negotiis remotioribus humano generi id maxime occurrit ad profectum & bonum exemplum, quod mediator Dei & hominum Christus Jesus, sicut bonus pastor animam suam pro suis ovibus posuit: dignissimum constat, nos quoque quamvis indignos, quos tamen Ecclesiæ suæ præfecit pastores, ut omnium studiorum nostrorum curas erga Clerum & Populum nobis commissum sollicite agamus, ac paterno affectu eum regere & confovere debeamus; sic quoque ad procurandas animas pastorales excubias imponamus, ut corporum etiam necessitates pro aliquibus indigentiis inhiantis, benefitiis, quibus possumus, suppleamus. Habet enim ratum & firmum Deo servientium mentes tanto liberius in laudes Dei continuas promoveri, quātum a duabus curis victus & vestitus eas contigerit alienius semoveri. Et quoniam res Ecclesiæ, sicut a Sanctis Patribus traditur, fidelium sunt vota & peccatorum pretia; oblata enim sunt ab Ecclesiæ Sanctæ fidelibus, ut inde Christi pauperes nutrirentur, Ecclesiæ honorarentur, captivi etiam pro temporum opportunitatibus redimerentur: proinde nos Teuzo, Christo largiente Regiensium Episcopus* in Basilicam Sanctorum Martirum Viti & Modesti, quæ sita est prope Scantianum, Monasterium Puellarum esse constituimus *pro temporis quantitate & rebus, nunc incipientes,* C *& in futurum amplificare volentes. Super illas res, quæ prædictæ Ecclesiæ pertinent ex rebus Ecclesiæ nostræ Sanctæ Mariæ & Sancti Prosperi, viginti Mansos inviolabili voto, Deo volente, nos daturos promittimus: de quibus nos quatuor designare prædictæ Ecclesiæ damus, videlicet totam terram, ubicumque rejacet per loca, quæ pertinere dicitur ad eamdem Ecclesiam, & totam terram de Geraldo, & precariam illam, quam tenent Dominicus & Angelus fratres de parte nostra, & modios illos septem de terra, quam de nostra parte tenet Presbiter Boniprandus*, ad alendas Sanctas Moniales, *quas nunc inibi ordinavimus, sub ea, quæ nobiscum hoc devovet opus* Liuza Abbatissa, D *ac eas, quæ pro futuris temporibus Deo concedente ibidem ordinabuntur; & per hanc nostri Decreti paginam oblatos Mansos, in præsentiarum & in futurum promissos, & imposterum semper dandos confirmamus, quatenus remota indigenciæ murmuracione, & nostrâ, nostrorumque Successorum molestiâ & contradictione sanctæ Moniales inibi regulariter Deo servientes sanctæ conversacionis exemplo clarescant, & sic in sancta Religione crescentes, de bono ad melius semper procedendo, liberius vivant; & quia benefacti sicut nimium quisquam nequit habere, itaque quæ nemini valuit impertire; orare & postulare, vos Successores meos de futuro non desistam, ut in Deo, & propter Deum hoc decretum a nobis novâ deliberatione*

cor-

corroboratum conservare, reformare, & augmentare nullatenus neglegatis quotannis in secula, ut nobiscum sitis participes sanctæ retributionis, quorum fuerit una exercitacio sancta laboris. Si quis verò, quod futurum minime credimus, hanc nostri decreti Constitutionem perfringere aut immutare quæsierit, anathematis vinculo innodatus & vivens mortuus pereat in æternum. Quod ut firmiter credatur & certius habeatur, diligentiusque ab omnibus observetur manu propria confirmantes nostræ Ecclesiæ Populo cognoscendum, & Clero obtulimus roborandum.

Ego Teuzo *gratiâ Dei* Præsul *sanctæ* Regiensis Ecclesiæ *in hoc decreto a me facto subscripsi.*

Ingo Dei gratiâ Archidiaconus subscripsi.

Ego Adalbertus, qui & Michaël, Archipresbiter subscripsi.

Ego Rodgarius Presbiter & Præpositus subscripsi.

Ego Ildebertus Diaconus & Præpositus subscripsi.

Ego Petrus Presbiter subscripsi.

Ego Adam Presbiter subscripsi.

Ego Albertus Diaconus subscripsi.

Ego Arduinus Diaconus subscripsi.

Ego Adelbertus Diaconus subscripsi.

Ego Giselbertus Subdiaconus subscripsi.

Ego Wibertus Subdiaconus subscripsi.

Ego Sigifredus Subdiaconus subscripsi.

Ego Walbertus Subdiaconus subscripsi.

Petrus Subdiaconus, & hujus decreti Scriptor, a Domno Teuzone Regiensis Ecclesiæ Episcopo rogatus, subscripsi.

Actum VIII. Idus Junii, Anno Dominicæ Incarnationis MXV. Regni verò Divi Henrici Undecimo, Imperii verò ejus Secundo, per Indictionem Duodecimam.

Novis muneribus erga easdem sacras puellas munificum se rursus exhibuit idem *Teuzo Episcopus*, eis traditâ Ecclesiâ Sancti Thomæ, unde nunc nomen nobili illi Monasterio. Animadvertendum tamen est Regiense Monasterium Sancti Thomæ antiquitus etiam exstitisse. Mabillonius nuper laudatus in Annalib. Benedictin. ad Annum DCCCXXXV. Chartam produxit eo Anno exaratam, in qua *Cumicunda relicta quondam Bernardi incliti Regis* Italiæ, Monasterium Parmense puellarum Sancti Alexandri a se ædificatum magnifice ditat. Inter alia eidem subdit Monasteria duo, unum in Civitate Parmensi situm; *alium namque Monasterium foris muros Civitate Regio non longe ab ipsa Civitate, qui est ad honorem Sancti Thomei Apostoli*. Quare non ædificatum, sed *reædificatum* videtur Monasterium illud a Teuzone Episcopo; idque etiam intelliges ex Sigefredi Episcopi Charta, quam infra sum producturus. Cur verò Mabillonius, vir cetera diligentissimus scripserit, hocce Monasterium Sancti Thomæ situm fuisse *non longe ab eâdem Civitate Parmensi*, nil aliud in caussâ fuisse puto, nisi quia magnificis molibus exstruendis intentos minuta quædam fugere facile possunt, quæ tantis viris non objicienda, sed condonanda sunt.

Traditio Basilicæ Sancti Thomæ facta a Teuzone Episcopo Regiensi Liuzæ Abbatissæ Sanctorum Viti & Modesti, Anno 1027.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Teuzo *divino respectu sanctæ* Regiensis Ecclesiæ *humilis Episcopus. Nos, quibus cura & Ecclesiasticum regimen condonatum esse dignoscitur, sollicite ac sedule tractare oportet, quo nobis subditas Ecclesias taliter ordinamus, ut in futuro boni Pastoris præmia capere valeamus. Quo circa omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque fidelibus notum fore volumus, nostræ Ecclesiæ Primates nostram adiisse Paternitatem*, quo Basilicam in honore Sancti Thomæ Apostoli ceptam, Liuzæ Abbatissæ concedimus. *Quorum peticionibus annuentes, tam præfatæ Abbatissæ, quàm* ceteris omnibus in Sancti Viti Martiris Cenobio .... *ordinandis temporibus* Abbatissis, *nostræ institutionis pagina prælibatam Basilicam cum aliquantula Terra circa ipsam sita Basilicam, cui septem sestariorum est numerus, finis verò ab orientali plaga terra .... Sancti Prosperi, a meridie Petri Judicis, ab occidente Sanctæ Mariæ, & Sancti Michaëlis, & Sancti Prosperi, a sera Sancti Prosperi, & heredum Landulfi concessimus & largiti sumus, eo videlicet ordine, ut sui .... post hac una sit in perpetuum Ecclesia, & alteri respondeat alter ..... Quod ut verius credatur, & ab omnibus diligentius observetur, manu propria subter conscripsimus. Si quis verò hanc nostræ institutionis paginam quandoque infringere ..... quod absit: sciat se anathematis vinculo innodatum, & cum Juda Domini nostri Jesu Christi proditore ...... damnatione dampnatum, & cum Dathan & Abiron, quos terra vivos absorbuit perpetuis ...... Quid plura? habeat maledictionem illorum, qui dixerunt Domino Deo:* Rede a nobis ...... nolumus.

Data Anno Dominicæ Incarnationis MXXVII. Pontificante verò Domno Teuzone Præsule Anno XLVIIII. Indictione XI.

Teuzo Episcopus *in hac Constitutione a me facta subscripsi.*

Ego Adelbertus Presbiter subscripsi.

Ego Adam Presbiter subscripsi.

Ego Gregorius Presbiter & Custos subscripsi.

Ego Gualbertus Diaconus subscripsi.

Ego Gotfredus Diaconus subscripsi.

Ego Wibertus Diaconus subscripsi.

Ego Gandulfus Subdiaconus subscripsi.

.... sanctæ Regiensis Ecclesiæ Clericus subscripsi.

Ego Giselbertus Subdiaconus hujus concessionis scriptor subscripsi.

Neque minor fuit erga Monasterium idem pietas *Sigefredi Regiensis Episcopi*, qui sedato tamdem *turbine sacularium procellarum*, & ipse cupiens *Monacharum Cœnobium noviter a prædecessore suo bonæ memoriæ Teuzone Episcopo ad omnipotentis Dei & Sancti Thomæ Apostoli servitium reædificatum, olim ab Infidelibus* (hoc est, ut opinor, ab Hungaris sub initium Sæculi Decimi) *funditus destructum, datis temporalibus rebus, augere*, subsequentem Bullam promulgavit.

Confirmatio bonorum & jurium cum additamento Monialibus Sancti Thomæ Regiensis facta a Sigifredo Episcopo Regiense, Anno 1038.

IN *nomine sanctæ & individuæ Trinitatis*. Sigifredus *divinæ respectu clementiæ* Regiensis Ecclesiæ Episcopus, *ac provisor indignus. Nos, quibus divina ordinante providentia Ecclesiasticæ dispositionis cura & regimen condonatum dignoscitur, studiose ac solicite considerare debemus, quatenus cum Dei adjutorio Ecclesiasticus status de die in diem in augmentum crescendo perficiat, ut mentes fidelium hoc prospicientes in dilatandis Ecclesiasticis rebus devotiores & promptiores cotidie reddantur. His & aliis ammonitionibus afflati, ac diuturna meditacione in nostri cordis penetralibus perplurima volventes, perspicaci curâ rimari cepimus, quid agere possemus, unde summo Patroni propensius servire vel placere valeremus. Inter hæc divinâ clementia freti pertractavimus id melius omnibus negociis fore, si* Monacharum Cœnobium, *noviter a prædecessore nostro bonæ memoriæ* Teuzone Episcopo, ad omnipotentis Dei, & Sancti Thomæ Apostoli servitium reædificatum, olim ab Infidelibus funditus destructum, datis temporalibus rebus augeremus, *celitem nobis vitam inde mercaremur, in tantum ut nos, nostrique Successores, ceterique Dominum timentes, vel eidem loco faventes sedulâ precum substentacione apud Deum sublevaremur. Sed quia hactenus turbine secularium procellarum quassati, & ultra modum lacessiti & fatigati, nec inchoare, nec ad limam perducere hæc quivimus. Nunc vero oppitulante Deo, & ipsarum suffragantibus meritis, depulsâ impiorum sevitiâ, quasi sub portum tranquillissimâ quiete fruentes, ad calcem procul dubio perducere credimus. Unde salubri consilio nostrorum fidelium, Clericorum videlicet & Laicorum vitali exortacione animati, pro nostræ, nostrorumque Successorum animæ remedio, eidem Ecclesiæ in honorem prædicti Sancti Thomæ Apostoli constructæ, & ædificatæ, ubi* Liuza *venerabilis* Abbatissa *una cum Monacabus inhibi secundùm beati Benedicti Patris instituta normaliter servientibus præesse videtur, per decretalem paginam confirmamus fundum, in quo præfata Ecclesia sita est cum aliquanta terra in circuitu; seu terram illam juxta ipsam Ecclesiam ad meridiei plagam positam, quæ est mensura sestariorum II. & tabularum VI. ubi claustra ejusdem Abbatiæ esse videntur, & famulos jam fatæ Ecclesiæ cum suis possessionibus; atque Capellam Sancti Viti, cum suis omnibus pertinentiis, seu Massariciam una de Giraldo; & prechariam; atque aliam terram; a Dominico & Angelo germanis elaborata fuerunt, sicut a prædecessore nostro oblata sunt. Insuper addimus ex nostri parte præfatam terram, ubi claustra esse videntur, & sortem quæ recta & laborata est per Joannem Leoperti, atque libellariam, quæ fuit Isemprandi, atque prechariam Ibaldi de Livitiano, seu precariam Petri Judicis, verùm etiam prechariam de filiis Ugonis; nec non & duas petiolas terræ prope ipsam Ecclesiam, quæ olim laboratæ fuerunt una per Giselbertum & Johannem germanos, altera per Garivertum & Petrum; atque ceteras petiolas, quæ juxta Regii Urbem adesse videntur, quarum numero sunt viginti sex. Seu libellariam Ildeberti Archidiaconi, & terram cum ædificiis infra eamdem Civitatem, quam filii Heriberti Judicis, acque Wido atque Fredulfus detinent, atque vineam unam in bragida Bulgari cum sedimine, quæ regitur per Berningum, & Marinum germanos; seu Massaritiam unam prope ipsum Monasterium, quæ olim recta & laborata fuit per Martinum Mauroni atque Garivertum germanos. Nec non & vineam unam cum aliquanta terra; petias duas in Rivalta prope ipsam Plebem; quæ laborata fiunt per Johannem Massarium, qui dicitur Fussario, atque Sorticellam illam in Rodano, quæ recta fuit per* Widonem *Diaconum, una cum sedimine in Vinzolo; & vineam unam, quæ laborata est per Frogerium cum sedimine in Opladello. Hæc igitur prætitulata loca in integrum prædicto Monasterio Sancti Thomæ Apostoli & præfatæ Liuzæ venerabili Abbatissæ, suisque successoribus, & Sororibus nunc inhibi, & in futuris temporibus Deo servientibus concedimus, largimur, & modis omnibus per hanc presentem Decretalem paginam confirmamus ad communem utilitatem Monacharum, quatenus Domina Abbatissa, suæque successores, cum suis Sororibus in perpetuum secure & quiete sub nostro, nostrorumque Successorum regimine & potestate atque ordinacione teneant, possideant, & fruantur sine omni nostra, nostrorumque Successorum interdictione, ut pro nobis atque omnibus sibi bona facientibus, devotius Dominum interpellare possint. Et ut hæc veriùs credantur, firmiusque a nobis, & a nostris Successoribus observentur, manu propria roborantes, Canonicos nostros Ecclesiæ inferius jussimus annotare. Si quis igitur hanc Decretalem constitutionem infringere temptaverit, maledictionem Dei Patris Omnipotentis, & Sanctæ Dei genitricis Mariæ, seu beati Thomæ Apostoli, ceterorumque Sanctorum omnium incurrat, & cum omnibus maledictis maledictionis sententiam percipiat.*

Actum est hoc Anno Dominicæ Incarnacionis MXXXVIII. Pontificatus verò Domini Sigifredi junioris Episcopi *VII.... Tertiodecimo Kalendas Septembris, indictione Sexta. Nec non concedimus & largimur per hanc paginam eidem Monasterio Capellam sitam infra Castrum de Villanova, in honorem Sanctæ Mariæ & Sancti Prosperi dedicatam, cum omnibus suis pertinentiis, atque Capellam Sancti Domnini in Fazano, similiter cum suis pertinentiis.*

Sigifredus *Dei nutu* Episcopus, *huic decreto a me facto subscripsit.*

Bernardus Archidiaconus huic decreto subscripsit.

Rolandus Dei misericordiâ Archipresbiter subscripsit.

Dominicus Presbiter Magister Scolarum subscripsit.

Gregorius Presbiter & Custos subscripsit.

Adelbertus Presbiter subscripsit.

Adam Presbiter subscripsit.

Teuzo Presbiter subscripsit.

Gotefredus Diaconus subscripsit.

Sigi-

Sigifredus Diaconus subscripsit.
Walperdus Subdiaconus subscripsit.
Sigifredus Subdiaconus subscripsit.
Romanus Subdiaconus subscripsit.
Iethalmus Subdiaconus subscripsit.
Teuzo Subdiaconus subscripsit.
Heicardus Subdiaconus hujus decreti Scriptor subscripsit.
Ego Aimericus Notarius sacri Palatii hoc exemplum, ut credo, a Domino Sigifredo Regiensi Episcopo factum, vidi, legi, & scripsi; & sic in eo continebatur, ut in hoc legitur, ne- A *que junxi, neque minui, me sciente, sed exemplavi.*

Sigefredus iste Regiensis Episcopus appellatur *junior*, ut ab altero *Sigefredo* distinguatur, qui Anno DCCCLVI. Cathedram Regiensem tenuit. Antecessoribus suis liberalitate minime concessit *Conon*, hoc est, Conradus Sigefredi Successor, & *Gandulphus*, ambo Episcopi, quorum ecce tabulas ex ejusdem Monasterii pergamenis descriptas.

Donatio facta Monialibus Sancti Thomæ Regiensis a Conone Episcopo ejusdem Civitatis, Anno 1050.

„ IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. *Conon* Christi ordinante clementia sanctæ *Regiensis Ecclesiæ Episcopus*, omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus præsentibus scilicet & futuris, notum esse volumus, *Liuzam Monasterii Sancti Thomæ Apostoli* venerabilem Abbatissam una cum suis Monacabus nostram supplices petendo adiisse paternitatem, quatenus illarum necessitatibus subvenientes aliquantulum subsidii eis impertiremur. Quarum precibus faventes, cum consensu fratrum nostrorum nobis adquiescentium, omnem terram, quam Sigifredus de Budrione ex parte nostri Episcopii nunc detinet, præter illam, quam *Sigifredus* bonæ memoriæ *Episcopus* nostris Ecclesiæ Canonicis dedit, eis cum fictu & censu concedimus & largimur. Eâ videlicet racione, ut habeant & teneant ad usum & utilitatem prædicti Monasterii in perpetuum pro animæ nostræ mercede absque no- B stra successorumque nostrorum contradictione vel diminoratione, cum finibus & terminibus suis. Si quis autem hanc nostræ institucionis seu concessionis paginam in aliquo infrangere temptaverit, cum omnibus maledictis maledictionis sentenciam percipiat, & insuper quinquaginta libras argenti optimi se compositurum agnoscat, medietatem Regiæ Cameræ, & medietatem injuriam sustinentibus. Quod ut verius habeatur, & firmius ab omnibus credatur, & nos manu nostra firmavimus, & nostro Clero optulimus roborandum.

„ Actum est hoc Anno Dominicæ Incarnationis ML. Pontificatus verò Domini Cononis Episcopi Anno Primo, V. Idus Septem- C bris, Indictione III.

„ *Conon* Dei gratiâ *Episcopus* subscripsi.
„ Bernardus Archidiaconus subscripsi.
„ Heicardus Archipresbiter subscripsi.
„ O. Præpositus subscripsi.

Donatio

Donatio facta Monialibus Sancti Thomæ Regiensis a Gandulfo Episcopo ejusdem Civitatis, Anno 1075.

„ IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. *Gandulfus* divinæ respectu clementiæ Regiensis Episcopus. Pastoralem curam suscipientem ita in subjectos vigilare oportet, ut in reddendis commissis ei incuriæ culpa non obtendatur. Qua in re nos accusabiles cognoscentes, & Sancti Thomæ Apostoli precibus & totius Congregationis illi servientium excusari cupientes, aliquantam nostri Episcopatus terram *Sancti Thomæ Monasterio & Congregacioni* ibi servientium disposuimus dare, quatenus delictorum nostrorum pondere eorum intercessionibus sublevemur, unde noscat posteritas, ac viventium universitas, quod nos dicto Monasterio & Congregacioni duos Mansos, manus investiturâ nostræ concedimus, utrumque ses jugerum, unum in Campolungo, alterum in Sancto Martino que reguntur & laborantur in Campolungo per . . . . . . alter in Sancto Martino per. . . . . . . cum redditibus, & porcis & operibus, & omnibus suis dacionibus, & piscationibus. Et molendinum unum in Rodano, quod tenetur a Johanne, qui dicitur Aurum, cum via & aquæductu, & omnibus accessionibus suis; & undecim tabulas terræ cum casa & terra vacua juxta idem Monasterium, cujus fines sunt a Mane & Septentrione ejusdem Monasterii, a Meridie Strada, ab Occidente famuli Sancti Prosperi & ejusdem Monasterii: eâ videlicet racione, ut jam dicta Congregacio æternaliter teneat & fruatur, & quid quid inde regulariter ei facere conceditur, faciat, remotâ nostrâ, nostrorumque Successorum molestiâ. Si quis autem hujus nostræ concessionis statum aliquatenus violare tentaverit, inde maledictionem accipiat, & Herodi & Pilato societur. Et insuper statuimus, ut centum Libras denariorum dictæ Congregacioni persolvat. Hoc ut verius credatur, & firmius habeatur, manu propria firmavimus, & nostris fratribus dedimus roborandum.

A

„ Actum est Anno Dominicæ Incarnacionis „ MLXXV. Undecimo Kalendas Aprilis, Indictione Decima Tercia.

„ Ego *Gandulfus Episcopus* subscripsi.

„ Ad honorem Sancti Thomæ Apostoli, „ Manfredus Diaconus subscripsi.

Æquo animo Lectores quæso accipiant hujusmodi Chartas, quippe quæ ad seriem & Chronologiam Episcoporum Regiensium non parum lucis sunt allaturæ. Heic certe, si usquam, majorem in Ughellio diligentiam desiderassem. Errat ille non unum errorem, quum eorum Præsulum gesta pertexit; neque ab hisce vitiis immunis abit ipse Fulvius Azzarius, qui Ughellio præivit in Histor. Ecclesiastica Regiensi, quam manu exaratam servat Bibliotheca Estensis. Apud Ughellium *Conon* corrupte appellatur *Condelardus*, & ab Azzario *Condelaudus*. Is deturbatus a Sede dicitur Anno MXLIII. Illum nos nuper vidimus pacifice sedentem Anno ML qui etiam *Annus Primus* dicitur Pontificatus illius. *Gandulfus* Regiensis Episcopus iniisse Episcopatum dicitur Anno MLXXXII. Ejus tabulas nuper protulimus datas Anno MLXXV. Alias quoque legi datas Anno MLXVI. Sunt alia non pauca apud eumdem Ughellium in Regiensibus Episcopis emendationem poscentia, vel post ejus additamenta & correctiones in Appendice Tomo Quincto. Neque omissum volo, me in Archivo Canonicorum Cathedralis Regiensis Chartam vidisse scriptam: *Berengarius graciâ Dei Imperator Augustus, Anni Imperii ejus Quinto, X. Kalendas Decembris, Indictione IX.* idest Anno Christi DCCCCXX. Ibi Severus filius quondam Adelperti de Montiglo res juris sui vendit *vobis Fredulfi sancte Regiensis Ecclesie Episcopus, ad jura & potestate Sancti Prosperi* &c. Attamen Ughellius *Fredulfum* Episcopum Regiensem fato functum Anno Christi DCCCXCVIII. nobis exhibet. Chorum impleat Charta Alberii, cujus piam liberalitatem sensere eædem Sanctimoniales.

B

C

Alberii

Alberti Regienſis Epiſcopi Charta, per quam terras donat Monaſterio Regienſi Sancti Thomæ, Anno 1147.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis*. Albertus *Dei largiente gratia ſanctæ* Regienſis Eccleſiæ Epiſcopus *ac proviſor indignus. Erumpnoſæ vitæ diſcrimina conſiderare oportet, dum ſumus in via, quatenus amiſſis temporalibus comodis vita commite nonprivemur æternis. Sepiſſime enim dum is utimur, ab improviſa morte rapimur, & tamen hactenus vagantes, ſero cupimus querere, quod obſtantibus culpis non meremur accipere. Ac per hoc acceptâ Eccleſiaſtici regiminis curâ, decet Epiſcopalem diligenciam ſic erga ſubditas Eccleſias & Clericos vigilanti animo gerere, ut de bono in melius juvante Deo proficiant, & Clerici divinis officiis per melius intenti Eccleſiæ noſtræ, nobiſque fideliores exiſtant. Unde congruum, ſatiſque conveniencius nobis apparuit, ut interventu* Donnæ Angelicæ *Kariſſimæ ſororis noſtræ, Dei gratiâ* Monaſterii Sancti Thomæ de Regio Abbatiſſæ, *ejuſdem Monaſterii Sororum neceſſitati ſubvenientes, aliquantulum, quod habere videbamur, ad augmentum noſtræ, noſtrorumque Succeſſorum animæ illi impertiremus: quatenus ſecundùm Apoſtolum noſtra inopia illarum habundaciâ, Chriſti largiente gratia ſuppleretur. Quapropter divinitus animati, petiam unam de terra laborativam, que obvenit nobis per cartulam refutacionis ab Oliverio & Saraceno fratribus, filiis Burgundionis, ad comunem utilitatem Monacharum ſororum noſtrarum preſencium & futurarum Monaſterii Sancti Thomæ famulantium, per hanc noſtræ inſtitucionis vel conceſſionis paginam jure perpetuo concedimus & largimur. Hec autem terra jacet infra clauſuras Regii prope Eccleſiam Sancti Gervaſii, que eſt per menſuram juſtam ad perticam legitimam de pedibus duodecim menſuratam tabulæ . . . . . . cujus fines ſunt ex omni latere juris ejuſdem Monaſterii. Tamen a mane poſſidet Petrus de Xina cum fratre: a meridie prædicti fratres Oliverius & Saracenus: a ſero Cimiterium prænominatæ Eccleſiæ Sancti Gervaſii: de ſubto terra ejuſdem Monaſterii, ſi ibi que ſunt aliæ coherentes, in integrum. Eâ ratione, ut prædictæ Sorores ad comunem earum menſam ſemper ammodo præfatam terram retineant, ſine omni noſtra ſeu etiam Succeſſorum noſtrorum contradictione vel diminucione. Nec liceat unquam alicui Sororum eam vendere vel donare aut infeudare, aut aliquo modo commutare, ſeu a propoſito officio alienare. Sed ſicut ſuperius dictum eſt, ad menſam Sororum ſervetur & teneatur. Quod ſi quis divinum poſt tergum deiciens timorem, hanc noſtræ inſtitucionis & conceſſionis paginam frangere temptaverit, maledictionem Dei Patris omnipotentis & Filii & Spiritus Sancti habeat, & cum Juda traditore damnatus æternis ignibus maneat cruciandus. Quod ut verius credatur, firmiuſque a nobis, noſtriſque Succeſſoribus obſervetur, & nos propria manu firmavimus, & teſtibus roborandum attulimus.*

Actum Regii in majori Eccleſia Sanctæ Mariæ, Anno Dominicæ Incarnacionis Milleſimo Centeſimo Quadrageſimo Septimo, de Menſe Auguſti, Indictione X. feliciter.

Rogati teſtes interfuerunt, Gerardus Judex de Panciano, Raynaldus de Alemanno, Berocius de Taculis, Petrus de Donella.

Ego Aymericus Notarius ſacri Palatii rogatus interfui, & ex juſſione ejuſdem Epiſcopi ſcripſi, complevi ac dedi.

Quantis verò opibus ac fortunis olim abundarent Sanctimonialium quoque Collegia, ex veterum monumentis intelligimus, ejuſque rei complura in hoc etiam Opere exempla ego attuli. Quippe fuere Monaſteria, quæ ingentem ſacrarum Virginum copiam alebant: quod non ſine multo redituum præſidio præſtari poterat. Fidem tamen apud me excedit, quod Sugerius Abbas in Epiſtolâ ad Eugenium III Papam ſcriptâ, atque a Sirmondo editâ narrat, nempe Monaſterium Virginum Fontis Ebraldi, Anno MC. in Pictavienſi Diœceſi cœptum, poſt paucos annos *fere uſque ad Quatuor aut Quinque Millia Sanctimonialium jam excreviſſe*. Non Monaſterium, ſed Urbem heic haberes: adjungenda quippe huic numero foret famulorum, ancillarum, immo & Monachorum, quibus non longe domicilium erat, non mediocris cœtus. Verùm hoc alii viderint. Neque verò tantùm fundos immani copiâ poſſidebant feminæ Deo ſacræ, ſed & Curtes & Caſtella, eorumque interdum juriſdictione fruebantur. Nam quæ *Curtes* in antiquis Chartis appellantur, integræ Villæ erant, quibus ſæpe ſuum Caſtellum inerat. Quod etſi non ſemel monui, liceat tamen mihi luculentius heic oſtendere, quum ad intelligenda veterum monumenta notionis hujus multus ſit uſus. In Vercellenſi agro *Bugella* Oppidum, Civitatis etiam nomine a Ducibus Sabaudienſibus ornatum, a multis Sæculis illuſtre eſt. *Biella* nunc appellatur; antiquum verò ac germanum ejus nomen *Bugella* eſt, non *Bujella*, uti amicus meus doctiſſimus in Diſſertatione Chorograph. præpoſita Tomo X. Rer. Italicar. eſt opinatus. Occurrit & in monumentis veterum *Pagus Bugellenſis*, quo nomine ingens terrarum tractus deſignabatur. Verùm *Bugella* ipſa vocabulo *Curtis* donata reperitur in antiquis Chartis. *Curtis* etiam *magna* quandoque appellata fuit. Præſto mihi in hanc rem eſt Diploma, ex Archivo Monachorum Caſinenſium Placentinorum Sancti Sixti, quod etſi lacunis multis ſcateat, neque ſatis appareat, integra ne Curtis, an Manſus tantùm in eo tradatur, attamen diſertis verbis exhibet nobis *Bugellam Curtis* dumtaxat appellatione diſtinctam.

Curtis Bugellæ, sive Mansi in ea siti, in Comitatu Vercellensi concessio facta Bosoni Comiti a Ludovico & Lothario Imperatoribus, Anno 826.

IN *nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi*. Hludovvicus & Hlotarius *divina ordinante providentia* Imperatores Augusti . . . . *notum fieri volumus omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam & futurorum industriæ* . . . . . . *proprietatis nostræ, quæ sunt in Lungobardia*, *in Pago videlicet* . . . . . *quod pertinet ad Comitatum Vercellensem*, *idest* in Villa, quæ dicitur Bugella, *Mansum Domnicatum cum Casa domnicata, & aliis edificiis, & cum mancipiis desuper commanentibus, vel quantumcumque ad prædictam* Curtem Bugellam *præsenti tempore pertinere dignoscitur, cum omnibus edificiis, mancipiis utriusque sexus, terris, vineis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, mobilibus & immobilibus, exitibus & regressibus, vel quantumcumque, sicut superius dictum est, ad prædictam Curtem pertinere videtur, tam Curtes quam loca vel alpes & silvas, vel omnia quicquid, sicut jam supradictum est, ad prædictam* Curtem Bugellam *aspicit, & nostri juris atque possessionis jure proprietario est, totum & ad integrum, exquisi-*

A *tum & inexquisitum, prædicto fideli nostro* Bosoni *ad proprium per hanc nostræ auctoritatis confirmationem concessimus. Ob hoc scilicet, quia ille nobis tradidit de suis propriis rebus per cartulam traditionis in Villa, quæ dicitur* B chi, *Mansos octo cum Cappella juxta Fiscum nostrum Numagna, cum omnibus ædificiis, mancipiis, terris, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, exitibus, & regressibus, quantumcumque in prædicta Villa est, vel quæ ad eum in quibuscumque locis aspicit. Et ideo res superius præscriptas, quas ei præsentialiter per hanc nostræ auctoritatis præceptionem jure proprietatis ad habendum concedimus, decernimus, atque jubemus,*
B *ut quicquid ab hinc in futurum jure proprietatis facere vel judicare voluerit, libero in omnibus potiatur arbitrio faciendi quicquid elegerit. Et ut hæc auctoritas confirmationis nostræ firmior habeatur, & per futura tempora melius conservetur, manibus propriis subter confirmavimus, & anuli nostri impressione sigillari jussimus.*

Signum *Hludovvici gloriosissimi Imperatoris.*

Signum *Hlotharii gloriosissimi Augusti.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

. . . . *Clericus ad vicem Fridugiti recognovi.*

Data VI. Kalendas Julii, Anno Christo propitio XIIII. Imperii Domni Hludovvici, & Hlotharii IIII. serenissimi Augusti, Indictione IIII.

Actum Engilinheim Palacio Regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

Verùm ubi in autographo Notæ Chronologicæ revera conjungant *Annum Regni Ludovici Quartumdecimum*, decurrente *Junio Mense* cum *Indictione Quarta*, de autographi ipsius fide dubitatio justa suboriri posset. Certum quippe est, Anno Christi DCCCXXVI. qui ab *Indictione IV.* indicatur, Junio Mense incursu fuisse *Annum XIII.* Ludovici Pii, deductum a morte Caroli Magni ejus patris, & *Annum IV.* Lotharii ejus filii. Et hæ quidem

C Epochæ frequentiores quàm reliquæ, sunt: Idque confirmatum videas e monumento evulgato jamdudum inter Marmora Felsinea a Carolo Malvasia. Nempe Bononiæ superest frustum columnæ striatæ cum Inscriptione iis ferme temporibus insculpta, dignum sane, quod uti rarum barbaricæ antiquitatis vestigium heic denuo oculis omnium subjiciatur. Hæc ita leguntur:


✠ IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI
TEMPORE (*) DOMNI NOSTRI HLVDOVVICUS
ET HLOTHERIUS EJUS FILIO ANNO
IMPERII EORUM CHRISTO JUVANTE
QUARTO DECIMO ET SEXTO DIE OCTAVO
MENSE NOVEMBRI PER INDICTIONE SEXTA
PETRUS PRESBITER FIERI ROGAVIT.

(*) vel potius *Domnorum Nostrorum*.

Anno Christi DCCCXXVII. Novembri Mense decurrisse *Annum XIV.* Ludovici Pii, heic habemus. Ergo decurrere non potuit idem *Annus XIV.* die XXVI. Junii, Anni DCCC-XXVI. ut habet Placentinum Diploma. Quare aut sphalma refundendum est in exemplum ad me transmissum, aut aliquo vitio Placentina membrana laborat, nisi hæc omnia purgentur ab aliqua parum usitata Epocha Ludovici Pii. Quod autem in lapide Bononiæ scripto nulla Romani Pontificis mentio fiat, sed Imperatorum dumtaxat, id accidisse potuit, quod Eugenius II. Papa, aut etiam Valentino paucorum dierum Pontifice e vivis sublato, Romana Sedes Novembri Mense Anni DCCCXXVII. vacaret. Si verò tunc vivebat Pontifex Romanus, quid dominationis Bononiensi in Urbe tunc foret Augustis, hinc etiam elucere posset. Hæc obiter. Dixi, Curtes plerasque post Sæculum Octavum suo Castello fuisse ornatas. Quod quamquam multis exemplis confirmare possim, multaque jam dederim in hoc ipso Opere, paucis tamen majori in lumine confirmatum nunc volo. Otto Magnus Imperator in Diplomate Anni DCCCCLXIX. apud Ughellium Tom. II. Ital. Sacr. in Episcop. Parmens. Ingoni nobili viro confirmat *Curtem Villanovæ cum Castro super se habente: Curtem de Gravalina cum Castro Casiollo & Trebaldo: Curtem de Beneuto cum Castro Vicoboin: Curtem Deveratelim cum Castro super se habente; Curtem de Staderiano cum Castro* &c. Accedat & vetus alterum monumentum hactenus luce carens, hoc est Diploma, quod ex pergamenis Capituli Canonicorum Parmensium descriptum nostris offert oculis Oppidum Sancti Secundi *Curtis* nomine donatum, cum *Castello* ibidem constructo.

Concessio Curtis Palacioni, quæ dicitur Sancti Secundi, facta Canonicis Ecclesiæ Parmensis ab Ottone III. Imperatore, Anno 999.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.* Otto *superna favente clementia* Romanorum Imperator Augustus. *Si locis divine Sanctitati mancipatis proprietates augendo roboraverimus, in tempore præsenti & in futuro nobis remunerari procul dubio credimus. Quocirca omnium fidelium nostrorum tam præsentium quàm & futurorum noverit industria, qualiter nos interventu* Sigefredi *sanctæ* Parmensis Ecclesiæ *venerabilis* Episcopi, *maxime verò ob Dei omnipotentis honorem, suæ sacrosanctæ Sedi in honore gloriosissimæ Virginis, Deique Genitricis Mariæ constructæ ad jure & proprietatem Canonicæ ibidem Deo modò inservientium, & in futuro succedentium concedimus, & per hanc nostram præceptalem paginam confirmamus* Curtem de Palacioni, quæ dicitur Sancti Secundi, *cum omni sua integritate, sicut hactenus* Atto Comes *obtinuit, cum servis & ancillis, ædificiis,* Castello, *& Villis, agris, pratis, campis, pascuis & silvis, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, ceterisque omnibus pertinentiis tam quesitis quàm inquirendis. Inde præcipimus, ut nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, nullaque Imperii nostri magna parvaque persona, prædictæ Ecclesiæ Canonicos de jam habita proprietate disvestire aut molestare, sive censeri jure præsumat. Si quis igitur hoc nostrum Imperiale præceptum violare temptaverit, sciat se compositurum auri obtimi Libras centum, medietatem Cameræ nostræ, ac medietatem prædictis Canonicis. Quod ut verius credatur, diligentiusque observetur, hanc paginam manu propria corroborantes sigillari præcepimus.*

Signum Domni Ottonis  *Cæsaris invicti.*

Heribertus Cancellarius vice Petri Cumani Episcopi recognovit.

Data Kalendis Januarii, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCVIIII. Indictione XIII. Anno tertii Ottonis Regni XVI. Imperii IIII.

Actum Veronæ feliciter. Amen.

Sigillum plumbeum pendens, in cujus anticâ Caput Imperatoris laureatum visitur, & in epigraphe legitur OTTO .... AVGVST ..... In postica verò caput velut Mulieris cum scuto & lancea, & ..... OVATIO IMPER. ROMANO ....

Neque plura addo, in re videlicet jam nulli dubitationi obnoxiâ. Occurrunt etiam in veterum Italicorum monumentis *Corticellæ*, hoc est minores Curtes: quo nomine non prædium tantummodo, sive *un Podere*, ut nunc dicimus, significatum reor, sed aliquam prædiorum unionem, quæ multas aleret rusticorum familias, & portio alicujus Curtis majoris foret. In Mutinensi agro sub Oppido Spinalamberti (nunc *Spilamberto*) recensetur adhuc Villa quædam *Corticella* vulgariter appellata, cui suus est Parochus, suusque Populus a finitimis Villis distinctus. Supersunt & aliæ Villæ in Parmensi, Bononiensi, aliisque Comitatibus, quæ idem *Corticellæ* nomen retinent. Atque hæc lucem præbebunt Diplomati Lotharii II. Regis Italiæ, quod ex Archivo prælaudati Capituli Canonicorum Parmensium descriptum exhibeo, de cujus Indictione infra erit mentio.

Donatio Curticellarum aliquot, in agro Parmensi sitarum, facta cuidam Luidono a Lothario Rege Italiæ, Anno 947.

IN *nomine Domini Dei æterni*. Lotharius *divina providente clementia* Rex. *Omnium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque præsentium scilicet* ...... Domnus Deodatus *venerabilis* Præsul, *nosterque per omnia dilectus fidelis, nostram supplex Regalem adiit celsitudinem, qua* ...... Curticellam suam in loco & fundo Burano, jure Comitatus Parmensis, cum aliquantis aliis Curticellis, *unam videlicet in Provinciano, & aliam in Viniale, & terciam in Montiglo Majore; verùm etiam de terra laborata peciam unam in loco Miliario ipsius Comitatus jure, quæ est per mensuram jugis unade perticas jugialis quatuor* .... *continuam fidelitatem omnimodis considerantes, nostræ pietatis aures ipsius accommodavimus precibus, & per hujus nostri præcepti paginam, prout juste & legaliter possumus præfato Liudono fideli nostro eandem prætaxatam* Curticellam cum jam dictis Corticellis, *unaque cum prædicto Campo, atque cum omnibus pertinentiis sive adjacentiis ipsius Curticellæ .... finibus, terminationibus & accessionibus suis, omnia in integrum concedimus, donamus atque largimur, ut habeat, teneat, firmiterque possideat, habeatque potestatem donandi, vendendi, commutandi, alienandi, & quicquid ejus decreverit animus faciendi ipse, suique heredes, omni mea, meorumque Successorum, sive omnium hominum contradictione funditus remota. Si quis verò, quod futurum esse non credo, hujus nostræ donacionis Præceptum infringere tentaverit, cognoscat se compositurum auri Libras centum, medietatem Kameræ nostræ, & medietatem præfato Liudoni, ejusque heredibus. Quod ut verius credatur, diligenciusque ab omnibus observetur, manu propria roborantes, anuli nostri impressione subter insigniri jussimus.*

Signum Domni [monogram] *Lotharii piissimi Regis.*

Locus ✠ Sigilli deperditi.

Oldericus Kancellarius ad vicem Bruningi Episcopi & Archicancellarii recognovi & subscripsi.
Data quartodecimo Kalendarum Februariarum, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXLVII. Anno verò Lotharii Regis XVII. Indictione VI.
Actum Papiæ feliciter.

Redeo ad *Curtes* sive *Cortes*, quæ inter Allodia, ut alibi dixi, olim numerabantur, atque ex iis innumerabiles a sacris locis possidebantur ex donatione Regum, ac largitione reliquorum Fidelium. Et quoniam Lotharii Regis facta est mentio, præterire nolo donum trium ex hisce Cortibus ab eo factum nuper memoratis Canonicis Parmensibus, producendo ejusdem Præceptum, ex eorum Tabulario descriptum.

Lotha-

Lotharius Italiæ Rex Episcopo & Canonicis Parmensibus donat tres Curtes, scilicet Nironi, Guilzacaræ, & Runcariæ, Anno 948.

IN *nomine Domini Dei æterni*. Lotharius *divina misericordia* Rex. *Cum nihil boni operis apud omnipotentem Dominum pereat, decet nostram regalem clementiam omni tempore agere ea, quæ digna sunt tanto remuneratore. Quod si ex nostris propriis facultatibus, & transitoriis rebus Subsidium omnipotentis Dei Ecclesiis & suis servis necessaria impendimus, sempiterna, ac sine fine mansura premia ab eo veraciter suscipere non dubitamus. Idcirco noverit omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ futurorum solercia, qualiter* Adeodatus *sanctæ* Parmensis Ecclesiæ *venerabilis Episcopus, dilectus fidelis noster, nostram per* Attonem Vercellensis Ecclesiæ Episcopum, *nostrumque fidelem, deprecatus est clementiam, ut paupercula Parmensi suæ Ecclesiæ pro amore Dei, animæque nostræ, parentumque nostrorum mercede subvenire dignaremur. Cujus petitionibus pietatis nostræ aures misericorditer accommodantes, & ejus erga nostrum obsequium curiosissimam fidelitatem adtendentes, concedimus atque donamus prædictæ suæ Ecclesiæ & Canonicis & servis Dei, ibidem cotidie ministrantibus*, Cortes nostras tres, *idest* Nironi, *quæ in Parmensi Comitatu sita est juxta Alpes, ubi decurrit fluvius Incia, &* Guilzacara *in finibus Mutinensibus, est sub strata Regia non longe a fluvio Scultenna, & illa de Monti, quæ dicitur* Runcaria *supra jam dictum fluvium Inciam, quam etiam* Domina & Mater nostra Alda *ex proprio comparavit pretio, & postea moriens, testamentum fecit de ea, & nos precata est, ut pro ejus anima prædictis servis Dei pro ea in sempiternum orantibus concederemus, quod Deo annuente devotissime adimplevi, & cum istas alias jam dictas duas prædicto Adeodato Episcopo Ecclesiæque suæ, ac Domini servis, ibique pro animarum nostrorum parentum orantibus concessimus & donamus cum omnibus adjacentiis & pertinentiis suis, servis & ancillis, aldionibus & aldianis jure perpetuo, & de nostro jure in prædictæ Ecclesiæ, vel supramemoratorum servorum Dei jus & dominium transfundimus, ut habeant, teneant, possideant, ac fruantur perhenniter tam ipse Adeodatus Episcopus fidelis noster, quamque & Successores ejus ad partem supranominatæ Ecclesiæ, servorumque Dei ibidem ministrantium jure perpetuo in æternum, omni nostra, nostrorumque heredum ac proheredum & posterorum repetitione remota atque extincta. Si quis verò, quod minime credimus, nostris vel futuris temporibus contra hoc nostræ confirmationis præceptum contraire, tollere, aut causari temptaverit, sciat se compositurum auri optimi Libras centum, medietatem Kameræ nostræ & medietatem supradicto Adeodato & successoribus ejus ad partem jam dictæ Ecclesiæ, ejusque ministrantium quibus violentia illata fuerit. Et ut hoc firmius habeatur, diligentiusque ab omnibus observetur, manu propria firmavimus, & anuli nostri impressione jussimus insigniri.*

Signum Domni Lotharii LOTHARIUS *piissimi Regis.*

Odelricus Cancellarius ad vicem Bruningi Episcopi & Archicancellarii recognovi.

Data Octavo decimo Kalendas Julii, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXLVIII. Regni autem Domni Lotharii piissimi Regis XVIII. Indictione VII.

Actum Parmæ feliciter.

Adeodatum Parmensem Episcopum vix agnovit Ughellius. En illustre ipsius monumentum, in quo etiam commemoratum videas *Attonem Vercellensem Episcopum*, virum inter Scriptores Ecclesiasticos celebrem. *Curtis Guilzacara* nihil aliud est, quàm *Castrum Sancti Cæsarii*, adhuc *in finibus Mutinensibus*, idest in Comitatu Mutinensi, situm. In apographo Diplomatis hujus ad me misso legitur *Indictio VII.* conjuncta cum *die XIV. Junii Anni DCCCCXLVIII.* Ita in altero nuper edito *Indictio VI* procedit cum die *XIX. Januarii Anni DCCCCXLVII.* quum tamen *Indictio V.* procederet Anno DCCCCXLVII. & *Indictio VI.* Anno DCCCCXLVIII. Quandoquidem nulla mihi ratio succurrit sustinendi hujusmodi Indictiones, Librarii potius culpæ tribuo earum vitia, illasque emendandas puto nisi ex diversâ exordiendi Anni ratione subsidium petamus: Hujusmodi autem Cortibus, earumque Castellis abundarunt olim, ut dixi sacrarum quoque Virginum Monasteria. Quot ex iis essent Cœnobio Sanctimonialium Placentinarum Sancti Sixti, & Brixiano Sanctæ Juliæ, & Ticinensi Sancti Felicis, aliisque ejusmodi sacris Asceteriis, monumenta in hoc ipso Opere a me evulgata sat produnt. Nunc unum tantummodo exemplum proferam, quo palam fiet, *Curtem Sermetam*, nunc *Sermido*, Oppidum agri Mantuani, inter alia spectasse ad nuper laudatum Cœnobium Sanctæ Juliæ. Chartam vidi in Tabulario Monachorum Benedictinorum Regiensium Sancti Petri, exaratam eo ipso Anno, quo *Bonifacius Marchio*, celebris Comitissæ Mathildis pater, violentâ morte periit.

Charta concordiæ inter Bonifacium Marchionem, sive Ducem Tusciæ, & Ottam Abbatissam Sancti Salvatoris, sive Sanctæ Juliæ Brixianæ pro Curte Miliarina & Sermeta, Anno 1052.

A*Nno ab Incarnacione Domini nostri Jesu Christi Milleximo Quinquageximo Secundo*. Enricus *gratia Dei* Imperator Augustus, *Anno Imperii ejus Sesto*, *IV. Kalendas Aprilis*, *Indictione Quincta Tibi* Domna Ottane Abbatipsa de Monasterio Domini Salvatoris, & Sanctæ Juliæ, quæ dicitur Novo, & est fundatum infra Civitatem, Brisia. *Ego in Dei nomine* Bonefacio Marchio, *qui professo sum ex natione mea Lege vivere* Langobardorum, *presens presentibus dixi: Promitto & spondeo me ego, qui supra Dominus Bonefacio, una cum meis filiis, filiabus, vel heredibus, ut amodo nullanquam in tempore non abeamus licentiam nec potestatem per nullumvix ingenium, nullamque occasione, quod fieri potest, agere nec caussare adversus te, quæ supra, Domna Otta Abbatipsa, tuisque Successatrices, seu pars prædicto Monasterio*: nominative de Curte, que dicitur Miliarina, & Sermetha, *cum casis cunctis, aris, campis, vineis, pratis, pascuis, silvis, stalareis, ripis, rupinis, ac palutibus, molendinis, & piscationibus &c. in integrum. Dicendumque mihi, qui supra Domnus Bonefacio Marchio aliquit perteneat, nec pertenere debead, set omni tempore ego, & meis filiis, filiabus, vel heredibus exinde tacitis sint, & permanere debead. Quot si amodo aliquando tempore ego, qui supra Domnus Bonefacio Marchio aut meos heredes tibi, cui supra, Domna Otta Abbatipsa, tuisque Successatrices, seu pars predicto Monasterio, aut cui pars predicto Monasterio dederit, de predicta Curte, que superius, agere vel caussare, aut removere presumserimus, & tacitis exinde omni tempore non permanserimus, vel si aparuerit &c. tunc componere promitto me ego, qui supra, Domnus Bonefacio Marchio una cum meos heredes tibi, cui supra Domna Otta Abbatipsa, tuisque Successatrices, seu a pars predicto Monasterio dubla querimonia, unde agerint, aut causaverint, & insuper pena argenti denariis bonis Papiensis Libra centum. Quidem & ad anc infirmandam promissionis Cartulam accepi ego, qui supra, Domnus Bonefacio Marchio ad te jam dicta Domna Otta Abbatipsa exinde Launehil Capelo uno, ut ec mea promissione omni tempore firma & stabilis permaneat, atque persistad.*

Actum in Civitate Mantue in Palacio eidem Marchionis Bonefacii feliciter.

Signum manibus ✠ ✠ ✠ ✠ Tedaldi, & Ugoni de Tucingo, seu Landulfi, atque Giselberti rogatis testes.

Ego Ardingus Judex & Notarius sacri Palatii scripsi, postradita complevi & dedit.

Hanc eandem refutacionem confermavit Domna Matildis Comitissa, *suá Curiá plená in loco Carpe, presente Opizone Advocato.*

Ecclesias quoque complures sibi subjectas, easque interdum Parochiales, Monasteria Virginum possidebant. Et quot a suo jure pendentes recenseret olim *Monasterium Majus* Mediolanense, ubi adhuc sacratæ Deo puellæ habitant, e subsequenti Bulla intelliges, quam ex collectaneis MStis Clariss. Puricellii excerpsi.

Eugenius Papa III. Abbatissæ Monasterii Majoris Mediolanensis ejusque Cœnobio, omnia illius jura & bona confirmat, Anno 1148.

EUgenius Episcopus *servus servorum Dei*, *dilectis in Christo filiabus* Margaritæ Abbatissæ Sancti Mauritii Monasterii Majoris, *ejusque Sororibus tam præsentibus quàm futuris, regularem vitam professis in perpetuam memoriam. Pia postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, ut devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Ea propter, dilectæ in Domino filiæ, vestris justis postulationibus clementer annuimus, ut præfatum Monasterium, in quo divino mancipatæ estis obsequio, sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut quascunque possessiones, quæcunque bona idem Monasterium in præsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis & his, quæ post vos successerint, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:* Ecclesiam Sanctæ Mariæ ad Circulum; Ecclesiam Sancti Petri in Vinea; Ecclesiam Sancti Quirici; Ecclesiam Sanctæ Valeriæ *cum pertinentiis suis: Curtem de Aroxio* cum Ecclesia Sancti Nazarii, & Ecclesia Sancti Petri: *Curtem de Circlate: Curtem de Purletia: Castrum de Robiate, cum pertinentiis suis: Possessiones, quas idem Monasterium habet in Varedeo, in Magnicago, in Septimo, in Baradaglo, in Legniano, in Arconate, in Pistirago, & in Fazione: Braidam de MonteVulpe: Braidam, quæ dicitur Ticinello, & alia, quæ idem Monasterium possidet in Gardesana, in Valle de Bubleidira, & in Ulmeto, & in Valle Sarriana, cum suis honoribus, & aliis omnibus supradictorum pertinentiis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum Monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare: sed omnia integra conserventur earum, pro quarum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ Sedis Apostolicæ auctoritate, & Mediolanensis Archiepiscopi canonicâ justitiâ. Si qua igitur in futurum &c.*



Ego Eugenius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

BENE VALETE

✠ *Ego Hubaldus Presbyter Cardinalis tituli Sanctæ Praxedis subscripsi.*
Ego Hubaldus Presbyter Cardinalis tituli Sancti Johannis & Pauli subscripsi.
Ego Aribertus Presbyter Cardinalis tituli Sanctæ Anastasiæ subscripsi.
Ego Jordanus Presbyter Cardinalis tituli Sanctæ Susannæ subscripsi.
Ego Octavianus Diaconus Cardinalis Sancti Nicolai in Carcere Tulliano subscripsi.
Ego Johannes Papirio Diaconus Cardinalis Sancti Adriani subscripsi.
Ego Gregorius Diaconus Cardinalis Sancti Angeli subscripsi.
Ego Guido Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Porticu subscripsi.
Ego Jacintus Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Cosmedin subscripsi.

Datum Brixiæ per manum Guidonis Diaconi Cardinalis & Cancellarii, IV. Kalendas Augusti, Indictione XI. Incarnationis Dominicæ Anno Millesimo Centesimo Quadragesimo Octavo, Pontificatus verò Domni Eugenii Papæ Tertii Anno Tertio.

Et quoniam facta heic mentio est *Ecclesiæ Sanctæ Mariæ ad Circulum*, quæ inter Parochiales Mediolani adhuc numeratur, præterire nolo controversiam, quæ inter Abbatissam ejusdem Monasterii Majoris, & Vicinos ipsius Ecclesiæ, agitata, eo ipso Mense Julio Anni MCXLVIII. quo data est Eugenii Papæ Bulla, diremta est per Galdinum Cancellarium Oberti Mediolanensis Archiepiscopi, eum nempe, qui Sedem postea Mediolanensem tenuit, & Sanctorum catalogo adscriptus fuit. Ex eisdem Collectaneis MStis Puricellianis Cartam hanc depromsi.

Sen-

Sententia Oberti Mediolanensis Archiepiscopi in controversia de electione Parochi Ecclesiæ Sanctæ Mariæ ad Circulum, agitatâ inter Abbatissam Monasterii Majoris & Parochianos ipsius Ecclesiæ, Anno 1148.

OBertus *Dei gratiâ sanctæ* Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus *dilectæ in Christo filiæ* Margaritæ Monasterii Majoris Abbatissæ, *ejusque Sororibus salutem*. *Scriptum est*: Si verè utique justitiam loquimini, recte judicate, filii hominum. *Et Alibi*: Beati, qui custodiunt judicium, & faciunt justitiam in omni tempore. *His itaque auctoritatibus communiti, discordiæ inter Abbatissam Majoris Monasterii*, Vicinosque Ecclesiæ beatæ Mariæ, quæ dicitur ad Circulum, *diutius agitatæ, debitum studuimus imponere finem. Controversia autem hæc erat: Prænominati siquidem Vicini, quod de jure sibi competeret Sacerdotem vel Clericum, qui illi Ecclesiæ beatæ Mariæ deserviret, petere, vel eligere, & ipsam electionem solummodo Domno Archiepiscopo, & nullatenus Abbatissæ repræsentare, ut ab eo confirmaretur, asserere nitebantur. Adversa autem pars eorum refellens intentionem, prænominatam beatæ Mariæ Ecclesiam ad jus & dominium jam dictæ Abbatissæ, ejusque Sororum spectare, ita quod inibi Sacerdotes vel Clericos inconsultis Vicinis libere, & sine eorum contradictione ponere possit & debeat, pluribus inductis rationibus allegabat. Nos itaque hanc litem dirimere, & cuique jus suum servare volentes, utrique parti terminum præfiximus; ad quem prædicti Vicini ante nos venientes, & adversam partem nullatenus rationabiliter improbantes, a tramite veritatis deviantes, in suis defecerunt petitionibus. Quibus propterea uti ad plenum, si quam in hac causa justitiam haberent, dignosceremus, eisdem alias quasi ex abundantia dedimus inducias. Ipsi verò tamquam Dei justitiâ diffidentes, nostrum subterfugiendo judicium, per contumaciam se absentaverunt. Abbatissa autem tamquam innocens, & ut absolveretur, ad judicium properans ad nos venit, parata nostræ obedire sententiæ. Communicato itaque cum Fratribus nostris consilio, cum scriptum sit, quod* absentes per contumaciam, ut nihil de suâ lucrentur contumacia, tamquam præsentes judicentur; Galdino Cancellario nostro, *uti hanc promulgaret sententiam, injunximus. Qui nostro parens mandato, inquit. Si Abbatissa Majoris Monasterii per Advocatum suum juramento præstito affirmaverit, quod Ecclesia beatæ Mariæ, quæ dicitur ad Circulum, sua sit, ita quod in ipsa Ecclesia Sacerdotes vel Clericos, qui in Ecclesia illa divina celebrent officia sine consilio præfatorum Vicinorum vel consensu, ponere, collocare possit & debeat, amodo Ecclesia illa in dominio & potestate illius Abbatissæ & aliarum, quæ pro tempore fuerint in Monasterio illo, perpetuo jure permaneat, eamdemque sicuti Ecclesiam suam de cetero disponat & ordinet. Ibique sæpe dictæ Abbatissæ Advocatus, Obizo nomine, sicut in sententia fuerat promulgatum, juramento firmavit. Insuper etiam Guilielmus Cacainarca, & Ambrosius Greppus, Scutolinus Butraffus, de suprascripta Ecclesia in nostra manu per se & per alios Vicinos, finem fecerunt, & nos eam vice sæpe nominatæ Abbatissæ suscepimus.*

Actum est hoc, Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Centesimo Quadragesimo Octavo, Mense Julii, Indictione Undecima.

Ego Obertus Archiepiscopus *subscripsi.*
Ego *Tedaldus Archipresbyter subscripsi.*
Ego *Anselmus indignus Diaconus interfui & subscripsi.*
Ego Wilielmus *Diaconus subscripsi.*
Ego *Jordanus Diaconus subscripsi.*

Locus Sigilli ✠ Archiepiscopalis.

Præcipue verò post Annum a Christo nato Millesimum consuevere Sanctimoniales non minori solicitudine, quàm Monachi, comparare sibi patrocinium, summe semper venerandum, Apostolicæ Sedis: quod Pontifices numquam denegabant, intacto tamen jure aut Episcoporum, aut Abbatum, quibus Asceteria illa suberant. Proinde ingens copia ejusmodi Bullarum in sacrarum puellarum Archivis antiquis occurrit: aliis enim nunc moribus vivimus. Quod autem in ejusmodi Bullis sive Privilegiis animadvertas velim, hac sæpe formulâ Pontifices utuntur: *Præterea liceat vobis Viros & Mulieres liberas & absolutas, quæ sui compotes se Monasterio vestro reddere voluerint, ad Conversionem recipere, & in Monasterio vestro sine contradictione qualibet retinere.* Exemplum accipe a nobili Monasterio Lucensi Sanctæ Justinæ, ubi autographum a me visum adservatur.

Bulla

Bulla Alexandri III. Papæ pro Asceterio Sanctimonialium Lucensium Sanctæ Justinæ, ejusque Abbatissa Cæcilia, Anno 1175.

ALexander Episcopus, *servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus* Cecilie Abbatisse Sancte Justine Lucane, *atque Sororibus tam presentibus quàm futuris, Monasticam vitam professis in perpetuum. Prudentibus Virginibus, quæ sub habitu Religionis accensis lampadibus per opera sanctitatis jugiter se preparant ire obviam sponso, Sedes Apostolica debet presidium impertiri. Eapropter, dilecte in Domino filie, vestris justis postulationibus clementer annuimus, &* prefatum Monasterium, *in quo divino estis obsequio mancipatæ*, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, *& presentis scripti Privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes, ut Ordo Monasticus, qui secundùm Deum, & beati Benedicti Regulam in eodem Monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones &c. in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Possessiones verò & bona, que idem Monasterium infra Civitatem Lucanam vel extra habet, videlicet libellaria & tenimenta in loco Flexo & in eius finibus, in Vico Solari & in ejus finibus, & in Marlia & ejus finibus, in Lammari, in Tassignano, in Capannore, in Paganico, in Antraccole, & eorum finibus, in Vico Moriano, in Arepentina, in Plebe de*

A *Turre, & in ejus finibus, in Plebe Monasterii Sigeradi, in Plebe Sancti Stephani & in ejus finibus, in Plebe Sancti Macharii & in ejus finibus, in loco Caprili & in ejus finibus, in loco Avane & in ejus finibus, quas Avanenses ab ipsa Ecclesia detinuerunt & detinent, in Plebe de Computo & in ejus finibus, in Calcinaria, in Valivo, in Gallicano, in Alverni, in Ponte Colphi, in Filiciis, in Saxorossi, in Castro Falfi.* Preterea liceat vobis, Viros & Mulieres liberas & absolutas, que sui compotes se Monasterio vestro reddere voluerint, ad Conversionem recipere, & in Monasterio vestro sine contradictione qualibet retinere. *Statuimus etiam, ut nulla persona vos vel Mona-*

B *sterium vestrum sine manifesta & rationabili causa, Interdicti audeat sententiam promulgare. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Abbatissa, vel tuarum quarumlibet succedentium, nulla ibi qualibet subreptionis astutiâ vel violentiâ præponatur, nisi quam Sorores communi consensu, vel Sororum pars sanioris consilii secundùm Dei timorem & beati Benedicti Regulam previderint eligendam. Cum autem commune Interdictum Terre fuerit, liceat vobis clausis januis, non pulsatis campanis, exclusis interdictis & excommunicatis, suppressâ voce divina Officia celebrare. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum &c.*



Ego Alexander Catholice Ecclesie Episcopus subscripsi.

Ego Hubaldus Hostiensis Episcopus subscripsi.
Ego Bernardus Portuensis & Sancte Rufine Episcopus subscripsi.
Ego Johannes Presbiter Cardinalis Sanctorum Pauli & Pammachii subscripsi.
Ego &c.

Datum Anagnie per manum Gratiani sancte Romane Ecclesie Subdiaconi & Notarii, XVIIII. Kalendas Februarii, Indictione VIIII. Incarnationis Dominice Anno MCLXXV. Pontificatus verò Donni Alexandri Papæ Tertii Anno XVII.

Sæpe verò Lector in hoc ipso Opere animadverterit Romanorum Pontificum Bullas, quibus Monachorum Cœnobia suo patrocinio fovebant. Ibi etiam hæc formula occurrit: *Liceat quoque vobis Clericos vel Laicos, liberos & absolutos, e Sæculo fugientes, ad Conversionem recipere, & eos absque contradictione ali-*

C *qua retinere*. Et ne Lectori opus sit, alibi expiscari, quod nunc commemoro, exemplum moris hujus proferam ex Archivo Monasterii Benedictinorum Sancti Bartholomæi, siti in agro Astensi ad Tanarum fluvium duobus ab Urbe passuum millibus, de quo nulla mentio in Annalibus Benedictinis Mabillonii.

Innocentii IV. Papæ Bulla pro Monaſterio Sancti Bartholomæi de Azano Aſtenſis Diœceſis, Anno 1247.


INnocentius Epiſcopus, *ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis* Abbati Sancti Bartholomei de Azano, *ejuſque Fratribus tam preſentibus quàm futuris, regularem vitam profeſſis, in perpetuum. Religioſam vitam eligentibus, Apoſtolicum convenit adeſſe preſidium, ne fortè cujuslibet temeritatis incurſus aut eos a propoſito revocet, aut robur (quod abſit) ſacre Religionis infringat. Ea propter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, &* Monaſterium Sancti Bartholomei de Azano Aſtenſis Diœceſis, in quo divino eſtis obſequio mancipati, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, *& preſentis ſcripti privilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes, ut Ordo Monaſticus, qui ſecundùm Deum & beati Benedicti Regulam in eodem Monaſterio inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Preterea quaſconque poſſeſſiones, queconque bona idem Manaſterium impreſentiarum juſte ac canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, preſtante Domino, poterit adipiſci, firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, locum ipſum, in quo prefatum Moniſterium ſitum eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis: Eccleſiam Sancti Stephani de Boſco; Sancti Petri de Vico, Sancti Georgii de Caaſano, Sancti Geneſii de Monteacuto, & Sancti Michaëlis de Sancto Stephano Eccleſias, cum Parochiis, decimis, & pertinentiis earumdem; Sancti Angeli, & Sancti Petri de Mixo, Sancti Martini de Cortacomario, & Sancti Severii de Varixio Eccleſias, cum Parochiis, decimis, & pertinentiis earumdem; Sancti Nazarii de Viano, Sancti Meliani de Rocheta, Sancti Michaëlis de Azano, & Sancti Petri de Monte Eccleſias, cum Parochiis, decimis, & perticentiis earumdem. Villam de Azano cum pertinentiis ſuis. Poſſeſſiones, quas habetis in Villis de Quatuordecim, de Nono, de Montegroſſo, Montealto, Scrizolengo: & de Caſtagnolejis, cum pratis, terris, vineis, nemoribus, uſuagris, & paſcuis in boſco & in plano, in aquis & molendinis, in viis & ſemitis, & omnibus aliis libertatibus, & immunitatibus ſuis. Sane novalium veſtrorum, que propriis manibus aut ſumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percipit, ſive de veſtrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere, vel extorquere preſumat.* Liceat quoque vobis, Clericos vel Laycos, liberos & abſolutos, e ſeculo fugientes ad Converſionem, recipere, & eos abſque contradictione aliqua retinere. *Prohibemus inſuper, ut nulli Fratrum veſtrorum poſt factam in Monaſterio veſtro profeſſionem faſſit ſine Abbatis ſui licentiá, niſi arctioris Religionis optentu, de eodem loco dixedere. Diſcedentem verò abſque communium literarum veſtrarum cautione nullus audeat retinere.*

Cum autem Generale Interdictum Terre fuerit, liceat vobis clauſis janius, excommunicatis & interdictis excluſis, non pulſatis campanis, dummodo cauſam non dederitis Interdicto, ſuppreſsâ voce divina officia celebrare. Criſma verò, Oleum ſanctum, Conſecrationes Altarium, ſeu Baſilicarum, Ordinationes Clericorum, qui ad Ordines fuerint promovendi, a dioceſano ſuſcipietis Epiſcopo, ſi quidem Catholicus fuerit, & gratiam & communionem ſacroſancte Romane Sedis habuerit, & ea vobis voluerit ſine pravitate aliqua exibere. Prohibemus inſuper, ut infra fines Parrochie veſtre nullus ſine aſſenſu dioceſani Epiſcopi & veſtro, Capellam ſeu Oratorium de novo conſtruere audeat: ſalvis Privilegiis Pontificum Romanorum. Ad hec novas & indebitas exactiones ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, Decanis, ſeu Archidiaconis, aliiſque omnibus Eccleſiaſticis, Secularibuſve perſonis a vobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe decernimus, & eorum devotioni, & extreme voluntpati, qui ſe illic ſepelliri deliberaverint, niſi fortè excommunicati vel interdicti ſint, aut eciam publice uſurarii, nullus obſiſtat: ſalvâ tamen juſticiâ illarum Eccleſiarum, a quibus mortuorum corpora aſſumuntur. Decimas preterea, & poſſeſſiones, ad jus Eccleſiarum veſtrarum ſpectantes, que a Laycis detinentur, redimendi & legitime liberandi de manibus eorum, & ad Eccleſias, ad quas pertinent, revocandi, libera ſit vobis de veſtra auctoritate facultas. Obeunte verò te, nunc quidem loci Abbate, vel tuorum quolibet Succeſſorum, nullus ibidem qualibet ſurreptionis aſtutiâ ſeu violentiâ preponatur, niſi quem Fratres communi conſenſu, vel Fratrum major pars conſcilii ſanioris ſecundùm Deum & beati Benedicti Regulam, providerint eligendum. Paci quoque & tranquillitati veſtræ paternâ in poſterum ſolicitudine providere volentes, auctoritate Apoſtolica prohibemus, ut infra clauſuras locorum, ſeu Grangiarum veſtrarum, nullus rapinam ſeu furtum facere, ignem apponere, ſanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, ſeu violentiam audeat exercere. Preterea omnes libertates & immunitates a predeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus Monaſterio veſtro conceſſas, necnon libertates & exemptiones ſecularium exactionum a Regibus & Principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate Apoſtolicâ confirmamus, & preſentis ſcripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum Monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare; ſed omnia integra conſerventur eorum, pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura: ſalvâ Sedis Apoſtolicæ auctoritate, & dioceſanorum Epiſcoporum canonicâ juſtitiâ, & in predictis Decimis moderatione Concilii generalis. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica, Seculariſve perſona ac noſtre conſtitutionis paginam

ginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congruâ satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri A *Jhesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte subjaceat ultioni. Contis autem eidem Loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jhesu Christi, quatenus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud districtum Judicem premia eterne pacis inveniant. Amen: Amen: Amen.*



Ego Innocentius Catholice Ecclesie Episcopus *subscripsi.*



 *Ego Petrus titulo Sancti Marcelli Presbiter Cardinalis subscripsi.*

 *Ego Frater Johanes titulo Sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis subscripsi.*

 *Ego Frater Hugo titulo Sancte Sabine Presbyter Cardinalis.*

 *Ego Oto Portuensis, & Sancte Rufine Episcopus subscripsi.*

 *Ego Johannes Sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis subscripsi,*

 *Ego Willelmus Sancti Eustachii Diaconus Cardinalis subscripsi.*

Datum Lugduni, per manum Magistri Marini sancte Romane Ecclesie Vicecanzellarii, Sexto Kalendas Augusti, Indictione V. Incarnationis Dominice Anno MCCXLVII. Pontificatus verò Domini Innocentii Pape IV. Anno Quinto.

Antiquis temporibus *Conversionis* nomen significabat, Monasticæ se tradere vitæ, & ejurato Sæculo, sacroque habitu assumto, ibi Deo militare. Quod Monachis liceret *Laicos vel Clericos viros*, non Servos *e Sæculo fugientes ad Conversionem recipere*, quàm æquitati & Religioni consonum sit, nemo non intelligit. At quei licebat Sanctimonialibus quoque non *Mulieres* tantum, sed & *Viros, qui se Monasterio vestro reddere voluerint, ad Conversionem recipere, in Monasterio retinere?* Horret hoc animus. At noveris, olim sacrarum etiam Virginum Collegia quibusdam Laicis viris usa fuisse ad famulitium suum, & ad Monasterii negotia. Pariter & isti Monasticum habitum deferebant, & *Conversi* appellabantur, eratque eorum domicilium extra Monasterii claustra, ita ut inservirent Sanctimonialibus eâdem cautelâ, qua nunc tot Seculares famuli extra Monasterium habitantes ad subsidium Monialium adhibentur. Hæc ejus formulæ interpretatio. Quare progrediamur. Denique Ritus in sacrandis mulieribus non olim minus quàm nunc, solemnes fuere. Et triplex quidem earum genus agnovere veteres. Primum fuit Virginum Monasterio alicui addictarum; alterum Virginum domi suæ castitatem Deo obligatam custodientium; tertium Viduarum; quibus quartum addere potes, nempe *Diaconas* seu *Diaconissas*, quarum nomen præsertim apud Græcos celebre fuit, & adhuc specimen Mediolani perdurare videtur in *Veglonissis* Metropolitano Templo famulantibus. Atto Vercellensis Episcopus Sæculo Christi Nono in Epistol. 8 apud Dacherium *illas*, ait, *Diaconas putaremus, quæ ætate senili devictæ, religiosam vitam cum castitate servantes, oblationes* B *Sacerdotibus offerendas fideliter præparant, ad Ecclesiarum limina excubant, pavimenta detergunt.* Certe Viduas Deo sacratas a Diaconissis distinctas non semel reperi. Diaconissæ vero eligebantur non ex Viduis tantùm, sed & ex Virginibus. Ad unam ex hisce Diaconissis pertinet Inscriptio Ticinensi in Urbe descripta a Cl. V. & doctissimo amico meo D. Gaspare Beretto Monacho Benedictino.

HIC IN PACE REQVIESCIT B. M.
THEODORA DIACONISSA QVÆ
VIXIT IN SECVLO ANNOS PL. M.
C XLVIII. D. XI KAL. AVG. V. P. C.
PAVLINI JVN. V. C. IND. II.

Annus Quinctus *Post Consulatum Paulini Junioris* indicat Annum Christi DXXXIX. quem etiam designatum videas ab *Indictione II.* decurrente eodem Anno. Vetustissimus autem Ritualis Liber adservatur in Casanatensi Bibliotheca, illâ videlicet, quæ ad Cœnobium Romanum PP. Prædicatorum Sanctæ Mariæ ad Minervam translata, copiâ Librorum typis D editorum reliquis non tantùm Urbis sed & Italiæ præstat. Ibi Ritus recensentur observandi in Benedictione ejusmodi mulierum, item in Ordinatione Abbatissæ. Hos omnes in Eruditorum commodum apponere statui, iis adjungendos, quos jam Clarissimus P. Martene publici juris fecit.

,, Consecratio Sacræ Virginis , quæ in Epi-
,, phania , vel in festis Paschalibus ,
,, aut in Apostolorum Natalitiis
,, celebratur ,

V*Irginem Episcopo Parentes cum oblatione offerant : & ille involutam manum ejus in pallio Altaris recipiat , dicendo cum adstantibus :* Ipsi sum desponsata .

Ex Canone Carthaginensi , Cap. XI. Sanctimonialis Virgo quum ad Consecrationem sui Episcopi offertur , talibus vestibus applicetur , qualibus semper usura est , professioni & sanctimoniæ aptis .

Horá siquidem competenti procedat Episcopus sicut mos est solemnibus diebus ad Missam , cum processoribus suis , & imponatur . . . . ad inter . . . . & agatur officium Missæ ordine suo usque ad Euangelium . Tunc veniet illa , quæ consecranda est , ante Altare coram Ecclesia , palamque in conventu cum adstipulatore suo , cujus licentiâ Religionis habitum est susceptura . Et dato ei assensu , offerantur vestimenta Religionis , & velamina ante Altare Episcopo ad benedicendum in conspectu omnium ; & benedicat eam publice in hunc modum :

Benedictio velaminum vel vestimentorum : Deus æternorum bonorum *&c. ut in Pontificali.* Domine Deus *&c. ut in Pontificali .* Exaudi Domine preces nostras , & hanc Vestem , quam famula tua N. pro conservandæ castitatis signo se ad operiendam exposcit , ubertim *&c.* ut supradictæ famulæ tuæ N. hæc sit vestis salubris protectio *&c.* defensio , ut si continens est , sexagesimi fructus dona accipiat , & si virgo , centesimi muneris opulentiâ , in utraque parte perseverante continentiâ ditetur , per *&c. ut in Pontificali .*

Item singularis benedictio sacri Velaminis : Caput omnium fidelium Deus *&c. ut in Pontificali .*

Hoc facto ipsa Virgo , Veste laicali de capite reverenter abjectâ , recipiat ab Episcopo sacræ Religionis indumenta , excepto Velo : & ingressa secretarium , vestiatur : postea sub aspectu Episcopi & Ecclesiæ suppliciter prosternat se ante Altare , dicens hunc versum tribus vicibus : Suscipe me Domine *&c. Et imponat Schola lectionem . Finitá verò lectione , postquam surrexerit , inclinato capite ante altare , benedicat eam Episcopus his verbis :* Dominus vobiscum . *Respondeatur :* Et cum spiritu tuo . Oremus : Respice , Domine , propitius super hanc famulam tuam N. ut virginitatis suæ propositum , quod te inspirante suscepit , te gubernante custodiat per *&c. Deinde dicat excelsâ voce :* Per omnia sæcula sæculorum . *Respondeatur* Amen. *Sequitur Consecratio in modum Præfatii :* Deus castorum corporum benignus habitator , & incorruptarum amator animarum *&c. ut in Pontificali usque ad illa verba* castitate permaneat .

Benedictio explicit : & ad interrogationem Episcopi de observatione sacri Velaminis illa coram , professa Episcopi mittat Velamen super caput ipsius Virginis , dicens : Accipe Velamen sacrum , Puella , quod perferas sine macula ante Tribunal Domini nostri Jesu Christi , cui flectitur omne genu cælestium , terrestrium , & infernorum , in secula seculorum . *Respondetur .* Amen . *Tunc ipsa velata incipit antiphonam :* Induit me Dominus ciclade , *antiphonam ceteris Sanctimonialibus , quæ circumstant , prosequentibus . Et*

A *si plures fuerint velatæ , per singulas incipiatur eadem antiphona , ut supra . Oratio post assumtum Velum .* Famulam tuam , Domine , tuæ custodia muniat pietatis , ut continentiæ sanctæ propositum , quod te inspirante suscepit , te protegente illæsum custodiat , per *&c. Sequitur antiphona :* Ipsi . . . . Da , quæsumus , omnipotens Deus , ut hæc famula tua , quæ pro spe retributionis æternæ tibi Domino desiderat consecrari , plenâ fide animoque in sancto proposito permaneat . Tu eam , omnipotens Pater , sanctificare & benedicere , & in perpetuum conservare digneris . Tribue ei humilitatem , castitatem , obedientiam , caritatem , & omnium

B bonorum operum quantitatem . Da ei , Domine , pro operibus gloriam , pro pudore reverentiam , pro pudicitia sanctitatem , ut ad meritum possit gloriæ pervenire . *Tunc cantatâ antiphonâ :* Posuit signum in faciem meam , *dicit Episcopus bene . . . . Matthæi Apostoli super eam .* Deus plasmator *&c.* Omnem etiam genuinum calorem *&c. ut in Pontificali .*

Ad Annulum . Accipe Annulum Fidei , signaculum Spiritus Sancti , ut Sponsa Dei voceris , si ei fideliter servieris .

Ad Torquem : Accipe signum Christi in capite , ut uxor ejus efficiaris , & si in eo permanseris , in perpetuum coroneris . *Interius*

C *dicatur antiphona :* Annulo suo subarrhavit *&c.*

Sequitur Benedictio : Benedicat te Conditor cæli & terræ Deus Pater omnipotens , qui te eligere dignatur ad Sanctæ Matris Domini nostri Jesu Christi consortium , ut integram & immaculatam Virginitatem , quam professa es coram Domino & Angelis ejus conserves , propositum teneas , castitatem diligas , patientiam serves , & coronam Virginitatis accipere merearis , per *&c. Deinde publica voce bannum Episcopalem imponat , ne quis eam a divino servitio sub . . . castitatis impediat , & ut bona sua . . . pace & quiete possideat . Tunc imponatur Euangelium , ut*

D *illa velato capite ad manus Episcopi offerat , & Missa ordine suo . . . . communicet . Post quam communicet & reservet de ipsa communione , unde usque in diem octabum communicet . Et si est , qui ei testimonium perhibuit , mittat eam Episcopus in manus suas , dicens :* Vide , quomodo illam Deo sacratam repræsentes immaculatam ante tribunal Domini nostri Jesu Christi .

Item Missa in . . . . Virginis : Tibi dixit cor meum *&c. Psalmus :* Dominus illuminatio *&c.* Da , quæsumus , Domine , ancillæ tuæ , quam virginitatis honore dignatus es decorare , inchoati operis consummatum effectum , & ut perfectam tibi offerat pleni-

E tudinem , initia sua perducere mereatur ad finem , per *&c. Psalmus :* Miserere mei *&c. Versiculus :* Misit de cælo *&c. Alius Versiculus :* Lauda , anima mea , Dominum *&c.* Oblatis hostiis , Domine , quæsumus , præsenti famulæ perseverantiam perpetuæ virginitatis accommoda , ut apertis januis summi Regis thalamum cum lætitia mereatur introire , per *&c. Offertorium :* Sperent in te omnes *&c* . Hanc igitur oblationem famulæ tuæ , quam tibi offert ob diem natalis sui , in quo eam tibi socians sacro Velamine protegere dignatus es , quæsumus , Domine , propitiatus intende , ut tibi Domino ac sponso suo venienti cum lampade

pade inextinguibili placitura occurrere mereatur. Domine Deus æterne, qui utrumque sexum de interitu perpetuæ mortis, per Jesum Christum filium tuum, de Maria Virgine natum, misericorditer redemisti, hanc famulam tuam, devotâ mente tibi servientem, omni benedictione speciali benedicere dignare. *Respondetur*: Amen. Ut integram fidem habeat, & in præceptis Legis tuæ semper perseveret, terrena & transitoria despiciat, æterna & invisibilia intentâ meditatione diligat. *Respondetur*: Amen. Ut in numero sacrarum Virginum permanens, cælesti sponso cum lampadibus bonorum operum fiducialiter occurrere, ipso te præstante, mereatur. *Respondetur*: Amen. Respice, Domine, famulæ tuæ, tibi debitam servitutis *&c.* Notas sibi fecit virtutes, ut jam humanæ fragilitatis incerta, nulli adversitatibus opprimatur, quæ de tua protectione confidit, per *&c.*

„ Ordinatio Abbatissæ, Canonicam Regulam „ profitentis.

IN *ordinatione Abbatissæ Episcopus debet Missam canene, & eam benedicere hoc modo. Post antiphonam ad Introitum, & datâ Oratione, & reliquo officio Missæ usque ad Euangelium, prosternat se Electa ante Altare cum duabus, vel tribus de Sororibus suis; fiantque ibi Letaniæ. Quibus finitis, benedicat eam Episcopus inclinato capite, dicens*: Dominus vobiscum. *Respondeatur*: Et cum spiritu tuo. *Sequitur Oratio*. Oremus. Exaudi, Domine, preces nostras, & super hanc famulam tuam spiritum tuæ benedictionis emitte, ut cælesti munere ditata, & tuæ gratiâ majestatis possit acquirere, & bene vivendi aliis exemplum præbere, per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum *&c.* Omnipotentiam tuam, Deus, humiliter imploramus, ut super hanc famulam tuam, quam ad sacrum ordinem assumere dignatus es, benedictionis tuæ donum dignanter infundas, eique gratiam consecrationis attribuas, ut quod te donante percipit, te protegente inlæsum custodiat, per *&c.* *Tunc dicat in altum*: Per omnia secula seculorum. *Respondeatur*: Amen. Dominus vobiscum. *Respondeatur*: Et cum spiritu tuo. *Et prosequatur istam Orationem in modum Præfatii*: Domine Sancte Pater, omnipotens æterne Deus, adesto precibus, adesto votis, adesto famulationibus, adesto consecrationibus; qui omnia per verbum virtutis tuæ mirabiliter dispensas, & dispensanda ministras; qui diversis floribus tuam semper exornas Ecclesiam, dum eam & Virorum exemplis, & illustrium Feminarum irradias institutis; qui etiam de infirmiori sexu hanc famulam tuam servitutis tuæ applicare dignatus es famulatui: effunde, quæsumus, Domine, super hanc famulam tuam, quam in officium divinum fideliter dedicamus, gratiam Spiritus Sancti, ut tibi omnium temporum servitus dignanter complaceat; eamque dextrâ potentiæ tuæ benedicere & sanctificare, sive consecrare digneris in opus ministerii tui condignum, quatenus actum ministrationis sibi creditæ fideliter exsequatur, & ejusdem Sancti Spiritus septiformis gratiæ virtute corroboretur. Requiescat ergo super eam, precamur, Domine, spiritus sapientiæ & pietatis: ac repleas eam spiritu timoris tui. Concede ei quoque gravitatem actuum, censuramque

A vivendi, ut in Lege tua die ac nocte meditetur, mandata tua custodiat, dictis tuis obediat, sacris lectionibus insistat, terrena, & transitoria despiciat, atque omni tempore bonis operibus inserviat, omnem libidinem pravæ voluptatis superet; amorem honestæ castitatis teneat, ut tibi sponso venienti cum lampadibus suis inextinguibilibus possit occurrere, & præcedentium Virginum Choro jungi; & nec cum stultis excludatur, sed regalem januam cum sapientibus Virginibus licenter introëat. Abundet in ea totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiæ puritas, & specialis observantia disciplinæ. In moribus, ejus præcepta tua

B fulgeant, ut suæ castitatis exemplo cunctis sibi subditis imitationem præbeat pura, & bonum conscientiæ testimonium ostendens, in Christo Jhesu firma & stabilis perseveret, atque ita perceptum ministerium te auxiliante peragat, qualiter ad æternam remunerationem te donante pervenire mereatur, per eumdem &c.

Tunc det ei Regulam, dicens: Accipe Regulam sanctæ conversationis, simulque gratiam divinæ benedictionis, & ut per hanc cum grege tibi credito in districti Judicii die Domino incontaminata repræsentari valeas, ipse te adjuvare dignetur, qui cum Deo Patre & Spiritu Sancto *&c.* *Sequitur Oratio*: Domine Deus omnipotens *&c.* quæ hodie materna

C in cathedra super universas subditas sibi Abbatissa constituitur, ut in canonica norma tueatur *&c. ut in Pontificali*. Famulam tuam, quæsumus, Domine, tua semper gratia benedicat, & inculpabilem ad vitam perducat æternam, per *&c.* *Quod si ordinatio in Domo sua facta fuerit, imponatur* Te Deum laudamus; *Populo acclamante*: Kyrie eleison. *Postea dicatur hæc Oratio pro adepta dignitate*: Omnium, Domine, fons bonorum *&c. ut in Pontificali. Item si alibi consecrata fuerit, regressæ ad Monasterium omnis chorus Virginum honorifice præcedat ei obviam cum Crucibus, Aquâ benedictâ, Incenso, & Euangelio, & in ipso Ecclesiæ introitu imponat* Te Deum

D laudamus, *turbâ acclamante* Kyrie eleison, *& Presbytero prosequente Orationem, ut supra*: Omnium, Domine, fons *&c.*

„ Consecratio Virginum, quæ a Sæculo con- „ versæ in domibus suis susceptum „ castitatis Habitum privatim „ observare voluerint.

B*enedictio Velaminum. Require retro in Consecratione Virginis. Ancilla Dei Virgo quum ad Consecrationem sui Episcopi offeratur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper usura est, professioni & sanctimoniæ aptis. Procedente igitur Episcopo ad*

E *officium Missæ more sollempni, imponatur antiphona ad Introitum, & cetera usque ad Euangelium. Ante Euangelium verò professa de Religiosi habitus observatione perpetuâ, prosternatur ante Altare toto corpore, obsecrans intenta Consecrationum Largitorem. Et imponat Schola lectionem: qua finitâ, eâdemque Ancillâ Dei erectâ, & humiliter ante Altare nudo capite inclinatâ, Episcopus dicat hanc præfationem in ejus Consecratione*: Oremus, fratres carissimi, misericordiam Dei, ut illud donum tribuat huic puellæ, quæ Deo votum vovit, vestem candidam perferre cum integritate coronæ in resurrectionem vitæ æter-

næ, quæ futura est nobis. *Sequitur benedictio*: Famulam tuam, Domine, tuæ custodia muniat pietatis, ut Virginitatis sanctæ propositum, quod te inspirante suscepit, te protegente inlæsa custodiat, per *&c.* *Alia*: Te invocamus, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, super hanc famulam tuam, quæ tibi vovit servire purâ mente, mundoque corpore, ut eam sociare digneris inter illa centum quadraginta quatuor millia infantum, qui Virgines permanserunt; & se cum mulieribus non coinquinaverunt; in quorum ore dolus inventus non est. Et ita hanc famulam tuam facias permanere immaculatam usque in finem, per immaculatum Jhesum Christum Dominum nostrum, cum quo vivis, & regnas *&c.* *Benedictione expletâ mittat Episcopus Velamen super caput ipsius Virginis, dicens*: Accipe Velum sacrum, Puella, quod perferas sine macula ante Tribunal Domini nostri Jhesu Christi, cui flectitur omne genu cælestium, terrestrium, & infernorum in secula seculorum. *Respondeatur*: Amen. *Sequitur Oratio*: Preces Famulæ tuæ N. quæsumus, Domine, benignus exaudi, ut sumtam castitatis gratiam te auxiliante custodiat, per *&c.* *Ad consecrationem*: Deus, qui habitaculum tuum in corde pudico fundasti, respice super hanc famulam tuam N. & quæ castigationibus assiduis postulat, tuâ consolatione percipiat, per *&c.* *Sequitur benedictio*: Benedicat te Deus Pater & Filius & Spiritus Sanctus in omni benedictione spirituali, ut maneas sine macula sub vestimento Sanctæ Matris Domini nostri Jhesu Christi, qui vivit *&c.* *Ad Missam*: Preces famulæ tuæ, quæsumus, Domine, *&c.* *Secunda*: Votivis, quæsumus, Domine, famulæ tuæ N. adesto muneribus, ut te custode servata, hereditatem benedictionis æternæ percipiat, per *&c.* *Infra* . . . . Hanc igitur oblationem famulæ tuæ N., quam tibi offerimus ob diem Natalis tui, quo eam sacro Velamine protegere dignatus es, quæsumus, Deus, placatus accipias, pro qua majestati tuæ supplices fundimus preces, ut in numerum sanctarum Virginum eam transire præcipias, quatenus tibi sponso suo venienti, cum lampade inextinguibili possit occurrere, atque intra Regna cælestia gratias tibi referat, choris sanctarum Virginum sociata, diesque *&c.* *Ad consecrationem*: Deus, qui habitaculum tuum *&c. ut supra*. *Præfata Ancilla Dei inter alias velatas ad manus Episcopi offerat, & ad Missam communicet, & post peracta mysteria, Episcopalis banni signaculo cum omnibus suis insignita regrediatur ad sua*.

„ Ad Diaconam faciendam.

E*Piscopus quum Diaconam benedicit, orarium in collo ejus ponit. Quando autem ad Ecclesiam procedit, portat illud super collum suum, sic verò ut summitas orarii ex utraque parte sub tunica sit. Item Missa ad Diaconam consecrandam*: Deus, in nomine tuo salvum *&c.* *Psalmus*: Quoniam alieni *&c.* *Oratio*: Deus, castitatis amator, & continentiæ conservator, supplicationem nostram benignus exaudi, & hanc famulam tuam propitius intuere, ut quæ pro timore tuo continentiæ pudicitiam vovet, tuo auxilio conservet, & sexagesimum fructum continentiæ, & vitam æternam te largiente percipiat, per *&c.* *Lectio Regum in Dominica post Pentecostem*. A Fratres, nescitis quoniam *&c.* *Versiculus*: Amavit eam Deus, & ornavit *&c.* *Deinde prostrata illa ante Altare, imponatur Letania*: *Quâ finitâ dicat Episcopus super illam hanc Orationem*: Exaudi, Domine, preces nostras, & super hanc famulam tuam Spiritum tuæ benedictionis emitte, ut cælesti munere ditata & tuæ gratiam possit majestatis acquirere, & bene bivendi aliis exemplum prævere, per &c. *Sequitur consecratio in modum Præfationis*: Deus, qui Annam filiam Phanuelis vix per annos septem sortitam jugale conjugium, ita in annis octoginta quatuor in sancta & intemerata Viduitate servasti, ut noctibus ac diebus orationes jejuniaque miscentem, usque ad prophetiæ gratiam sub Circumcisione Christi B tui . . . . remunerator adduceres; quique deinde per Apostolicam institutionem sanctarum hujus ordinationis . . . . feminarum sexum ipsius adolescentulas & juniores instrui cum sancti Chrismatis visitatione jussisti: suscipere dignare, omnipotens piissime rerum omnium Deus, hujus famulæ tuæ arduum & laboriosum, nec satis discrepans a perfecta virginitate propositum, quia tu creaturarum omnium conditor probe nosti mundiales illecebras non posse vitari. Sed quum ad te venitur per se numquam animas semel vivificatas, vel terribiles passiones, vel deliciarum blandimenta sollicitant, nam sensibus, C quibus ipse dignaris infundi, nihil est desiderabilius, quàm regnum tuum, nihil terribilius, quàm judicium tuum. Da ergo, Domine, ad petitionem nostram huic famulæ tuæ inter conjugatas tricesimum, cum viduis sexagesimum fructum. Sit in ea cum misericordia districtio, cum humilitate largitas, cum libertate honestas, cum humanitate sobrietas. Opus tuum die ac nocte meditetur, ut in die vocationis suæ talis esse mereatur, qualem illam per spiritum prophetiæ esse voluisti. Præsta hoc per Dñm *&c.* *Tunc ponat Episcopus orarium in collo ejus, dicens hanc antiphonam*: Stolâ jucunditatis induat te Dominus *&c.* *Imponat Velamen capiti suo palam omnibus de* D *Altari acceptum, cum antiphona*: Ipsi sum desponsata *&c.* *Oratio*: Preces famulæ tuæ, quæsumus, Domine, benignus exaudi, ut assumtam castitatis gratiam, te auxiliante, custodiat, per *&c.* *Ad Annulum dandum*: Accipe Annulum Fidei, signaculum Spiritus Sancti, ut sponsa Christi voceris, si ei fideliter servieris. *Ad torquem*: Accipe signum Christi in capite, ut uxor ejus efficiaris; & si in eo permanseris, in perpetuum coroneris: *prosequentibus his, qui circumstant*: Annulo suo *&c.* *Oratio*: Famulam tuam, quæsumus, Domine, pia devotione juvante perduc ad veniam, quatinus mereatur a cunctis mundari sordibus delictorum, & reconciliatam tibi per E Christum, sereno vultu respicias, & omnia ejus peccata dimittas: severitatem quoque judicii tui hab ea clementer suspendas, & miserationis tuæ clementiam super eam benignus infundas, per *&c.* *Tunc imponatur Euangelium secundùm Matthæum*: In illo tempore, respondit Johannes & dixit. Non potest homo accipere *&c. usque* me autem minui. *Post Euangelium in ordine Velatarum in manus Episcopi offerat. Chorus imponat Officium. Offertorium Missæ*: Munera, quæsumus, Domine, famulæ & sacratæ tuæ, quæ tibi obsecrationem sui corporis offert, simul ad ejus animæ medelam perficiant, per *&c.* Hanc igitur oblationem

tionem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus, Domine, quam tibi offero pro incolumitate famulæ tuæ, ob devotionem mentis suæ, pius ac propitius clementi vultu suscipias, tibi verò supplicantes libens protege, dignanter exaudi, diesque *&c*. *Benedictio* : Benedic, Domine, hanc famulam tuam, pretioso Filii tui Sanguine comparatam. *Respondetur* : Amen. Benedictionis tuæ gratiam, quam desiderat, consequatur, & sine ulla offensione majestati tuæ dignum exhibeat famulatum. *Respondetur* : Amen. Cursum vitæ suæ impleat sine ullis maculis delictorum, & superet in bonis actibus inimicum. *Respondetur* : Amen. Quod ipse per *&c*. *Chorus dicat* : Servite Domino in timore *&c*. *Oratio* : Bonorum Deus operum institutor, famulæ tuæ cor purifica, ut nihil in ea, quod punire, sed quod coronare possis, invenias, per *&c*. *Diacona verò illa inter mysteria communicet. Et post Missam Episcopus ei pastorali banno pacem confirmet, ut sua cum securitate & quiete possideat*.

„ Consecratio Viduæ, quæ fuerit
„ Castitatem professa.

V*iduæ post lectum Euangelium debent velari, quia decet eas per Euangelium prædicare. Vidua autem, quia soluta est a lege Viri, seipsam, si vult, Deo dare debet, & a Presbytero velari, vel etiam consecratum ab Episcopo Velamen de Altari accipere, & ipsa sibi, non Episcopus debet imponere. Presbyteris verò licet Viduas velare : solis Episcopis Virgines ; & hoc ante Euangelium*.

Benedictio vestimentorum Viduæ, quæ fuerit castitatem professa : Dominus vobiscum. *Respondetur* : Et cum spiritu tuo. *Oremus*. Visibilium & invisibilium creator, Deus, adesto propitius, ut hæc indumenta sanctitatis effigiem ostendentia, desuper gratiâ tuâ irrigante, benedicere & sanctificare digneris, per *&c*. *Alia* : Aperi, quæsumus, Domine, oculos majestatis tuæ, ad benedicendum has viduitatis vestes, ne quæ in ordinatis vestibus viri sui visibus placuit, in ...... indumenta benedictionis tuæ servare mereatur, per *&c*. *Tunc induatur ipsis vestimentis, & agatur Letania, & ante Altare prostrata, post Letaniam, quum se erexerit, sequatur hæc Præfatio* : Incorruptum æternitatis Dominum, inviolabilis naturæ Dominum, fratres carissimi, suppliciter deprecemur, poscentes pro sorore nostra N. quæ corpore ac mente perfectæ continentiæ & pudicitiæ se servituram Domino devovit, ut petenti famulæ suæ, ipse, qui est Judex Viduarum, perfectam tribuat continentiam.

Benedictio propria Viduæ : Consolare Domine hanc famulam tuam, viduitatis laboribus constrictam, sicut consolari dignatus es Sareptanam Viduam per Heliam Prophetam. Concede ei pudicitiæ fructum, ut antiquarum non meminerit voluptatum. Nesciat incentiva vitiorum desideria, ut soli tibi subdat colla, quo possit pro laboribus tantis sexagesimo gradu percipere munus delectabile sanctitatis, per *&c*. *Alia* : Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut hæc famula tua N. quæ pro spe retributionis æternæ se tibi Domino desiderat consecrari plenâ fide animoque, in sancto proposito permaneat. Tu eam, omnipotens Pater, sanctificare & benedicere, & in perpetuum con-

A servare digneris. Tribue ei humilitatem, castitatem, obedientiam, caritatem, & omnium bonorum operum quantitatem. Da ei, Domine, pro operibus gloriam, pro pudore reverentiam, pro pudicitia sanctitatem, ut ad meritum possit gloriæ pervenire, per *&c*. *Tunc imponat ipsa Velamen capiti suo. Oratio post assumtum indumentum & Velamen* : Famulam tuam, Domine, tuæ custodia muniat pietatis, ut continentiæ sanctum propositum, quod te inspirante suscepit, te protegente inlæsum custodiat, per *&c*. *Alia* : Domine Jesu Christe, omnium Deus, qui inter cetera virtutum documenta ad salutem nostram vigorem castitatis & pudicitiæ reparasti, te

B supplices exoramus, ut hanc famulam tuam, sororem nostram, Viduam N. ad gratiam pietatis tuæ ex toto corde conversam, ab omnibus temptationibus inimicorum tutam defensamque custodias, & hæc capitis Velamina ad interioris hominis tutamen perseverare facias, & in tua voluntate tota mentis sinceritate perseverare concedas, qui cum Patre *&c*. *Alia* : Confirma hoc, Deus, quod operatus es in Vidua, ut fideles valeat custodire promissiones, quas promiserat tibi, ut castitatem corporis & animæ exhibere tibi valeat, & dignè occurrat, ut sexagesimum fructum cum electis sociis ejus participare mereatur, per *&c*. *Alia* : Domine Deus virtutum cælestium,

C æterne dominator, tibi supplices effundimus preces, ut hanc famulam tuam N. conservare digneris, quam de pristina conversatione ad novitatem vitæ exspolians veterem hominem, & induens novum, converti fecisti, ut sicut Anna Prophetissa multis temporibus vestibus viduitatis induta in Templo gloriæ tuæ jejuniis & orationibus fideliter deservivit, sic & hæc famula tua tibi soli Deo in Ecclesiâ tuâ devotâ mente deserviat, per *&c*. *Postea Episcopus auctoritate pastorali denuntiet ei pacem, & omnibus, quæ illa possidet. Et illa ad Missam inter Velatas offerat, & communicet. Oratio ad Missam in natali Viduæ*. Deus castitatis *&c*. *Require ut supra in consecratione Diaco-*

D *nissæ*. Tu famulis tuis, quæsumus, Domine, bonos mores placatus institue. Tu in eis, quod tibi placitum sit, clementer infunde, ut & digni sint, & tua valeant beneficia promereri, per *&c*. Famulos tuos, quæsumus, Domine, tua semper gratia benedicat, & inculpabiles ad vitam perducat æternam, per *&c*. *Alia* : Da famulis tuis, quæsumus, Domine, in tua fide & sinceritate constantiam, ut in caritate divina firmati, nullis temptationibus ab ejus integritate evellantur, per *&c*. *Alia* : Famulos tuos, Deus, benignus intende, & eis dignanter pietatis tuæ impende custodiam, per *&c*. Respice, quæsumus, Domine, famulos tuos, & in tua misericordia confidentes, cælesti protegas benignus auxilio,

E per *&c*. *Alia* : Famulis tuis, quæsumus Deus, sperata concede, & ab omnibus suis culpis excusa, per &c. *Alia* : Adesto, Domine, supplicationibus nostris, & famulos tuos assidua protectione conserva, ut qui tibi jugiter famulantur, continua remuneratione ditentur, per *&c*.

„ Ordinatio

„ Ordinatio Abbatissæ Monasticam Regulam
„ profitentis. Caput ex Canone
„ Theodori Anglorum
„ Archiepiscopi.

IN *Ordinatione Abbatissæ Episcopus debet Missam canere, & eam benedicere hoc modo. Post antiphonam ad Introitum, & data oratione, & reliquum officium Missæ usque ad Evangelium prosternat se Electa ante Altare retro Episcopum cum duabus vel tribus de Sororibus suis, fiantque ibi Letaniæ. Sequitur* Pater noster. *Versiculus*: Salvam fac ancillam tuam, Deus. *Respondetur*: Deus meus *&c. Require supra. Precibus finitis, benedicat eam Episcopus, inclinato capite dicens*: Dominus vobiscum. *Respondetur*: Et cum spiritu tuo. *Sequitur Oratio*: Concede, quæsumus, omnipotens Deus affectui nostro *&c. Alia*: Cunctorum bonorum institutor Deus *&c. Require in consecratione Abbatissæ. Alia*: Exaudi, quæsumus, Domine, preces humilitatis nostræ, & super hanc famulam tuam N. gratiam tuæ benedictionis infunde, quatenus per nostræ manus impositionem inter fideles dispensatrices inveniatur, & cum subditis sibi regibus placere tibi mereatur, per *&c. Heic exaltat vocem, dicens*: Per omnia *&c. Tunc imponat ei manus super caput, dicens hanc Præfationem*: Æquum & salutare, nos tibi semper, & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Respice, quæsumus, super hanc famulam tuam, quam in tui nominis vice custodem Monacharum ordinamus. Immitte ei, Domine, spiritum sapientiæ & intellectus, spiritum consilii & fortitudinis, spiritum scientiæ & pietatis, & reple eam spiritu timoris tui, quatenus tuâ gratiâ præventa nihil contrarium præcipiat, faciat, doceat, constituat, vel juveat, sed magis . . . . discipularum tam exemplis bonorum operum, quàm verbo instruat, & quæ discipulabus docuerit esse contraria in operibus tuis judicet non agenda. Sit in omnibus suis provida & considerata. Sit sobria & casta. Sit vitâ probabilis, sit sapiens, & humilis, sit benigna, & caritatiba. Sit in pauperum peregrinorum susceptione assidua, sit in hospitalitate hilaris, sit pia, & misericors, & semper misericordiam exaltet judicio, ut ipsa ante æquissimum Judicem veniam consequatur. Fac eam, Domine, te solum totis viribus suis diligere, jejunium amare, corpus castigare, delicias non appetere, tribulantibus subvenire, neminem odisse, zelum injustum, & invidiam non habere, suspicionem omnino devitare, in tuo nomine pro inimicis exorare. Fac eam semper cognoscere, quia redditura est rationem villicationis suæ, & quantas sub cura sua animas habuerit, ipsas sine dubio ante sedem majestatis tuæ sit latura. Quapropter tibi, piissime Pastor, supplicamus, ut ad humilitatis nostræ orationes cor ejus gratiâ tuâ illustres, quo possit quæque singula ita discernere atque temperare, ut fortes habeant, quod cupiant, & infirmæ quod non refugiant. Da illi, Domine, spiritum compunctionis, ut cælestia semper diligat, & inextinguibilem gehennæ ignem ante mentis oculos proponat, quatenus supernorum dulcedine gaudiorum, & infernalium amaritudine tormentorum, semetipsam inreprehensibilem custodiat, ut cum creditis sibi

A ovibus in tremendo examine gaudeat, & cum omnibus Sanctis tuis immarcessibilem cælestis Regni coronam accipiat, per Christum *&c.*

Tunc imponat manum super caput dicens hanc Orationem in modum Præfationis: Omnipotens sempiterne Deus, affluentem spiritum *&c. Require in ordinatione Abbatissæ. Tunc det ei Regulam, dicens*: Accipe Regulam, a sanctis Patribus nobis traditam, ad regendum, custodiendumque gregem tibi a Domino creditum, quantum Deus ipse te confortaverit, ac fragilitas humana permiserit. *Sequitur*: Domine Deus omnipotentes, qui sororem Moysi Mariam *&c.* Concede, quæsumus, omnipotens Deus, famulæ tuæ Abbatissæ, ut ostendendo
B & exercendo quæ recta sunt, exemplo bonorum operum, animos suarum instituat subditarum, & æternæ remunerationis mercedem, a te piissimo pastore percipiat, per *&c. Alia*: Omnium Deus fons bonorum *&c. Quod si Ordinatio Abbatissæ infra Monasterium suum facta fuerit, imponatur* Te Deum laudamus, *Populo acclamante* Kyrie eleison. *Postea dicatur hæc Oratio pro adepta dignitate*: Deus, cui omnis potestas *&c. Item, si alibi consecrata fuerit Abbatissa, regressâ ad Monasterium omnis Chorus Monacharum honorifice obviam procedant cum Crucibus, Aqua benedicta, Incenso, & Evangelio. Et in ipso introitu Ecclesiæ imponant* Te Deum laudamus, *turbâ acclamante*
C Kyrie eleison, *& Presbytero prosequente Orationem, ut supra*: Deus, cui omnis potestas & dignitas *&c.*

Quod si apud antiquos occurrunt *Monasteria Puellarum*, continuo intelligimus illic agi de Virginibus Deo sacratis. Nomen quoque *Ancillæ Dei, Devotæ, Benedictæ, & Sacratæ*, Sanctimonialem significare consuevit, sed ita ut complecti videatur tam Virgines, quàm Viduas, quæ se Deo dicarant. In Concilio Romano Anni DCCXXI. habetur: *Si quis Monacham, quam Dei Ancillam appellamus, in conjugium duxerit, anathema sit.* Vide Du-Cangium in Glossar. Latinit. alia vocis hujus
D exempla coacervantem. Clarissimus quoque Martene Tom. V. pag. 83. Thesaur. Anecdotorum, antiquum Calendarium exeruit, in quo indicatur Evangelium recitandum *pro velatione Ancillarum Dei*. Et *Ancillæ Dei velatæ* memorantur in Capitulari Pippini Regis Franciæ. In Sacramentario quoque Ecclesiæ Romanæ, olim edito a piissimo & doctissimo P. Thomasio, postea Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, habetur *Oratio super Ancillas Dei, quibus conversis vestimenta mutantur*. En ipsius Orationis prima verba: *Te invocamus, Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, super has Famulas tuas* &c. *Famulæ* nomen in mentem mihi revocat nonnullas Hispanicas
E Inscriptiones, quas olim uti ineditas collegi, atque heic tenebris ereptas volo, quæsiturus, an appellatio *Famulæ Dei* certo indicet, Sanctimonialem nomine Ancillæ Dei.

Cordubæ,

Cordubæ, prope Sancti Bartholomæi de las Bubas, ad Portam Novam:



PVRPVRIA FA
MVLA DEI VIX.
ANNOS XXXX.
MENSES VIII. RECES
SIT IN PACE . XII.
KL. MAJAS ERA
..........LXIII.

Valentiæ del Ventoso in Diœcesi Pacis Augustæ, nunc Badajos, exstat hic alter lapis:

GRANNIOLA FAMVLA
DEI QVÆ VIXIT CVM
MARITO ANNOS XX. ET
REQVIEVIT IN PACE
ÆRA DLIII.

Posita fuit Inscriptio hæc, uti & subsequens Anno vulgaris Epochæ DXV. Tertium marmor accipe, ibidem situm:

A

JVLIANA FAMVLA DEI
QVÆ VIXIT ANNOS
XX. ET CVM MARITO
ANNO VNO ET REQVI
EVIT IN PACE ERA
DLIII.

Alias duas similes Inscriptiones Hispali repertas refert Clarissimus Boldetus Lib. 2. Cap. 20. pag. 639. de Cœmeter. Martyrum. Quid verò significet in iis monumentis *Famula Dei*, si quis sciscitetur, respondebo, videri quidem posse significare idem atque *Ancilla Dei*. B Verùm mihi videtur similius, nihil aliud eo titulo indicari, nisi feminam Christianæ legi addictam. Video enim donatos eâdem appellatione Sæculares viros, ut constabit e subsequentibus marmoribus, in eâdem Hispaniâ sitis.

Alcoleæ prope Hispalim:

CVLFINVS FA
MVLVS DEI VI
XIT ANNOS
PLVS MINVS
LXX. RECESSIT IN C
PACE III. KAL. A
GVSTAS ERA DC
K. I.

Ideſt Anno Christi Quingentesimo Sexagesimo Secundo.

In Vico Moron.

LEONCIVS FAMVLVS DEI
QVI ANNOS PLVRES VEL MINVS LXXXII.
MORTVVS EST ERA CCCCCCXIII.

Hoc est Anno Christi Quingentesimo Septuagesimo Quincto.

Talavernæ in Beatæ Virginis del Prado in urnâ:

LITORIVS FAMVLVS DEI VIXIT ANNOS PLVS
MINVS LXXV. REQVIEVIT IN PACE DIE
VIII. KAL. JVLIAS ÆRA DXXXXVIII.



Ideſt Anno Christi Quingentesimo Decimo. Quum constantem intueamur hanc appellationem & in viris, qui Christiani tantum fuisse videntur, & occurrat in Epitaphio Juliani Episcopi Eborensis apud Reinesium Classe XX. num. 450. & in aliis ab ipso, atque a Grutero editis: nulla justa caussa subest, cur feminas *Famulas Dei* Sanctimonialibus accenseamus, nisi & hosce Viros Monasticam vitam professos D arbitremur. Sed omnem dubitationem tollere potest Inscriptio a Grutero eodem producta pag. 1060. num 1. in qua *Marcellianus Maritus* titulum scribit *Severillæ Famulæ Christi*, *quæ cum viro suo vixit novem continuis annis*. Addo nunc e Schedis meis alteram Inscriptionem, Christianæ mulieri in Hispania positam, quæ titulo ejusmodi caret.


In

In Urbe Gaditana supra fores Ædis Sanctæ Mariæ.



ALEXANDRA CLARISSI
MA FEMINA VIXIT
ANNOS PLVS MINVS
XXV. RECESSIT
IN PACE
ERA DXXXIII.
PROBVS FILIVS
VIXIT ANNOS
DVOS MENSES........

Spectat Inscriptio hæc ad Annum Christi Quadringentesimum Nonagesimum Quinctum. Neque sane desiderabantur in Hispania temporibus iis Cœnobia sacrarum Virginum, uti ex Historia Hispanica constat, simulque constabit B e subsequenti marmore, quod in eadem *Gaditana Civitate* olim visebatur, *n domo Drani*, *literis inconditis* ibi sculptis, & versibus barbariem referentibus:



VJVS NAMQVE TVMVLO PROCVMBIT SERVANDE
POST FVNERE CORPVS
PARVA DICATA DEO PERMANSIT CORPO
RE VIRGO
ASTANS CENOBIO CVM VIRGINI
BVS SACRIS NOBILE CETV
TERDENIS FVIT ANNIS VEGETANS
IN CORPORE MVNDO
HIC SVRSVM RAPTA CELESTI MIG
RAT IN AVLA
OBIIT JVNIAS DECIMO QVARTOVE
CALENDAS
HIC EST QVERVLIS ERA DE TEMPORE
MORTIS DCLXXXXVII

Idest Anno Christi Sexcentesimo Quinquagesimo Nono.

DE MODIS,

QUIBUS OLIM ECCLESIÆ,

EPISCOPI, CANONICI,

MONASTERIA,

ATQUE ALIÆ HUJUSMODI UNIVERSITATES SACRÆ,
TERRENIS OPIBUS ET COMMODIS
AUCTÆ SUNT.

DISSERTATIO

SEXAGESIMASEPTIMA.

DISSERTATIO
SEXAGESIMASEPTIMA.

SUnt qui nostris temporibus Ecclesiasticæ in Italia Reipublicæ statum, & Ecclesiarum, sacrorumque Ministrorum opes ac reditus curiosis oculis metiuntur, & deprehensam non levem Ecclesiasticorum opulentiam in regionibus nonnullis, continuò mirantur, ne dicam invident ac damnant, sibi facile persuadentes, longe diversam olim Ecclesiarum fortunam, ac tenues earum proventus fuisse. Verùm secus rem processisse ipsis rudibus ac barbaris Sæculis, monumenta omnia clamant. Fuerunt enim Sæcula, quibus sine comparatione longe plures divitiæ in sacra Templa, Monasteria, & sacra Collegia effusæ sunt. Neque tantùm fundos uberes, latissimos, ac pæne innumeros uterque Clerus possedit, sed & amplissimas ditiones, Oppida, ac Urbes. Nemo autem melius novit, quousque olim se extenderet tanta in Ecclesiasticis opum affluentia, quàm qui vetera Ecclesiarum Chartaria perlustrare oculis, ac terere manibus potuere. Quamquam quid dico? neque Archiva consulere opus est, quando in tot Italiæ Civitatibus, eorumque agris, incredibilis adhuc occurrit prædiorum copia, quæ emphyteutico tantùm nomine possidentur, directumque dominium agnoscunt alicujus aut Episcopii, aut Capituli Canonicorum, aut Monasterii, aut ab aliis pendent locis Deo sacratis. Ego alterâ Dissertatione persequar potentiam olim Episcoporum, Abbatum, aliorumque Ecclesiæ Ministrorum, ac subinde ostendam, quei a tanta rerum copia antiquitus exciderit Clerus. Nunc mihi edicendum, qua ratione tot olim commoda parta sint hominibus Deo dicatis.

Illud constat, vel ab ipsis Ecclesiæ Christianæ incunabulis in usu fuisse oblationes ac eleemosynas Fidelium, ut iis sacri Ministri alerentur, & reliquum in vulgus pauperum erogaretur: quæ largitio tum jure naturali, tum præcepto Christi, atque Apostoli voce non semel firmata est; *dignus est enim operarius mercede sua*; *neque os bovi trituranti obstruendum*. Factâ autem sub Constantino Magno pace Ecclesiæ, acrius tunc exarsit pius Christianorum fervor ad excitanda Deo Templa, augendumque Cleri numerum, quo divinus cultus multiplicius propagaretur, & Christiani Populi devotio augmentum in dies acciperet. Proinde ipsis Ædibus sacris, Clericisque administris, sua dos & reditus constituebantur; ac libentissime ad eorum alimenta, & Templi, ac Mysteriorum ornatum, Fideles conferebant Decimas, Primitias, Oblationes; immo aut viventes, aut in postremis tabulis prædia, domus, aliasque fortunas in sacrorum locorum jus & dominationem transferebant. Primum ergo, ut ita dicam, Deo dicatæ gentis ærarium in jure Naturæ constitutum est, quum nemo negare possit, quin sacris operariis (de necessariis loquor) ministranda sint congrua alimenta; ac proinde non tantùm a Conciliis & Patribus olim præscriptum fuit, Decimas Ecclesiis esse exsolvendas, sed etiam ipsa Naturæ vox harum collationem

A indicit, quoties aliunde Episcopis, Parochis, aliisve necessariis Clericis sustentandis consultum non est.

Ærarium verò secundum situm erat in spontaneis Fidelium Oblationibus, qui aut nova Templa condebant atque dotabant, aut jam fundatis nova dona, novosque reditus adjungebant, in sacrorum locorum ornamentum, simulque Ministrorum commodum atque augmentum: Et multa quidem erant, quæ ad hujusmodi liberalitatem pios incitabant, videlicet Religionis conservandæ, aut amplificandæ laudabile studium; Misericordia erga pauperes, in quorum etiam utilitatem cedebant quæ-
B cumque Ecclesiis conferebantur; denique legitima probeque concepta spes, fore ut sacræ Legis Ministri tum in salutari Sacrificio; tum in quotidianis precibus, præcipue piis largitoribus Deum benevolum atque propitium efficerent. Propterea familiare antiquo etiam tempore Christianis fuit, veniâ factâ per legem Constantini M. Anno 321. promulgatam, hereditates integras, aut pia legata, aut diversa alia munera conjicere in sinum Ecclesiæ, & novas ædes sacras construere, iisque fundos, ac reditus conferre, ex quibus honestum victum Clerici perciperent, ipsaque divina Mysteria haberent unde ritu perenni decentique
C peragerentur. Eædem etiam caussæ præ oculis Fidelium versabantur, ut nova in dies Monasteria cum Virorum, tum Virginum constituerent ac ditarent; immo ad horum constructionem, aut incrementum enixius quandoque suadendum accedebant & aliæ rationes. Nimirum gratissimum Deo futurum credebatur, neque immeritò, aut sibi, aut aliis terrena fastidientibus, atque ad sola cælestia adspirantibus, sacrum remotumque a Sæcularium rerum tumultu locum parare; atque alere gentem ex severiore vita, ex doctrina etiam, aut saltem ex plurimis Virtutum exemplis non sibi tantùm, sed & universæ Chri-
D stianorum reipublicæ utilem atque gloriosam. En ergo stimulos præcipuos, quibus olim incitabantur Fideles, atque ipsi potissimum Reges, Principes, & Episcopi, ut crebris muneribus Ecclesiarum patrimonium amplificarent. Supervacaneum foret ad rem per se lucidam aliquod exemplorum lumen adhibere.

Tertio, non levis opum accessio facta est ærario Episcoporum, Monachorum, atque Monialium, denique Canonicorum, ex ipsis divitibus, qui ejurato Sæculo Ecclesiasticum institutum amplectebantur. Erant enim non pauci, qui non se tantùm, sed sua quoque Deo dicabant, quoties sacræ vitæ jugum su-
E scipiebant. Ad hæc erant alii Ecclesiæ adscripti, qui suarum rerum usu sibi retento, denique ex asse, aut semisse, aut tremisse Ecclesiam suam heredem instituebant. Immo vel sine testamento decedentibus Clericis Ecclesia succedebat, cui dederant nomen, nisi legitimi adessent heredes. Jam Anno 434. Imperatores Theodosius junior, & Valentinianus III. legem hanc dederunt, quæ in Cod. Theodos. Tit. 3. Lib. V. habetur: *Si quis Episcopus*,

DISSERTATIO SEXAGESIMASEPTIMA.

Sunt qui nostris temporibus Ecclesiasticæ in Italia Reipublicæ statum, & Ecclesiarum, sacrorumque Ministrorum opes ac reditus curiosis oculis metiuntur, & deprehensam non levem Ecclesiasticorum opulentiam in regionibus nonnullis, continuò mirantur, ne dicam invident ac damnant, sibi facile persuadentes, longe diversam olim Ecclesiarum fortunam, ac tenues earum proventus fuisse. Verùm secus rem processisse ipsis rudibus ac barbaris Sæculis, monumenta omnia clamant. Fuerunt enim Sæcula, quibus sine comparatione longe plures divitiæ in sacra Templa, Monasteria, & sacra Collegia effusæ sunt. Neque tantùm fundos uberes, latissimos, ac pæne innumeros uterque Clerus possedit, sed & amplissimas ditiones, Oppida, ac Urbes. Nemo autem melius novit, quousque olim se extenderet tanta in Ecclesiasticis opum affluentia, quàm qui vetera Ecclesiarum Chartaria perlustrare oculis, ac terere manibus potuere. Quamquam quid dico? neque Archiva consulere opus est, quando in tot Italiæ Civitatibus, eorumque agris, incredibilis adhuc occurrit prædiorum copia, quæ emphyteutico tantùm nomine possidentur, directumque dominium agnoscunt alicujus aut Episcopii, aut Capituli Canonicorum, aut Monasterii, aut ab aliis pendent locis Deo sacratis. Ego alterâ Dissertatione persequar potentiam olim Episcoporum, Abbatum, aliorumque Ecclesiæ Ministrorum, ac subinde ostendam, quei a tanta rerum copia antiquitus exciderit Clerus. Nunc mihi edicendum, qua ratione tot olim commoda parta sint hominibus Deo dicatis.

Illud constat, vel ab ipsis Ecclesiæ Christianæ incunabulis in usu fuisse oblationes ac eleemosynas Fidelium, ut iis sacri Ministri alerentur, & reliquum in vulgus pauperum erogaretur: quæ largitio tum jure naturali, tum præcepto Christi, atque Apostoli voce non semel firmata est; *dignus est enim operarius mercede sua*; *neque os bovi trituranti obstruendum*. Factâ autem sub Constantino Magno pace Ecclesiæ, acrius tunc exarsit pius Christianorum fervor ad excitanda Deo Templa, augendumque Cleri numerum, quo divinus cultus multiplicius propagaretur, & Christiani Populi devotio augmentum in dies acciperet. Proinde ipsis Ædibus sacris, Clericisque administris, sua dos & reditus constituebantur; ac libentissime ad eorum alimenta, & Templi, ac Mysteriorum ornatum, Fideles conferebant Decimas, Primitias, Oblationes; immo aut viventes, aut in postremis tabulis prædia, domus, aliasque fortunas in sacrorum locorum jus & dominationem transferebant. Primum ergo, ut ita dicam, Deo dicatæ gentis ærarium in jure Naturæ constitutum est, quum nemo negare possit, quin sacris operariis (de necessariis loquor) ministranda sint congrua alimenta; ac proinde non tantùm a Conciliis & Patribus olim præscriptum fuit, Decimas Ecclesiis esse exsolvendas, sed etiam ipsa Naturæ vox harum collationem

A indicit, quoties aliunde Episcopis, Parochis, aliisve necessariis Clericis sustentandis consultum non est.

Ærarium verò secundum situm erat in spontaneis Fidelium Oblationibus, qui aut nova Templa condebant atque dotabant, aut jam fundatis nova dona, novosque reditus adjungebant, in sacrorum locorum ornamentum, simulque Ministrorum commodum atque augmentum: Et multa quidem erant, quæ ad hujusmodi liberalitatem pios incitabant, videlicet Religionis conservandæ, aut amplificandæ laudabile studium; Misericordia erga pauperes, in quorum etiam utilitatem cedebant quæcumque Ecclesiis conferebantur; denique le-

B gitima probeque concepta spes, fore ut sacræ Legis Ministri tum in salutari Sacrificio; tum in quotidianis precibus, præcipue piis largitoribus Deum benevolum atque propitium efficerent. Propterea familiare antiquo etiam tempore Christianis fuit, veniâ factâ per legem Constantini M. Anno 321. promulgatam, hereditates integras, aut pia legata, aut diversa alia munera conjicere in sinum Ecclesiæ, & novas ædes sacras construere, iisque fundos, ac reditus conferre, ex quibus honestum victum Clerici perciperent, ipsaque divina Mysteria haberent unde ritu perenni decentique

C peragerentur. Eædem etiam caussæ præ oculis Fidelium versabantur, ut nova in dies Monasteria cum Virorum, tum Virginum constituerent ac ditarent; immo ad horum constructionem, aut incrementum enixius quandoque suadendum accedebant & aliæ rationes. Nimirum gratissimum Deo futurum credebatur, neque immeritò, aut sibi, aut aliis terrena fastidientibus, atque ad sola cælestia adspirantibus, sacrum remotumque a Sæcularium rerum tumultu locum parare; atque alere gentem ex severiore vita, ex doctrina etiam, aut saltem ex plurimis Virtutum exemplis non sibi tantùm, sed & universæ Chri-

D stianorum reipublicæ utilem atque gloriosam. En ergo stimulos præcipuos, quibus olim incitabantur Fideles, atque ipsi potissimum Reges, Principes, & Episcopi, ut crebris muneribus Ecclesiarum patrimonium amplificarent. Supervacaneum foret ad rem per se lucidam aliquod exemplorum lumen adhibere.

Tertio, non levis opum accessio facta est ærario Episcoporum, Monachorum, atque Monialium, denique Canonicorum, ex ipsis divitibus, qui ejurato Sæculo Ecclesiasticum institutum amplectebantur. Erant enim non pauci, qui non se tantùm, sed sua quoque Deo dicabant, quoties sacræ vitæ jugum su-

E scipiebant. Ad hæc erant alii Ecclesiæ adscripti, qui suarum rerum usu sibi retento, denique ex asse, aut semisse, aut tremisse Ecclesiam suam heredem instituebant. Immo vel sine testamento decedentibus Clericis Ecclesia succedebat, cui dederant nomen, nisi legitimi adessent heredes. Jam Anno 434. Imperatores Theodosius junior, & Valentinianus III. legem hanc dederunt, quæ in Cod. Theodos. Tit. 3. Lib. V. habetur: *Si quis Episcopus*, *aut*

aut Presbyter, *aut Diaconus*, *aut Diaconissa*, *aut Subdiaconus*, *vel Clericus*, *aut Monachus*, *aut mulier*, *quæ solitariæ vitæ dedita est* (hoc est Sanctimonialis) *nullo condito testamento decesserit*, *nec ei parentes utriusque sexus*, *vel liberi &c. exstiterint*, *bona*, *quæ ad eum pertinuerint*, *sacrosanctæ Ecclesiæ*, *vel Monasterio*, *cui fuerat destinatus*, *omnifariam socientur*. Quare nil mirum, si ad Episcopatum, ad Clerum, & ad Monasticam vestem induendam solicitarentur, ac prope interdum impellerentur a Populo, a Clericis, a Monachis, viri ac feminæ prædivites, quippe ex hisce rivulis sperabatur nova irrigatio Ecclesiastici ærarii. Atque heic dignus est qui memoretur celebris animorum motus exortus inter Sanctum Augustinum, & Pinianum, Albinam, & Melaniam, splendidissimos ac opulentissimos Cives Romanos, de quibus egi in Dissertat. IV. VI. & VII. Tomo I. Anecdot. Latin. Ad Augustinum invisendum Hipponem sese hi contulerant circiter Annum Christi 411. quum ecce pro more eorum temporum plebs tumultuans Pinianum ad Presbyteratum suscipiendum pæne adigit: a qua violentia vix ille sese extricat, studio præsertim Augustini, hujusmodi furiosum consilium improbantis. Ubi in libero ac tuto loco positus est nobilis ille cœtus, vim factam ægro animo ferens, multa expostulavit cum Augustino de Hipponensi plebe, quasi *cupiditate pecuniæ*, *non dilectione justitiæ servos Dei vellet retinere*, prodideritque *cupiditatem suam*, *se non Clericatus*, *sed pecuniæ caussâ*, *hominem divitem*, *atque hujusmodi pecuniæ contemtorem & largitorem*, *apud se tenere voluerit*. Proinde Augustinus scriptâ ad Alypium Tagastensem Episcopum Epistolâ 125. aliàs 224., & ad Albinam Epistolâ 126. aliàs 225. nihil non egit, ut Populi facinus excusaret, seque & illum de sinistra fama purgaret. Verùm placidius alii subinde divites ad Ecclesiastica munera, & ad claustra allecti, patrimoniis suis Ecclesiasticum penus pinguius effecere; idque potissimum *Oblati* Monasteriis præstare consueverunt, ut ex Chronico Leonis Marsicani, aliisque antiquorum monumentis constat. Tempore autem Caroli M. statutum tantummodo fuit, ut constat ex ejus Lege 137. inter Langobardicas: *Ut unusquisque Presbyter res*, *quas post diem consecrationis adquisierit proprias*, *Ecclesiæ relinquat*. Sed & in ipso ingressu in Monasterium, aut in Clerum, familiare passim fuit, unà cum persona, bona quoque sua sacris offerre locis. Et vix ullus puer Monasterio tradebatur, quin parentes oblationem Monachis gratiorem efficerent donatione fundi alicujus. Ex hac officina non parum emolumenti referebant Monasteria. Proderit hujus moris testem intueri Chartam, quam mihi procuravit Joseph Mosca Sacerdos Neapolitanus, meliorum Literarum sedulus cultor, spectantem ad vetustissimum Cœnobium Neapolitanum Sanctorum Severini & Sosii, in quo adservatur. Annum scriptæ Chartæ designare non audeo; quippe notæ Chronologicæ in multis deficiunt. Floruit quidem Johannes ejusdem Monasterii Abbas Anno Ch. 910. sub quo facta est Translatio Corporis Sancti Severini, edita a Bollando Tom. I. Act. Sanct. pag. 1098. Constantinus quoque Leonis Sapientis filius imperare apud Græcos cœpit Anno 912. Verùm nulla mihi ratio succurrit conciliandi ejus annos cum annis Filii ejus heic memorati, & cum Indictione III. Satius duxi proponere Annum Ch. 765. tunc enim decurrebat Indictio III. & Annus XXV. Constantini Copronymi Augusti, sub quo vixisse potuit Johannes Abbas senior, cujus nomen in Charta ista occurrit. Atqui, si verum est quod Pagius statuit, tunc Annus XV. Imperii Leonis illius filii agebatur, quum in Charta Annum IX. ejusdem deprehendamus. Utcumque sit, si non rectam Chronologiam, certe morem, de quo agimus, Lector hinc edifcet.

Oblatio

Oblatio Johannis pueri facta Johanni Abbati Monasterii Neapolitani SS. Severini & Sossii ab Euphemia matre, & Vitaliano ac Sergio fratribus, una cum portione bonorum ad eam spectantium. Anno fortasse 765.

IN nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi. Imp. Domino nostro Constantino Magno Imperatore anno vicesimo .... ejus filio anno nono die XXVI. mensis Februarii Indictione Tertia Neapoli. Certum est ...... & Vitalianum, seu Stephanum, hoc est Mater & Filios relicta, & filios qdam Dni Marini ..... Sergium trib. de Abbatissa, nos vero ..... Stephanum germanis pro vice nostra, & pro vice Aligerni parbuli germani nostri, a presenti die prontissima voluntate offerre, & offerimus vobis Dno Joanni Presbytero Monast. SS. Seberini, & Sosii, *ubi eorum venerabilia quiescunt Corpora .... supradicto sancto & ven. vestro Monasterio pro portione quidem Joannis filii, & germani nostri, idest integras duas petias de Terras portionis meæ .... & Euphemia h. F. ex quibus una que vocatur Clusuria de Alfinianum, & alia que ad sorbum ibidem in Alfinianum constita; insimul cum arvoribus, & introitus earum, & omnibus pertinentibus pertinebat mihi pro Parentorum meo rum, & me in sorte tetigit a Stephano, & hæredum Joanni .... donando germanis meis premissis divisiones, quam apud me habere videor; unde nihil nobis exinde remansit, aut reserbavimus coherente sivi a duobus lateribus de supradicta Terra, que vocatur ad sorbum, Terra Monasterii Beatæ Mariæ puellarum Dei, & de uno capite Terra Johannolfi Ferrarii, & ex alio capite coheret Terra supradicta. Terra portionis meæ de ipsa Clusuria habet finis ab uno latere Terram supradictam Stephani germani mei, & de alio latere coheret Terra portionis hæredum Joanni, qui supra germani mei, seu meæ, taliter donandæ omni tempore in quarta parte ad equale mensura ita ut a presenti die, & deinceps jam nominatas integras duas petias de Terra portiones meæ supradictæ Euphemiæ ex quibus una, que vocatur Clusuria de Alfinianum, & alia que & ad sorbum ibidem in Alfiniano constituta insimul cum arvoribus, & introitus suarum, & omnibus eis pertinentibus, unde nihil nobis exinde remansit, aut reserbavimus, quatenus, & per coherentias vobis eas insinuavimus sicut superius legitur, a nobis vobis pro portione supradicto Joanni filii, & germani nostri sint offertas & traditas in vestra posterisque vestris sint potestate qualiter exinde facere volueritis, & neque a nobis supradicta Euphemia h. F. & Vitaliano, seu Stephano, hoc est Mater, & Filios, nos vero supradicto Vitaliano, & Stephano pro vice nostra, & pro vice supradicto Aligerni germani nostri, neque a nostris hæredibus, vel alia persona summissa, nullo tempore exinde habeatis quacumque requisitione, aut molestia tam vos, quam supra Domnus Joannes vester Abbas Presbyter pro posteris vestris. Nempe est ipsa portio mea de ipsa Clusuria cum ipsa portione supradicti Stephani, & hæredum Joanni seu meæ supradicto sancto vestrum Monasterium Monachorum vestrorum per nullum modum in perpetuum. Insuper & av omni homine omnique persona, & a supradicto Aligerno filio, germano nostro, & ab ejus hæredibus omni tempore nos, & hæredes nostris, vobis posterisque vestris, exinde in omnibus antestare, & defendere promittimus in perpetuum. Interea promittimus vobis, ut amodo, & semper omni annu & mense nos, & hæredes nostri vobis posterisque vestris, & in supradicto vestro Monasterio dare, & persolbere debeamus pro portione de responsaticum supradicto Joanni filii, & germani nostri, idest triticum modios quatuor trattum a nobis omni annu, usque intus supradicto sancto vestro Monasterio mensuratum ad modium justum .... nullatenus nos, aut hæredes nostri vobis posterisque vestris mittentes excusationem, propterea quod vos supradictum Joannem filium, & germanum nostrum recipere promisimus in supradicto sancto, & venerabili vestro Monasterio, & eum Monachum facere, & vos, & posteris vestris eum nutrire, & vestire, & calceare promisimus omnibus diebus vitæ suæ, sicut ceteris Monachis vestris, & sicut decet Regula Sancti Benedicti, & ipse vobis posterisque vestris omnibus diebus vitæ suæ in ovedientiam, & servitium esse debeat, & sicud ipsi ceteri Monachi vestri, & sicud ipsa Regula Sancti Benedicti decet, & nullo modo de ipso sancto vestro Monasterio exire se presumet omnibus diebus vitæ suæ; & si exinde exire presumererit a tunc licentiam habeatis, vos, & posteris vestris eum requirere, & adprehendere, & in supradicto sancto vestro Monasterio reunire, vocare omnibus diebus vitæ suæ, & secundum meritum culpæ suæ in vestra sit potestate eum corripiendi, & disciplinandi, quia sic inter nobis taliter. Quod si aliter probenerit de his omnibus supradictis per quovis modum, aut summissam personam, a tunc componimus nos, & hæredes nostri, vobis posterisque vestris auri libra una bisque; & hæc Cartula offertiones, ut superius legitur, sit firma scripta per manum Anastasi .... Discipulo Dno Joanni Curialis, & Scriniarii per supradicta Indictione tertia. Hoc signum ✠ manus supradictæ Euphemiæ, & Vitaliani, seu Stephani, hoc est Mater, & Filios, qui omnia supradicta consentierunt.*

Ego Gregorius filius Dni Petri, rogatus a supradicta Mater, & Filios Testis subscripsi.

Ego Joannes filius Dni Geri .... Ego Capulus filius Dni Joannis. Ego Joannes Curialis, & Scriniarius, post subscriptionem Testium, & supradicti Anastasii ....

Discipuli mei, manu mea propria percomplevi per supradicta 3. Indictione. Ego Petrus Primarius (forte Scriniarius, aut Tabularius) *Curiæ hujus Civis Neapolitanus hoc exemplari Charta offertionis, quam ejus Authentica nobis dedit Dnus Roccius venerabilis Abbas supradicti Monasterii pro ista exemplaria faciendum in supradicto suo Monasterio sicut superius legitur ex ipsa Authentica relevavi, & cum nimia*

cautela

cautela ad singulas relectas pro ampliori ejus firmitatem manus proprias subscripsi. In die prima mensis Martii, Indictione XI. Ego Sergius Tabularius Curiæ hujus Civis Neapolitanus hoc exemplari Chartula offertionis, quam ejus Authentica nobis dedit Dnus Roccius venerabilis Abbas supradicti Monasterii pro ista exemplaria faciendum in supradicto Monasterio sicut superius legitur ex ipsa Authentica relevavi, & cum omni cautela ad singulas relectas pro ampliore ejus firmitatem manus poprias subscripsi in die prima mensis Martii, Indictione XI.

Complura alia animadvertas in Charta hac, quibus eruditio Monastica illustretur. Ego unum innuo, scilicet disputatum inter Eruditos fuisse, num Neapolitanum Monasterium Sancti Severini sub Regula Sancti Basilii regeretur, an Sancti Benedicti Primis temporibus Basiliana Regula ibi observata videtur. At saltem procedente tempore Benedictinam ibi invaluisse, hæc ipsa Charta sat prodit, ubi videas bis commemoratam *Regulam Sancti Benedicti*. Alia exempla patrimonii in Monasterium translati ab amplectentibus sacrum institutum jam dedi in Differt. LXV. *de Monaster.* & in LXII. *de Canonic.* Chartam vidi in Tabulario Archiepiscopii Lucensis, scriptam *Anno IV. Domni nostri Ratchis viro excellentissimo Rege Indict. III.* hoc est Anno 749. vel 750. diem enim minime adnotavi, in qua *Teupertus V. D.* Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Sexto, ejusque Rectori Bonualdo, *una cum consensu genitorum suorum, se ac sua bona* offert ad serviendum ibi Deo, dum vita comes fuerit, *castitatem servando* &c. Alteram Chartam vidi exaratam *Anno VIII. Regni D. N. Liutprandi Regis in Mense Martio, Indict. VII.* idest Anno Ch. 724. sed cum aliis Chartis Epocham Liutprandi signantibus notæ istæ minime consentiunt. Itaque diligentius membranam illam perscrutari opus esset. In ea verò *Ansfridus V. V Clericus* se famulaturum pollicetur *Beato Sancto Laurentio, & sancto Valentino de Vaccule* cunctis diebus vitæ suæ. Sacro autem loco *omnia sua bona, Servos, & Ancillas* offert, usufructu tamen, dum vixerit, sibi servato. Sunt & aliæ Chartæ ejusdem ritus testes; atque inter alias unam mihi obtulit Tabularium Monasterii Veronensis Sancti Zenonis, scriptam *Regnante D. N. Karolo Rege in Italia Anno Quadragesimo per Indictione Quarta*. Annum designare nescio; nam aut aliquod est vitium in hisce notis, aut eas non satis accurate ego descripsi. *Indictio Quarta* Annum Ch. 811. exhibet; *Annus* verò *XL. Caroli M.* Annum 813. aut 814. Utcumque sit, heic etiam habes, quod adnotavi in Differt. X. *de minor Just. Ministr.* videlicet Carolum M. uno titulo *Regis* donatum aliquando a Notariis fuisse, vel postquam Imperiali nomine ac dignitate fulgebat. Sequitur in membrana illa: *Domino sancto & veneravile omnium locorum Theonesto Christi Martyre, cujus Ecclesia constituta est super Civitatecla, ubi cognominatur Monasterio Novo: Ego Petrus filius b. m. Olvolo de loco Fanazio primo omnium trado & offero me ipsum in hunc sanctum & veneravilem Templum Domino deserviendum* &c. Tum suas fortunas eidem sacro loco offert. Locus, ubi olim fuit Monasterium hoc Sancti Theonisti, eruditi Veronenses nobis aliquando edicent, an censendus sit in Civitate ipsa Verona. Hæc autem verba revocant mihi in mentem *Monasteriolum*

A *Novum situm in pago Tarvisiano*, a Lothario I. Augusto Monasterio ipsi Veronensi Sancti Zenonis collatum, ut est apud Ughellium in Diplomate Ludovici II. Augusti Tom. V. Ital. Sac. in Episcop. Veron. Vide Differt. XXX. *de Mercatib.* Ejusdem Monasterii mentio in aliis Chartis Cœnobii Zenoniani mihi occurrit. Altera namque has notas præfert: *Imperante Domno nostro Karolo hic in Italia Anno Quinto, Mense Augusto, Indict. Secunda*, idest Anno 884. heic enim puto Carolum Crassum Augustum designari. *Placuit atque convenit inter Johannes Diaconus adque Monacho, seo Preposito Ecclesie vel Monasterio Sancti Theonisti, ubi vocatur Monasterio Novo; & ex alia*
B *parte Scambulo de Lobio vico, quem nominatur Ciumario filio quondam Johannis* &c. Altera exarata fuit *Regnante adque Imperante Domno nostro Hulduwico Imperatore in Italia Anno Vigesimo nono, die octavo de Mense Marcio per Indictione Quarta*. Ne heic quidem Annum certum designare audeo; nullum enim ex Ludovicis Augustis habeo, qui annos XXIX. imperarit. Mihine describenti, an Chartæ vitium tribuendum sit, ignoro. In ea *Rodaldus filius b. m. Auperto* &c. *Vico Veglacius* testamento sua relinquit in Monasterio, ubi nominatur *Monasterio Novo ad Ecclesia Sancti Petri & Theonesti*. Ad ritum redeo offerentium sese una cum suis bonis Ecclesiæ alicui, aut Mona-
C sterio, atque ajo, ipsum diu perdurasse. Quippe ejus quoque usum reperio in Charta apud Monachos Benedictinos Cœnobii Mutinensis Sancti Petri, Mutinæ scripta *Anno MCCX. die Jovis VII. intrante Octobre, Domino Ottone Rom. Imperatore regnante. Anselminus quondam Blancallonis de la Rocca Corneta dedit & obtulit se & sua bona omnia & nominatim petiam unam terræ positam* &c. *in manu Domni Johannis divina gratia Abbatis Sancti Petri Mutinæ recipienti nomine Ecclesiæ Sancti Petri Mutinensis, ponendo investituram L. librarum Imperialium super Altare. Qui Anselminus renuntiavit omni proprio, & promisit ipsi Domno Abbati continentiam, & veram obedientiam.*
D *Et ipse Domnus Abbas recepit eum in Fratrem & Conversum, mittendo ipsum sub panno Altaris, & osculando eum ipsum, & ejus Fratres tamquam Conversum. Actum Mutinæ in Ecclesia Sancti Petri juxta Altare solemniter præsentibus* &c. Immo & Anno 1273. Morenus de Adigerio paria præstitit, atque inter cetera *juravit castitatem, & fidelitatem, & continuam residentiam, & offeruit se cum libro in manu sub Altare Sancti Michaelis de Monasterio de Pavulle*; nempe & istud suberat Monasterio Mutinensi Sancti Petri. Quod etiam animadverti, si quis Presbyter olim sua bona Ecclesiæ alicui offerebat, is in Rectorem ipsius ab Episcopo statim eligebatur. Charta est in Ar-
E chivo Lucensis Archiepiscopii, data *Anno XXIII. Caruli Regis, & XVII. Pippini Regis, Mense Majo, Indict. V.* idest Anno 797. quo *Johannes Episcopus Lucensis*, quandoquidem Aldipertus sua bona obtulerat Ecclesiæ Domini & Salvatoris ab ipso Domno Johanne ædificatæ prope Ecclesiam Sancti Martini, ipsum Rectorem statuit ejusdem Ecclesiæ. Veri videtur simile, non defuisse temporibus iis censores, qui Monachos, quasi aucupes aut hereditatum, aut patrimoniorum, arcesserent, quando Novitios locupletes ad suum ovile adducebant. Quare Casinenses Monachi, ut a se calumniam hanc amolirentur, in more habuerunt, Novitium horta-

hortari, ut potius in pauperes, quorum ingens copia numquam defuit, aut in consanguineos, quam in Monasterium ditissimum sua bona effunderent. Juvat huc adferre verba Ritus ipsius, quæ ex Casinensis Cœnobii antiquissimo Codice excerpta mecum communicavit D. Camillus Affarosius Monachus & Cellerarius Benedictinus, qui nunc totus est in contexenda Historia Monasterii sui Regiensis Sanctorum Petri & Prosperi.

A

Ritus Casinensium Monachorum in admittendis ad Professionem Novitiis.

" POstquam Novitius compleverit Annum, " & visus fuerit patiens, & obediens, & " probatus, tunc venire debet in Capi- " tulum, & debet illi dicere Abba: si potes ob- " servare, dic; si responderit, domino juvan- " te, possum, & volo, tunc debet illi dicere " Abba: Ecce Frater, si vis Deo omnipotenti " servire, vade, vende omnia tua, & da " pauperibus, & veni sequere Christum. Sed " si ille dixerit, quia in hoc Monasterio volo " tribuere; tunc dicat illi Abba; Frater Deo " adjuvante, nobis non est necessaria tua res, " eo quod nostra indigentia habet unde sup- " pleatur, sunt enim alii pauperiores nobis, " aut etiam Monasteria, vel certe parentes " tui forte plus sunt pauperes quam nos; & " ideo melius est, ut pro mercede illis tribuas, " qui plus indigent quam nobis. Si autem " ille dixerit quia volo pro mercede animæ " meæ magis in hoc Monasterio tribuere, " quam alteri dare, tunc donare debet rem " suam aut pauperibus, aut in Monasterium. " Cum hoc fecerit, tunc debet venire in " Oratorio, & ibi exui suis vestibus, & ve- " stiri rebus Monasterii &c.

Verùm non adeo delicate & caute reliqua Cœnobia, & Canonicorum Collegia processisse videntur. Neque Clarifs. P. Martene in illustrandis Monachorum Ritibus alterum huic similem protulit. Vereor etiam, ut ista Casinensium cautela satis fuerit ad obstruenda ora censorum; quamquam non negem, quin laudanda saltem fuerint ejusmodi hortamenta: Nam ex Concilio Cabilonensi II. Anni 813. edifcimus, irrepsisse avaritiæ artes in pias ejusmodi prædas. *Constituit* (ita ibi Cap. VII) *Sacer iste conventus, ut Episcopi sive Abbates,*

B

qui non in fructum animarum, sed in avaritiam & turpe lucrum inhiantes, quoslibet homines illectos circumveniendo totonderunt, & res eorum tali persuasione non solùm acceperunt, sed potius subripuerunt, pœnitentiæ Canonicæ, sive Regulari, ut puta turpis lucri sectatores subjaceant &c. Quod plus est, additur: *Res namque, quæ ab illectis & negligentibus datæ, ab avaris & cupidis non solùm acceptæ, sed raptæ noscuntur, heredibus reddantur, qui dementiâ parentum, & avaritiâ incentorum, exheredati esse noscuntur.* Non hæc postrema laus inclyti Augusti, Caroli videlicet Magni, hisce abusibus consuluisse, ac tantam Episcopis Imperii sui constantiam inspirasse. Denique vide, quæ hanc in rem attulit Clarifs. Mabillonius in Veterib. Analect. Ibi inter cetera

C

habentur Siberti Prioris Sancti Pantaleonis, & Rodulfi Abbatis Sancti Trudonis Epistolæ, quibus hujusmodi morem tuentur. Præcipue legendum Carmen, cujus hi primi versus:

Quando vult aliquis, ut fiat Cœnobialis,
Ex omni, quod habet, partes æquas faciat tres.
Unam pauperibus det, & una domi teneatur;
Tertia debetur Sanctis, ad quos gradietur.
Hoc ego justitiâ magis assero, quàm Simoniam &c.

Quarto Ecclesiæ, & sacra Cœnobia, quæ rore uberiori fruebantur, præter hæc sibi alia multa Emtionis titulo, non secus atque sæculares viri, sibi conquirebant: cujus rei in-

D

numera exempla passim occurrunt in vetustis Archivorum monumentis, & in Chronicis Monasticis. Unum tantummodo propter vetustatem suam exerere mihi placet ex Archivo Canonicorum Regularium Pistoriensium, ubi antiquum apographum adservatur.

Charta venditionis bonorum factæ Hildeperto, qui & Ildo, Abbati Monasterii Pistoriensis Sancti Bartholomæi a Guillerardo Episcopo Pistoriense, Anno 812.

✝ E*Xemplar. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Karolus Serenissimus Augustus a Deo electus, & coronatus magnus, & pacificus Imperator Romanorum guvernans Imperium, qui & misericordia Dei omnipotentis Rex Francorum, & Longobardorum in Italia, postquam Papia Civitate ingressus est Anno trigesimo nono, die vigesima mensis Novembris, Indictione VI. feliciter . . . . Manifesti sumus nos* Guvillerad Sanctæ Pistoriensis Ecclesiæ, *Zacchæus Presbyter filius quondam Alchisi, & Tarsimanno filio b. m. Inroni, eo quod ante hos annos Isferard Presbyter, qui ad solitaria pertransivi vita filio quondam Gaiprandi in nos per suum Judicatum tradedit instituì, & judicavi quid, aut quomodo nos ex ejus substantia deveamus venundare pretio tollendi pro anima ejus distribuendum omnia, ita quod aut qualis nobis ipse Isferad tradedit per Cartula Judicati sui conscripta per manus Ansprand Subdiaconus, & Notarius in nos confirmavi, ideoque nos jam dicti Guillerad Episcopus, Zacchæus Presbyter, & Tassimanno, secundum ejus Decretum de sua substantia vendidimus, atque tradidimus tibi Ildeperto, qui Ildo clamatur venerabili Abbati Monasterii Sancti Bartholomæi tres Casæ, & portionis massariciæ in locus qui dicitur Basiano, qui regitur una ex ipse per Marungula. Alia per Durinnundulo. Tertia per Bonellu, & sunt Casæ, & rebus ipse in finibus Senense, ut diximus, tam prædictæ Casæ & portiones cum omnibus pertinentiis, & adjacentiis de rebus ipsius Isferadi Presbyteri ad ipse Casæ in quibuscumque loco justo ordine pertinentibus tam in montibus, quam in vallibus, ac padulibus, fontis, rivis, aquis, aquarumque ductibus cum finibus & . . . . . . terminibus & accessionibus suis, cultis rebus & incultis, cum omnibus inferioribus, & superioribus suis ad rebus ipsis . . . . pertinentibus, movilibus, & immovilibus, seu qui se moventibus qualiter superius locuimus, omnia in integrum tibi qui supra Ildo Abbas a parte Sancti Monasterium venditionis titulo tradidimus. Pretio vero pro omnia suprascripta venditio ad se suscepimus argento solidos viginti per novinos denarios pretium finitum & deliveratum in tali ordine, ut si de dicta suprascripta venditio nostra quicumque homo veniant adversus te Ildo Abbas vel adversus tuis successoribus, vel contra pars prædicti Monasterii vestri Sancti Bartholomæi cum qualive notificatione, aut conditione . . . . ventilatione causas agendi, & nos vel posteribus heredibus, aut successoribus nostris vobis ab ipsos suprascriptos contractores, suprascripta venditio nostra non potuerimus defensare, tunc nihil alia patiamur exinde molestia, nec calomiam, nisi tantum partis vestræ reddere deveamus alio tanto pretio quantum ut superius legitur ad te Ildo Abbas suscepimus. Nam si quecumque alius homo sine nostra factione, vel traditione quocumque tempore adversus vos de suprascripta venditio nostra litigaverint, aut causaverint, tunc tu jam nominatus Ildo Abbas vel tuis successoris qualiter per melius potueritis vobis per vos ipsis suprascriptæ Casæ & rebus deveatis defensare omnino exinde Causas agendi responsum reddendi fine ponendi potestatives esse deveatis, nam nos suprascripti venditoribus, neque nostris posteris hæredibus, aut successoribus exinde auctori, nec defensatori, neque restauratoris, aut pretium redditoris quærere non deveatis, quia & nos vobis, nec a parte ipsius sacri Monasterii Sancti Bartholomæi de tali homine, qui fortasse vobis suprascripta venditio nostra sine aliqua traditione aut factione nostra etiam dixerit auctoris nec defensatoris, nec restauratoris, nec pretium redditoris non permittimus quam in is omnibus modis, ut superius textum menutius designat, tibi suprascriptæ Casæ, & rebus vendedimus, & sub tali titulo ad te pretio ipso suscepimus, quod pro animæ remedium ipsius Isferadi juxta ejus dispositum dispensavimus, & in hoc tramite ut superius circumscriptum est, hanc chartulam Gauspert Notarius scrivere rogavimus. Actum Pistoria Regnum, & Indictione suprascripta feliciter.*

✠ *Ego Gvilleradus Episcopus in hunc scriptum a nos facto manu mea ss.* ✠ *Ego Zacchæus Presbyter in hunc scripto ad nos factum manu mea ss.* ✠ *Ego Tassimanno in hanc chartula a nos facta manus mea ss.* ✠ *Ego Petrus rogatus a Guulerad Episcopus & Zacchæo Presbyter & Tassimannu manus mea ss.* ✠ *Ego Ansprandus rogatus a Guillerada Episcopus, & Zacchæo Presbyter, & Tassimanno testis subscripsi. Signum* ✠ *manus Fusoni filio quondam Bautoni teste. Signum* ʃ *manus Pranduloni germano ejus teste, & signum* ʃ *manus Rechiprand filio quondam de Orelli teste. Ego qui supra Gauspert scriptor post traditionem complevi & dedi.*



Ego Gualbertus Notarius & Judex sacri Palatii scriptor authenticum illud vidi, & legi, ut in hoc exemplar scriptum est, & quod inibi scriptum inveni fideliter exemplavi.

Episcopus iste ab Ughellio appellatur *Vuiltretradus*. Corrige ut supra. Ac propterea in Imperatorum & Regum Diplomatis confirmata videas Ecclesiis quæcumque eis obvenerant, aut in posterum obvenire possint *ex emtione, traditione, comparatione, commutatione* &c. Quod quidem etsi confirmatione minime indigeat, attamen Lectorem non pigebit intueri disertis verbis expressum in Berengarii I. Diplomate Ticinensi, quod mihi ad instar archetypi scriptum videbatur, sed fortassis archetypum dicendum non est. Hujus etiam mentionem fecit egregius Comes Donatus Silva Mediolanens. in Differt. ad Synodum Ticinen. Tomo II. pag. 416. III. Rer. Italic. Ibi verò, ut ego quoque inspexi, nisi me fefellerunt oculi, legebatur *Annus DCCCXCVIII.* copulatus cum *Indictione II.* Verùm Indictio II. non cohæret cum Aprili Mense Anni 898. ac proinde scribendum videbatur *Anno DCCCXCVIIII.* & præci-

præcipue quod V. Kal. Aprilis Anno 898. minime decurrere potuit *Annus XII.* Regni Berengariani. Ad hæc alterum quoque Diploma ejusdem Berengarii inspectum mihi est in eodem Archivo, hoc est penes Sanctæ Mariæ Theodotæ Sanctimoniales Ticini, datum *Anno DCCCXCVIIII. V. Id. Martii Anno Regni XIII. Indictione III.* quod archetypum mihi tunc apparebat, memoratumque pariter videas a supra laudato Comite Silva. Occurrunt & heic ipsissimæ, quæ in superiori Diplomate, difficultates: quapropter utrumque monumentum subjicere Lectorum oculis statui, ut rem intimius perpendant. Equidem si verum fate- A ri licet, legitima præstare nolim hæc Privilegia, quum constet mihi ex tot aliis minime dubiis Berengarii I. Diplomatis, quæ in hoc Opere dedi, ipsum communi Æra, & vulgari Indictionum ordine usum fuisse; suntque ex iis nonnulla in ipsa Ticinensi Urbe data, atque eisdem Sanctæ Mariæ Theodotæ Sanctimonialibus concessa. Ubi ergo pari certitudine liquebit, Berengarium diversam interdum Chronotaxim adhibuisse, tunc omnem dubitationem exuam. Sed vide quæ ego ipse attuli in Differt. XXXIV. *de Diplomat.* Et interim utrumque Diploma.

Berengarii I. Italiæ Regis Diploma, quo omnia jura & bona ad Monasterium Monialium Ticinensium S. Mariæ Theodotæ confirmat Anno 898.

„ IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei „ æterni Berengarius divina favente clementia Rex. Si circa servos & ancillas Dei munificentiam nostræ benignitatis „ largimur, credimus hoc ad animæ nostræ „ salutem efficaciter pertinere. Igitur omnium „ fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque „ presentium scilicet & futurorum cognoscat „ industria, qualiter quedam Dei ancilla Rixinda nomine, Monasterii Sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ Abbatissa, „ quod est situm infra Urbem Ticinensem, „ & nominatur Theodote, pro diversis Monasterii sui utilitatibus . . . . . . ob amorem „ supremi Numinis præceptum confirmationis „ fieri dignaremur. Cujus precibus, quia „ justa petuntur, libentissime adquiescentes, „ hoc mmunitatis nostræ præceptum conscribi jussimus, per quod omnino percipientes „ jubemus, ut eadem Abbatissa degens sub „ Regula Sancti Benedicti idem Monasterium „ cum adjacentiis juste & legaliter pertinentibus, mobilibus atque immobilibus rebus, „ adquisitis & adquirendis usque in finem vitæ „ suæ teneat atque possideat. Insuper etiam „ confirmamus omnes res, quascumque idem „ Monasterium longo tempore dignoscitur possedisse a Gregorio ipsius Monasterii Fundatore. Idest inter ceteras res, campos, rivumque, quem ipse quondam Monasterii „ Fundator comparavit ab Ottone & Laurentio, cum Ecclesia Sanctæ Mariæ, quæ dicitur Corbellari, ac etiam alia Ecclesia in „ honore Sancti Vincentii in loco, qui dicitur „ Venerosassi, cunctisque aliis rebus in omnibus locis atque vocabulis eidem Sancto „ Cenobio a tanto fundationis institutore concessis de jure parentum, seu donatione, „ traditione Regum, aliorumque hominum „ comparatione quorumcumque, & quarumcumque legalium conscriptione cartarum, „ aut postea prætaxatum venerabile Monasterium a donis Regum, atque Imperatorum „ Predecessorum nostrorum, aliorumque diversorum hominum ex emptione, donatione, fidelium quoque oblatione, traditione, „ comparatione, commutatione, libellorum „ cartarumque conscriptione adquisivit, ac „ deinceps juste & legaliter adquirere potuerit, tranquillo jure per hoc nostre auctoritatis preceptum possideat; & ut liceat „ eidem per hoc nostræ auctoritatis preceptum B „ eidem Cœnobio, secundum Regulam Sancti „ Benedicti de propria Congregatione Abbatissam eligere; sintque omnes res ejusdem „ Monasterii, tum homines liberi & servi, „ quamque omnes alias res sub Regali defensione munitæ atque defensæ. Et si necessitas fuerit de rebus & Familiis ipsius, per „ inquisitionem circumquaque manentium bonorum hominum, sicuti de nostris Regalibus rebus rei veritas approbetur. Hoc quoque statuimus, ut nullus Reipublicæ Minister, neque aliquis ex Judiciaria potestate „ homines ejusdem Monasterii liberos, aut „ servos deinceps inquietare presumat, nec „ loca ad causas audiendas, vel freda exigenda, C aut tributa, vel mansiones, aut paratas faciendas, nec fidejussores tollendos, aut „ homines ejusdem Ecclesiæ ingenuos vel servos super terram ipsius commanentes distringendos, nec ullas redhibitiones, aut illicitas occasiones requirendas, ingredi audeat. Et quicquid exinde Fiscus noster, „ vel Pars publica sperare potuit in eodem „ Monasterio, secundum concessionem & confirmationem Lotharii, & Ludovici Imperatorum Predecessorum & Consanguineorum „ nostrorum, solemni ac perpetua stabilitate „ firmamus. Damusque ei licentiam, secundum eorum statuta de Silva Carbonaria materiamen ad reparationem ipsius Monasterii D „ suscipere, ac ligna ad usum ignis habere „ juxta temporis opportunitatem. Et quandocumque necessitas imminet, naves ejus „ per Ticinensem Portum, tam per Portum „ Buricum, quamque per quemlibet alterum „ discurrere possint absque alicu us impedimento, vel telonei exactione. Et omnes rerum „ commutationes, quas prædicta Rixinda Abbatiss fecit, maneant inconvulsæ. Hæc autem omnia superius allegata, sicuti a Predecessoribus nostris Regibus, seu Imperatoribus concessa & confirmata sunt, inconvulse „ concedimus & firmamus eidem venerabili „ loco perfruendum temporibus perpetuis jure „ firmissimo possidenda, ut sub tuitionis no- E stræ mundburdo secure & sinceriter perseverent. Insuper confirmamus in prefato Monasterio pro mercede animæ nostræ Vadum „ unum in Pado ad piscandum, ubi nominatur ad Putheolam, habentem terminum superiorem, in quo currere solet, deinde „ percursit ad eum locum, ubi Agonia influit

„ Padum, constituentem prædicto venerabili Monasterio Insulas juxta predictam jurisdictionem ex utraque parte Padi, quicquid antiquo tempore idem Monasterium seu moderno obtinuit, vel Padus invasit, aut in futurum irruperit, de propriis ipsius Monasterii rebus fine Nebiasco usque in fluvium Ugoniæ, deinde ipse finis descendit in Padum, & ad termino, qui vocatur Grindolado, percurrit in Melum insitum, deinde ad Portum Caputlacti, quantum idem Monasterium preterito tempore obtinuit suo jure, & nunc legaliter obtinere videtur, seu quod Cunipertus Rex inibi per suum contulit preceptum. Precipientes igitur jubemus, ut nemo ex fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, simul nostris, neque presentibus, neque absentibus, parti predicti Monasterii de his A omnibus, que supra a nobis concessa, & confirmata sunt, quolibet tempore ullam presumat inferre molestiam, vel contrarietatem, sed sub omni integritate, sicut a nobis concessa & confirmata sunt, perenniter ibidem ad utilitatem Monasterii ipsius sine aliqua diminutione permaneant Si quis autem, contra hujus nostri precepti securitatem, aliquam violentiam aut invasionem inferre temtaverit, sciat se compositurum auri optimi libras triginta, medietatem Palatio nostro, & reliquam medietatem parti ejusdem Monasterii. Et ut hæc nostra auctoritas pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, manu propria subter firmavimus, B & annuli nostri impressione insigniri jussimus.

„ Signum Domni [monogram: BERENGARIUS] Berengarii gloriosissimi Regis.

„ Petrus Cancellarius ad vicem Petri Episcopi & Archicancellarii recognovi.

„ Dat. V. Cal Aprilis Anno Incarnationis Domini DCCCXCVIII. Anno verò Regni Domni Berengarii gloriosissimi Regis XII. Indictione II.

„ Actum Papiæ Palatio Regio in Dei nomine feliciter. Amen.

Confirmatio Privilegiorum facta a Berengario I. Italiæ Rege Monasterio Monialium Ticinensium S. Mariæ Theodotæ Anno 899.

„ IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni. Berengarius divina favente clementia Rex. Si circa servos & ancillas Dei in venerabilibus locis famulantes tuitionis nostræ munificentiam, nostros prædecessores imitantes, clementer impendimus, & apud Deum veniam promereri, & Regni nostri statum divina ope fulciri non ambigimus. Omnium igitur Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque presentium scilicet ac futurorum noverit industria, qualiter Andreas venerabilis Archiepiscopus Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ noster fidelissimus obtutibus nostræ majestatis optulit preceptum nostra pietate collatum in Richisindam Abbatissam Monasterii, quod dicitur Theodotæ, situm infra Urbem Ticinensem, suppliciter postulans, ut eodem tenore in Rixindam ejusdem neptem, quæ nunc est in eodem Cœnobio Abbatissa, similiter nostrum emitteremus C preceptum. Cujus precibus nostræ Celsitudinis animum inclinantes hoc immunitatis nostræ præceptum conscribi jussimus, per quod omnino precipientes jubemus, ut eadem Abbatissa degens sub Regula Sancti Benedicti id Monasterium &c. possideat. Insuper etiam confirmamus omnes res, quascumque idem Monasterium longo tempore dignoscitur possedisse a Gregorio ipsius Monasterii fundatore, idest inter ceteras res Campus Zavani, quem ipse quondam tanti Monasterii fundator comparavit a Tatone & Laurentio cum Ecclesia in honore Sanctæ Mariæ, quæ dicitur Corbellariaca, & alia Ecclesia in honore Sancti Vincentii in loco, D qui dicitur Ventrolassi, cunctisque aliis rebus in omnibus locis atque vocabulis eidem Sancto Cœnobio a tanto fundationis institutore concessis &c.

„ Signum Domni [monogram: BERENGARIUS] Berengarii glotiosissimi Regis.

L. Sig. cer. deperditi.

„ Beatus Notarius ad vicem Petri Episcopi & Archicancellarii recognovi, & Data V. Idus Martii Anno Incarnationis Domini DCCCXCVIIII. Anno verò Regni Domni Berengarii gloriosissimi Regis XIII. per Indict. III.

„ Actum Papiæ Palatio in Dei nomine feliciter. Amen.

Commu-

Commutationum vero quamquam obvia sint in Archiv's Documenta, unum tamen Lectori, ut ominor, non ingratum futurum, exerere placuit, quod acceptum refero diligentiæ A doctissimi Viri Bartholomæi Campagnolæ Archipresbyteri in Urbe Veronensi, qui illud ex Archivo Capituli Canonicorum Veronensium hausit.

Monasterium Veronense S. Mariæ ad Organum permutat Servum suum pro terra & vinea cum Odelberto. Anno 944.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Regnantibus Domnis nostris Hugo Rege hic in Italia Anno Nonodecimo, & Hlodorio Rege filio ejus Anno Quintodecimo, sub die de mense Junii, Indictione Secunda feliciter. Sicut in Dei nomine placuit, atque convenit inter Petrus venerab. Abbas Monasterii Sancte Marie sito foris Portam Organi, necnon & inter Odelberto filius quondam Rotelcauso, ut in Dei nomine ambe partes inter se titulum commutationis facere deberint, quod ita fecerunt. Et quod in ordo legis contineri dignoscitur, ut unaquamque Ecclesia, sicut a longo tempore consuetudo fuit, ita ut servari debuerint: set in hunc Monasterium semper consuetudo fuit, ut de Servis & Ancillis ipsius Monasterii dedisset, & rebus ad pars jam dicti Monasterii recepisset. Pro eo dedit & tradavit in primis jam ante dicti Petrus Abbas da partem suprascripto Monasterio in commutationem suprascripto Odelberto præsenti die & hora ad suam potestatem ad habendum, idest persona una Servo ipsius Monasterii nomine Leto pro Servo nomine ad habendum. Ad invicem recepit antedictus Petrus Abbas ad partem suprascripto Monasterio in commutationem da suprascripto Odelberto presenti die & hora ad eidem suprascripto Monasterio proprietatem ad habendum, idest terra cum vineas super se habet in loco uno juris eidem suprascripto Odelberto, que posita est in finibus Veronensibus in Transmonte .... perticas viginti & una, pedes sex, lato de uno capite perticas duas, pedes sex, de ...... & semisse uno, ad pertica legitima de pedes duodecim ad extensis brachiis mensurata: quæ de uno latus via, de alio latus Johannes habet. De uno capite Suniverga habet, de alio capite ingresso commune per currentem, & infra designato loco, vel ejus confines, seu & predictas coherentias cum omnia super se habet, seu & suprascripto Servo, quem jam predictis commutatoribus, que sibi ambe partes unus alterius ad invicem tradiderant, & exinde sibidem nullam reservaverunt una cum ingresso communi. Hac autem ipsa commutatio visa atque estimata est ex utraque partium per Teudibertus & Goribertus Presbyteris, & Audibertus Diaconus missis da partem suprascripti Monasterii; & cum eis fuerunt bonis idoneis homines, corum fides amittitur, idest Pedelbertus da Ponte filius quondam Zeudiberto, & Gisevertus de Castro Veronensi filius quondam Aniverto, & Modelberto filius quondam Suniverto de foris Portam Organi. Et ipsi toti insimul estimaverunt justa legem, quod pars suprascripto Monasterio ab illo die plus meliorem & ampliorem rem recepisset, quam ipso Servo valuisset. Promittentes autem propterea ipsis commutatores, ut si ipsis, vel eorum successores atque heredes, si contra ea, que commutaverunt atque tradaverunt, ire temptaverint, aut eam frangere quesierint, & ab omni homine non defensaverint, & probatum fuerint, tunc tantum B & in quantum suprascripta commutatio cum omnia super se habuisset, suprascripto Servo eo tempore sub estimatione melioratum valuerint, de quantum exinde unus alterius eidem defendere non potuerint, aut contendere, vel minuare quesierint, ut in duplum restituant pars parti fidem servanti, cui super quam culpa respexerint ab ipso, qui in sua fide vel & scripto permanserint, vel ad eorum successores atque heredes, aut cui ipsis dederint. Et hac pagina commutationis omnique tempore firma & stabilis, inconvulsa, & inrevocabilis permaneat cum stipulatione subnixa.

Acto ad suprascripto Monasterio feliciter.

Ego Petrus Abbas in hac commutat. a me C facta manu mea subscripsi.

Ego Zeudibertus Presb. & Monachus in hac commutat. missus interfui, & mm. ss.

Ego Garibertus Presb. Monachus atque Prepositus in hac commutat. missus interfui, & mm. ss.

Ego Audibertus Diac. in hac commutat. missus interfui, & ss.

Ego Grauso Presb. in hac commut. consensi, & mm. ss.

Ego Fradibertus Presb. in hac commut. consensi, & mm. ss.

Ego Zeudibertus Diac. in hac commut. consensi, & mm. ss.

Ego Fredibertus Diac. in hac commut. consensi, & mm. ss. D

Ego Bonivertus Diac. in hac commut. consensi, & mm. ss.

Signum ✠ manibus suprascriptis Pedelbertus, & Gisevertus, & Madelbertus, qui in hac estimacione interfuerunt, & estimaverunt, & manus suas posuerunt.

Signum ✠ manibus Zeno filius quondam Audiberto, & Trasiverto filius quondam Suniverto, & Adelberto, qui Bundello vocatur, viventes lege Romana testes.

Signum ✠ manibus Leudiberto, & Luvemperto germanis filiisque Neoni testes.

Signum ✠ manibus Bonegiso filius quondam Petro Nisabro, & Johannis filii quondam Fradiberto testes. E

Ego Liutefredus Clericus Notarius, qui hanc paginam scripsi, & postradita complevi.

Quinctio non mediocris bonorum copia in jus ac potestatem Ecclesiarum, sive Cœnobiorum, concessit ex pia illorum industria, qui fortunas suas publicorum tributorum oneri subtrahere cupiebant. Quum enim Episcopia, Collegia Canonicorum, Monasteria, atque aliæ sacræ Ædes, aut Ecclesiastici cœtus, multis privilegiis ac immunitatibus ex bebeficentia Imperatorum & Regum fruerentur: Sæculares homines in propriam utilitatem intenti, ut hujusmodi privilegiorum participes efficerentur, sua donabant Ecclesiis, eâ conditione tacite adjectâ, ut eadem rursus ab Ecclesiis

clesiis reciperent in Emphyteusim, exiguam tantummodo polliciti pensionem, qua sacri loci dominium, ut ajunt, directum quotannis agnoscerent ac testarentur. Eâ ratione, mutato dumtaxat titulo seu nomine, fundos suos sagacissimi donatores retinebant sibi suisque posteris fruendos, immunesque insuper a publicis oneribus efficiebant. Ecclesiæ verò, deficientibus iis, eorumve liberis atque nepotibus, ejusmodi res, tamquam postliminio ad se reversas, tamdem recolligebant, atque integre jure suo possidebant. Non pauca hujusce consuetudinis exempla suppetunt in antiquis Archivorum membranis, in Chronicis Monasticis, Librisque etiam editis. Verùm Pippinus Italiæ Rex, sive ut ego edidi, Lotharius I. Augustus, fraudem hanc attentius quam sui prædecessores perpendens, eamque in non leve incommodum publicæ rei vergere deprehendens, latâ Lege, quæ inter Lotharii Langobardicas XXII. habetur, eidem frenum injecit, mandans ut in posterum hujusmodi res Ecclesiis donatæ, ac rursus titulo Emphyteusis receptæ, publicis functionibus obnoxiæ essent. *Placuit nobis* (ita ille) *ut liberi homines, qui non propter paupertatem, sed ob vitandam Reipublicæ utilitatem, fraudulenter ac ingeniose res suas Ecclesiis delegant, easque denuo sub Censu utendas recipiunt, ut quousque ipsas res possident, hostem & reliquas functiones publicas faciant. Quod si jussa facere neglexerint, licentiam eos distringendi Comitibus permittimus per ipsas res, nostra non resistente emunitate* (hoc est, non obstantibus immunitatibus ac Privilegiis per nos concessis cuicumque Ecclesiæ) *ut status & utilitas Regni hujusmodi adinventionibus non infirmetur*. Attamen vel post hanc Legem Pippini, sive Lotharii, aut ut melius dicam utriusque, perrexerunt multi eo pacto sua largiri Ecclesiasticis Collegiis aut locis. Nam quamvis publica omnia onera minime hac arte evaderent, nihilo tamen secius a Fisci unguibus, atque a potentiorum violentiâ, sub umbrâ ac patrocinio Ecclesiæ, bona illa emphyteutica facilius tuebantur. Ejusmodi Emphyteuseon innumera, pæne dixi, exempla adservantur adhuc in locupletissimo Tabulario Canonicorum Mutinensium, unde duo tantummodo excerpsi. Scripta est una ex iis Chartis Anno *Enricus gratia Dei Rex Anno Regni ejus Deo propicio in Italia Tercio, Sexto Kal. December Indict. Quincta. Et ideo in Dei nomine ego Warinus gratiâ Dei Episcopus Sancte Mutinensis Ecclesie per infyteochsria adque preeario nomine concedo tibi Adelburga filia quondam Petri* &c. *pecies quatuor de terra infra Castro qui dicitur Nova* &c. *Quas ipsas pecies de terra tu que supra Adelberga per cartulam offersionis pro tuam salvacionem emisisti in me qui supra Warinus Episcopus ad pars ipsius Ecclesie Sancti Geminiani* &c. Notæ Chronologicæ Annum MVI. exhibent. Accipe & alteram Chartam in eodem Tabulario Mutinensi exsistentem, & scriptam Anno Christi 841. aut 842. hisce Notis: *Lutharius divina ordinante providentia Imperator Augustus hic in Italia, Anni pietatis Regni ejus Deo protegente Vigesimo tertio, die Nonodecimo de Mense Septembrio Indict. Quincta. Leodohinus Gastaldus, & Crysteberga jugalibus petimus a vobis Domno Joha gratia Dei Episcopus Sancte Ecclesie Motinensis* &c. *concedere nobis dignetis* &c. *omnes res illas, quas ego qui supra Leodohino per cartula donationis pro remedio anime mee in Ecclesia Sancti Geminiani emisi, omnia in integrum* &c. Habemus heic Epocham Lotharii I. Augusti, quæ familiaris Mutinæ fuit, uti indicant geminæ aliæ Chartæ in eodem Archivo a me visæ, quarum prima scripta his Notis: *Ludowicus & Luthárius divina providentia Imperatores Augusti Anni Imperii eorum in Christi nomine Decimo, & Quarto, die Vigesimo primo Mense Junio Indictione Prima*. Idest Anno 823. Altera has Notas præfert: *Ludovicus & Lutharius divina providentia Imperatores Augusti, Anni Imperii eorum in Christi nomine Septimo decimo, & Undecimo, die Vigesimo secundo de Mense Octubrio, Indictione Nona*. Idest Anno 830. Hinc habes Lotharii Epocham, ex quo Rex Italiæ Anno 820. constitutus fuit, continuatam fuisse vel postquam Imperatoria dignitate auctus Coronam Romanam suscepit. Et eum quidem jam Anno 817. consortem Imperii Ludovicus Augustus pater effecerat. Idem quoque mos in Francorum Regno familiaris passim fuit. Porro quæcumque *Precariæ* aut *Præstariæ* referuntur inter Marculfi Formulas, & in Appendice Baluzii, & in Formulis Lindebrogii, aliquid exhibent sacris locis donatum, quod postea Emphyteusis titulo recipitur, aut loco illius aliquid aliud Libellario jure possidendum, donatori traditur. Et ne Mutinæ tantùm consistam, atque ut aliunde exempla petam, en tibi Chartam Senensem, quam mihi descripsit in horum temporum eruditione, dum vixit, versatissimus & doctissimus vir Hubertus Benvoglientus Patritius Senensis, ex membrana exsistente apud nobiles viros Bichios Comites Scorgiani Senenses. Olbertus Presbyter & Petrus Diaconus Canonicis Senensibus *per chartulam offersionis* duas domos dono dederant; exinde verò easdem petunt & recipiunt titulo Emphyteusis. Eo etiam gratior Charta hæc obveniat, quod ibi occurrant *Cardinales Ecclesiæ Senensis*: de quo titulo ac munere Disquisitionem LXI. supra dedi.

Canonici

Canonici Senenses Olberto Presbytero, & Petro Diacono in emphyteusim duas domus concedunt Anno 1000.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Regnante Domno nostro Otto Tertio gratia Dei Imperator Augustus Anno Imperii ejus Deo propitio in Italia Quarto, Septimo Idus Aprilis, Indictione Tertiadecima. Igitur in Dei nomine nos Johannes Clericus, & Cardine, & Prepostus Sancte Marie Domus Episcopio Senense, & Andreas Archidiaconus, & Sigizo Clericus .... Petrus Clericus & Primicerius, Sigizo Presbiter & Cardine, Petrus Clericus & Cardine, Martinus Diaconus & Cardine, Bonizo Diaconus & Cardine, Johanni Diaconus & Vicedominus, Johanni Clericus & Cardine, Johanni Diaconus, Wido Clericus, Azzo Clericus, Sigizo Presbiter, qui sumus de Canonica Sancte Marie, qui nos abemus ad custodiendum & a regendum de pars Ildebrando Venerabilis Sancte Senensis Ecclesie Episcopo, modo vero per uno libello, & pro nostra vera qui supra convenientia a pensionis nomine dare providimus vobis Olberti Presbitero filio bone memorie Alberti, & Petro Diacono filio bone memorie Petroni, per consensum Fratrum Canonicorum nostrorum: Idest Casis & rebus ille due qui sunt in Casalis & vocabulo Rigotuso de Bicolle Augustuli. Una Casa, que regitur per Tupeto, & per Urso; alia Casa, que regitur per Marco. Ab omni circuitu sunt designate & terminate; de una parte se tangunt Ecclesiam Sancte Marie; de alia pars .... que fuit Teuzi; de tertia pars .... a terra que fuit .... de quarta pars de Curte & via publica pervenientes usque in fossato. Alia terra, quæ est in suprascripto loco, qui vocatur Colle a Castelli, de una pars se tangunt terra mea qui supra Olberti Presbitero de latus, & de suptus, & desuper se tangente a terra Sancte Marie .... suprascripta terra, que per suprascripte locas sunt designates & determinates, cuncta sunt de vinea, de pomis arboribus, cum omnia infra & desuper se abentes ...... tu Olberto Presbitero per cartulam offersionis misisti in predicta Canonica Sancte Marie, sicut supra legitur, in vos qui supra tu Olberto Presbitero, & Petro Diacono, Barbas & Nepos, diebus vestris in integrum dedi & confirmavi abendum, tenendum, laborari faciendum .... & vestros recte .... & non pejoretur, & per omnia que supra legitur detis & persolvatis in pensione per vos aut per vestrum de vos diebus vite vestre, vel per vos misso, nos qui supra suprascriptorum denominati Canonici, aut a vestris posteris, Successoris Rectoris de predicta Canonica, vel a Proposito, aut a Ministeriale de predicta Canonica Sancte Marie per singulos annos de infra Mense Decembre denariis viginti & quatuor bonis spendibilibus. Volumus atque constituimus nos supradicti Canonici denominati ...... decesso Olberto Presbitero, & Petro Diacono, ipsa suprascripta terra & Case devenire in potestatem Alberti, & Petri; & Wilielmi germanis filii bo. me. Albstirgi, qui sunt Nepotes Olberti Presbitero, & in filiis heredibus eorum; & qualis de illi sine filios legitimos mortuus fuerit de ille qui supravixerit in portione defuncti succedat de suprascripta terra cum filiis & eredibus suis ad ipso suprascripto salvo ...... dandum & non amplius. Et per nulla .... vel pro qualibet superflua vobis nulla super imponamus. Novilias, & ...... seu frugens, & laborationes in vestra sit potestatem faciendum quod volueritis. Et si nos qui suprascripti denominati Canonici, aut a nostris posteris successores Rectores de predicta Canonica vobis Olberti & Petro Diaconus diebus vite vestre, & per vos decesso Alberti, & Petri, & Willelmi, & a filiis eredibus eorum amplius violento hordine superimposuerimus, aut si eam vobis suprascripta terra & case recollecte aut minime quesierimus per quodvis ingenio nisi quod supra legitur: tunc componamus nos vobis pena numerum de argento solidos centum providere promittimus nos qui supra Olberto Presbitero, & Petro Diacono diebus vite vestre vobis suprascripti denominati predicti Canonici & a nostris posteris successores predictos de predicta Canonica. Quod si omnia, qualiter vos suprascriptos decrevisti facere, adimplere restiterimus, & non adimpleverimus, si sicut suprascripta cartula non permanserimus, sicut supra legitur, tunc componamus nos vobis pena numerum de argento solidos centum, quia inter nobis taliter convenit. Quam vero duobus libelli convenientia nostra, qualiter supra legitur, Wido Notario Domni Imperatoris scribere rogavimus. Actum Sena.

Johanni Clericus Cardine & Prepositus ss.
Andreas Archidiaconus & Cardine ss.
Ego Sigefredus Clericus & Prior Scole ss.
Wido Clericus ss.
Petro Clericus & Primicerius ss.
Ego Johanni Clericus & Cardine ss.
Johanni Diaconus & Vicedominus ss.
Ego Johanni Diaconus ss.
Ego Martinus Presbiter & Cardine ss.
Bonizo Diaconus & Cardine ss.
Ego Maizo Presbiter consensi & ss.
Sigizo Clericus consensi & ss.
Suzo Presbiter ss. Ego Petro Clericus consensi.
Ego Olbertus Presbiter a me fa ......
Ego Petro Diaconus a me fa ....
Ego Donatus rogatus. Ego Rollando rog....
Ego .... Wido Notarius Domni Imperatoris postradita complevi & dedi.

Atque ex hac potissimum caussa factum est, ut potentiores Ecclesiæ pluribus in dies augerentur agris & juribus. Nam quo major erat potentia, majoraque Privilegia alicujus Ecclesiæ, eo facilius homines sub ejus umbra, & protectione sua bona collocabant. Ac propterea ingentem fundorum, & opum copiam congessere Episcopi, ac præcipue Archiepiscopi, seu eorum Ecclesiæ, simulque Abbates ac Monasteria præ ceteris eminentia, quum illis majores essent vires ad suos clientes, subjectos, & emphyteutas tuendos, eorumque bona protegenda. Rursus ob hanc præsertim caussam accidit, ut in tot diversis, atque etiam remotis Comitatibus ac locis Ecclesiæ & Monasteria Cortes, Ecclesias, aliaque bona possiderent.

derent. Qui enim eadem bona Ecclesiis offerebant, ita ut iis in posterum frui pergerent, remotiora non raro loca sacra conquirebant, quibus sua subjicerent, duplex emolumentum inde sperantes. Scilicet, se minime vexandos a tam longinquis dominis, & nihilominus fructum certum se ex eorum patrocinio perceptu ros, dum levem censum quotannis persolverent. Auctor est Petrus Diaconus Lib. IV. Cap. 25. Chronici Casinensis, Anno 1105. *Mathildam Comitissam concessisse* Cœnobio Casinensi *tertiam partem de Curte Sancti Benedicti, quæ dicitur in Pastorini*. Erat ista Curtis in Lombardia, & fortassis in Regiensi, aut Parmensi agro. Neque eam concessit, aut donavit Mathildis Comitissa Monasterio Casinensi, sed quidem dimisit; quippe quæ ad Casinates *venerat ex parte Gir[illegible] [illegible] C[illegible]rviatico*, nunc *Covriago* in territorio Regiensi. En quàm longinquis in partibus homines quærerent, cui sua donarent, iisdem tamen, dum viverent, fruituri. Accipe ergo Chartas a Petro Diacono hac de re memoratas, atque e Tabulario ipsius Monasterii Casinensis depromtas.

Judicium Matildæ Comitissæ de rebus Sancti Benedicti de M. Casino in Longobardia in loco Pastorini Anno 1105.

Anno ab Incarn. Domini MCV. X. Kal. Julii, Ind. XIII. Cum resideret Domina Mathilda in loco Sancti Cæsarii in judicio residentis ibique Bono Judex ceteris compluribus aliisque fidelibus adpræstantibus, scilicet Araldus da Melleagnano, & Ugone Armato, & Alberto de Manfredo, & Ubaldo de Scavato, & Plaginerius filio Bulgarelli, & Teberto de Nonantula, Causidicus quoque Odaltus, & Cuno de Bondeno, & Sigezzo filio Lamberti de Bononia, & aliis quampluribus: Petiit Georgius Sacerdos, & Monachus missus Casinensis Ecclesiæ Sancti Benedicti tertiam portionem de quadam Curte, quæ vocatur in Pastorini, ex parte Abbatiæ Sancti Benedicti propter Deum, & animæ mercedis Dominæ Mathildæ. Suprascripta Domina Mathilda cum taliter audisset, pro remedium animæ suæ concessit & permisit habere tertiam portionem de Curte Sancti Benedicti, quæ dicitur in Pastorini, sicuti ei venerunt ex parte Girardi da Curviatico, in illis locis, sicut supra legitur, ubi inventæ fuerint; & jam dictum Monasterium de Monte Casino faciat in usum, & sup-r eum Monasterium quicquid voluerit sine alicujus datione, & sine omni contradictione supradicta Domina Mathilda, & ejus heredes post ejus decessum. Et insuper addidit pœnam, ut si quis Princeps, aut Comes, aut Vicecomes, seu alia qualibet persona molestaverit suprascriptum Monasterium, ut sciat se compositurum nominatæ pœnæ libras LX. auri optimi, medietatem parti publicæ, & medietatem prædictæ Ecclesiæ.

✠ Mathilda Dei gratia si quid est.

Ego Bonus Judex sacri Palatii interfui, & firmavi.. Ego Odaldus Causidicus interfui. Ego Dominicus sacri Palatii scripsi, & subscribendo complevi.

Alterum

Alterum Judicium de eadem re Anno 1105.

Anno ab Incarnat. Domini MCV. mensis Junii, Indict. XIII. Dum in Dei nomine in loco Sancti Cæsarii juxta Basilicam resideret Comitissa ad causas audiendas ac deliberandas, residentibus cum ea Agerius, & Bono de Nonantula, & Ubaldo Judicibus, & Odaldo Causidico de Florentia; ibique cum ea Saxo de Bibianello, & Ugone Armato, & Albertus Lupo, & Miles da Goriano, & Aczo de Macreto, Giorgius, & Guido Adgieri, & aliis pluribus: petiit ibique in eorum præsentia Georgius Sacerdos & Monachus missus Casinensi Ecclesiæ Sancti Benedicti, Ecclesia Sancti Benedicti de loco, qui dicitur Pastorini, ut permisisset, & consensisset, eam habere cum omnibus rebus juris supradictæ Ecclesiæ, quod nunc habet, & acquirere potest. Suprascripta Domna Mathilda cum taliter audisset, concessit & permisit habere suprascripta Ecclesia ad prædictum Monasterium cum illis rebus, quod nunc habet, vel acquirere debet. Et insuper addidit pœnam; quod si quis Comes, aut Capitaneus, aut alia qualibet persona, aliquam injuriam, vel contra versutiam, vel molestiam adversus suprascriptam Ecclesiam sine legali judicio, ut sciat se compositurus nominatæ pœnæ libras LX. denariorum Lucensium, medietatem parti publicæ, & medietatem prædictæ Ecclesiæ.

Actum est hoc in loco Sancti Cæsarii in præsentia plurium bonorum hominum feliciter.

✠ Mathilda Dei gratia si quid est.

Ego Aggerius Regiæ Aulæ Judex interfui, & subscripsi. Ego Nomininii hoc signo. Judex Bonus hæc ego firmo. Ego Adaldus Causidicus. Ego Ubaldus Judex. Ego Dominicus Sacri Palatii Notarius scripsi, & subscribendo complevi.

Sexto, aliam viam inierunt Ecclesiarum Rectores, ut aliorum bona suis adjungerent; idque potissimum in usu fuisse video Sæculo Christi Undecimo. Petebat aliquis a sacris Viris in Emphyteusim, annuo censu promisso, agros, domus, Curtes etiam & Castella ad Ecclesiam spectantia. Quo id faciliori negotio impetraret, tantumdem, plusve minusve suorum bonorum Ecclesiæ illi offerebat atque donabat; sed eo pacto, ut ista etiam unà cum portione supradicta *precario* seu *libellario nomine* reciperet, iisque omnibus uteretur ac frueretur ipse, dum vita comes foret, aut etiam ejus filii atque nepotes. Atque huc respicere debent, qui interdum mirantur, cur sub onere tam levis Census tot Sæculares prædia etiam ampla possideant, ad jus Ecclesiarum spectantia. Plerumque hæc ipsa illorum Majores sponte Ecclesiis donarant, atque ab eis rursus Emphyteusis titulo receperant. Hac quoque methodo par est credere, adauctum fuisse Ecclesiasticorum Censum. Vità nempe functis Emphyteutis, tum sua, tum aliena sacer ille locus, aut cœtus recolligebat. Sed hanc methodum periculis multis obnoxiam


A fuisse ostendam infra in Differtat. LXXII. ubi varias recensebo caussas, ob quas Ecclesiæ a tot opibus deciderunt. Addendum quoque est, Ecclesiastico ordini ne licuisse quidem titulo Emphyteusis aliquid Sæcularibus petentibus concedere, nisi ab iis liberali erga se Ecclesiæ donarentur agri proprii, dimidium saltem pretii valentes earum rerum, quas ab Ecclesiis accipiebant. Ita tamen dona hæc plerumque fiebant, ut etiam agro donato frui liceret donatori, quamdiu viveret. In Synodo Meldensi Anni 845. constitutum fuit Cap. XXII. ut *Precariæ a nemine de rebus Ecclesiasticis fieri præsumantur, nisi quantum de qualitate convenienti datur ex proprio, duplum accipia-*
B *tur ex rebus Ecclesiæ, in suo tantum qui dederit nomine, si res proprias, & Ecclesiasticas usufructuario tenere voluerit.* Quod si rei donatæ usumfructum minime sibi reservabat Sæcularis, sed ejus statim possessionem ac usum in Ecclesiam transferebat, tunc *ex rebus Ecclesiasticis triplum fructuario usu in suo tantum quis nomine sumebat.* Canonem hunc laudat etiam Gratianus 12. q. 2. c *Precariæ*. Sunt & alia Concilia idem statuentia, quorum tamen legem mirum est, quot olim obliti fuerint, aut imperterriti conculcarint. Ceterum in Cathedralis Mutinensis Archivo quamplurimæ vetustissimæ pergamenæ non levem copiam ejusmodi Emphyteuseon suppeditant. Ac præ-
C ter alias unam jam dedi supra in Differt. I. *de exter. gentib* ubi Bonifacius Marchio, & Dux Tusciæ Anno 1034. ab Ingone Episcopo Mutinense duas Curtes in Emphyteusim accipit. Alteram Chartam hujus rei testem nobis nunc exhibet Archivum Estense. Obtulerat *Hugo Comes filius quondam Hugonis Marchionis*, unà cum *Mathilda* uxore sua Episcopio Ferrariensi, quæcumque sibi obvenerant *de hereditate quondam Almerici tam in Comitatu Ferrariense, quam in Gavellense*. Itaque eodem die Rolandus Ferrariensis Episcopus non ea solùm, quæ ii donarant, sed alios Ecclesiæ suæ agros & decimas iis in Emphyteusim concedit. Vide in Differt. XV. *de Manumission.* alteram Char-
D tam, quæ ad hunc ipsum *Hugonem Comitem* pertinere mihi visa est. Adde & alteram Chartam, quæ in Additam. ad Chronicon Casauriense a me evulgata fuit Par. II Tomi II. Rer. Ital. quam supra expendi in Differtat. VI. *de Marchion.* Scripta autem dicitur Estensis Charta Anno 1062 Februario mense. *Henrico Tertio regnante Anno Quinto*. Pagius in Crit. Baron. Henrico inter Augustos Tertio, inter Germanicos Reges Quarto, Epocham unicam Regni tribuit, deductam a morte Henrici II Augusti ejus patris, quæ III. Non. Octobr. Anno 1056. contigit. Heic habes
E Epocham Regni, ut puto, Italici serius inchoatam, fortasse quod Itali Proceres non statim censuere, puerum sibi eligendum in Regem.


Investitura, seu Charta Emphyteusis quarumdam Plebium & agrorum concessa Hugoni Comiti filio quondam Hugonis Marchionis, & Matildæ ejus Conjugi, a Rolando Episcopo Ferrariense Anno 1062.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Anno Dominice Incarnationis Millesimo sexagesimo secundo, Pontificatus Domni Alexandri Papæ Anno primo, Regnante Henrico Tercio quondam Henrici Imperatoris filio Anno quinto, die quarto decimo mensis Februarii, Indictione quintadecima, in Palacio juxta Ecclesiam Sancti Georgii Episcopii Ferrariæ. Notificamus ad memoriam futuræ recordacionis qualiter Domnus Rolandus egregius Episcopus Sanctæ Ferrariensis Ecclesiæ *concessit, & largitus est titulo atque investitura beneficii Domno* UGONI COMITI *filio quondam* UGONIS MARCHIONIS, *nec non inclitæ uxori ejus* MATILDE *totam, & integram plebem Sancti Georii, quæ dicitur Intramara, & integram medietatem .... plebe Sanctæ Mariæ de Gabiana, & Villa quæ vocatur Rotunduli, & decimationem, & totam decimationem habitancium omnium in Villa Corrigiæ, tam ex una parte gurgi, quam ex alia. Et insuper donamus quantum nobis pertinet per testamenti paginam Archæ positum Via Uratica, vel in aliis locis, quæ omnia sunt recta & laborata per manus heredum Milonis, atque heredum Almerici cum illorum consortibus. Et iterum concedimus vobis prædictis similiter pro beneficio, quantum vos ambo scilicet vir, & uxor concessistis hodie michi, meæque Ecclesiæ imperpetuũ quæ vobis obvenit quocumque modo vel titulo de hereditate quondam Almerici tam in Comitatu Ferrariæ, quam in Gavellense. Eo videlicet pacto atque tenore, ut si quis ex vobis duobus predictis prius obierit, sine aliqua diminucione deveniant atque permaneant in potestate & lucro ejus qui supra vixerit. Et qui supravixerit si cum legitimis hæredibus mortuus fuerit, deveniant hæc omnia ad hæredes eodem jure beneficii. Quod, ut absit, si contingerit vobis ambos sine hæredibus mori, hæc omnia integraliter revertantur sine aliqua occasione vel mora ad prædictam nostram Ecclesiam, cujus est jus & proprietas. Et si ego Rolandus prædictus Episcopus hæc omnia cum meis Successoribus non observaverimus, vel vobis eam tollere, aut diminuere vel vestris hæredibus, ego cui aut mei*

A *Successores per vim voluerimus; tunc promitto, atque obligo me, meosque Successores dare, vel componere vobis prædictis, vestrisque hæredibus auri obtimi libras sex, & post solutam pœnam hoc beneficium permaneat in suo robore firmitate. Quod pactum per manus meas Gregorii Diaconi, atque Sanctæ Ferrariensis Ecclesiæ Notarii conscriptum veraciter usque ad finem deductum sub die, mense, & Indictionibus præscriptis omnibus rogatus complevi & dedi.*

✠ *Bonus Judex Romani Juris Rolandum Episcopum rogantem videns ss.*

 *Ego Signoritus Sacri Palacii Judex interfui & subscripsi.*

B *Signum manus* 

Guidonis de Frederico & Gerli qui Vertelo, & Pagani Alberici filius, & Uberti .... Domni præscripti Episcopi, & Agislulfi, Gisulfi, atque Ezolo Guezonis, Arimundi, Johannis Tabelii, Adam de Amizo, Ungarelli, & Vettoli ad omnia prædicta, cum relectum est teste sicut supra legitur.

Noticia testium, idest		
Guidonis	*vlx.*	*testis*
Teli Johannis	*vlx.*	*testis*
Pagani	*vlx.*	*testis*
C *Uberti Adam*	*vlx.*	*testis*
Agisulfi Ungarelli	*vlx.*	*testis*
Gisulfi	*vlx.*	*testis*
Fzoli Etto	*vlx.*	*testis*
Guezonis	*vlx.*	*testis*
Arimundi	*vlx.*	*testis*

Simile exemplum Emphyteusis præbebit hæc altera Charta, in qua olim Nobilis Familia Mutinensis, nunc autem extincta, de *Bajoaria*, memoratur. Ibi animadvertas velim, Albertum de Bajoaria, quod Vassallus esset *Bonifacii Marchionis Tusciæ* petiisse ab eo veniam, ut hanc Emphyteusim sibi conquirens a Monasterio Nonantulano, quorundam agrorum donationem eidem Cœnobio faceret.

Libellus

Libellus Adelaxiæ uxoris Alberti de Bajoaria nobilis Mutinensis, per quem petit ac impetrat in emphyteusim multa bona a Rodulfo Abbate Monasterii Nonantulani, Anno 1043.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis. Amen. Anni ab Incarnacione D. N. J. C Millesimo quadragesimo tercio, decimo Kal. Junius, Ind. XI. Ego Adelaxia filia quondam Mantu de loco Legorzina, e conius Alberti de loco Bajoaria, per consensu ipsius Alberti jugale meo, ac eidem Alberti consensi, & licenciam dedi* Domno Bonefacius Marchius seniori nostro, *at vos* Domnus Rodulfus Abba de Monasterio Abbacie Sancti Silvestri, sito Nonantule, *ut tu mihi & at filii, hac nepotibus, qui de me, & de suprascripto Alberto jugale meo communi nostro amplexu nati fuerint masculinis filiis enfitheothecario nomine usque at expletum tercia generatione diebus vite nostre concedere dignaretis: hoc est casis & massariciis, seu omnibus rebus territoriis illis juris suprascripto Monasterio Abbacie Sancti Silvestri, quibus sunt positis in locas effundas Ustillia, & ubi dicitur Bragantino, seu ubi vocatur Caridulo &c. Et ego quidem Adelaxia presenticliter pro ipsis rebus omnibus, quas vos petivi, dono, & offero, & per Cartulam offersionis a parte predicto Monasterio abendum confirmo, hec sunt casis, & molendino, seu rebus territoris, qui*

A *sunt mansos &c. in locas effundas, ubi dicitur Pacianu, & ubi vocatur Runco Bennuli, seu ubi nominatur Faida &c. Quidem & ego ipse Rodulfus Abbate obaudivi, & petitionem suam intellexi &c.*

Ejusmodi Emphyteuseon alterum quoque exemplum vide in Additam. ad Chronicon Casaur. Par. II. Tomi II. Rer. Ital. pag. 952., ubi *Atto Comes* Anno 957 ab *Hilderico Abbate* de Curte quadam investitur. Hisce Chartis nunc adjectam volo unam ex Tabulario Benedictinorum Monasterii Regiensis Sancti Petri depromtam, in qua *Comes Abbas*, & *Duchissa* ejus Conjux jura ac bona præmemorati

B Monasterii in Castro Gualterii titulo Emphyteusis acquirunt, ea conditione ut eorum quoque bona post vitam suam in ditionem Monachorum veniant. Nomina ista *Comitis Abbatis*, & *Duchissæ*, cogitationes multas mihi ingessere, quum peregrina sint, si propria putem, & magis etiam peregrina, si aliquem eorum titulum sine proprio nomine designent. Judicium suum, inspecta ipsa Charta, Lector pronuntiet.

Comitis Abbatis, & Duchissæ ejus Conjugis concordia cum Attinulpho Abbate Monasterii S. Prosperi, nunc S. Petri, Regiensis de rebus Castri Gualterii Anno 1155.

IN *nomine Dei eterni. Anno ab Incarnat. D. N. J. C. MCLV. de mense Junii, Ind. III. Breve recordationis ad memoriam retinendam: Qualiter* Domnus Guido Abbas Monasterii Sancti Prosperi de Regio, *& Comes Abbas atque Duchisa Conjux sua inter sese concordati sunt de pacto & conventu, quod ipsi olim fecerunt cum* Domno Attinulfo Abbate Monasterii Sancti Prosperi. *Placuit Comiti Abbati, & Uxori ejus petere Domnum Attinulfum, ut eis concedere dignaretur diebus vite eorum quicquid Monasterium Sancti Prosperi possidet, vel possidere videtur in Castro Gualterii prope Campigine ex parte* Comitis Bosonis, *&* Uberti Comitis, *&* Comitisse Berte *intus Castro, & foris, preter Ecclesiam ejusdem Castri cum omnibus ad eamdem Ecclesiam pertinentibus, & mansos, quos* Beatris Matildis Comitissa *dedit jam dicto Monasterio, & domum Prandi cum omnibus ad nostram partem Monasterii pertinentibus. Et ipse Comes debet sibi acquirere, & vendicare partem Patris sui, & partem Ugonis Avunculi sui, & quidquid fili Ugonis Gislardi videntur tenere in predicto Castro & Curte tam intus, quam foris, eo videlicet ordine, ut per eos meliorentur, & non pejorentur. Et pro suprascriptas res, quas Monasterium nobis, qui supra jugalibus concessit, damus, & concedimus suprascripto Monasterio Sancti Prosperi ad jus & proprietatem quicquid nos q. s. Ju-*

C *gales habemus, & detinemus, aut per nos detente fiunt per quocumque modo intus Castro Gualterei, quam a foris in predicta Curte omnia & ex omnibus a nobis pertinere videntur in. in. ita ut nos q. s. Jugalibus debeamus tenere & usufructuare rem meam & vestram diebus vite nostre, & non habeamus potestatem de suprascripta re, scilicet de vestra, vel de nostra dare, vel aliquo modo transferre, nisi usufructuare diebus vite nostre, sicut supra legitur; post autem decessorum nostrorum, qui supra jugalium prenominatas res vestra & nostra deveniant in suprascripto Monasterio, cujus est proprietas, sine omni molestatione, quia sic nobis bona decrevit voluntas pro anime nostre*

D *mercede.*

Actum in Castro Campigine in casa supradictorum Jugalium feliciter.

Signum manibus suprascriptorum Jugalium, qui hoc breve fieri & scribere rogaverunt, in qua etiam subter confirmans testibus cum stipulatione subnixa.

Testes interfuerunt Gerardus de Nizola, Ardicio Caritatis, Blancus Abbatis, Roba Coradinus Regenti, Vitalis de Luzaria, Gerardus Tribugolus, Rodulfus de Fagita rogati sunt.

Ego Ingo Notarius Palatinus rogatus interfui & scripsi.

Septimo,

Septimo, jam diximus, sub Constantino Magno Ecclesias cœpisse capere hereditates integras, & legata testatorum piorum. Nunc addo, sub Regibus Langobardis, quos nonnulli tantopere contemnunt aut execrantur, amplificatum fuisse jus testantibus, ut liberaliores in sacra loca forent. Præter Legem VI. Lib. I. Liutprandi Regis: *Si quis Langobardus, ut habet* &c. ubi cuicumque facultas *pro anima sua judicandi de rebus suis* tribuitur, altera ejus Lex: *Hoc prospeximus*, Lib. IV. Cap. I. jubet, ut ne alicui, nisi ætatem annorum XVIII. superarit, liceat alienare res suas, sed simul addit, *ut si cuicumque ante ipsos decem & octo annos evenerit ægritudo, & se viderit ad mortis periculum tendere, habeat licentiam de rebus suis pro anima sua in sanctis Locis caussa pietatis, vel in Xenodochio, judicare quod voluerit; & quod judicaverit, stabile debeat permanere*. Hinc factum est, ut deinde in Langobardico Regno, vel ipsi pueri atque impuberes testari, suaque sacris Locis largiri finerentur. Proinde credendi sunt Clerici & Monachi non segnes ex hujusmodi Legislatoris benignitate, atque ex puerorum tenera ætate profecisse non raro. Bina consuetudinis hujus exempla ex vetustis tabulis petita Lector accipiat. Primum spectat ad Annum 794. quo Adaldus Lucensis *infantulus*, gravi ægritudine laborans, multa donat majori Ecclesiæ Lucensi, ea occasione memorans *constitutionem sanctæ memoriæ Liutprandi Regis*. Alterum pertinet ad Annum Christi Millesimum, quo *Guaiferius Comes*, *infantulus infra ætatem* ægrotans, Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Salernitanæ terras donat, mentione quoque per ipsum factâ Legis Liutprandinæ. Dixi Annum Millesimum, sed titubans dixi; fuit enim non unus Guaimarius Salernitanus Princeps, sub quo scripta fuit Charta. En utramque membranam, quarum primam ex vetusto antigrapho olim descripsi, exsistente in Archivo Archiepiscopii Lucensis; alteram verò suppeditavit mihi Tabularium Cavensis Monasterii.

Adaldus infantulus Lucensis ex ægritudine decumbens, domus nonnullas & agros majori Ecclesiæ Lucensi Sancti Martini donat, Anno 794.

In Dei nomine. Regnante Domno nostro Carulo, gratia Dei, Rege Francorum & Langubardorum, adque Patricius Romanorum, quo cepit Langubardiam, & filio ejus Domno nostro Pippino Rege Anno Regni eorum Vigesimo primo, & Quartodecimo, Duodecimo die post Calendas Novembris, Indictione Tertia. Manifestum est mihi Adaldo infantulo filio b. m. Waltperti, quia dum forte ægritudo præocupatus videre, & me ad mortis periculo tendere videre considerantes me Dei omnipotentis misericordia pro redemptione anime mee, secundum constitutionem sancte memorie Liutprand Rege, offero Deo & tibi Ecclesie beatissimi Sancti Martini infra hanc Lucanam orbem fundato ubi domus Episcoporum esse videtur, idest Casa avitationis mee quem habere videor in loco Arme Casa ipsa cum fundamento, Curte, orto, vel aliis edificiis, una cum terris, vineis, olivis, silvis, virgareis, pratis, pascuis, cultum, vel incultum, movilia vel immovilia, seu qui semoventibus vel homenis omnia, & in omnibus quantum in eo loco abere videor in integro, similiter & Casa mea Massaricia quem abere visus sum in loco Viniale, qui regitur per Miprandulo, seu & alia Casa mea in ipso loco Viniale, qui rectu fuit per Ursulo, simulque & una Casa mea Massaricia in ipso loco Arme, que regitur per Roppulo Uppaldo, simul & Casa & res mea illa in loco Burgo, seu & Casa & res mea illa in loco qui dicitur Veteri, omni ipse suprascripte Case cum fundamentis, Curtis seu Ortalias vel aliis edificiis, una cum terris, vineis &c. quantum ad ipse suprascripte Case & pertinentes, vel in jam dicte Casas abere videor tam Sundrialibus Casis & rebus, quam & massariciis, vel in quacumque alie locus qualibet res per qualibet genio mihi est pertinentes, vel homenis in integro, ut dixi pro remedium anime offero Deo, & tibi suprascripte Ecclesie beatissimi Sancti Martini, ut hoc die in tua predicta Dei Ecclesie beati Sancti Martini .... de tuis rectoribus sit potestate in prefinito, ut omni in tempore hec mea offersionis Cartula in tali ordine firma, & stabiliter maneat, & pro confirmationem Ghiselpert scrivere rogavi. Actum Luca.

Signum manus Adaldi, qui hanc Cartulam fieri rogavit.

Ego Gumpertus Presbiter rogatus a Adaldo infantolo me teste subscripsi.

Ego Asprandus Presbiter rogatus Adaldo infantolo me teste subscripsi.

Ego Pascalis Presbiter rogatus Adaldo infantolo me teste subscripsi.

Ego Ghisprandus rogatus Adaldo infantolo me teste subscripsi.

Ego Erminari Presbiter rogatus ab Adaldo infantolo me teste subscripsi.

Ego Ghiselpert post tradita complevi, & dedi.

Guaiferii Comitis in puerili ætate constituti donatio facta Ecclesiæ S. Mariæ Salernitanæ, Anno 1000.

IN nomine Domini. Duodecimo Anno Principatus Domni nostri Guaimarii, mense Augustus, XIII. Indictione. Ideoque ego infantulus infra etate nomine Gaiferio Comes, filius quondam Landoarii Comitis, clarefacio abere terra intus hanc Salernitanam Cibitatem inter muro & muricino a super., & propinquo Ecclesia Sanctæ Mariæ pertinentem ipsius Domni Principis, & Joanni Comiti germano ejus. Et ipsa terra mihi est pertinentes a pars supradicti Genitoris mei, & ipsius Genitori meo pertinentes fuit a pars Genitori sui; & ipsius Genitori mei in sortionem obvenit a germanis suis; & ipse Genitor meus terram ipsam ad Casa faciendum datam habuit ad Foretanis hominibus, sicut continet Breve, quod ad ipsi Foretani habui, quæ est terra ipsa conjuncta ad muro betere de ista Cibitate, & de subter parte ad biam. Et congruum est mihi pro mea anima inclyta ipsa terra, in qua ipsi Foretani Casam fecerunt, offerre in præfatam Ecclesiam Sanctæ Mariæ, in qua Dundellus Presbyter & Abbas præest. Et dum ego suprascripto Guaiferio a magna ægritudine deprehensus sum; & in Lex nostra Longobardorum continet, ut si cuiucumque ante decem & octo annos ebenerit ægritudo, & se biderit ad mortis periculum tendere, licentiam haberet de rebus suis pro anima sua in Sanctis locis causa pietatis, vel in Sinedochio judicare quod voluerit, & quod judicaberit pro anima sua, stabilem permaneret. Et ideo ego Guaiferius per hanc Chartulam obtulimus Deo, & ipsa Ecclesia Sanctæ Mariæ inclyta ipsa terra, in qua ipsi Foretani Casa factam habent; cum omnia intra se abentibus, & suis pertinentiis, & eum bice de bia sua, & cum sortionem meam de ipsa signamina de ipsa Casa in eadem Ecclesia offerui ad securiter amodo, & semper pars ipsius Ecclesiæ, ejusque Rectores illuc abendum, possidendum, dominandum, omnia exinde faciendum quod voluerit. De qua hobligo me quo supra Guaiferio, & meis heredibus amodo & semper antestandum & defensandum ad partes ipsius Ecclesiæ, & ad Rectores ejus inclyta supradicta mea offertione de omnes homines omnique partibus. Si taliter illut ad pars ipsius Ecclesiæ non defensaberimus, aut si ego, vel meis heredibus, quomodocumque vel qualicumque ratione quesierimus illut, vel exinde de potestate ipsius Ecclesiæ, vel de Rectores ejus tollere aut conare, aut si quod causationes inde proposuerimus, componere hobligo me, & meis heredibus in ipsa Ecclesia, & ad Rectores ejus tricentos auri solidos Const. & sicut superius legitur, illut in ipsa Ecclesia defensemus. Et quando pars ipsius Ecclesiæ, vel Rectores ejus voluerit de supradicta nostra offertione esse authores, potestatem habent hice nostra in omnibus inde caussare, & finem facere, qualiter voluerit, cum quale monimen & rationem inde habere potuerit. Tantum de supradicta nostra offertione eceptuabi quarta Albaræ Genitricis meæ, quod per suum Morgincaput legibus ibidem habere debet. Illo aliut de ipsa terra & Casa in ipsa Ecclesia offerui; & supradicto offertione feci ante presentiam Petri Judici, & subscripti idoneis hominibus, & taliter scribere rogabimus ti Petrus Notarius. Actum Salerno.

✠ *Ego qui supra Petrus Judex.*

Tertium consuetudinis hujus exemplum acceptum refero Lucensis Archiepiscopii supramemorati Archivo, ubi Hubertus, & quidem *infantulus, ex genere Saracenorum*, Liutprandi lege usus, piis locis res suas elargitur. Hæc tantùm inde excerpsi. *Henricus Imperator Augusto, Anno Imperii ejus in Italia Quinto, quartodecimo Kal. Octubris, Indict. Secunda*, (hoc est Anno 1018.) *Manifestus sum ego Huberto infantulo, que Melio vocor, filio b. m. Hughi ex genere Saracenorum, que Bellabertio vocabatur, quia dum Dominus in egritudine dingnatus fuisset ego me vidisse ad mortale occausu trahere, si justa legem, quod Dominus Liuprandus Res in Edicto firmavit: Si quiscumque infantulo ante decem & octo annos advenerit ægritudo, & si viderit ad mortis periculo tendere, abeat licentia de rebus suis pro anima sua judicandi in sanctis locis causa pietatis, vel in Sinedochia judicare quod voluerit, & quod judicaverit pro anima sua, stabile debeat permanere. Protterea ego qui supra Uberto infantulo, que Melio vocor, previdi pro anima mea ex rebus meis causas pietatis in sanctis locis judicare per hanc judicati Cartula pro anima mea* &c. Ita in Diplomate Ludovici II. Augusti apud Ughellium Tom. IV. Ital. Sac. confirmantur Bobiensi Cœnobio res, *quas Petrus infantulus in extremis positus tradidit*. Neque tantùm fundos a piis hujusmodi Pueris consequuti sunt Monachi, sed & Castella ipsa, ut patebit ex Diplomate, quod archetypum vidi in Tabulario Abbatiæ Veronensis Sancti Zenonis, ubi *Castrum, quod dicitur Capavum, a puero Uberto pro remedio animæ suæ, suorumque parentum Monasterio Sancti Zenonis judicatum atque traditum cum omni debito & districtione* commemorantur. En integrum præceptum ipsum nondum luci redditum.

Henrici Regis Quarti, Imperatoris Tertii, Diploma, quo nonnulla Castella confirmat Monasterio Veronensi S Zenonis Anno 1090.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Heinricus divina favente Clementia Romanorum Imperator Augustus. Imperialem sublimitatem condecet &c. Hac ergo justa & æqua consideratione propter Domini timorem, & animæ nostræ, vel parentum nostrorum remedium Monasterio beati Zenonis per hanc presentem nostræ munificentiæ auctoritatem perpetuo confirmamus, modisque omnibus corroboramus. Idest in Judiciaria Gardense Castellum, quod nominatur Pastoringo, quod Monasterio Sancti Zenonis bonæ memoriæ Arduinus Comes, *& filius ejus Eriprandus pro remedio animarum suarum per Cartam offersionis contulerunt cum omnibus pertinentiis suis &c. Necnon & Castellum quod vocatur Insula Nonense, quod ad ipsum Monasterium per offersionem, donationem, atque comparationem devenit, cum omni redditu, & districtu, & fodru &c. Placuit etiam nostræ Serenitati ob æternam remunerationem statuendo* . . . . ut Castrum, quod dicitur Capavum, quod a puero Uberto pro remedio animæ suæ, suorumque parentum, Monasterio Sancti Zenonis judicatum, atque traditum esse cognoscitur, *cum omnibus rebus jam dicti Castri pertinentibus, seu famulis, facticiis, cum omni debito districtione: Quod denique confirmamus etiam dicto Monasterio Sancti Zenonis ad suorum prebenda Monachorum elemosinam proprietamus cum omnibus suis pertinentiis, districtis &c. Si quis igitur Dux, Marchio &c.*

Signum Domni Henrici Tercii Invictissimi Imperatoris Augusti



✠ R ✠

Locus ✠ Sigilli Cerei deperditi.

Ego Ogerius Dei gratia Hiporiensis Episcopus & Cancellarius vice Herimanni Cancellarii recognovi.


. . . . *Dominice Incarnationis Millesimo Nonagesimo. VI. Indictione, Regnante Henrico Imperatore III. Regni ejus XXXIIII. Imperii autem VIII. Hoc actum est IIII. Id. Aprilis Veronæ. In Dei nomine feliciter. Amen.*

Attamen, quamquam ex ista universali Lege cuicumque liceret de propriis suis rebus *judicare pro anima*, nihilominus interdum erant, qui eamdem facultatem sibi concedendam, aut confirmandam curabant ab Imperatoribus. Rem certam faciet Præceptum Ottonis III. Augusti ex Archivo Sublacensis Monasterii depromtum. Si quis verò contendat, ejusmodi facultatem a Petro Monacho petitam fuisse, quod ageretur de terris beneficiariis, sive Feudalibus, aut Emphyteoticis, a Fisco pendentibus, quas sine venia Regis donare nefas erat, non repugnabo. Tu interim ipsum Diploma accipe.

Otto III.

Otto III. Imperator Petro Monacho Sublacensi facultatem concedit construendæ Ecclesiæ super Cisternam in Cicerara Anno 999.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto superna jubente clementia Romanorum Imperator Augustus. Notum sit omnibus fidelibus nostris præsentibus atque futuris, quod nos concessimus cuidam Monacho Petro Presbitero pro animæ nostræ remedio, ut licentiam fas & potestatem habeat Ecclesiam construendi & faciendi super Cisternam, quæ est posita in Cicerara, & omnia infra & desuper eamdem Cisternam cum omnibus terris, vineis, hortis juste & legaliter acquisitis comparatis, seu de paterno aut materno jure sibi dimissis, hoc nostro Imperiali præcepto confirmamus eo tenore, ut omnes proprietates ejus, & Fratrum suorum, qui portiones suas sibi dederunt, liberam habeant licentiam dandi, vendendi, pro anima judicandi, in Ecclesia mittendi, & quicquid sibi libuerit, exinde faciendi. Si quis autem hoc facere prohibuerit, & Ecclesiam construere super eamdem Cisternam contradixerit, seu in aliqua re hoc præceptum violaverit, sciat se compositurum auri optimi libras XX. medietatem Kameræ nostræ, & medietatem præfato Petro Monacho. Quod ut verius credatur hanc paginam manu propria corroborantes, bullari præcepimus.

Signum Domni Ottonis  *Imperatoris Augusti.*

Eribertus Cancellarius vice Petri Cumani Episcopi recognovi.

Data III. Id. Augusti. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCVIIII. Indict. XII. Anno Tercii Ottonis regnantis XVI. Imperii IV. Acta Sublaci in Sancto Benedicto.

Octavo, eorum temporum mos fuit, quum bella imminebant (sæpe verò imminebant, atque agitabantur) ad exercitum ciere quoscumque armis aptos; immo hujusmodi copias Franci Reges, Italiæ quoque dominati, interdum in Gallias atque Germaniam pertraxere, ut eas hostibus Imperii opponerent. Tunc ergo incerti militiæ eventus, & opis divinæ supra solitum implorandæ necessitas in tanto discrimine, ipsaque etiam, ut par est credere, pia Ecclesiasticæ gentis hortamenta tunc nullo negotio hominem inducebant, ut rebus suis consuleret, easque, dum liberi deessent, Deo offerret. Tabulas testes profero. Anno Christi 755. inter Aistulphum Langobardorum Regem fœdifragum, & eorum, quæ anno præcedenti pactus fuerat, immemorem, atque Pippinum Francorum Regem, pro Romano Pontifice Stephano II. stantem, denuo belli incendia exarserunt. Tunc Langobardus quidquid militum contrahere potuit, ad Alpium fauces deduxit, Francis irruentibus iter præclusurus. Itaque sub idem tempus Guiprandus Civis Lucensis, *V. D.* (fortasse *Vir discretus*, quod vocabulum adhuc in Tabellionum Lucensium foro versatur) Ecclesiæ Sancti Frigidiani dono dedit agrum unà cum domo, caussam etiam donationis præferens, nempe *quia in exercitu versus Franciam compulsus erat ambulare*. Memorantur etiam in Lege Caroli M. inter Langobardicas *traditiones in hoste factæ ad Casam Dei*. Nunc habeto Chartam ex Archivo Lucensi depromtam, quæ tamen vitio laborare mihi deprehensa est; neque enim Anno Christi 755. decurrere potuit *Annus Octavus Aistulphi Regis*. Vide Differt. LXX. *de Cleri immunitat.*

Guiprandus

Guiprandus Civis Lucensis, antequam militari expeditioni in Francos se jungat, prædium offert Ecclesiæ Lucensi Sancti Frigidiani Anno 755.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Regnante Domno nostro Aistolf Rege Anno Regni ejus Octavo, Mensis Augusti, Indictione Octava feliciter. Guiprand V. D. tibi Ecclesia Beati Sancti Frigidiano loco Griciano p. p. sal. d. Manifestus sum ego nominatus Guiprand V. D. quia in exercito ad Francia tesutus sum ambulandum; proinde consideratus sum Dei temure ac mercede anime me, qualiter aliquantis rebus meis pro anima mea Dominus offerat, qualiter mibi Dominus pro parba tribuat magna, pro terrena celestii, pro temporalia sempiterni. Quidquid hic relinquimus, alienum est, & quod in Sanctorum locibus condonamus, ea nobis in perpetuum lucere cridimus, sicut Dominus ait, centuplum reddat vobis in vita eterna. Et ideo ego qui supra Guiprand V. D. offero Deo & tibi Ecclesie Beati Sancti Frigidiani, & Presbitero, qui inibi ordinatus est, aut in antea fueret, casa ubi Filerat Massario resedet hic in Graciano una cum terra &c. ut de ipso parbo munusculo luminaria Sanctorum Dei faciat, & pro meo facinora Dominus deprecetur, & Messarum solemnitate celebritor, qualiter in foturo eterna inveniat requiem: Et hoc volo ut quoad vivere meruero, ut ipsa casa cum omni ad se pertinente in mea sit potestatem; post vero meo decesso, sicut superius legitur, ipsa casa Ecclesia Beati Sancti Frigidiani possedeas. Et quis post meo obito ipso parbo monusculo da ipso Sancto loco subtragi voluerit de heredibus meis, qui mibi in devisione da germanis meis obvenit in Dei incura judicium, & cum Juda babeas porcione, & insuper componat soledos duocentum, & pagina in sua maneat firmitatem, quam dotis meis pagina Sichipert amico meo scribere rogavi sub stipulatione & sponsione solemniter interposita. Actum in Griciano Regnum & Indictione suprascripta.

Signum manus Guiprand V. D. auctori.

Signum manus Rotcaido V. D. germano ejus testis.

Signum manus Gauspert V. D. similiter germano ejus testis &c.

Ego Sichipert post roborata & ante presentia testium super . . . . rio ponente vidi, deplivi, & dedi.

Nono, præcedens Charta alteram nobis veterum Sæculorum consuetudinem in memoriam revocat; nempe Christianos homines, non solùm in postremis tabulis, sed per donationem etiam inter vivos, quamplurima dedisse piæ liberalitatis exempla in loca Deo dicata, quamquam plerumque donatarum rerum usumfructum sibi reservarent, dum in vivis essent. Plerique nunc sacris locis sua donantes, in testamentis id præstant, quæ liberum iis est immutare ac delere, dum vivant. Certior methodus aliena capiendi tunc erat Ecclesiis; facile enim dona a viventibus impetrabant contractu stabili, ac numquam amplius scindendo, etiamsi non nisi post donatorum mortem patrimonio Ecclesiastico eadem adcrescerent. Immo quum nonnullos interdum donationis factæ

A pœniteret, iique in aliorum jus donata transferrent, ad Cleri petitionem intercessit Carolus Magnus, ne id amplius facere liceret. Vide Legem LXXVIII inter Langobardicas ejusdem Augusti: *Si quis Langobardus, statum humanæ* &c. ubi hæc ille: *Postquam unam de rebus suis traditionem fecerit, aliam de ipsis rebus faciendi nullam habeat potestatem. Ita tamen, si usumfructum voluerit habere precariam, res traditas usque in tempus definitum possidendi sit concessa facultas.* Innumerabilia sunt in Archivis hujusmodi piarum donationum inter vivos monumenta, pluraque etiam exhibebit hic Liber: quare exemplis parco.

Decimo, invaluit in Italiæ partibus nonnullis, fortassis etiam in cunctis, opinio, quam
B nemo non intelligat plurimum augmenti contulisse Ecclesiasticorum opibus. Nempe deprædicata est veluti singularis via demerendi Numinis in terra, ejusque tamdem beatissimi Regni impetrandi, pia munificentia in loca Deo dicata. Proinde tam sæpe occurrit in vetustis Chartis vulgaris illa Notariorum formula: *Quisquis in sanctis ac venerabilibus locis ex suis aliquid contulerit rebus, juxta Auctoris vocem in hoc Sæculo centuplum accipiat; insuper & quod melius est vitam possidebit æternam*. Usitatissima fuit formula hæc apud Lombardos, præcipue Sæculo X & subsequentibus. Eam tamen vide longe antea adhibitam in Charta Anni
C 872 spectante ad Monasterium Casauriense, quam protuli Par. II. Tom. II. Rer. Italic. pag. 934. Vide & Chartam Pauli Regiensis Episcopi scriptam Anno Christi 881. apud Ughellium, ubi eadem formula occurrit. Sed omnium vetustissima mihi videtur formula, expressa in Charta Anni 769. edita a Clariss. Marchione Maffeio pag. 375. Veronæ illustr. ubi legitur: *Quidquid homo in loca venerabilia contulerit, centublum accepiat, & insuper vitam hedernam possedevit.* Quid *Auctoris* nomine (Actoris etiam interdum scribebant) significare voluerint Notarii, sive homines eorum temporum, definire non ausim. Christi Redemtoris vocem in postremis verbis audis; verùm priora ad divinum præceptorem minime spectant,
D qui elemosynam quidem in Pauperes mire commendavit, summisque præmiis eidem propositis inculcavit; nusquam verò disertâ oratione auctor fuit, ut eamdem in sacra Templa, nedum in sola Templa, effunderemus. Itaque suspicari quisquam posset, pium aliquem Scriptorem, sed ignotum, sub *Actoris*, aut *Auctoris* appellatione venisse, cui hæc verba olim exciderint, quasi dicerent Notarii: *secondo il parere d'un Autore*. Petrus Cellensis Lib. IV. Epist. X. *Actorem* pro *Auctore* & ipse usurpat. Verùm in Diplomate Lupi Ducis Spoletani Anno Christi 751. edito pag. 339. Part. II. Tomi II. Rer. Italicarum occurrit: *quia Au-*
E *ctor noster pro nostra salute suum sanguinem effudit*; ac propterea intelligimus, sub *Auctoris* quoque voce designatum fuisse olim Redemtorem nostrum. Hac autem opinione tunc imbuti Fideles, quid mirum, si certatim novis donis Templa ac Cœnobia cumularent?

Atque

Atque eo sæpius recidebant tot laudes Eleemosynæ, ut *sanctis ac venerabilibus locis* populus liberalem se præberet. In hanc etiam rem vidi efficacissimam formulam adhibitam in donationis Charta, quam ex Archivo Sanctimonialium Ferrariensium Sancti Silvestri descriptam ad me misit Joseph Antenor Scalabrinius mihi non semel in hoc Opere laudatus. Nempe ibi dicitur: *Inter ceteras donationes maxime illa datio principatum tenet, quæ pro salute atque remedio animarum efficitur*. Chartam ipsam exerendam puto.

Donatio facta Bertæ Abbatissæ Monasterii Ferrariensis Sancti Silvestri a quodam Verardo, Anno 1114.

IN nomine Sanctæ Trinitatis. Anno Domini Millesimo Centesimo Quartodecimo, Imperante Heinrico Quarto, anno tertio, die V. mensis Januarii, Indicione VII. in Foco Mortuo. Inter ceteras donaciones maxime illa dacio principatum tenet, que pro salute atque remedium animarum efficitur, & per quam vita heterna speratur. Unde profiteor me ego Verardus, qui sum habitator in Villa de Foco Mortuo, zelo Dei coactus, pro salute & remedio anime mee meorumque parentum, tibi presenti Guidoni Presbitero, qui manere videris ad serviendum Ecclesie Cosme & Damiani, & per te in venerabili Monasterio Sancti Silvestri, in quo Deo gubernante preesse videtur Domna Berta nobilissima Abbatissa, *suisque successitricibus in perpetuum: hoc est ordines tres vinearum cum terra sua, & quantuncunque mihi pertinet in capite predicti ordines in integrum, qui sunt positi in eodem Foco Mortuo prope Ecclesiam Sanctorum Cosme & Damiani, ab uno latere Guinternus & Orlandus germani cum suis confratribus, ab alio latere jura predicti Monasterii, ab uno capite Guilielmus, ab alio capite Via publica, & usque ad medium Canale. Ut modo a presente die liceat tibi in vice antedicte Abbatisse, suisque successitricibus, antedictam rem habere, tenere, possidere jure dominii predicti Monasterii in perpetuum. Unde investitorem tibi do Marleessellum, qui te in vice Ecclesie investiat jure proprietatis nomine. Quineciam spondeo ego antefactus Verardus donator & pro meis filiis & heredibus, hanc donationis paginam, ut superius legitur, firmam tenere & conservare & defensare & auctorizare, sub pena rei duple restituere, & solutâ penâ hujus donacionis pagina in sua firmitate maneat. Quam scribere rogavi Dominicus, Dei nutu, Notarius sub die mensis, & Indicione suprascripta.*

✠ *Signum manus predicti Verardi donatoris ad omnia suprascripta.*

Signa & nomina testium hæc sunt.

Markio de Foco Mortuo.

Martinus Roncone.

Johannes.

Petrus Bezo: testes rogati ad omnia suprascripta.

Ego Dominicus divinâ favente clementia Notarius rogatus a suprascripto Verardo donatore, ut superius, complevi & absolvi.

Et sane injuste non agam cum majoribus nostris, si dixero, tum persuasionibus, tum terroribus, atque consiliis, egisse ejus temporis Monachos, ut a piis hominibus quecumque possent emungerent, asserendo non solùm, omnium operum Deo gratissimum esse Sæculo renuntiare, & Monasticam induere vestem. Quod si id minime assequebantur, saltem persuadebant, *nullum esse melius inter eleemosynarum virtutes, quam si de propriis substantiis in Monasterium concederetur*. Mihi fidem fortasse non adhibeas, verùm adhibebis Chartæ, quam evulgare constitui. Eam ex Archivo Monasterii Tremitensis descriptam ad me misit Alexander Pompeius Bertius Cl. Reg. Congreg. Matris Dei, doctissimus amicus meus. Heic tamen Chronologicas notas vitio aliquo laborare opinor, si legitimis calculis usus est Camillus Peregrinius in Stemmate Principum Capuæ Par I. Tom. II. Rer. Italicarum. Pro *Quadragesimo* scriberem *Trigesimo*. Adam verò Abbas heic memoratus ille idem est, qui, Ostiensi teste Lib. III. Cap. 27. Chron. Casin. *multorum facinorum reus convictus*, jubente sanctissimo & celeberrimo viro Desiderio Casinensi Abbate, ab eo Monasterio amotus fuit

Donatio Tremitensi Monasterio, ejusque Abbati Adam facta a Malfreda, sive Malfria Marchione, Tassalgardi Comitis filio, Anno 1055.

IN nomine Domini. Amen. Anno Quadragesimo sexto Principatus Domini Pandolfi gloriosi Principis, & Nono Anno Principatus Domini Landolfi filii ejus mense Novembris, Octava Indictione. Ideoque ego Malfreda Marchione filius quondam bonæ memoriæ Tassalgardi Comitis clarefacio, cum quadam die tacitus residerem, cogitare cepi intra me metipsum qualiter in peccatis conceptus sum, & natus, & qualiter ab infantia mea die noctuque per horis atque momentis innumerabilia peccata commisi, & qualiter in tremendo judicio de omnibus factis meis, & cogitationum mearum Domino rationem redditurus sum, & qualiter a juxto Judice unusquisque accipiet secundum opera sua, & cogitare cepi qualiter impii, & peccatores, qui hic peccata sua redimere negligunt, & in perpetua pœna cum Diabolo damnabuntur, & juxti & Dei electi cum Domino exaltabuntur. Et subito respexit in me divina pietas, & compunctum est cor meum cum tremore, & extuatione cordis, & cepi anxie querere consilium Sacerdotibus, & Religiosis Viris, quomodo peccata mea redimere possem, & iram æterni Judicis evadere. Accepto consilio ab eis, excepto si renunciare Seculum possem, nullum esse melius inter eleemosinarum virtutes, quam si de meis propriis substantiis in Monasterium concederem. Hoc consilium ab eis libenter, & ardentissimo animo ego accepi, & cepi querere & cogitare in memetipso quæ de meis rebus offerre in Monasterium possem, & subito Domino concedente inveni locum, qui bene aptatum est, ubi dedicata est Ecclesia Beati Petri Apostoli in loco, qui Pulianum vocatur. Nunc autem & congruum est mihi bona mea voluntate, & pro firma stabilitate interesse fecimus Guidonem Judicem, & alios bonos homines, per hanc enim Cartulam juxta legem trado, & offero ipsam supradictam Ecclesiam in Monasterium Beatæ Dei Genitricis, & Virginis Mariæ, quod dicatum est in Insula, quæ Tremiti vocatur, pro redemptione animæ meæ, meorumque parentum, ut æternam vitam percipere mereamur. In eadem lege sicuti Domnus Liutprandus Rex in edictis Longobardorum instituit: Si quis Longobardus habet casum humanæ fragilitatis, potestatem habeat dum vivit, & recte poteit loqui, pro anima sua judicandi & dispensandi, quantum qualiter voluerit; & quod judicaverit, stabile debere permanere. Similiter & in alio suo Capitulo sic affixit: Si quis in Ecclesia, aut in loca Sanctorum, aut in Sinodochia pro anima sua aliquid dederit, stabile permaneat. Hæc omnia sicut superius legitur cum puro animo, & sincero corde trado, & offero pro redemptione animæ meæ ego supradictus Malfria Marchione, ut nobis Dominus Jesus Christus veniam de peccatis nostris tribuere dignetur, & ad suam sanctam dexteram cum electis suis perducere dignetur. Et ego supradictus Malfreda trado, & offero jam prædictam Ecclesiam in Ecclesia Beatæ Mariæ cum omnibus infra se habentibus, & cum legitimis transitis, & exitis suis, & cum sylvis & pasquis, aquis, pratis, &

A cum omni suo paratu ubicumque fuerit, & cum sua pertinentia intus Castello, vel de foris totum trado, & offero in supradicto Monasterio Beatæ Mariæ, ubi nunc presenti tempore Domnus Adam Venerabilis Abbas regimen tenere videtur, & Ecclesiam meam cum omnibus pertinentiis suis, & hæc sunt fines illius terræ. Inprimis de capite . . . . in pertinentiis de rena de causa in capite Valloncelli, & per ipsum Vallonem descendit in aquam vivam, de ipsa aqua viva vadit ad ulmum, qui est in latere Vinealis supradictæ Ecclesiæ Sancti Petri, & venit in pede Vinealis in Via publica, & vadit in Vineasilvani, & pergit in Vallonem de lo Romito, & per ipsum Vallonem descendit

B in Via publica Sancti Leucii, & intrat per vallem Cole Maritelli a parte Sancti Petri, & ascendit usque in Via publica, quæ vadit ad Serram, & descendit per ipsam viam in priori fine in predicto Valloncello de Vena de Causa, & offero unam Ecclesiam vocabulo Sancti Joannis Baptistæ de meo Castello Venamajoris, cum uno Libro Comite, & duo Antiphonaria unum diei, & alterum de nocte, & cum omni ornatu de rebus mobilibus pertinentis prefatæ Ecclesiæ Sancti Joannis Baptistæ, quæ est juxta Castellum meum de Vena majoris exterius. Simulque offero in prædictam Ecclesiam, & tibi Adam Abati tres partes de una Ecclesia vocabulo Sanctæ Mariæ, quæ constituta est in eodem Castel-

C lo meo, cum tribus partibus de omnibus rebus, quæ pertinent ad prædictam Ecclesiam. Si quis autem de ista mea offertione qualiscumque de meis heredibus ausus fuerit aliquam causationem, vel minuere, aut molestare, sive invadere presumpserit, per hoc in ira summæ, & individuæ Trinitatis incurrat, & descendat super eum Paterna maledictio, & habeat partem cum Juda traditore Domini, qui ab Apostolico Agmine segregatus est, & cum impiis & sacrilegis aggregatus est. Et pars illius sit in Stagnum ignis ardentis, & sulphuris. Et insuper promitto ego supradictus Malfria Marchione, & obligo me & meos heredes in predicto Monasterio Beatæ Mariæ eisque Rectoribus,

D quod omnia sicut supra scriptum est si sic non adimpleverimus, aut si non observaverimus, aut si quis hac nostra scripta offertione, atque traditione aliquid tollere, vel minuere nos quisierimus, ut componamus ego Malfria Marchione meosque hæredes in præphato Monasterio eisque Rectoribus cui ex nostris culpa clarum erit pœna auri centum libræ. Et Cartula hista offertionis, atque traditionis omni quoque tempore firma, & stabilis permaneat, & nos ab omnibus hominibus antestemur & defendamus. Et hanc Cartulam offertionis rogata a supradicto Malfria Marchione scripsi ego Agelbertus Notarius. Acta in Civitate Campomarini feliciter &c.

E ✠ Ego quis Guido Judex.
✠ Ego Lordemannus.
✠ Ego . . . .
✠ Adenolfus.

Potissimum verò erga illa Templa, ubi sepulturam Fideles sibi conquirebant, liberalic

res

res esse consuerunt. Abundant ejus moris exempla: ego unum tantummodo innuam. Insignem Curtem *de Lemonta* Ambrosiano Cœnobio Mediolanensi collatam sæpe Lector invenerit in Monumentis Basilicæ Ambrosianæ a Puricellio evulgatis. Eadem verò Benedictinis Monachis, sacrum illum locum tunc incolentibus, dono data fuit a Lothario I. Augusto Anno Ch. 850. ad petitionem *Hirmingardis dilectæ conjugis, ex dilectione fratris sui, puerili elegantia delati, Hugonis nomine, ad emolumentum mercedis in loco, quo ipse corpore humatus extitit, Cœmeterio scilicet Sancti Ambrosii*. Ut hoc obiter adnotem, Sammarthani in Genealogica Historia Regum Francorum mortem *Hirmingardæ Augustæ* Anno 851. contigisse tradunt. Sed vide Additamenta ad Chronicon Casauriense a me edita Par. II. Tomi II. Rer. Italic. pag 926. ubi Charta legitur, Anno Ch. 856. scripta, in qua Liutardus Diaconus, & Cunradus germani, quasdam *Curtes* vendunt *Domnæ Hermengardæ Reginæ* adhuc viventi. Vide etiam pag. 808. Diploma Ludovici II. Augusti ejus filii Anno Ch. 874 confirmantis Monasterio Casauriensi ipsas easdem *Curtes, quas bonæ memoriæ Hirmingarda genitrix nostra per Chartulam a quibusdam fratribus Liutardo Diacono, & Conrado germanis conquisierat*; ut intelligas, Hirmengardam *Reginam* eamdem fuisse cum Augusta conjuge Lotharii I.

Undecimo, præter ea, quæ Imperatores, Reges, aliique veterum Sæculorum potentes in pia loca conferre solebant, alia quoque Sæcularibus viris, amoris, liberalitatis, aut remunerationis gratiâ largiebantur, addita etiam potestate *judicandi pro anima*, hoc est ea, si vellent, in Ecclesiarum, Monasteriorum, ac Hospitalium jus transferendi, quamquam Beneficio, sive Feudo obnoxia. Ea ratione fiebat, ut multa Regum dona, etsi non recto tramite, saltem per alienam manum, Ecclesiastico patrimonio adderentur. Exemplum accipe, quod mihi suppeditavit nobile Canonicorum Regiensium Archivum in Diplomate autographo insequenti.

Donatio quarumdam terrarum facta a Berengario I. Italiæ Rege Roberto Vasso Adelgisi Comitis Anno 890.

In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni Berengarius Rex. Si Fidelium nostrorum petitionibus aures clementiæ nostræ inclinamus, fideliores ac promtiores eos in nostro esse credimus servitio. Quapropter omnium fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque presentium scilicet ac futurorum comperiat industria, qualiter interventu ac petitione Adelardi Venerabilis Episcopi, nec non & Adelgisi Illustris Comitis & dilecti fidelis nostri, pro amore Dei omnipotentis, animæque nostræ, omniumque parentum nostrorum mercede, & ejus servitium assiduum, concedimus Roperto Vasso ejusdem Adelgisi Comitis sortes sex cum omnibus pertinentiis earum, & silvis in Vico, qui dicitur Rovereto, infra fines Pusterna, vel Fossa Rabeda, quæ pertinent de Corte nostra Mercomadego, adjacetque in Comitatu Regiensi, omnia, quæ de suprascripta Corte nostra pertinent in ipsa Villa in integrum transfundimus jure proprietario, ac perdonamus, Casis videlicet, terris, hortis, pratis, pascuis, vineis, campis, cultis & incultis, arboribus pomiferis, & impomiferis, silvis, montibus, vallibus, planitiebus, ripis, rupinis, aquis, aquarumque decursibus, seu & molendinis, servis quoque & familiis utriusque sexus; ut abeat, teneat, atque possideat, faciatque exinde quicquid ejus decreverit animus vel voluntas, potestatemque habeat donandi, vendendi, commutandi, seu pro anima judicandi, vel quicquid voluerit faciendi, remota totius potestatis inquietudine. Si quis autem contra hoc nostrum præceptum quandoque insurgere temptaverit, sciat se compositurum viginti libras auri optimi, medietatem Palatio nostro, e medietatem sepe nominato Roperto, suisque heredibus. Ut autem ab omnibus verius credatur, diligentiusque observetur, manu propria subter confirmavimus, & anuli nostri impressione insigniri jussimus.

Signum Domni Regis BS *Berengari Gloriosissimi.*

Re.. aldus Notarius jussione Regis ad vicem Adelardi Episcopi & Archicancellari, recognovi.




Data XIII. Kal. Novemb. Anno Incarnationis Domini DCCC. & XC. Anno vero Regni Domni Berengari Gloriosissimi Regis III. Indic. VIIII. Actum Verona ad Ecclesiam Sanctæ Anast.siæ in Dei nomine feliciter. Amen.

Quæ heic Berengarius elargitur *Roberto Misso Adelgisi*, *Comitis*, ut puto, Regiensis, ea par est credere in Ecclesiam Regiensem fuisse transfusa, quando apud eosdem Canonicos Privilegium adservatur. Tu interea Sigillum *Berengarii Regis* intuere, quod incolume adhuc membranæ adfixum legitur. Quantum quidem mihi visum est, Berengarii facies juvenem Principem, ne dicam adolescentem, exhibebat, ita ut opinari cogamur, eum viridi ætate Anno 888. Regnum iniisse. Alia exempla facultatis concessæ *judicandi pro anima* suppeditabuntur nobis a duobus aliis Diplomatis ejusdem Berengarii Imperatoris. En primum, quod ex Archivo Cœnobii Veronensis Sancti Zenonis descripsi, ubi ejus archetypum extat.

Donatio Mansi unius facta a Berengario I. Rege Boniperto Presbytero & Oratori suo Anno 896.

IN nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis. Berengarius divina favente clementia Rex. Si famulos Dei divinis obsequiis jugiter vacantes clementer juvare studuerimus ob hoc nos posse æterna adipisci præmia liquido confidimus. Quapropter omnium fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque presentium scilicet ac futurorum noverit industria, qualiter Alkerius noster fidelissimus *Comes adiit Serenitatis nostræ clementiam suppliciter petens pro quodam Reverendo Presbitero Ecclesiæ Sancti Proculi, & fidelissimo Oratore nostro, nomine Boniperto, ut ei per paginam nostri precepti in proprietatem concederemus mansum unum juris nostri Regni pertinentem de Comitatu Veronense situm in Villa, quæ nominatur Runco, habentem vinearum, & terra arabilis plus minus jugera triginta, adjectis ibidem octo jugeribus, quæ excoluntur per Gisempertum liberum hominem. Cujus petitioni libenter assensum prebentes, & perspicientes continuas preces ejusdem Presbiteri pro nobis nostrisque parentibus, ac pro Regni nostri corroboratione Domino oblatas, ob amorem Dei & remedium animæ nostræ nostrorumque parentum, supra prædicta loca per largitionis nostræ præceptum concedimus eidem Boniperto Reverendo Presbitero, & fidelissimo nostro Oratori in proprietatem, que excoluntur per predictum Gisempertum liberum hominem, cum omnibus adjacentiis & pertinentiis suis, quæ dici vel nominari possunt, in integrum ad habendum, tenendum, vendendum, donandum, commutandum, vel pro anima judicandum, seu quicquid ejus voluerit animus, vel voluntas jure proprietario faciendum, remota totius potestatis inquietudine & minoratione. Contra quod nostræ firmitatis statutum si quis nefario ausu &c.*

Signum Domni  *Berengarii gloriosissimi Regis.*

Locus ✠ *Sigilli Cerei extantis* & Caput Regis *fere pueri præseferentis cum solita epigraphe.*

Vitalis Cancellarius jussu Regis recognovi & subscripsi.

Data pridie Kal. Decembris Anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi DCCCXCVI. Regni vero Domni Berengarii Serenissimi Regis VIIII. per Indictionem XV. Actum Corte Aquis. In Dei nomine feliciter. Amen.

In altero Diplomate Berengarius idem, jam Imperator, Curtem Mulestrem Hinoni cuidam cum eadem libertate *judicandi pro anima* elargitur. Antiquum Chartæ exemplum adservatur in Tabulario nobilis viri Antonii Rambaldi Comitis de Collalto, intimi Consiliarii Augustissimi olim Cæsaris CAROLI VI.

Berengarius I. Imperator Hinoni, qui & Azo, fideli suo Curtem Musestre elargitur Anno 921.

IN nomine Domini Dei eterni. Berengarius divina favente clementia Imperator Augustus. Noverit omnium fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque, presentium scilicet & futurorum industria, Grimaldum gloriosum Marchionem, & Ubertum inclitum Comitem *Hamesque fideles nostros suppliciter nostre pietatis exorasse clementiam, quatenus quandam Cortem juris Regni nostri, que dicitur Musestre, adjacentem videlicet in Comitatu Tervisianense, cum Silva de Valda, seu & cum Villa nuncupante Barbarana, & cum universis ad eandem Cortem pertinentibus, vel aspicientibus, nec non & piscationem in Fluvio, qui dicitur Sile, per hanc nostri Precepti paginam jure proprietario Hinoni, qui & Azoni, dilecto & fideli nostro concedere dignaremur. Quorum petitionibus aures nostre pietatis inflectentes jam dictam Cortem, que dicitur Musestre, adjacentem in Comitatu Tarvisianense, cum Silva de Valda, seu cum Villa nuncupante Barbarana, & cum universis ad pretaxatam Cortem pertinentibus & aspicientibus, cum terris aratoris, seu vigris, vineis, campis, pratis, pasculis, silvis, venationibus, saletis, sationibus, possessionibus, reditibus, sterpaticis, palludibus, aquis, aquarumque decursibus, mo-* A *lendinis, piscationibus, servis, & ancillis, aldionibus, & aldianis, montibus, planiciebus, arboribus pomiferis, & impomiferis, seu cum omnibus, que dici vel nominari possunt ad prefatam Cortem pertinentibus, nec non & piscationem in Fluvio Syleris, sicut actenus ad nostram Imperialem pertinuit partem, jam dicto Inoni, qui & Azoni Clerico & fideli nostro per hanc nostre donationis, seu concessionis paginam jure proprietario concedimus, & perdonamus, & de nostro jure & dominio in ejus jus & dominium omnino largimur & delegamus ad habendum, tenendum, vendendum, donandum, commutandum, pro anima judicandum, faciendum exinde quicquid ejus decreverit animus,* B *nostra plenissima largitate, omnium hominum contradictione remota. Si quis igitur hoc nostre donationis, seu concessionis Preceptum aliqua in parte infringere aut contradicere quesierit, sciat se compositurum auri optimi mancosios mille, medietatem Camere nostre, & medietatem jam dicto Inoni, qui & Azoni Clerico, suisque heredibus, vel cui ipse dederit, aut habere concesserit. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, manu propria roborantes de anulo nostro subtus insigniri jussimus.*

Signum Domni Berengarii [monogram] *Serenissimi Imperatoris.*

Joannes Episcopus & Archicancellarius Imperiali jussione recognovi

Datum V. Kal. Augusti Anno Dominice Incarnationis DCCCCXXI. Domni vero Berengarii Serenissimi Regis XXVII. Imperii autem sui VII. Indictione X. Actum Verone in Christi nomine feliciter. Amen.

Indicium autem veniæ datæ a directis dominis, sive Senioribus, ut Vassalli rem quampiam transferre possent in pia loca, esse illud solet, quum nempe donatores profitentur, se eam donationem facere *pro mercede* non tantùm animæ suæ, suorumque cognatorum, sed etiam *Senioris* sui. Hunc ritum innui Par. I. Cap. XII. pag. 96. Antiquit. Estens. Chartâ videlicet productâ Rodulphi Normanni, qui *pro mercede & remedio animæ Ugonis Marchionis* Monasterio Vangadiciensi Anno 1040. multa dono dedit. Videant alii, ad eumdem-ne *Hugonem Marchionem*, unum videlicet ex majo- C ribus Marchionum Estensium, an potius, uti ego opinor, ad alterum *Hugonem Marchionem*, Ripuariæ fortasse nationis, de quo supra facta fuit mentio, spectet altera Charta, in qua similis donatio habetur facta *pro remedio luminariæ animæ de quondam Domini Ugoni Marchio* Monasterio Sancti Bartholomæi in Musiliano. Eam debeo diligentiæ Josephi Antenoris Scalabrinii Ferrariensis, Rectoris Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Bucca, & Sacrarum Literarum in Lyceo Ferrariensi Interpretis, qui ex authentico Bononiensi ipsam descripsit.

Donatio facta a filiis Bonandi Antonio Abbati Monasterii Sancti Bartholomæi in Musiliano Anno 1061.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis, Anni ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi Millexìmo Sesagexìmo primo, Regnante Dominus Enricus Rex, filius quondam Domini Enrici Imperatoris Anno Quinto, die septimo & decimo mensis Februarius, Indictione Quartadecima. Omnibus manifestum est, adque congruo racio dispositus, libenter anuere, que a venerabilia Loca utilitatibus meliorandi causa profici. . . . . . scripture vinculum oportet confirmari. Hactum est igitur Christo auxiliantem, quod nos in Dei nomine Lambertus, & Bonus Vicinus, seo Ugoni, & Raginerio, Teuzo, germanis, filiis quondam Bonando da Caorneria, bono animo & bona voluntate placet, adque convenit . . . . dictis germanis, ut per hoc membrana donacionis, manifestacionis, concessionis, seu transfersionis, adque perpetualit. transhactionis nostra propria hanc spontanea voluntatem, una pro amore omnipotenti Deo, & remedio luminarie anime de quondam Domini HUGONI MARCHIO, & de quondam Lanberto Presbiter, & de quondam suprascripto Bonando, & Wille jugalibus, genitor, adque genitrice nostra, damus, & donamus in Monasterio Sancti Bartolomei Apostoli, quod vocatur in Musiliano, & mo. . . . . Donnus Anto Presbiter & Monachus, & gratia Dei Abbas ipsius Monasterii, *tuisque successoribus & Fratribus Monachi, ad abendum, tenendum, & possidendum in perpetuum ad usum Monachorum; idest nostra portione de Ecclesia Sancti Salvatoris que est constructa in loco, qui dicitur Betholetho, cum suis pertinenciis, cum decimis, & primiciis, cum terris, & vineis, & campis, & castagnetis, & cum omnibus arbustris, arboribus, cultum, incultum, divisum, & indivisum, & quantacumque a nobis pertinentibus omnibus ofertum, largitum, vel oblatumque fuerit, similiter de Sepulturis. Et nos volumus in ipsa Ecclesia, die notuque faciatis Psalmis, & Innis, & Misse, & Matutinis, & Ore Canonices. Finis, ubi ipsa Ecclesia, & suprascripta terra vineata, & aratoria, & egra, & silva, & castagneto esse videtur, ab uno latere Rivo corentem, qui dicitur da Doeiola, ab alio latere fluvio Septa, tercio latere Via publica, quarto vero latere positi heredes quondam Domini ALBERTI COMES, infra istis designatis lateribus, sicut latera designat. Et cum omnibus super se, & infra se abentem, omnia que nobis pertinet integriter in integrum, vel si quis aliis adfines sunt, omnia qualiter superius legitur . . . . . . die damus nos suprascriptis germanis donamus dicto Monasterio, & tibi suprascripto Donno Anto Abbas, tuisque successoribus, vestrisque Fratres Monachi, ad abendum, tenendum, & possidendum, ordinandum, & disponendum, & faciendum quidquid vobis placuerit in perpetuum ad jura propria ad usum Monachorum; ut neque da nos, neque da nostris heredibus, aut per somisse vel rogative persone nostre, neque per nullum visignenium, nullam exinde abeatis molestacionem, aut causacionem. Sed promittimus nos suprascriptis Lamberto, & Bonusvicinus, seo Ugo, & Raginerio, Teuzo, germanis, nostrisque heredibus de predicta nostra portione de jam dicta Ecclesia & de suprascripta terra vineata, & aratoria, & egra, & castagneto, qualiter supra legitur, suprascripto Monasterio, & tibi Donno Anto Abbati, tuisque successoribus, vestrisque Fratres Monachi, omni tempore ab omni omine defensare, & auturizare promitimus. Et si minime defensare potuerimus, aut contra hoc membrana donacionis, manifestacionis, concessionis, adque perpetualit. transhactionis, a nobis facta, aliquando per quodcumque ignenio, quod umana sensu capere potest, agere, aut causare, vel querere, aut molestare, vel aliquid removere presumserimus, aut agentibus consenserimus, & non permanserimus in ea omnia, qualiter supra legitur, tum daturi promittimus nos suprascripti Lanbertus, & Bonusvicinus, seo Ugo, & Rainerio, Teuzo, vel heredibus nostris, componere & dare in suprascripto, & tibi Donno Anto Abbati, tuisque successoribus, vestrisque Fratres Monachi, pene nomine . . . . Et post penam solutam presens hoc membrana donacionis, manifestacionis, sicut supra legitur, omni tempore in suo robore, & firmitatem permaneat.*

Hactum in Castro quod vocatur Planoro, Indictione suprascripta Quartadecima.

Signum ✠ ✠ ✠ manibus suprascripti Lanbertus, & Bonusvicinus, seo Ugo, & Reginerio Teuzo, germanis donatoris, qui hoc membrana donacionis, sicut supra legitur, fieri rogavit.

Signum ✠ ✠ ✠ manibus Arardo, qui vocatur Alegreto filius quondam Zenavius, seo Johannis filius quondam Petrus da Casalia, atque Johannis, qui vocatur da la Valle, & Salvestro, qui vocatur Fusculo filius quondam Sichizo de Bonezo, rogatis testibus.

Scripta hoc membrana donacionis per manus Sichizo Tabellio filius quondam Azo, rogatus a suprascriptis Donatoris, sicut supra legitur, post roborata a testibus tradita vidi, complevi, & dedit.

Quod si morem facultatis datæ transferendi in Ecclesias bona etiam Feudalia, aut Emphyteotica, luculentius expressum cupis, animum adverte ad Chartam subsequentem, cujus antiquum apographum exsistit in Archivo Serenifs. Domini mei Ducis Mutinæ. Celebre est Monasterium de Columba, situm inter Placentiam & Parmam, ejusque mentio occurrit in Historia Ecclesiastica. A Sancto Bernardo Claravallensi Abbate fundatum fuit opibus *Oberti Marchionis Pelavicini* ejusque consortum, qui sacro loco ingentem agrorum copiam contulere, simulque *omnibus per illos in Curte de Basilica Duce terram tenentibus* (idest Vassallis, Emphyteutis &c.) *liberam potestatem dandi præfato Monasterio dederunt*. Hæc in illa Charta, quæ facultatem indicant datam judicandi pro anima, quoties Monasterio de Columba quisquam ex iis terras donare vellet Marchionibus obnoxias.

Notitia bonorum spectantium ad Monasterium S. Mariæ de Columba prope Florentiolam, scripta circiter Annum 1154.

Confinia, quæ Obertus Pelavicinus Marchio una cum uxore, & filiis, & Conradus Cavalcabovem Marchio cum uxore sua de terris sui juris pro remedio animarum suarum Venerabili Monasterio Sanctæ Mariæ de Columba consilio suorum Baronum, & aliorum bonorum virorum concesserunt, & suis propriis manibus posuerunt, & ponere fecerunt, atque in cartis, quas præfato Monasterio fecerunt, scripti sui munimine roborarunt, Anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi MCXXXVI. sunt hæc. Sicut Rivus de Pontiore transit usque in viam, quæ vadit ad Seolum & sicut ipsa confinia posita sunt desuper Salecetum, usque ad viam, quæ vadit ad Castellionem, & sicut eadem via vadit desuper eandem de Luxerelo usque in Rivum veterem, & sicut ipse Rivus vetus vadit usque ad Bodraccum, & sicut ipsum Bodraccum vadit usque ad Canale de Burgundione, & sicut ipsum canale vadit usque ad Clusam ejusdem Burgundionis, & sicut Rivus de Fraxeneto vadit ab ipsa clusa usque ad prædictum locum de Pontiore. Totum, quod prædicti Marchiones intra prædicta confinia possidebant ad proprium, prædicto Monasterio de Columba pro remedio animarum suarum eo modo, & honore, quo habebant obtulerunt; & omnibus per illos in Curte de Basilica Duce terram tenentibus liberam potestatem dandi præfato Monasterio dederunt. Hæc prædicta confinia Dominus Innocentius Papa II. confirmavit. Hæc eadem Dominus Lucius Papa II. scripti sui munimine roboravit. Hoc idem Dominus Eugenius Papa III. privilegio confirmavit. Lotharius III. Romanorum Imperator Augustus hoc idem confirmavit.

Infra suprascripta confinia S. Mariæ de Columba Dominus Malcorredus Vicedominus de Placentia pro Domino nobis donavit unum Mansum. Dominus Fulco Advocatus pro Domino nobis donavit unum Mansum. Petrus Isabelli pro Domino nobis donavit medium Mansum. Obertus de Casteldarda, & Resasini frater ejus pro Domino nobis donaverunt medium Mansum. Ardengus Vicedominus pro Domino nobis donavit unum Mansum. Tedaldus Fulconis, & Corvus frater ejus pro Domino nobis donaverunt totum, quod ibi habebant. Berno de Florenzola pro Domino nobis donavit jugerum unam. Obertus Coppa nobis donavit totum, quod ibi habebat. Domini de Casale Albino pro Domino nobis donaverunt unam partem unius Mansi. Obertus de la Porta pro Domino nobis donavit duas bivulcas. Atto Calvus pro Domino nobis donavit medium Mansum. Mala corigia in præsentia mali parentis, & multorum bonorum investivit Ecclesiam S. Mariæ de Columba alterius medietatis prædicti Mansi Attonis Calvi. Dominus Tado de Castello Arquato pro Domino nobis donavit unum Mansum, quod emit ab Alberto Sartore, & tertiam partem alterius Mansi similiter pro Domino nobis donavit. Obertus filius Bellonis de Carretto pro Domino nobis donavit duas bivulcas. Dominus Bonizzo de Landito pro Domino nobis donavit totum, quod ibi habebat. Giuslentio, & Calvus & Bernardus, & Joannes fratres filii de Salvi Ardicionis pro Domino nobis donaverunt unum Mansum, & Braidam, in qua Monasterium debet construi.

Infra suprascripta confinia S. Mariæ de Columba in Curte de Soragna Dominus Albertonus de Brimbio pro Domino nobis donavit unam Sortem. Lanfrancus de Bellina pro Domino ibi nobis donavit alteram Sortem. Dominus Bonizzo de Landito & Ardengus Vicedominus, & Torsellus pro Domino nobis donaverunt totum quod ibi habebant. Oddo de Costamezzana, & Guibertus frater ejus pro Domino nobis donaverunt totum quod ibi habebant. Joannes pel de Lucco pro Domino nobis donavit totum quod ibi habebat, de quo Aicardus de Soragna coram bonis hominibus finem, & refutationem nobis fecit. Jacobus de la Porta, & uxor ejus pro Domino nobis donaverunt totum quod ibi habebant.

Infra eadem suprascripta confinia S. Mariæ de Columba filius Burgundionis filii Oberti Pelavicini Marchionis in Curte de Basilica Duce vendidit nobis totum, quod ibi habebat. Dominus Trojolus vendidit nobis totum quod ibi habebat. Malus nepos, & Albertus frater ejus vendiderunt nobis totum quod ibi habebant. Albertus filius Martini Porcelli, & Richelda uxor ejus vendiderunt nobis totum quod ibi habebant. Ecclesia de Florenzola dedit nobis totum per commutationem quod ibi habebat. Ecclesia de Castellione per emptionem, & commutationem dedit nobis totum quod ibi habebat. Amizo Umbaldis de Florenzola per commutationem dedit nobis totum quod ibi habebat. Minabovis, & Rajnerius frater ejus vendiderunt nobis totum, quod ibi habebant. Guinizo Magnano vendidit nobis totum, quod ibi habebat. Ghirardus de la Turre, & fratres ejus per commutationem nobis dederunt medium Mansum. Trolanus de Burgo per cambium dedit nobis quod Spileman tenebat per eum in loco Sancti Micaëlis. Trolanus de Burgo, & Malagonella de Florenzola per cambium nobis dederunt totum quod ibi tenebant per Dominum Masaldum de Caro. Hantelmus de Florenzola vendidit nobis totum quod ibi habebat. Rajnaldus Surdus, & Malacria nobis dederunt per cambium totum quod ibi habebant.

Infra eadem suprascripta confinia S. Mariæ de Columba in Curte de Soragna. Filius Burgundionis filii Oberti Pelavicini Marchionis vendidit nobis totum quod ibi habebat. Dux de Florenzola vendidit nobis totum quod ibi habebat. Johannes Calvinus vendidit nobis totum quod ibi habebat. Ecclesia de Castellione per emptionem & commutationem dedit nobis totum, quod ibi habebat. Filius Dalmiani vendidit nobis totum, quod ibi habebat.

Charta

De omnibus prædictis donis, & emptionibus, atque commutationibus Ecclesia S. Mariæ de Columba bonas Cartas bene attestatas habet.

Coram bonis hominibus & fratribus de Columba, quorum nomina subter leguntur. Albertus Augexanus ab Abbate Columbæ nomine, & testimonio veritatis de confinibus Columbæ interrogatus, respondit dicens. Sicut vadit rivus vetus de Longenella, qui est in capite fossati, quod fecistis per pratum Minabovis, quod emistis ab eo ubi Obertus Pelavicinus Marchio posuit unam crucem confinium Columbæ usque ad Bodraccum, & sicut ipsum Bodraccum vadit usque ad Canale Burgundionis ab illa parte versus Castellionem sic sunt confinia S. Mariæ de Columba, & ullum alium rivum veterem nunquam ibi vidi neque intellexi, quoniam cum Corvo, & Tedaldo fratre ejus Florenzolæ in domo eorum ipsa confinia Columbæ ordinavi, & in cartis Marchionum, scilicet Oberti Pelavicini, & Conradi Cavalcabovis de bonis eorum, quæ fecerunt in Ecclesiam S. Mariæ de Columba pro remedio animarum suarum scribi, & ordinari dixi, & feci, sicut in prædictis cartis ipsa confinia sunt scripta, & ordinata. Versus Sanctum Andream sicut Canale Burgundionis vadit a Bodracco usque ad Clusam Burgundionis de Fraxeneto ab illa parte sic sunt confinia S. Mariæ de Columba usque in rivum de Pontiore, & sicut rivus de Pontiore transit usque in viam, quæ vadit ad Seolum, ab illa parte sic sunt confinia Columbæ. De super Carrettum sic sunt confinia Columbæ, sicut Obertus Pelavicinus Marchio cruces confinium posuit, & hæc sunt confinia S. Mariæ de Columba, quæ nos intelleximus, & scribi diximus, sicut in prædictis cartis Marchionum sunt scripta & ordinata. Ibi Corvus hoc idem coram eisdem hominibus nomine veritatis interrogatus respondit, confirmavit.

Ibi fuit Malus parens, & Ardengus, & Simon, & Rogerius de Sarturiano, & Abbas Columbæ, & Johannes Subprior, & Albertus Cantor, Guillelmus Sacrista, & Oddo, & Guido, & Petrus, & Joannes, & Vitalis fratres, & Monaci Columbæ. Actum est hoc infra domum Columbæ II. Nonas Martii Anno Incarnationis Domini MCXLIIII. Indictione VII.

Quare quum se nobis offerunt homines pii, qui bona etiam vinculo emphyteusis aut feudi obligata in Ecclesias, sive manus mortuas transferunt, opinari decet, impetratam antea fuisse facultatem a Dominis directis; nullius enim roboris ejusmodi donatio fuisset. Ex Archivo insignis Monasterii Classensis, ubi Ravennates Monachi Camaldulenses Deo serviunt, missa ad me fuit Charta, quam perpendas velim, ibi enim id genus bona donantur, nullâ tamen factâ mentione veniæ a directis Dominis impetratæ.

Charta Tebaldi, filii Pagani, qua Johanni Priori Ecclesiæ S. Crucis eremi Fontis Avellani concedit Ecclesiam S. Apollinaris in Nartianula Anno 1084.

In nomine Domini temporibus Donni Gregorii Summi Pontificis, Anno ab Incarnatione Domini nostri Jhesu Christi Millesimo Octogesimo Quarto, Regnante Henrico filio quondam Henrici Imperatoris, Indictione Sexta, Eugubio. Ego in Dei nomine Tebaldus filius quondam Pagani de Nartianula refutationem, & transactionem, & definitionem facio Ecclesiæ Sanctæ Crucis Heremi Fontis Avellani, & tibi Johanni Priori, tuisque Successoribus imperpetuum, de ipsa Ecclesia Sancti Apolenaris posita in Nartianula, & prædia sibi pertinentia, & muribus, & Altaribus, & paramentis, & de omnibus patrociniis Sanctorum, quæ ibi sunt, quæ fuit de jure Sancti Apolenaris in Classe de Ravenna; tam de ipsa parte, quam ego tenebam ex parte Genitoris mei jure infictioticario, aut meo jure & omni alia portione, quam ego tenebam jure Episcopii Sancti Mariani, aut qualicumque modo ego tenebam, aut qualecumque homo meo jure. Et medietas unius modioli de mea proprietate de Silva Majore. Omnia suprascripta res & Ecclesia confirmo ad habendum, firmiterque possidendum jam dictam Ecclesiam Sanctæ Crucis, sicut superius diximus, pro redemptione animæ meæ, & Genitoris mei, & Genitricis, & Fratrum meorum, & pretio quod recepi equum unum, & denarios quantos simul convenimus pro hac supradicta causa. Obligo me meosque heredes nullam molestiam inde facere nec nullam actionem movere, sed semper tacere. Et si omnia non observavero, & non adimplevero cuncta quæ superius promisi, obligo me meosque heredes dare & componere pœnæ nomine de argento libras decem jam dictæ Ecclesiæ, & suis Rectoribus imperpetuum, & post pœna soluta hæc pagina finitionis & transactionis firma & stabilis permaneat omni tempore.

Signo manu ego Tebaldus, qui hanc paginam finitionis & securitatis scribere rogavi.

Ego Ubertus filius Uberti Judicis testis sum.
Ego Peccinellus testis sum.
Ego Addamulus testis sum.
Ego Johannes scripsi & complevi.

Duodecima caussa, quæ multas opes intulit in Ecclesiasticum ærarium, & quam in Disser. LXXI *de Episcop. potentia* etiam innuam ea est: Nempe Episcopos atque Abbates antiquis Sæculis sese politicis immiscuisse negotiis, & Aulam Regum frequentasse, ut non secus atque Sæculares eorum gratiam, fructusque inde consequentes, lucrarentur. Quum verò con-

controversiæ exsurgebant de Regno, aut electione Regum, aut bella flagrabant, quicumque ex Ecclesiæ Principibus aut Abbatibus intensiorem in iis concertationibus operam dabat ad comparandum alicui Regnum, aut juvandam alicujus causam, ei etiam in bellicis tumultibus adhærendo, is præ ceteris effusiorem in se liberalitatem Principis sentire fere semper consuevit. Anno 1091 Henricus Rex IV. & Imperator III ad deditionem compulit Mantuanam Urbem, ibique, pulso *Hubaldo* Præsule legitimo, *Chononem* (quo nomine *Conradus* A significatur) intrusit. Nihil non fecit Schismaticus iste Episcopus, ut Henrico se utilem præberet turbidissimis iis temporibus. Quare suum censuit Henricus liberalem se quoque præbere erga illius Ecclesiam, eidem concessis tribus Castellis, quibus, ut arbitror, spoliata deinde fuit, statim ac Mantuam Mathildis Comitissa recepit. Tenebris ereptum accipe Diploma Henrici, nobis servatum in suis Collectaneis MStis a Peregrino Prisciano Ferrariense.

Donatio Castri Novi, Campitelli, & Scorciaroli facta Cononi Episcopo Mantuano, ejusque Ecclesiæ, ab Henrico Rege IV. Imperatore III. Anno 1093.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Henricus Imperator semper Augustus. Quoniam opportunum nobis, & utile valde statui ac decori Regni & Imperii nostri evidenter esse cognoscimus, sanis nostrorum fidelium consiliis, in his maxime, quæ ad curam & honorem nostri regiminis pertinent, diligenter condescendere, si quid forte occurrit, quod honorem nostrum non minuat, & Sanctam sublimet Ecclesiam, eorum nullatenus debemus salutaria consilia contempnere. Dicit namque Sapientia:* Omnia fac cum consilio, & postea non pœnitebis. *Est quoque juxta Psalmistam Regis honor judicium & justitiam diligere, & in veritate posse dicere cum Psalmista:* Domine, dileximus decorem domus tuæ. *Ut igitur per honorem & amplificationem donorum Dei, cujus servitio vacare debemus incessanter ex dilectione, si salvari cupimus & æternam consequi gloriam, nostrorum sane fidelium consilia piis auribus exaudientes, & ad dignam & humilem, & laudabilem petitionem* Chononis Mantuani Episcopi *clementer respicientes, Castrum novum, & Campitellum, atque Scorciarolum cum omnibus eorum pertinentiis intus & foris, salva nostra Regali justitia, per hanc nostram præceptalem paginam habenda perhenniter atque possidenda sine molestia jure proprietario Mantuanæ Ecclesiæ concessimus. Si quis igitur Dux,* B *Marchio, Comes, Vicecomes, aut alia qualibet persona, cujuscumque conditionis fuerit, hanc nostram præceptalem paginam violare præsumpserit, mille libras auri puri compositurus banno nostro subjacebit medietatem nostræ Cameræ, & medietatem prædictæ Ecclesiæ. Ut autem inviolabiliter ab omnibus observetur, imagine nostri sigilli insigniri diligenter jussimus.*

Signum Domni Henrici Imperatoris Augusti.

Datum Anno Dominicæ Incarnat. MXCIII. Regnante Domno Henrico Romanorum Imperatore Augusto XXXIX. Imperante vero IX. Indictione vero V.

Actum Mantuæ feliciter.

C Porro quam multa ab Ottone III. Augusto Vercellensi Ecclesiæ conquisierit Leo Episcopus, alia monumenta in hoc ipso Opere edita, atque ab Ughellio partim indicata, sat produnt. Is obsequio sedulus in ipsum Augustum, nullam occasionem excidere patiebatur, qua novis ab eo cumularetur donis. En novum liberalitatis Imperatoriæ erga illum pignus, donatio scilicet insignium duarum Cortium; nam sub *Clavasiæ* nomine venisse puto Oppidum, quod nunc *Chivassa* appellatur. Hujus donationis tabulas, nondum editas, adjicere heic juvat.

Ottonis

Ottonis III. Augusti Præceptum, per quod Leoni Episcopo Vercellensi, ejusque Ecclesiæ, duas Cortes Clavasiam & Bedolium elargitur, Anno 1001.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto Tertius, secundùm voluntatem Jesu Christi Romanorum Imperator Augustus, sanctarumque Ecclesiarum fidelissimus dilatator. Notum sit fidelibus nostris, qualiter interventu & petitione* Ugonis Marchionis *nostri dilectissimi fidelis, dedimus Sancto Eusebio, cui* Domnus Leo Episcopus *praeesse videtur, duas Cortes juris nostri Clavasiam & Bedolium in integrum cum omnibus terris, massaritiis, silvis, pratis, pascuis, vineis, piscationibus, venationibus, ripis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, omnibusque terris cultis & incultis, cum omnibus Servis, Ancillis, Aldionibus & Aldiabus, & cum omnibus rebus mobilibus & immobilibus ad easdem Cortes in integrum pertinentibus; & cum omnibus, quæ dici possunt, ad easdem Cortes inspicientibus: ut tam Leo Episcopus, quàm omnes sui Successores habeant, teneant, ordinent, & quodcumque velint, faciant, salvâ tamen Dei reverentiâ, & honore Sanctæ Ecclesiæ; quia omnino de nostro jure, & de nostra proprietate in jus proprium, & proprietatem Sancti Eusebii Vercellensis Episcopi contulimus, ut omnem potestatem habeat tam* Leo Vercellensis Episcopus, *quàm omnes sui Successores, ita de illis prædictis duabus Cortibus Clavasia & Bedolio, & omnibus mobilibus & immobilibus illas respicientibus facere, sicut de aliis terris, quas Sancta Vercellensis Ecclesia pacifice & quiete tenet, & tenuit. Interdicimus autem, ut nullus Dux, nullus Marchio, nullus Comes, nul-*

A *lus Vicecomes, nullaque Imperii nostri magna aut parva persona, ullam contrarietatem, aut minorationem facere de quacumque re audeat, aut undequaque per aliqua placita aliquo ingenio fatigare. Si quis autem Diabolico fastu ductus, hujus nostri Præcepti violator extiterit, mille Libras auri obrizi componat, medietatem nostræ Cameræ, & Sancto Eusebio alteram: hocque Præceptum omni tempore in sua permaneat firmitate. Quod ut verius credatur, & in æternum conservetur, manu nostra roboravimus, & nostro Sigillo jussimus insigniri.*

Signum Domni Tertii Ottonis Serenissimi Imperatoris Augusti.

Heribertus Cancellarius ad vicem Petri Cu-
B *mani Episcopi recognovit.*

Datum XV. Calendas Februarii, Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Primo, Regni verò Domni Tertii Ottonis XVI. Imperii verò V. Indictione XIV.

Actum Romæ in Palatio feliciter. Amen.

Verùm hæc omnino levia, si cum aliis Regum atque Augustorum largitionibus erga Ecclesias conferantur. Heic autem quisquis est inter Lectores morosus, ac rigidæ censuræ adsuetus, sinat ut exeram Chartam informem, cujus antiquissimum apographum intueri, ac describere mihi licuit ex reliquiis Tabularii Augusti Monasterii Nonantulani, in Mutinensi
C agro siti. Minutissimis ac rotundis characteribus exarata erat membrana illa, quorum forma alicubi præ vetustate exciderat.

Charta donationis bonorum immanis, factæ Nonantulano Monasterio, ejusque Abbati Anselmo, a Carolo M. Francorum & Langobardorum Rege, atque Morteperto Duce. Circiter Annum 774.

Exemplum donationis facte per Carolum Regem Francorum & Nortepertum Ducem.

V*Eneravile Cenobio Sanctorum Apostolorum sito in Castro Nonantule territorii Mutinensis, ubi* Domnus Anselmus . . . . *nobis Karolus Rege Francorum & Saxio . . . . & Longobardorum, una cum* Nortepertus Dux, *damus, simulque offerimus omnia nostra Cortes, & Donica in* Comitatu Fossolano, *in* Comitatu Pistoriense, *atque in* Comitatu Lucardo, *& in* Comitatu Lucense, *& in* Comitatu Rigenses, *atque in* Comitatu Senensi. *In primis omnia do ego Dompno Carolus duo gualdos mea Donica in* Comitatu Fossolano *super fluvio . . . . jacentes cum Ecclesias suas, idest Sancta Maria in Advena, & Sancta Maria in Manum, quod est per singulos gualdos foriestos meas massaricias C. una cum selvas ad ipsius pertinentes. Seu & Monasterium in Civitate Fossolana Sanctos Michaël atque Monasterium Sancti Miniati in ipsius Ci-*

D *vitate, cum Cellis suis in ipsius Civitate vel foris ad ipsas pertinentes. Seu & Curte Viselle, & Corte Bibiano, Plebe Sancti Gavini, & fundo Justiniano, Mocolidula, & Colle Fenario, & Corte Tigano, Plebe Sancte Marie Villole, & Plebe Sancte Hierusalim, seu Plebe Sancti Romuli, & in loco Bernardi, seu in Grave, & Sancti Illarii, & Corte Pretorio, & Sancti Michaëlis, & Corte Sobelinario, & Monte Miniano, Turiniano, & Gorzano, Genesticlo, & Spaloti, Plebe Sancti Panchrati, & Corte Bergovigiano, & Sculcta, Fugnana, & Sancti Petri in Mauriciani, & Corte Axsinia, Corte nostra Spandola, Corte nostra Meledo, cum Ecclesia in Musello, in Caprilia,*
E *. . . . . niano, & Turri in Pineta, seu in Sexa, atque Corte nostra de Novole, & Corte de Fumaria atque Calcinaria, & Valvigne, Arzana . . . . Corte Monachorum,*

rum , & Simbriano , Corte Elsa , Corte Pesa , Campi , Ingone , Quinto , Melego , Aproniano , Susicana , ... ano , Popponi , Grappena Sancti Benedicti , Sancti Georgii in Plebe Sancti Petri in Perimone : Seu in Pistoriense , *Corte . . . . Pinsingo , Plebe Sancti Petri de Groppina , & Plebe Sancti Laurentii de Petriolo loco , qui vocatur Bocina . Seu in* Comitatu Aretino, *Plebe Sancti Stephani , sita in Classe , & loco Pissinale juxta fluvio Classe . In* Comitatu Lucardo *Corte nostra Sancti Petri in Mercato , seu Corte nostra Monte Calvo , & Corte Campane , & Corte Petroniano , Plebe Sancti Leonardi , Corte a Furno , & Castro Ciliano , atque Monte Bonisi , & Sancti Petri cum Corte Quintolo , & juxta fluvio Gosintia Corte Dominici , & Sancti Donati , Corte Decimo , Plebe Sancte Cecilie , Corte Penite , Plebe Sancte Marie , Corte Meleto , Corte Monacile , Vadolongo , Quarte , Plebe Sancti Petri , Rabuciona cum Capella Sancti Petri , Cortem Sepi cum Ecclesia Sancta Maria , Corte Caracle cum Ecclesia Sancti Martini , Corte Casentino , Corticella nostra una , qui vocatur Satri , Corte Pinscingno cum Cella Sancti Apostoli prope fluvio Selice . In* Comitatu Lucense *Sancta Maria cum Corte Pulinacho , seu & alias omnes Cortes nostras in predictis Comitatibus , Territorio Tuscia in donico nostrorum , quod est . . . . duo millia quingentorum . Et si amplius de nostro domnico invene in pagina ista permaneat una cum omnia capidalia & censoaria , seu & decima qui ad ipsas Cortes pertinet , ut sit in victo pauperorum atque Monachorum pro veneratione religia , & ne subeant ipsi Monachi , vel Monasterio nisi ad Ecclesiam Romanam . Omnia ipsas Cortes cum adjacentia & pertinentia sua , seu cum appendiciis suis quanto ad nostras Cortes depertinet infra ipsius Comitatibus , tantis una cum selvas ad ipsas depertinentes una cum olivetis & vinetis , arbustis , arboribus pomiferis , fructiferis & infructiferis diversisque generibus , jura fluviorum , qui decurrit per de ipsos Comitatos , alpibus & collibus , omnia a sibi pertinentia & adjacentia in integrum . Et si qui de hominibus qui precepta nostra neglexerit , vel . . . . daverit , sit sibi pena compositura bona ejus publicetur , & in exilio mitteremus . Hanc vero paginam Artuino Notario a scrivere tolli & robariada con testibus tradita complevi & absolsi .*

Ego Mericho Clericus rogatus .
Ego Raimpret rogatus .
Ego Aldoinus rogatus .
Ego Joseph a rogatus .
Melchione Medicus a rogatus .
Signa † † † † *de contestibus* Warnifret , *Artoinus , Mechois , Josephus , Stravius , Aripret , Johannes , Paulinus , Basingus , Mauro , Leo , Gumperto , Stamperto , Stabile , Da Villa , Vanielsi .*

Quisquis Chartam hanc legerit , animoque intento consideraverit , aut continuo eam ad apocrypha amandet , aut anceps dubiusque in ejus contemplatione considat oportet . Et ego hæsi , atque adhuc hæreo . Fidem pæne excedit tanta bonorum , Villarum , atque Ecclesiarum effusio , uno tenore ac die facta in unum Abbatem , unumque Monasterium . Deinde nulla est Chartæ huic germani Diplomatis facies ; & quisque novit , quibus verbis , & formulis Reges , atque Imperatores donationes
A ac Privilegia sua concipere consuerunt . Mirari etiam subeat , cur sese cum Rege *Nortepertus Dux* immisceat in ejusmodi donatione facienda . Hæc profecto , atque alia , fateor, meæ quoque menti obversabantur , quum Chartam descripsi , cujus authenticam originem præstare certe nolo , sed quæ mea sit de illa opinio tantùm exponere . Supposititium fœtum affirmare non ausim ; si enim antiqui Monachi animum adjecissent ad confingendam adeo magnificam donationem ; longe minus negotium fuisset Diploma comminisci , quum & sibi ad manum essent , & ubique facile haberentur Diplomata a Regibus emissa , quæ imitari potuissent . Deinde subsequentibus tempo-
B ribus nulla supererant , uti videtur , vestigia tantarum opum Nonantulano Cœnobio in Tuscia collatarum : ac proinde quem quæso in usum imposturæ huic indulsissent Monachi? Ad hæc quis *Comitatum* illum *Lucardum* , de quo mihi sermo fuit in Differt. XXI *de Italiæ statu*, posterioribus Sæculis excogitasset, quando ne unum quidem verbum de illo antiqua Historia habet ? Quamobrem justus opinandi locus relinquitur , nil figmenti in ea Charta haberi , ipsamque fuisse privatam veluti scripturam a *Carolo Rege* , ac *Norteperto Duce* factam . Sed cur tanta tamque (pæne dixi) enormis insuetaque donatio facta Nonantulano Cœnobio ? Veniam a Lectoribus peto , si for-
C tasse facilius quam par sit in quamdam suspicionem inclino , eamque etiam referre nunc audeo . Suspicor , inquam , tantam Caroli munificentiam in *Anselmum Nonantulanum Abbatem* inde ortam fuisse , quod Anselmus ipse auxiliares manus porrexerit Carolo ad arripiendam Coronam Langobardici Regni , fructumque ceperit operæ bene navatæ magnificam illam tot bonorum donationem . At , inquies , Anselmus genere Langobardus fuit : quis credat , hominem a gentis suæ amore defecisse , ut in Francos translatum vellet Regnum Langobardorum ? Equidem id minime certum statuam ; attamen non desunt, quæ mihi rem ea ratione processisse suadere viden-
D tur . Uti constat ex Opusculo *de fundat. Monast. Nonantul.* Par. II. Tomi I. Rer. Ital. pag. 189. Anselmi soror *Giseltruda* nupta fuit *Aistulpho Langobardorum Regi* . Is autem Anselmus , ut fertur , Ducis titulo Foro Julii præerat , quum abjurato Sæculo Monasticæ vitæ sese addixit , ac Nonantulanum , aliaque Cœnobia construxit , Aistulphi liberalitate adeo insigni corroboratus , ut Anonymus Salernitanus in Paralipom Chronici sui Par. II. Tomi I. Rer. Ital. pag 177. dignum duxerit hanc etiam inter laudes illius Regis recensere , scribens : *Idemque etiam fecit Monasterium in finibus Æmiliæ , ubi dicitur Mutina , in loco qui nuncupatur Nonantula : nam pro ejus cognato*
E *Abbate Arsenio* (*Anselmo* restituendum est) *ibi virorum Cœnobium fundatum est ; nec non sibi ad sacra Monachorum Cœnobia ædificanda per certas Provincias* (quæ scilicet Nonantulano deinde supposita fuere) *multa est dona largitus* . Sublato e vivis *Aistulpho* , *Desiderius* Langobardorum Rex est renuntiatus , sed repugnante *Ratchis* , germano Aistulphi , eo videlicet , qui Regnum ante Aistulphum tenuerat , & Monachus in Casinensi Cœnobio degebat . Quid Ratchis egerit , quantoque conatu bonus Monachus novo Regi obstiterit, accipe ab Anastasio in Vita Stephani II. Papæ, & ab eodem Anonymo Salernitano , qui heic

Anastasium exscripsit: *Hujus (Desiderii) personam despectui habens Ratchis dudum Rex, & postmodum Monachus, germanus præfati Aistulphi, sed & alii plures Langobardorum Optimates cum eo, eumdem Desiderium spernentes, plurimam Transalpinæ, vel ceterorum Langobardorum exercituum multitudinem aggregantes, ad dimicandum contra eum profecti sunt*. Intercessit tot motibus ad Desiderii preces Stephanus II. & pacem inter diffidentes composuit. At Desiderius exulceratum deinde animum gerens, pro more conditionis humanæ adversus eos, quos contra se conjuratos senserat, in *Anselmum* quoque deſæviit, quippe illum, ut justa conjectura suadet, Ratchisio sororii sui fratri conjunctum, sibique adversantem, deprehendit. In Catal. Abbat. Nonantul. Tom. V. Ital. Sac. in Episcop. Tarvis. Anselmus dicitur rexisse *Abbatiam Nonantulanam annis quinquaginta; & ex his septem passus est exilium a Desiderio apud Casinum, sicut multorum seniorum relatione didicimus, pro eo quod nescio quid deliquerit in Desiderio; & Vigilantius Presbyter in prædicto tempore feliciter Nonantulanum gubernavit Cœnobium*. Quod heic dicitur de Vigilantio Presbytero nescio an certo fundamento nitatur. In Differt. LXIV. *de vario statu Diœcef.* Catalogum prodidi quorumdam vetustiorum Diplomatum eidem Cœnobio concessorum, inter quæ unum *Privilegium in papyro Adelchis Regis in Silvestro Abbate, confirmans omnia Privilegia superius annotata* &c. Ergo non tantummodo in exsilium actus est Anselmus, sed ejus loco substitutus fuit alter Abbas, nempe *Silvester*, ad regimen Nonantulani Monasterii. Simul autem hinc discimus, nisi post debellatum Desiderium Anselmo Abbati restitutum fuisse Cœnobium suum; nilque obstare, quin suspicemur, Anselmum ipsum quantis potuit viribus, apertis aut occultis, curasse, ut venientem Carolum Langobardi proni amplecterentur, dejectoque Desiderio sibi infesto, Francorum Principem in suum Regem lubenter acciperent. Neque Anselmi singularem pietatem huc arcessas velim. Summa quoque pietas fuit Hadriano I. Summo Pontifici; at nemo in illum injurius sit, si reputet, & ipsum minime indiligentem fuisse, ut in Langobardorum ditione Regi inviso Rex amicissimus succederet: ex qua victoria in ipsum quoque Pontificem, ejusque Successores, emolumenta non modica redundarent. Quis verò fuerit *Nortepertus Dux* in Charta nuper evulgata memoratus, ignotum est mihi. Attamen *Norteperti Ducis* mentio est in Charta Bononiensi commentitia, quam edidi in Dissertatione LXIV. *de vario statu Diœcef.* isque floruisse dicitur, regnante Ratchisio Langobardorum Rege, atque inter Duces ejus gentis refertur. Vetustus illius Chartæ artifex vetustiora forsitan monumenta præ oculis habuit, e quibus promere potuit *Norteperti* illius notitiam. Magni ergo nominis vir Anselmus Abbas, & singularis apud gentem suam existimationis, multum contulisse non immerito credendus est, ut Carolo M. tam prospere procederet bellum, per quod avitis Regnis Italicum nobilissimum adjecit. Neque plura pro hujusmodi conjectura adferam. Ad Romanos tamen Pontifices quòd attinet, bene quidem eis cessit sub Pippino Francorum Rege, ejusque filio Carolo Magno; tunc enim non Exarchatui tantùm, sed & Romæ, ejusque Ducatui dominari cœperunt. Plura etiam tunc eis promissa videntur, quam effectus ostenderit. At procedente tempore, quamquam ab ipsis Imperialis Coronatio penderet, per quam titulus & jus Imperatoribus tribuebatur, & quam nonnulli multis donis emebant: parum tamen emolumenti inde in Ecclesiam Romanam manavit. Scilicet nihil novæ ditionis ei additum fuit, immo antiqua etiam imminuta atque subtracta videntur. At ineunte Sæculo XIII. sub Innocentio III. grandis animi Pontifice, ac uberius etiam sub Nicolao III. Romana res felicius promoveri cœpta est, ita ut partim liberalitate Regum & Imperatorum, partim armorum subsidio, in illum Romana eadem Ecclesia statum progressa fuerit, quem nunc cernimus, eique perpetuum & pacatum semper optamus. Justum Librum conficeret, quicumque recensendam sibi proponeret in hocce negotio modò secundam, modò adversam, Romanorum Pontificum in rebus temporalibus fortunam. Ego unum exemplum adferam, e Cencii Camerarii Regesto excerptum, Diploma videlicet Friderici II. tunc Romanorum Regis, & postea Imperatoris, qui dum de Imperio contenderet cum Ottone IV. Augusto, ut sibi enixius gratiam conciliaret prælaudati Innocentii III. & Romanæ Ecclesiæ, erga Richardum Pontificis fratrem liberalem se præbuit, uti ex hisce tabulis constabit.

Literæ Friderici II. Romanorum Regis Sorano Comiti, quibus omnia jura, quæ in Civitate Sorana, & quibusdam aliis Castris Comitatus ipsius habebat, Ecclesiæ Romanæ tribuit & concedit, Anno 1215

FRedericus Dei gratiâ Romanorum Rex, & semper Augustus, & Rex Siciliæ, dilecto filio suo Ricardo Comiti Sorano, gratiam suam & omne bonum. Licet ad retribuendum digna pro meritis beatissimo Patri ac Domno nostro Innocentio Summo Pontifici, germano tuo, nos insufficientes & impares reputemus, ne tamen judicari debeamus ingrati, si nihil egerimus, quod gratiæ suæ debeat esse gratum, nos facientes ad præsens, quod possumus, in posterum dante Domino majora facturi, omne jus, quod habemus in Civitate Sorana cum Rocca Sorellæ, Arpino, Arce, Fontana, Pesclosodulo, Brocco, & Rocca de Vivo, quas dudum tibi concessimus, & heredibus tuis, cum Insula, Castellucio, & Terras Johannis Pagani, quas etiam tibi concessimus in Baronias, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, a qua prædictas Terras fatemur & recognoscimus nos habere, in perpetuum concedimus, & donamus. Ita tamen quod tu & heredes tui Terras ipsas, cum omnibus pertinentiis & juribus suis a Romana dumtaxat Ecclesia de cetero teneatis, fidelitatis sibi præstito juramento, servientes eidem de ipsis, pro ut nobis servire tenebamini. Ne verò super hoc aliqua possit in posterum dubitatio suboriri, præsentem Chartam aureâ Bullâ nostrâ communitam tibi, & heredibus tuis in testimonium duximus concedendam.

Hujus rei testes sunt, Theodoricus Treverensis Archiepiscopus, Berardus Panormitanus Archiepiscopus, Conradus Metensis Episcopus, Imperialis Aulæ Cancellarius, Comes Adolfus de Sowenbruc, Henricus Comes de Gemino Ponte, & alii plures.

Actum est hoc Anno Incarnationis Domini Millesimo Ducentesimo Quincto-Decimo, Indictione IV. Regnante Domino Frederico II. divina favente gratia Romanorum Rege, & semper Augusto, & glorioso Rege Siciliæ, Anno Romanorum Regni ipsius Tertio.

Datum apud Spiream, Anno & Indictione supradictis, Quincto Idus Octobris.

Decima tertia causa ditati Ecclesiastici ærarii, quidam mihi creditur ex piis antiquorum temporum moribus. Nimirum Patres & Concilia concordi voce Christianos passim hortabantur, ut viventes, aut in postremis saltem tabulis eleemosynas ad animæ suæ redemtionem, hoc est pro eluendis peccatis, relinquerent: qua de re multus mihi sermo fuit in Lib. Italicâ Linguâ scripto *de Caritate erga proximum*. Christum sibi cum filiis aut agnatis coheredem facere hoc pacto pia gens dicebatur. Proinde vix ullus erat, qui sine eleemosynarum largitione suos dies clauderet. Immo probrosum quodammodo erat sine testamento decedere, hac ipsâ potissimum de causâ, quod Christianus intestatus e vivis abiens, nullamque eleemosynam decernens, nullam aut exiguam æternæ suæ salutis curam A habuisse videretur. Ut ergo ejusmodi ignominiæ eriperentur quicumque intestati diem postremum claudebant, invectus sensim alicubi fuit mos, ut Episcopus, defuncti hominis loco, testamentum conderet, hoc est, id statueret in eleemosynas erogandum, quod relicturus fuisse crederetur Christianus vitâ functus, si testamentum suum vivens conscripsisset. Id primo factum est piis, ut puto, heredibus consentientibus; fortassis etiam rogantibus; procedente autem tempore in consuetudinem ac veluti legem res abiit. Ejusque prostant exempla, præsertim in Anglica Historia, & adhuc mos durat in aliquibus, immo pluribus Regni Neapolitani locis, uti testantur B Episcopus Montis-Marani in Prax. Episcop. Neapol. & Molfes. ad Consuetud. Neapol. Par. IV. Quæst. LXIV. Ad hæc primo sacris Pastoribus data est ejusmodi facultas, ut hereditatis portio in pauperes ac egenos dispergeretur; sed sensim Ecclesiæ quoque in pauperum censum venerunt, atque intestatæ gentis mens credita est proclivior in eas futura fuisse: qua ex re pinguius illarum patrimonium evasit. Immo Episcopi ipsi in rem suam ejusmodi consuetudinem interdum convertebant; ac tributum evasit, quod antea pii moris fuit. Id significare videtur Charta Aimerici Cæsenatis Episcopi Anno 1174. scripta apud Ughellium Tom. II. Ital. Sacr. *Largior*, inquit, *do, trado Canonicam portionem* (ergo per Canones C hoc Episcopis indultum) *Testamentorum, & aliarum ultimarum voluntatum, de jure spectantem mihi, meisque successoribus per totum Plebatum Sancti Mauri* &c. Rursus infra meminit *Canonicæ portionis, idest Quartæ Testamentorum, & aliarum ultimarum voluntatum*. Attamen hæc obscura fateor. *Quarta* illa fortasse fuit de mobilibus tantùm; reperitur enim *Tertiagium* & *Nonagium*, hoc est jus Episcopo & Clero datum exigendi *tertiam* aut *nonam* partem de bonis mobilibus testatorum. Consule Du Cangium in Glofs. Lat. Utcumque tamen ista explices, satis habes ad dignoscendum alium fontem, unde opes in Clerum antiquis temporibus defluebant.

D Neque tantùm eleemosynæ causâ testatoribus suadebatur liberalitas in Ecclesias, sed etiam justitiæ intuitu, ut si quid in humanis commerciis inique sibi tribuissent, specie illa restitutionis emendarent, quoties videlicet certæ personæ non essent, quibus facienda restitutio foret. Obizo I. Marchio Estensis in postremis suis tabulis Anno 1193 confectis, atque a me evulgatis Par. I. Cap. 37. pag. 364. Antiquitat. Esten. *reliquit libras CC. pro Maltoleto*. Hoc nomine (*Maltolta* quoque dicebant) veteres præcipue significabant tributa indebita a subditis exacta, aut alio quovis modo injuste ablata. Ita Anno 1338. Marsilius E Carrariensis Patavii dominus, *videns se in articulo mortis, pro suis male ablatis restituendis Florenos centum millia consignavit, quos depo-*

fuerat Venetiis. Hæc in Chronico Cortusii Lib. VII. Cap. X. Interdum etiam (idque alibi in hoc ipso Opere animadverti) in necessitatibus Ecclesiæ Romanæ Thesauri Ecclesiarum impendebantur; Pontifices verò pacis tempore beneficium hoc eisdem Ecclesiis rependebant, conferendo eis fundos, immo & quandoque Castella, unde augebantur reditus & potentia Abbatum atque Episcoporum. Id factum Canossinæ Ecclesiæ vide post Vitam Mathildis a Donizone conscriptam Tom. V. Rer. Italic. Sed & ipsa Mathildis Comitissa, quod thesauro Nonantulani Cœnobii usa fuisset bellorum tempore, en quo pacto se munificam præbuerit erga ejusdem sacri loci Monachos. Exemplum antiquum Chartæ hujus in Tabulario Nonantulano vidi.

Mathildis Comitissæ Charta, per quam varia Castra ac bona confert Monasterio Nonantulano ad thesauri ejusdem Ecclesiæ a se expensi restaurationem, Anno 1103.

I*N nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno ab Incarnatione ejus Millesimo Centesimo Secundo, quinto decimo Kal. Aprilis Indictione Undecima. In Dei nomine ego* Matildis Comitissa Dei gratia si quid sum, *jussione & data licentia* Domni Bernardi Dei nutu Sancte Romane Ecclesie Cardinalis, atque in Lombardie partibus Vicarii Domni Paschalis divina favente clementia ejusdem summe Sedis Antistitis, *in meorum peccatorum remissionem, & ad* thesauri sancte Nonantulane Ecclesie restaurationem, in qua Corpus Beatissimi Silvestri Christi Confessoris requiescere noscitur, *quem prefate summe Sedis jussione, ejusdem tuitione, que tunc temporis ab adversariis intolerabili infestatione vexabatur, expendi: Tibi Domno Johanni Preposito, & Adigerio ejusdem prefati Cenobii Avocato, a parte scilicet prefate Ecclesie in perpetuum ad habendum concedo: idest nominative Castrum & Curtem Cellule cum edificiis & Ecclesiis una in honorem Beati Johannis Baptiste, alia Sancti Cassiani, tertia Sancti Michaëlis Arcangeli, ibidem consecratis, & Curtem Raigosole cum Ecclesia dedicata in honore Beatissime Virginis Marie, & omni jure ad predictum Castrum & Curtes pertinente. Castrum etiam Tedaldi cum Ecclesia in honore prefati Sancti Johannis Baptiste edificata, & omnibus ejus pertinentiis, omnesque res territorias, quas in toto Comitatu Ferrarie videor possidere; omnes scilicet res supradictas, quas prelibate Sancte Romane Ecclesie jure proprietario tradidi, & nunc ab ea videor possidere. Eo verò ordine ut pars predicte Ecclesie Sancti Silvestri omnes predictas res ut dixi, in perpetuum teneat, ac prout ei melius visum fuerit, utiliter disponat sine omni mea que supra Matildis meorumque heredum ac proheredum contradictione. Ita tamen ut pro omnibus suprascriptis rebus a parte jam fate Nonantulane Ecclesie unus bisancius annualiter in Lateranensi Palatio pensionis nomine persolvatur, illi videlicet prime Sedis Pontifici, qui per Catholicos Cardinales inibi pro tempore fuerit ordinatus. Quidem & ego que supra Matildis una cum meis heredibus &c.*

Actum in Castro Panciano feliciter.

✠ *Ego Bernardus dictus Cardinalis Presbiter Sancte Romane Ecclesie, & Domni Pape Paschalis Secundi Pape in Longobardie finibus Legatus atque Vicarius, dictante justitia ex utraque parte, hoc scriptum fieri jussi, & manu mea subscripsi.*

✠ *Ego frater Johannes peccator Monachus dictus Prior hanc cartulam accepi, & ideo subscribo, ut si oportuerit, saltim mearum litterarum valeat comparatio.*

MA TIL
DA DEI
GRA SI
QID EST ss.

✠ *Ego Arderieus Judex interfui, audivi, subscripsi.*

✠ *Ego Bonus Judex interfui & ss.*

✠ ✠ *Ego Albericus m m. ss. Ugo Armatus, Albericus de Nonantula de hac scripta pagina rogati fuerunt testes.*

✠ *Ego Wido Notarius sacri Palatii scripsi, postraditam complevi & dedi.*

Scripsi *Anno* 1103. quum Anno illi respondeat *Indictio XI.* Nisi error Librarii heic subsit, Annus 1102. Florentinorum more continuatus fuit usque ad diem XXV. Martii Anni vulgaris 1103. ac propterea cum *Indict. XI.* conjungitur in Charta *Annus MCII.* Quod Mathildis fecit, fecisse credendi sunt & alii Principes pietatis non obliti, nam etsi fere numquam in donationibus Ecclesiæ alicui factis, remunerationis ac restitutionis titulum commemorant: quum tamen Ecclesiarum thesauris vel sponte oblatis, vel vi sublatis, non rarò uterentur ad bellorum necessitates, opinari licet, rependisse postea beneficium, aut emendasse maleficium, collato quopiam insigni dono eisdem Ecclesiis. Titulum autem istum disertis verbis expressit Fredericus II. Siciliæ Rex postea Imperator, quum se liberalem erga Pactensem Ecclesiam exhibuit. Debeo illius Diploma amicissimo viro P. Sebastiano de Paulis ex Congreg. Matris Dei, Theologo Augusti olim nostri, cujus eruditionem editi Libri, & Eloquentiam præclariora Italiæ pulpita testantur.

Friderici Siciliæ Regis Diploma pro Episcopatu Pactensi, cui concedit dimidium Terræ Nasi, Anno 1200.

FEdericus divina favente clementia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ & Principatus Capuæ.

Gratum Creatori munus offerimus cum sacrosanctis ejus Ecclesiis Regiæ manus extendimus largitates, & illis præcipue, quæ nobis in necessitatis articulo de bonis ejus, devote libenter satis & liberaliter subvenerunt, ad quarum etiam ritributionem condignam justa nos ratio provocat, & honesta. Inde est itaque, quod cum Pactensis Ecclesia medietatem Terræ Nasi, quiete teneret, concessam sibi a felicibus Regibus prædecessoribus nostris, Nos divinæ charitatis intuitu, & pro nostra nostrorumque Parentum inclitæ recordationis salute, pro eo etiam quod venerabilis Pactensis Episcopus fidelis noster in nostræ necessitatis articulo decem & septem millia tarenorum exhibuit Gualterio dilecto consiliario & Cancellario fideli nostro, pro servitiis nostris, & thesaurum, & alia bona Ecclesiæ suæ devote, satis liberaliter, & libenter exposuit, & pro nostris dedit servitiis exequendis; nec non pro magnis dispendiis, & multis jacturis, quas ipsa Ecclesia pro nostra fidelitate substulit, & honore: de innata benignitatis nostræ Clementia, eidem Pactensi Ecclesiæ & ipsi Episcopo ac successoribus ejus perpetuo concedimus, & donamus medietatem aliam Terræ Nasi, quam videlicet Abbas de Guarros tenuit, & ex juditio Domini Imperatoris divæ memoriæ Patris nostri rationabiliter & juste amisit, A *pro eo quod ejus proditor est, postmodum autem ipsam Simeon Pisanellus Pisanus tenuit & possedit, & quia similiter proditor noster inventus est, fuit ea justo judicio destitutus: ipsam siquidem medietatem Terræ Nasi concessimus, & donavimus integre, & sine aliqua diminutione cum omnibus justis tenimentis, & pertinentiis suis; tam in demanio, quàm in servitio, quod in demanio in demanium, & quod in servitio in servitium, salvo servitio quod Curiæ nostræ inde debetur. Ad hujus autem concessionis ac donationis nostræ memoriam, & inviolabile firmamentum præsens privilegium scribi, & Majestatis nostræ sigillo jussimus communiri: Anno, Mense, & Indictione subscriptis. Datum in Urbe felici Pan: manus Gualserii Regni* B *Siciliæ Cancellarii, Anno Dominicæ Incarnationis M. Ducentesimo, Mense Novembris, Tertiæ Indictionis, Regni verò Domini nostri Federici Dei gratia Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ Anno XI. feliciter. Amen.*

Ad hæc in nonnullas Ecclesias translatum a Principibus fuit jus colligendi hereditates hominum sine justis heredibus, ac sine testamento decedentium. Atque hujusmodi Privilegio potissimum donata est Salernitana Ecclesia a Principibus Salerni. Testem profero Chartam eductam ex Tabulario Monasterii Cavensis.

Gisulfi I. Principis Salernitani Diploma, per quod Petro III. Episcopo Salernitano, ejusque Ecclesiæ, jura varia largitur, Anno 946.

✠ IN nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi, nos Gisolfus Dei providentia Longobardorum gentis Princeps per rogatum & postulationem *Domni Petri venerabili Episcopi* & Oratori nostro, & pro amore omnipotenti Deo, & salvatione gentis nostre & patrie, concessimus in Sanctam Sedem Salernitane Ecclesie, ubi nunc ipse supradictus Domnus Petrus preesse videtur, omnia & in omnibus rebus, & substantia Presviterorum, atque Diaconorum, Subdiaconorum, & omnium Clericorum, forensium vel Civium Ecclesie, ordinis, gradus fungentium, etiam illorum Clericorum secularem havitum induuntur, sub toto nostro Principatu commorantium, qui sine heredibus defuncti sunt, vel qui inantea fuerint defuncti absque herede, cum omnes illorum femine, quod in partes adulterii habuerunt vel habuerint. Sive concessimus in eadem Sancta Sede omnes servos ex ipsos Episcopio pertinentes cum uxoribus suis, livere femine, quod usque modo tulerunt, vel abuerunt, aut in antea tulerint. Simulque concessimus in eadem Sancta Sede omnes rebus ex Mortuorum, que infra rebus ipsius Episcopii est, vel que ejus munimina C declarant, seu si pars eidem Episcopii qualemcumque hominum vivo se recollexerint, qui non fiant Censilem, & nullam angariam aut dationem in partibus Reipublice faciant aut persolvant. Simulque concessimus in eadem Sanctam Sedem omnem portaticum, quod a pars i sius Episcopii, vel ab omnibus Clericis, seu omnibus hominibus ipsius Episcopii dari debent vel debuerint per quancumque Porta introierint in Civitate nostra Salernitana, sive in omnibus locis vel Castellis nostri Principatus subjecto, seu cetera omnia & in omnibus que a singulis Principibus antecessores nostros in ipsam Sanctam Sedem concessa fuerint. Totum D integrum omnia que supra legitur in prefatam Sanctam Sedem concessimus, in ea videlicet ratione, ut amodo & deinceps per hoc nostrum roboreum preceptum omnia, que superius legitur, prefatam sanctam Sedem & ejus Presul & successores habere & possidere valeatis, & inviolabiliter & securi exinde permaneant. Et concessimus iterum in prefatam sanctam Sedem, ut quanti Censiles sunt vel fuerint de ipso Episcopo, ut nullam angariam aliquando aut dationem in partibus Reipublice faciant aut persolvant per

„ per qualecumque ratione, & per hoc nostrum roboreum preceptum omni tempore securi & illesi exinde permaneant omni tempore, & a nullo ex nostris Judicibus, ideft Comitibus, Castaldeis, vel a quibuscumque agentibus de omni, quantum superius legitur, habeat aliquando prefatam sanctam Sedem requisitione aut molestatione. Sed omnia qualiter prelegitur, firmiter habeant & possideant. Quod verò preceptum concessionis ex jussione suprascripte potestatis scripsi ego Johannes Notarius.

„ Actum in sagro Salernitano Palatio de Anno quartodecimo nostri Principatus, Mense Junius, Indictione IV.

Idem significari videtur in alterâ Chartâ, spectante ad Guillielmum II. Siciliæ Regem, & ex eodem Cavensi Chartophylacio depromtâ. Quod tamen in ea mihi insuetum videtur, est ejusdem Regis inscriptio, quum dicatur *Siciliæ & Herusalem Rex*. Dissentit ejusmodi titulus ab usitata formula Principis illius. Fridericus II. ille fuit, qui Siciliæ Regno titulum quoque Regni Hierosolymitani adjunxit. Fortassis *Italiæ* scriptum in membrana fuit. Attamen ad omnium examen proferre Chartam placuit.

Romualdi II. Salernitani Archiepiscopi petitio ante Landulphum Judicem, ut Diploma Gisulfi I. pro sua Ecclesia explicet, Anno 1171.

IN nomine Dei eterni & Salvatoris nostri Jesu Christi amen. Anno ab Incarnatione ejus Millesimo Centesimo Septuagesimo Primo, & quinto Anno Regni Domni nostri Guillielmi Sicilie & Jerusalem gloriosissimi Regis, mense Martio, Quarta Indictione. Ante me Landulfum Judicem venit Johannes filius quondam Vivi Presbiter & Cardinalis hujus Salernitani Archiepiscopii, in quo Domnus Romoaldus Dei gratia venerabilis secundus Archiepiscopus *preest. Et ex mandato supradicti Domni Archiepiscopi, & pro parte supradicti Archiepiscopii ostendit unum preceptum cerea bulla sigillo quondam* Domni Gisulfi Principis *impressa, roboratum, quod continebat*: In nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi concessimus nos Gisulfus Dux gloriosissimus Longobardorum gentis Princeps, pro amore Domini Jesu Christi, quam etiam per remedium salutis anime nostre, per rogum Domni Petri venerabilis Pontifex in Episcopio Salernitano, in quo ipse Dominus Petrus preest, omnes res quantum nostri Palatii pertinentes est, aut nostro tempore fuerit, sive de mortuorum, seu undequaque de rebus qui dicitur Transu, & usque acque de Cornia usque fluvium Tusciani, desuper usque serras de montibus. Simulque etiam concedimus in eodem Episcopio quantum quantoque nostri Palatii pertinentes est aut fuerit, videlicet ipsum Tuscianum nominative in capu in terra, & in Dossa, & in Scabbella, in Vacessano, & Liciniano. Ideo ac omnia & in omnibus quantum infra ipse finis est, & extra ipse finis, quomodocumque predicti Palatii pertinentes est aut fuerit in ipsis nominantibus locis, & intra ipse finis transatibus, & a fundibus, cum aquis, & omnia infra se abentibus in ea dictam Sanctam Ecclesiam concedimus, in ea ratione ut amodo & deinceps per hoc nostrum roboratum preceptum ea que prelegerit pars ipsius Episcopii & ejus Rectores omni tempore ipso habendum, dominandum, possidendum, & omnia exinde faciendum quod voluerit; & a nullo ex nostris Judicibus, Comitibus, Castaldeis, vel a quibusque agentibus habeatis exinde aliquando aliqua molestia vel contradietate, sed perpetuis temporibus se vero nomine ipsa sancta Ecclesia eos habeat & possideat. Quod verò preceptum concessionis ex jussione suprascripte potestate scripsi ego Riccardus Notarius. Actum Salerni in sacro Palatio, de Anno XXV. supradicti magni Principis, mense Martius, Indictione I. (*ideft Anno 958.*) *Cum autem ipsum preceptum ostensum fuit, ipse Presbiter pro parte supradicti Archiepiscopii & ex mandato predicti Domni Archiepiscopi me deprecatus quanto citius ipsum preceptum declarari jubere. Cujus ego precibus annuens, ipsum preceptum ictum per ordinem in hanc cartam pro parte ejusdem Archiepiscopii te Johannem Notarium declarare jussi.*

Ego qui supra Lantulfus Judex.

Decima quarta caussa amplificati Ecclesiastici patrimonii dicenda est Sanctorum veneratio. Ubi enim Corpora illorum quiescebant, quas eximia Pietas Cælitum albo dignos effecerat, ac eorum præcipue, quos major fama Virtutum ac Miraculorum commendabat, illuc certatim Fidelium cœtus confluebant, & non solùm donariis quotidie altaria tumulosque illorum ornabant, sed & feudos certatim in sacri illius loci honorem elargiebantur. Millena hujus moris exempla suppeditat nobis Historia Ecclesiastica, ex quibus ne unum quidem adferre opus est, quando temporibus quoque nostris eadem pia consuetudo perdurat, eo tamen decremento, ut in hujusmodi liberalitate Sæcula nostra cum antiquis conferri vix possint. Tunc enim leviori negotio sibi persuadebant homines, recuperatæ valetudinis donum, & negotia quæque bene gesta, aut mala evitata, ex uno Sanctorum patrocinio ac ope imploratâ procedere: quare frequentioribus Votis eorum præsidium poscebatur, & in illorum Sepulcris ditandis operosior tunc erat Christianorum pietas. Neque deerant (ut par est credere) Ecclesiasticæ gentis hortamenta in hanc rem. Sed ii potissimum industriam suam prodidere, qui auctores populo fuerunt, ut si quando filii peterentur intercessione Sanctorum a Deo, aut in ægritudinem inciderent, parentes eorum ad Sanctorum Sepulcra tantum conferrent, quantum ponderis Corpora ipsorum ad stateram appensa haberent. Impetrato ergo filio, aut receptâ illius sanitate, tantumdem ponderis Ecclesiæ pro eo offerebatur, paupere vulgo præbente triticum, panes, caseos, aut quid simile cum aliquot nummis, divitibus autem tantumdem argenti aut auri. In

In Chronico Vulturnensi Par II. Tomi I. Rer. Italicarum pag. 430. legitur Diploma Guidonis Augusti datum Anno 891. ubi Imperator ille fatetur, se pro nato sibi Lamberto filio, postea Augusto, tantum auri contulisse Monasterio Sancti Vincentii. *Insuper*, inquit, *offerimus in præfato Monasterio auri puri libras, quantum idem karissimus noster pensat filius*. Attamen sunt, quæ mihi suspicionem crearunt conficti Diplomatis, uti in Notis jam prodidi.

A

Postrema denique causa, cur Monachi potissimum amplissimam olim fortunarum segetem collegerint, non est reticenda, nempe illorum Pietas, Doctrina, aliæque animi & ingenii laudatissimæ virtutes. Plerumque enim (quod fateri æquum puto) antiquis Sæculis viri Monasticæ vitæ addicti reliquis Ecclesiæ militibus Sanctimonia morum præstabant. Erant tunc Abbates non pauci, quos non immerito posteri in censum Sanctorum retulere. Quo se luculentius prodebat Virtutum splendor in iis, eo etiam lubentius in illorum sinum Christiana plebs opes effundebat, quæ non melius ac sapientius collocatæ credebantur, quàm quum traditæ erant viris, tanto favore Pietatem ceterasque Virtutes excolentibus. Atque id præcipue animadvertendum est, alienationem videlicet bonorum Ecclesiæ interdictam fuisse Episcopis; licuisse tamen eis olim partem aliquam eorum in Monasteria Monachorum & sacrarum Virginum transferre. Nullaque fortasse Civitas est, quæ Episcopum aliquem ex suis non memoret aut conditorem alicujus Monasterii, aut erga illud liberalem. Mutinæ Anno 996. Johannes Episcopus nobile Monasterium Sancti Petri ædificavit, ejusque Successores in eo ditando certarunt, ut monumenta in hoc Opere producta fidem faciunt, quibus adjuncta volo & subsequentia ex Archivo ejusdem Cœnobii desumta, ubi autographa adservantur.

B

Guarinus Episcopus Mutinensis Monasterio S. Petri confirmat oblata, ac ipse nova addit, Anno 1005.

C

„ IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Postquam omnium Conditor me Warinum omnium Sacerdotum humillimum &c. *ut in præcedenti Johannis Anno* 996. quam si Monasterium situm justa Mutinam in honore Sancti Petri Apostolorum Principis aliquo meo sublimarem commodo. Ideoque omnibus orthodoxæ Fidei cultoribus notum sit, qualiter venerabilis *Johannes prædicti Monasterii Abbas*, nostram humiliter adhierit clemenciam, quod omnia, quæ ei ac supradicto Monasterio a meis Præcedessoribus conlata sunt, similiter consentire, & concedere dignaremur, quatinus idem opus, Deo auxiliante, sub nostro regimine fructificaret. Quapropter ea, quæ petiit, libentissime concessimus. Unde tamen Imperatores, quàm Reges &c. (ut in *Charta* supra edita in Differt. XVIII.) quæ est laborata per Ademarium &c Donamus etiam jam dicto Cœnobio campum unum continentem jugera octo ultra Fossam Milenariam a Solis ortu, & de subto ipso Monasterio habente, a meridie & sera Sancto Geminiano habente. Concedimus namque Massariciam unam &c. Concedimus etiam terram juxta Castrum Vetus, quam tenet Restanus Gastaldius per precariam, inter vineatam, & arabilem, & prativam, jugera quattuor, cum Decimis ipsius terræ. Conferimus etiam prænominato Cœnobio domnicatum nostrum de Turri cum omni integritate, idest terra arabili, vineata, cum frascario super se habente. Statuimus etiam, ut ipsi nostri homines de Turri, tam hi qui nunc sunt, quàm posteri perpetim ibidem morantes ad onus & jussionem prædicti Fratrum Monasterii jam dictas vineas & terram excolere & laborare debeant, & pro tempore ipsas vineas vindemiare. Damus etiam prædicto Cœnobio Molendinum unum supra ipsam Civitatem Mutinam in loco, qui vocatur Gajolinus cum X. jugeribus de terra, quinque supra ipsum Molendinum, & quinque inferius cum accessione, & aquario suo. In Massa etiam donamus Massaricias duas; unam quæ recta & laborata fuit per Dominicum Malapelle; alteram, quæ laborata est per Johannem Leongni. Hæc omnia supradicta in usum & in sumptum supradicti Monasterii Fratrum consentio & confirmo. Denique nostra conscriptione hoc inibi tutum confirmantes, quatinus nostri Successores affectum nostri pectoris, devotionemque perpendentes, quæ semel Sancto devovimus & mancipamus Cœnobio, inviolata atque inlesa permanere concedant. Si quis igitur &c. *ut in præcedenti*. Actum est autem Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo V. Indic. III.

D

WARINVS XPI MISERICORDIA MVTINENSIS ECCLESIAE EPISCOPVS IN HOC DECRETO A ME FACTO SS.

„ Ego Sigefredus Archidiaconus m. m. ss.
„ Ego Oddo Archipresbiter m. m. ss.
„ Ego Ursevertus Diaconus & Prepositus m. m. ss.
„ Ego Domninus Presbiter & Primicerius m. m. ss.
„ Ego Motinensus Presbiter & Custos m. m. ss.

E

„ Ego Cigardus Presbiter m. m. ss.
„ Gisulfus Judex Sacri Palacii & Advocatus Sanctæ Mutinensis Ecclesiæ m. m. ss.
„ Johannes Sanctæ Mutinensis Ecclesiæ . . . . hoc Decretum jussu Domni Warini Episcopi scripsit.

Signum Bullæ pendentis deperditæ.

In eodem quoque Mutinensis Monasterii Tabulario Bulla exsistit Guiberti Episcopi, cujus hæc tantùm verba excerpsi.

Confirmatio

Confirmatio jurium & privilegiorum Monaſterii S. Petri Mutinenſis facta a Guiberto Epiſcopo Mutinenſi, Anno 1038.

„ IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti .
„ Poſtquam omnium Conditor me Wiber-
„ tum omnium Clericorum , Sacerdotum ,
„ Pontificumque humillimum atque indignum
„ &c. *ut in præcedenti Ingonis Anno* 1035.
„ qualiter Ardericus predicti Monaſterii Ab-
„ bas &c. Actum eſt autem Anno Incarnatio-
„ nis Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo
„ Triceſimo Octavo , XIII. Kal. Mar. Indi-
„ ctione VI. Preſulatus Domni Wiberti Epi-
„ ſcopi Primo hic in Mutina .
„ Wido Dei gratia Sanctæ Mutinenſis Ec
„ cleſiæ Epiſcopus in hoc Decreto a me facto
„ ſpontanea voluntate confirmavi , atque om
„ nibus Fratribus confirmandum tradidi , &
„ precepi .
„ Gaido ejuſdem Eccleſiæ Archidiaconus
„ conlaudans m. m. pp ss.
„ Ego Alfredus Diaconus m. m. ss.

A

„ Guido ejuſdem Eccleſiæ Diaconus m. m.
„ pp. ss.
„ Aimo Diaconus m. m. ss.
„ Walkerius Diaconus m m. pp. ss.
„ Walbertus Subdiaconus m. m. ss.
„ Amizo Subdiaconus m. m. pp. ss.
„ Joannes Subdiaconus m m. pp. ss.
„ Ego Adelbertus Presbiter ss.
„ Ego Mauricius Presbiter m. m. pp. ss.
„ Ego Martinus Presbiter m. m. pp. ss.
„ Ego Johannes prædictæ Sanctæ Eccleſiæ
„ Mutinenſis ejuſdem nihilominus Archipresbi-
„ ter hujus paginæ devotiſſimus Scriptor toto
„ niſu totaque voluntate manibus propriis ſub-
„ ſcripſi ac confirmavi feliciter .

B

Signum Bullæ pendentis deperditæ .

Benedictus Epiſcopus Mutinenſis quædam donat Monaſterio Mutinenſi S. Petri, Anno 1096.

„ IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti .
„ Anno ab Incarnatione ejuſdem Milleſimo
„ Nonageſimo Sexto , Indict. V. Quarto
„ decimo Kalendas Junii . Ego *Domnus Be-*
„ *nedictus Servus Servorum Dei minimus , licet*
„ *indignus Sanctæ Mutinenſis Eccleſiæ , Dei*
„ *diſpoſitione dictus Epiſcopus* , omnibus tam
„ preſentibus , quam futuris notum eſſe volu
„ mus , quod per hanc paginam fieri precepi-
„ mus . Quoniam exigentibus peccatis noſtris
„ aſſidue labimur, & crebris ruinis atterimur,
„ & quia in hac fragili & caduca vita diu eſſe
„ non poſſumus, & quoniam omnes Prelatos,
„ maxime Epiſcopos , erga ſubjectos curam
„ oportet ſemper impendere , precipue erga
„ eos , qui Sanctorum Patrum preceptis obe-
„ dire volunt, & imitari Prophetæ vaticinium,
„ dicentis : *Ecce quam bonum & jocundum ha-*
„ *bitare fratres in unum* ; Conſiderantes , qua-
„ liter melius crimina & peccata delere vale-
„ remus , tandem divina inſpirante clemencia,
„ quod ſepe audivimus Scripturam, dicentem :
„ *Oratio continua & aſſidua multum valet ad*
„ *delenda crimina* : Placuit itaque , atque di-
„ gnum viſum fuit humanitati noſtræ , ut pro
„ remediis animæ noſtræ , & abſolutione pec-
„ catorum noſtrorum , atque Predeceſſorum
„ noſtrorum , ſive Succeſſorum Fratrum Epi-
„ ſcoporum : Concedimus, & largimur, atque
„ damus , & tradimus Monaſterio Sancti Pe-
„ tri Apoſtolorum Principis , ſito juxta Muti-
„ nam in manibus *Domni Poncii , Dei gratia*
„ *venerabilis Abbatis* , & ejus Succeſſoribus in
„ perpetuum Eccleſiam Sanctæ Mariæ poſitam
„ & hedificatam in Curte Ambiliani , cum
„ omni jure , & honore , & uſu , & cum
„ omni integritate ei Eccleſiæ in in. pertinen-
„ te, quam *Beatiſſimus Pater Geminianus* pro-
„ priis manibus conſecravit, cum omnibus ter-

C

„ ritoriis , & poſſeſſionibus earum ſibi perti-
„ nentibus , videlicet peciam unam de terra ,
„ in qua ipſa Eccleſia fundata eſt , aratoria ,
„ vineata , prativa inſimul tenente . Sunt ei
„ fines a mane Flumen , a meridie Sancti Ge-
„ miniani , a ſera via , de ſubto via , & ter-
„ ra Sancti Geminiani . Et peciam unam de
„ terra aratoria cum aquario ad hedificandum
„ molendinum . Sunt ei fines a mane manſum
„ unum , quem nominatur de Calzario , a
„ meridie Marcheſella , a ſera & de ſubto Flu-
„ men . Et Campum unum , qui nominatur
„ de Teuzo de Panzano jacens juxta ſtradam.
„ Sunt ei fines a mane terra Sancti Silveſtri ,
„ & Sancti Geminiani, a meridie ſtrada Clau-

D

„ dia , a ſero ortum molendini domnicati , de
„ ſubto Flumen . Et quamdam aliam peciam
„ de terra aratoria , quæ jacet juxta viam Bi-
„ ſentuli , & eſt circumdata finibus a mane ,
„ & meridie , & de ſubto ejuſdem terræ San-
„ cti Geminiani , a ſera via . Et duo jugera
„ de terra aratoria juxta Lacum , qui vocatur
„ Marneticus . Et manſum unum , qui no-
„ minatur de Calzario , qui jacet in prefata
„ Curte Ambiliani . Habet fines a tribus la-
„ teribus Sancti Geminiani , a mane via Bi-
„ ſentuli , ſibique ſunt aliæ coherentes , in in.
„ cum omnibus ſuis Decimis & Primiciis , quas
„ ſupraſcriptus Sanctus Geminianus eidem Ec-
„ cleſiæ conceſſit . Et talis noſtra eſt volun-

E

„ tas , ut exinde in perpetuum predictus Do-
„ mnus Abbas , & ejus Succeſſores , & eo-
„ rum Fratres habeant ſupraſcriptas omnes
„ noſtras res , ut ſupra legitur , cum omni ju-
„ re ac integritate , & dominio , & uſibus ,
„ ad uſum & ſumtum & utilitatem Domni Ab-
„ batis , & ejus Succeſſorum & Fratrum , qui
„ nunc ſunt , aut qui in ſempiternum ſervie-
„ rint . Si quis Epiſcopus, vel alius Clericus,
„ ſive

„ sive Laicus irrumpere, aut frangere hoc no-
„ strum preceptum voluerit, & hanc nostram
„ concessionem, & donationem observare no-
„ luerit, sciat se esse anathematem, & com-
„ positurum nomine penæ libras triginta de-
„ nariorum Lucensium ipsi Monasterio, vel ei
„ servientibus, & post penam solutam ea,
„ quæ superius leguntur, rata & firma te-
„ neantur. Predictus Domnus Episcopus hæc
„ jussit fieri in presentia Alberti Archidiaconis
„ Mutinensis Ecclesiæ, & Guidonis Prepositi,
„ Rolandi Archipresbiteri, & Aimonis Magi-
„ ster Scholarum, & Mauricii Presbiteri, &
„ aliorum Canonicorum, & in testimonio Al-
„ berti Causidici, & Gotifredi Causidici, &
„ Uberti Advocati, & Rolandi, & Azonis
„ de Chonrado, & Tetelmi, & Grasulfi de
„ Civitate Nova, & aliorum quamplurium.
„ Actum est hoc in Palatio domnicato feli-
„ citer.

„ Ego Benedictus, Dei gratia Mutinensis
„ Episcopus m. m. ss.
„ Ego Albertus Archidiaconus m. m. ss.
„ Ego Guido Prepositus m. m. ss.
„ Ego Aimo Magister Scolarum m. m. ss.
„ Ego Mauricius Presbiter m. m. ss.
„ Ego Martinus Presbiter m. m. ss.
„ Ego Johannes Subdiaconus m. m. ss.
„ Ego Teodericus Diaconus m. m. ss.
„ Ego Bernardus Diaconus m. m. ss.
„ Ego Benzo Clericus m. m. ss.
„ Ego Albertus Sacri Palacii Notarius scripsi
„ & complevi.

Porro piissimi ipsi Abbates & Monachi alienum minime a Sanctitatis norma censebant, quanto possent studio excitare piorum liberalitatem erga sua Cœnobia; immo id maxime gratum Deo arbitrabantur, ex eo quod aut nova Monasteria condebantur, aut Deo famulantium numerus augebatur, atque officia Caritatis in egenos & hospites compleri poterant abundantius. Immo in antiqua Monastica Historia multas retulere laudes, qui in accumulandis prædiis, atque in amplificanda re sui Monasterii, ante alios excelluere. Anselmus ipse antea memoratus, quem uti Sanctum colit Nonantulana Diœcesis, non solùm idem Nonantulanum Mutinensis agri Cœnobium construxit, sed & aliorum complurium Fundator *sub regimine suo Monachos regulares MCXLIV.* A numeravit, *exceptis parvulis & pulsantibus*, idest Novitiis, ut in ejus Vita habetur. Quanta autem bona ille sui nominis celebritate, suâque industriâ congesserit, inde elucere potest, quod eo etiam Fundatore vivente Nonantulanum Monasterium inter præcipua Italiæ effulserit, tum copiâ ac possessione Fundorum atque Villarum, tum numero Cœnobiorum ab eo pendentium. Neque segnius se habuere illius Successores, ita ut Sæculo X. inter omnia Italica Monasteria *Nonantulanum* ac *Farfense* primas tenerent. Audi Johannem Chronographum Farfensis Cœnobii ad Annum Christi DCCCCXXVII. Par. II. Tomi II. Rer. Italic. pag. 417. hæc de Farfensi scribentem: B *Monasterium hoc a Sanctis Patribus honestissime ac religiosissime disponebatur, atque in dies augebatur & accumulabatur in spiritualibus, corporalibusque beneficiis, non mediocriter, sed perfecte, ita ut in toto Regno Italico non inveniretur simile huic Monasterio, nisi quod vocatur Nonantulæ.* Atque utinam tempus ac homines Tabulario insignis Monasterii Nonantulani pepercissent, neque immanem copiam Chartarum aut alio advexissent, aut absumsissent; antiquam enim sacri loci opulentiam ea ratione certius intelligeremus, non sine proventu Ecclesiasticæ Historiæ, ipsiusque profanæ Eruditionis. Et Anno quidem 1279. adhuc in Archivo ejusdem Monasterii vetustissima, C ac prima ei collata Privilegia *in papyris, & membranis* adservabantur, uti in Dissertatione LXIV. *de vario statu Diœcesi.* demonstravi. Quod plus est, vel ipso Anno 1632. superstes ibi erat ingens Chartarum copia: cujus rei testem habeo Catalogum MStum, jubente Antonio Barberino S. R. E. Cardinali ac ejusdem Abbatiæ perpetuo Commendatario, exaratum. Ego quando cetera aut abdita sunt, aut periere, in Eruditorum gratiam quædam excerpsi ex eodem Catalogo, quæ aliqua ex parte splendidiora mihi visa sunt, privatorum hominum Chartis omissis, atque heic edita volo. Monumentorum hujus generis suus etiam usus est, isque non mediocris, ut eruditi norunt. D Præsertim verò Abbatum continuatam seriem exhibeo, quam etsi Ughellius Tom. V. Ital. Sac. in Tarvisinis Episcopis evulgarit, uberiorem tamen heic, addo & emendatiorem, a me Lector accipiet.

EXCERPTA
E CATALOGO MSTO
TABULARII MONASTERII NONANTULANI.

Gisulfo Duei Forojuliensi in Ducatu Successor fuit Anselmns, Giseltrudæ Flavii Aistulfi Langobardorum Regis uxoris frater, qui Religionis amore flagrans, relicto Petro filio Successore, Ducatu se abdicavit, & Clericus factus, primo Monasterium cum Xenodochio apud Fananum in montibus Mutinensibus extruxit, tum biennio post alterum Monasterium in agro Mutinensi trans Scultennam in loco, cui Nonantula nomen, condidit, ibique vitam Monasticam professus est. Anno quarto Regni Aistulfi, die III. Martii, Indict. VII. Aliprandus habitator Cremonæ, una cum Waldrata nobilissima conjuge donat Monasterio Apostolorum omnium sito Nonantula, cui Anselmus Abbas præest, omnes res, terras, vineas &c. infra Curtem Cremonæ, & foris per totum Comitatum, una cum Cella Sancti Silvestri sita foris ipsius Civitatis Cremonæ. Sergius Archiepiscopus Ravennas Ecclesiam Nonantulanam consecravit; eamque a jurisdictione Archiepiscoporum Ravennatum, & Episcopi Mutinensis exemit. Jam Anno III. Aistulfi Regis Ecclesia Sancti Silvestri donata fuerat Monasterio omnium Apostolorum sito Nonantulæ, atque in eam Anselmus Abbas importarat Corpus Sancti Silvestri Papæ Primi a Stephano summo Pontifice impetratum; quare titulus Sancti Silvestri Monasterio additus fuit, eo subinde incremento, ut amplitudine privilegiorum, jurium, & bonorum, ac multitudine Monachorum, clarissimum inter cetera Italiæ Cœnobium illud evaserit. Aistulfus Rex, & Giseltruda jugales Anno Regni ejus III. eidem Monasterio sub die XVIII. Septembris, præsentibus Sergio Ravennate Archiepiscopo, Romano Episcopo Bononiense, Geminiano Episcopo Mutinæ, & Geminiano Episcopo Regii, multas Ecclesias & bona donarunt, inter quæ Castrum Crepalcorii, cum tota illius Curte. Ab Anselmo Abbate Hospitium etiam in Via Æmilia constructum fuit longe a Monasterio ad excipiendos eos, qui ad se iter flectere non possent, atque illud sub Sancti Ambrosii nomine consecratum prope Scultennam fluvium diu stetit. A Desiderio Rege, qui Aistulfo successit, in exsilium pulsus Anselmus Abbas Montem Casinum adiit, Vigilantio Presbytero interim Nonantulanum Monasterium per aliquot annos gubernante. Ab exsilio revocatus confirmationem ab Hadriano Papa I. impetravit donationum sibi factarum per Aistulfum Regem. Tum eidem Johannes, & Ursa filii Ursi Ducis, ad luminaria, & ad usum servientium Monasterio Nonantulano donarunt multa in Casali Coriolo, & in Curte Porisoli, Curte Campi Vitalis, & Roncho in Fanano, Tosiliano, Castilliuno, in pago Montebellio usque in Brajolam, ut constat ex Tabulis Stephani Notarii scriptis die VI. Martii Anno II. Regni Caroli Magni. Idem Carolus Rex confirmavit Anselmo Abbati, quæ Langobardus homo Adam donarat Monasterio in territorio Vicentino, & Veronensi. Insuper & ipse donavit eidem fundum Caldarium, & Cesarotium de Casametulo in territorio Bononiense, Camuranam, Solariam, & Grumulum, cum suis Ecclesiis; quæ tenebantur a Regibus a tempore usque Alboini, cum pascuis &c. Ejusdem Caroli Regis exstat Sententia in contradictorio judicio contra Vitalem Episcopum Bononiensem pro Ecclesia de Lizzano ad favorem Abbatis Anselmi, data IV. Kal. Junias Anno XXXIII. Regni Francorum, & XXVIII. in Italia. Sed & idem Carolus Imperator Monasterio Nonantulano multas Curtes, Monasteria, Plebes, Ecclesias, Oratoria, bona, & jura in Fæsulana, Arretina, Florentina, & tota Tusciæ ditione confirmavit, aut concessit, & privilegium Aistulfi Regis ratum habuit. Quidam etiam Dux, Gherardus nomine, pro remedio animæ suæ Ecclesiam Sanctæ Mariæ, Sanctæ Crucis, & SS. Synesii & Theopompi in suo proprio ædificavit, & Cœnobio Nonantulano subdidit, Monachis in eam introductis. Albergunda etiam memorati Ducis uxor post obitum viri multa eidem Ecclesiæ bona tribuit, & vita functa una cum viro ibi tumulata est. Ecclesia ista sita est prope Tarvisium, ubi Corpora Sanctorum prædictorum recondita fuerunt. Inter Anselmum Abbatem, & Canonicos Ecclesæ Mutinensis, sequuta est quædam commutatio de Castro Finali. Johannes verò Dux Persiceti, & Pontis Ducis, Carolo Magno imperante, Ursonem filium in Monasterio Nonantulano sub Anselmi cura collocarat, cui Abbati dono dederat multa bona in Monte Velio, in Oliveto, Cento, Arquato, aliisque Territoriis. Urso post aliquot annos ratam habuit donationem patris, addendo omnia sua bona in Cento, Aquario, Faivano, & aliis locis. Extat donatio originalis, in qua rogat omnes homines Deum timentes tam Principes, quam Judices, ut omnia conservent perpetuo Monasterio prædicto. Et qui contra fecerint, cum Apostolis Christi, & Confessore Silvestro in conspectu Dei judicium habeant. Sub Carolo Imperatore Litefredus Cremonæ Comes dono dedit multa Abbatiæ Nonantulanæ. Anselmus vero Anno 804. V. Nonas Martii obdormivit in Domino. Corpus tumulo datum in ejus Ecclesia, & ipso obitus die illius Festum agunt Monachi Ordinis Sancti Benedicti, & Abbatia Nonantulana per totam suam Diœcesim, uti de Confessore inter Sanctos relato. Regnantibus Domnis Carolo & Pippino Anno Caroli XXVII. & Pippini XVIII. a Rothario Duce filio quondam Sabiniani Ducis multorum bonorum donatio facta est Ecclesiæ Beati Martini Confessoris sitæ in Curte Cautiana, ubi dulcissimus Domnus servus noster Anselmus Abbas Monachus præesse videtur, inter quæ bona enumerantur Silva Garosa, Silva Gatta, Silva Major, & Silva Lucella in finibus Arollæ, Scultenna vecchia, Casale Cento, & alia loca. Tabulas confecit Hildebrandus Notarius. Alia similis donatio facta fuit per Mochium Ducem, filium

filium quondam Sabiniani, fratremque, uti videtur, prædicti Rotharis, de portione sua in eisdem bonis, ac locis supra descriptis.

PETRUS ABBAS II.

Vita functo B. Anselmo, Petrus ejusdem Ordinis & Cœnobii Monachus electus est a Monachis Abbas Anno Christi 804. Hic totam Abbatiam, & illius reditus conscribi jussit, & ex eis quatuor partes pro eleemosynis pauperum, pro suscipiendis hospitibus, ornamentis Ecclesiarum, & necessitatibus Monachorum constituit. Iste Abbas Anno Christi 813. una cum Amalhario Fortunato S. R. E. Cardinale, & Trevirorum Archiepiscopo a Carolo M. Romanorum Imperatore Legatus ad Michaëlem Orientis Imperatorem, Nicephori generum & successorem, in Græciam mittitur pro fœdere inter ipsos sanciendo. Verum quum Legati iidem Constantinopolim pervenissent, non Michaëlem (excesserat enim e vivis) sed Leonem Armenum Imperatorem invenerunt, a quo sunt auditi & dimissi Carolo eodem Anno vita functo, Ludovicum ejus filium, & in Imperio successorem Aquisgrani residentem Legati convenerunt. Permutaverat Petrus Abbas cum Rodulfo Priore Monasterii Sancti Salvatoris siti intra muros Urbis Brixiæ Villas nuncupatas Castellionem, Silvinianum, & Monticellum, recipiens ab illo Villam nuncupatam Reddudo, quæ dicitur Corticella in Pago Persiceti. Huic autem commutationi confirmationem addidit Ludovicus Imperator Diplomate manu propria subscripto Kal. Augusti Anno Imperii Primo. Eidem Abbati prædictus Imperator in alia Charta mandat, ut suo Monasterio subjectos in Galba, & in Lizano indebite non gravet. Exstat & aliud Diploma ejusdem Augusti, in qua narrans concordiam initam inter Petrum Abbatem, & Gisonem Episcopum Mutinensem super quibusdam Ecclesiis Baptismalibus, eamdem confirmat sub gravibus pœnis Anno Imperii sui VI.

Exstat etiam Privilegium ipsius Ludovici confirmantis paternas concessiones, in quo irritæ decernuntur omnes alienationes factæ de rebus Monasterii, & statuitur, ut in Plebe Lizani Bononiensis Diœcesis Abbas Nonantulanus habeat electionem, & præsentationem Archipresbyteri.

Idem Augustus concessit Privilegium Monasterio Vallis Fabriæ in territorio Assisinate, ut nemo ejus possessionibus & juribus molestiam inferat, datum Aquisgrani VI. Idus Decembris Anno Imperii VII.

Oddo Mantuæ Comes locum tenens Ludovici Imperatoris in contradictorio judicio sententiam protulit contra Mantuanos pro Abbatia Nonantulana, & contra homines Flexi, qui sunt in Regiensi Comitatu, & alios, ubi decernitur, piscantes & aucupantes a finibus Mantuæ usque ad Bondenum debere tradere dimidium prædæ Abbati Nonantulano, id præcipientibus Privilegiis Aistulfi, Desiderii, Caroli, & ipsius Ludovici. Quæ sententia lata fuit consensu Judicum Sacri Palatii, & subscripta manu Rataldi Episcopi Missi Domni Imperatoris, Andreæ Episcopi Vicentini, Andreæ Judicis, Liutprandi Comitis Civitatis Veronæ, Odonis Comitis Mantuæ, Bonifacii Notarii, & testium.

Liutprandus Veronæ Comes cogitur restituere Abbati & Monasterio Nonantulano quartam
A partem Silvæ Hostiliæ, quæ est prope Padum, & Tartarum, & alia bona in Veronensi agro, Anno Ludovici Imperatoris VII. pridie Kal. Aprilis, Indictione X., & hoc per sententiam Rataldi Episcopi Missi Domni Imperatoris Ludovici ad singulorum hominum deliberandas intentiones, cujus decreti originale adhuc in Archivo Nonantulano conservatur documentum. Quo Anno IV. Kal. Junii Petrus Abbas Anno suæ ordinationis XVII. obdormivit in Domino.

ANSFRIDUS ABBAS III.

Petro successit Ansfrith, sive Ansfridus Monachus, pietate & bonis moribus vir præ-
B stans. Hic fecit Capsam Euangelii auream, quam pretiosissimis lapidibus ornavit. Fecit & Calicem cum Patena argentea, gemmis & auro mirifice ornatum.

Sub eodem Ansfrido Stephanus, & Oldepertus Episcopi vices gerentes Ludovici, & Lotharii Imperatorum, in Placito sententiam tulerunt pro Abbate Nonantulano contra homines Flexi Regienses, & alios accusatos de violatis juribus piscationis, & venationis.

Idem Ansfridus Abbas, & Halitgarius Cameracensis Episcopus Anno Christi 828. Legati Constantinopolim a Ludovico Pio, & Lothario Imperatoribus missi honorifice a Michaële Imperatore Leonis successore suscepti sunt.

C Sed & iidem Augusti ob remedium animarum suarum Monasterio Nonantulano largiti sunt jugera centum terræ cum censu, & Silva nuncupata Wilzacara in Diœcesi Mutinensi apud Sanctum Cæsarium. Tabulæ scriptæ Anno XII. Kalendis Decembris. Iisdemque imperantibus inita fuit concordia inter Episcopum Mutinensem, & Abbatem Nonantulanum, super Basilica Sanctæ Mariæ in Torciliano, & omnibus rebus ad eam pertinentibus. Obiit Ansfridus Abbas Anno ordinationis suæ XVII. Christi 838.

RUTPERTUS ABBAS IV.

D In Ansfridi locum suffectus est Anno 838. Rutpertus Monachus, qui Anno sequenti e vivis excessit. Ludovico & Lothario Imperantibus Adelbertus Presbyter & Fratres petunt in Emphyteusim loca Monasterio donata in loco Castri Arquensis Anno XXIV. VI. Kal. Augusti.

ROTICHILDUS ABBAS V.

Rotichildus Ansfrido successit a Monachis electus Abbas anno 839. Rochildus etiam dictus. Hujus temporibus Lotharius Rex & Imperator dono dedit Monasterio Nonantulano Insulam quamdam Vicianam nomine inter Pa-
E dum & Bondenum in territorio Æmiliense ad partem Mutinensem cum nonnullis Casalibus pro piscariis & usibus ejusdem Cœnobii. Exstat originalis donatio in Archivo Nonatulano scripta Anno Imperii XVIII. Kal. Februarii, Indictione V. signo ejusdem Imperatoris munita.

Exstat & confirmatio ejusdem Imperatoris Lotharii de institutis Ecclesiasticis, & de Viceadvocato in Diplomate Gothicis literis conscripto; necnon & Privilegium ejusdem pro hominibus de Lizzano, & Gabba, quo præcipitur, ne Abbas eosdem subditos suos indebite gravet. Anno 842. Rotichildus XV. Kal. Januarii inter vivos esse desiit.

EGISELPRANDUS ABBAS VI.

EGiselprandus *a Monachis electus in locum Ratichildi successit. Annos novem Monasterium rexit. Circa hæc tempora* Lotharius Imperator *Monasterio eidem multa donavit in Æmiliensi territorio ad partem Mutinensem infra suos confines expressos de rebus suis domnicatis, & coloniatis, ad suam Regalem domum pertinentibus, ut quod debetur ad suam domum, id in eodem venerabili Monasterio Nonantulano tribuatur: quæ donatio manu propria prædicti Imperatoris est subscripta Mense Augusti, Indictione V. Obiit iste Abbas IX. Kal. Junii Anno reparatæ salutis* 851.

LITEFREDUS ABBAS VII.

EGilseprando datus est eodem Anno 851. *successor* Litefredus, *sub cujus regimine, Anno Ludovici piissimi Imperatoris Augusti, Monasterio Beatissimorum Apostolorum, & Christi Confessoris Silvestri, sito Nonantula in territorio Mutinensi,* Warais *Vassus prædicti Imperatoris donat multa bona in Veronensi in loco nuncupato Cortina. Iste Abbas diem suum clausit Anno ordinationis suæ IV. Christi* 855. *XVI. Kal. Decembris.*

LEO ABBAS VIII.

LEo *Litefredi successor primo suæ ordinationis Anno vita functus est.*

PETRUS II. ABBAS IX.

LEoni *successit* Petrus, *sive* Etpertus *Anno Christi* 859. Lotharius Imperator *Anno Imperii su XVIII. cum ad Cœnobium Nonantulanum orationis caussa accessisset, orationes Monachorum profuturas ad Regni sui stabilitatem, & sui perpetuam felicitatem judicando, eisdem concessit ad conservandam inter ipsos concordiam, ut ex eadem Congregatione talis eligatur perpetuis futuris temporibus Abbas, qui secundum Regulam Sancti Benedicti Congregationem prudenter regere valeat.*

Iste Abbas Adelberto Marchioni, *& pro cuidam Lamberto locat ad Annos XXIX. Capellam S. Silvestri in loco, qui dicitur Monasteriolum, Papiensis Diœcesis, eademque locatio exstat subscripta manu Abbatis, qui Anno Domini* 865. *ordinationis suæ Nono, VIII. Kal. Novembris vivere desiit.*

WARNEFRIDUS ABBAS X.

PEtrum *sequutus est* Warnefrit, *sive* Warnefridus *eodem Anno* 865. *Vixit Annos IV. Obiit X. Kal. Novembris Anno* 869 *Sub hoc Abbate exstat* Hadriani Papæ II. *Privilegium super investitura Monasterii Nonantulani, & Anno XII. Imperii Ludovici donatio Silvæ nuncupatæ* Wilzacara *in Diœcesi Mutinensi apud S. Cæsarium.*

RAGUMBALDUS ABBAS XI.

POst Warnefridum *a Nonantulani Monasterii Monachis electus est Abbas* Ragumbaldus, *qui & ab aliis dicitur Ragimbaldus. Hic Anno sequente ad meliorem vitam vocatus est VIII. Idus Octobris.*

BENEDICTUS ABBAS XII.

A BEnedicti *Abbatis nomen in Privilegio Johannis Papæ IX. eidem concesso invenitur una cum confirmatione Privilegiorum Hadriani, Johanis, & Prædecessorum. Nusquam amplius de eo memoria. Quod vero Theodorico præcesserit, ex* Marini Summi Pontificis *Diplomate constat, Theodorico eidem concesso, & ab Henrico S. R. E. Scriniario jussu Innocentii Papæ III. exemplato, & sub ipsius Bulla conscripto.*

THEODORICUS ABBAS XIII.

B IN *locum Benedicti Abbatis vita functi electus est* Theodoricus, *qui Ecclesiam S. Michaëlis extra Castrum Nonantulanum ædificavit. Hæc postea multis aucta bonis Archipresbyterali titulo fuit insignita. Sub Theodorico* Adhelardus Veronensis Episcopus, *timorem Dei parvipendens, contra sacras Romanorum Pontificum institutiones, quibus de propria semper Congregatione, & de numero & gremio Monachorum, electio Abbatis facienda decernitur, Monasterium Nonantulanum callide occupavit, & in suos usus reditibus redactis in extremam egestatem Monachos compulit. Qui sicuti Abbas commutavit quædam bona Cœnobii Nonantulani cum Abbate Monasterii Novi de Brixia.*
C Johannes VIII. Summus Pontifex, *qui Privilegia Antecessorum concessa Nonantulanæ Abbatiæ confirmarat, temeraria* Adhelardi *præsumtione increpatâ, quum nil proficeret, XV. Kal. Maji, Indictione X.* Carolum Calvum Imperatorem, *& IV. Kal. Maji* Johannem Ravennatem, Anspertum Mediolanensem, *&* Wilpertum Aquilejensem Archiepiscopos *monuit, se* Adhelardum Episcopum Veronensem *communione privasse, quod Nonantulanum Cœnobium invasisset, sæculariumque manibus perdere non formidaret contra Sanctorum Patrum regulas, & Apostolicæ Sedis, Sacræque Synodi sententiam.*

Sub Ragumbaldo, sive ejus Prædecessore,
D Hadrianus II. Summus Pontifex *concessit Privilegium Abbatiæ Nonantulanæ, quod cum aliis Johannis, & Marini Pontificum de mandato Innocentii Papæ III. Henricus S. R. E. Scriniarius exemplavit, & sub ipsius Innocentii Bulla conscripsit Anno* 1213. *Anno XVI. Pontificatus.*

Carlomannus Rex *ad preces Theodorici Abbatis Nonantulani confirmat Abbatiæ prædictæ per suum præceptum Privilegia Regum, & Imperatorum, & præsertim Avi, & Atavi ipsius, Caroli scilicet, & Ludovici, seu & Lotharii Proavi, nec non Ludovici Consobrini piissimi Augusti, & quidquid prædicti Imperatores, Reges, & Reginæ, aliique Deum*
E *timentes prædicto Cœnobio donarunt. Datum est Diploma Pridie Idus Novembris Anno I. Regni Carlomanni Serenissimi Regis in Italia, Indictione XI.*

Stephanus VI. *Pontifex Maximus eidem Monasterio, & Theodorico Abbati confirmavit immunitates, & jura quæque.*

Berengarius *quoque* Rex *idem præstitit per suum Diploma.*

Martinus quidam Lege Romana vivens habitator Vercellis, facultate a Widone Imperatore *impetrata disponendi de bonis suis, eadem Monasterio Nonantulano elargitus est.*

Theodericus verè Abbas cum Aymone Advocato

cato suo coram Officialibus Regis in publico Placito obtinuit sibi relaxari per sententiam Judicum bona sui Monasterii, cujus fines in eadem sententia describuntur a Gandulfo Mauritii filio occupata, qui Gandulfus ipso facto possessione se abdicavit, iterumque per Abbatem investitus est.

Martinus II. Papa *Prædecessorum suorum Hadriani & Johannis Romanorum Pontificum præcepta Monasterio Nonantulano confirmavit, interdicens omnibus Episcopis, & præsertim Mutinensi Episcopo, in cujus Parochia prædictum Cœnobium noscitur constitutum, ne jurisdictionem aliquam ibi exerceant, nisi ab illius Abbate requisiti, & ne ullo modo Baptismales Ecclesias sibi vendicent.*

Exstat etiam fragmentum Privilegii Stephani Papæ V. *Theodorico Abbati concessi, uti & Hadriani III. Papæ Bulla super duodenario numero Canonicorum in Ecclesia Sancti Michaëlis Nonantulæ in Plebem erecta.*

Ermenaldus de Rastellino die 15. Octobris Anno 886 bona, quæ possidebat in eodem territorio, donavit Theodorico Abbati, ut ex tabulis Erbertini Notarii. Eidemque multa elargitus est Simplicianus quidam posita in territorio Mediolanensi in eo loco appellato Petisino prope viam dictam Cocomanno, eaque postea jure precario recipit ab ipso Abbate Theodorico. Obiit diem suum iste Abbas Kalendis Martii Anno 887., & in Ecclesia supradicta a se ædificata in marmoreo sepulcro tumulatus est. Cessavit Abbatia Annis IV.

LANDEFREDUS ABBAS XIV.

Landefredus *successit Theodorico Anno IV. post illius obitum, Christi 891. Rexit Annos XIII. Circa hæc tempora* Berengarius Rex *prohibuit Papiensibus, Cremonensibus, Venetis, & Ferrariensibus piscaturam piscium a fluvio Bondeno ad locum Spina nuncupatum, illam reservando Monasterio Nonantulano, sicut ad Sanctum Martinum in Spino, sine Abbatis licentia.*

Arnulfus *etiam* Imperator *Abbatiæ privilegia concessit. Sed &* Lambertus Imperator *Anno Christi 898. eidem elargitus totam Salicatam Solariæ, & bona in Coligaria, Muniano, & Albareto pro ædificanda & manutenenda infirmaria Monasterii.*

Exstat adhuc sententia Widonis Comitis locum tenentis prædicti Lamberti Imperatoris *ad favorem Abbatiæ Nonantulanæ contra Episcopum Mutinensem, & homines Solariæ, fundata super aliis sententiis de Solaria, Canetulo, seu Poleto, & aliis locis, in qua enuntiantur Privilegia antiqua eidem Abbatiæ concessa, cum subscriptione Manfredi Anno 898. Præterea exstat concessio facta prædicto Abbati per Lupum filium Flori de Reno de quatuor Massaritiis in Riario, ubi dicitur Albaretulo. Iste Lanfredus Abbas Kal. Aprilis Anno 899. vivere desiit, & in Abbatiali Ecclesia sepultus est.*

BENEDICTUS II. ABBAS XV.

Lanfredum excepit Benedictus *Abbas a Monachis electus eodem Anno 899. Sub hoc Abbate* Ludovicus III. Rex *Diplomate suo rata esse omnia jubet, quæ Monasterio Nonantulano a Regibus donata fuerant Aistulfo, Desiderio, Adelgiso, Carolo Magno, Ludovico majore, Lothario, Ludovico piissimo, Carlomanno, Carolo juniore, Arnulfo,* Widone, *&* Lamberto *Imperatoribus. Datum est Diploma Papiæ Kal. Junii Anno Christi 901. Regni Italiæ Primo. Quo eodem Anno habentur ordinationes quædam pro Ecclesia S. Michaëlis Berseldæ ipsius Leopardi Abbatis manu scriptæ.*

Sub isto Abbate Hungari e Pannonia egressi magnam Italiæ partem ferro ac flammis populando, ipsum Nonantulanum Cœnobium diro incendio vastarunt. Codices ibi multi concremati, ex Monachis nonnulli occisi, reliqui cum Leopardo Abbate fugam arripuerunt. Sedatâ jam procellâ, Leopardus ad restituendam Ecclesiam suam studium omne convertit, ideoque Anno Christi 909. revocatis, qui diffugerant, Monachis, Monasterium reparavit simulque Ecclesiam, quam consecravit, accepto a Sergio III. Summo Pontifice, *ut ad ejus consecrationem advocaret aut* Johannem Ticinensem, *aut* Widonem Placentinum, *aut* Albungum Parmensem Episcopos. *Ejusdem Pontificis Bulla habetur de Decimis solvendis Ecclesiæ S. Michaëlis de Nonantula.*

Anno 910. Berengarius Rex *ad preces Conjugis suæ, & Regni consortis* Berctilæ *donat fideli suo* Anselmo Comiti Veronensi, *illiusque Compatri, & Consiliario, ob fidei illius puritatem, Curtem quamdam juris Regni sui, quæ dicitur Duas Robores de Comitatu Veronense, nec non terras & prædium in Roversello, cum Capella, quæ in honorem Beati Zenonis ante irruptionem Paganorum in eodem loco constructa erat, cum omnibus ad eamdem Curtem pertinentibus. Hæc eadem bona Anselmus Comes Monasterio Nonantulano donavit, eamque donationem Berengarius suo Diplomate confirmavit scripto Papiæ V. Kal. Novembris Anno Dominicæ Incarnat. 911. Regni Berengarii XXIV. Indictione V.*

Eodem Anno 911. Bonifacius Marchio *Monasterio Nonantulano donavit in Comitatu Veronense Castrum Nogariæ non longe a supradicta Curte ad Duas Robores. Kalendis autem Julii Anno eodem Leopardus Abbas e vivis sublatus est.*

PETRUS III. ABBAS XVII.

Leopardo vita functo datus est a Monachis successor Petrus *Anno 911. Quo Anno die XIV. Decembris* Anselmus Veronæ Comes *prole carens dono dedit Cœnobio Nonantulano bona sua in Comitatu & finibus Veronensibus, Martino Notario tabulas scribente. Inter bona donata erat Curtis nuncupata ad Duas Robores, Curtis Roversella, & Capella Sancti Zenonis in eadem Villa Roversella, cum omnibus ad ipsas Curtes & Capellam pertinentibus usque ad fluvium Menago percurrentem in Tartaro, sicut idem Anselmus per paginam donationis acceperat a Rege Berengario.*

Berengarius *ipse Monasterio Nonantulano Pontificum Romanorum, Imperatorum & Regum, aliorumque donationes confirmavit, dando facultatem Monachis, ut mortuo Abbate successorem de gremio Monasterii eligant, quem digniorem ipsi judicaverint.*

Iisdem temporibus Johannes Archiepiscopus Ravennas *conquestus est per literas Petro Abbati, & Monachis Nonantulanis, quod se a superioritate Ecclesiæ Ravennatis subtraxissent, iisque præcepit, ut debitum illi Ecclesiæ honorem tribuant, & ut Matrem revereantur, & cognoscant.*

Quum

Quum vero Hungari Monasterium non longe a Tarvisio situm, & *a* Gherardo Duce *Anno* 780. *in proprio prædio ædificatum*, *una cum Templo*, *in quo erant Corpora SS. Synesii & Theopompi*, *delevissent*, *Petrus Abbas Nonantulanus*, *cui Monasterium illud erat obnoxium*, *Anno Salutis* 912. *misit*, *qui ea Corpora inde Nonantulam deportarent* : *quod factum solemni pompa* .

Quidam Comenses faciunt se hisce temporibus adscriptitios Monasterio Sancti Silvestri de Nonantula, & *promittunt se secaturos prata*, & *curaturos oliveta prope Civitatem Papiensem*. *Charta ipsa subscripta fuit manu propria Petri Abbatis*. *Qui Anno* 913. *Kalendis Octobris vivere desiit*.

GREGORIUS ABBAS XVIII.

GRegorius *Monachus* Petrum *subsequutus est in regimine Abbatiæ*, *vir summe pius*. *Permutavit ille quædam bona cum quodam Presbytero Ecclesiæ Veronensis*, *unde Cœnobio Nonantulano obvenere quædam terræ intra fines Civitatis Veronæ non longe ab Oratorio Sancti Quirici*. *Gregorius Anno* 929. *relicta Abbatiæ administratione*, *arctiorem vitam eligens in locellum Solariæ se recepit*, *ibique per tres annos commoratus*, & *reversus postea Nonantulam sub regimine Ingelberti*, *qui in ipsius locum successerat*, *ibi III. Nonas Augusti Anno* 933. *ad meliorem vitam evocatus est*.

INGELBERTUS ABBAS XIX.

INgelbertus, *ex quo Gregorius Abbas Solariam secesserat*, *a Monachis Nonantulanis electus est Abbas Anno* 929. & *a Petro Ravennate Archiepiscopo consecratus V. Kal. Aprilis*. *Ab isto Abbate* Sanson Placentiæ Comes *accepit in feudum Curtem Asolæ in Brixiano Comitatu*, *censu promisso in annos singulos mense Novembri*.

Sub eodem Abbate per commutationem acquisita sunt bona Monasterio intra Civitatem Laudensem prope Ecclesiam SS. Silvestri & Eustorgii. *Pro Abbate subscripsit quidam Monachus Nonantulanus ab eodem Missus*. *Obiit Ingelbertus XIII. Kal. Martii Anno* 941.

GERLO ABBAS XX.

GErlo *successor datus est Ingelberto*, *vir summa prudentia præditus*, *qui Abbatiam a multis ærumnis*, *Deo adjuvante*, *liberavit*, & *ab hostibus defendit*. *Is Anno suæ ordinationis VI. Salutis* 947. *IX. Kal. Septembris vitam cum morte commutavit*.

GOTTIFREDUS ABBAS XXI.

GOttifredus, Hugonis Arelatensis olim Comitis, postea Italiæ Regis filius, *Patris auctoritate Abbas Nonantulanus post Gerlonem Anno* 947. *adlectus a Monachis*, *non diu tenuit Abbatiam* ; *nam Patre ex Italia excedente*, & Lothario Rege *ejus Fratre e vivis sublato*, *successorem in Abbatiæ administratione*, *sive Præpositum habuit* Widonem Episcopum Mutinensem *ab inimicis Patris*, & *Fratris intrusum*.

WIDO EPISCOPUS MUTINENSIS ABBAS XXII.

WIdo Episcopus Mutinensis, *relicto Ugone Italiæ Rege*, *quamvis opima Nonantulæ Abbatia ab eo donatus*, Berengario, *qui postea* Rex Italiæ *fuit*, *adhæsit*. *Hanc eamdem Abbatiam rursus ille obtinuit Pridie Nonas Octobris Anno* 962. *ab* Ottone I. Imperatore *Papiæ commorante*, Adeleidæ Augustæ *precibus adjutus*, *quippe ejusdem Ottonis is erat Archicancellarius & Consiliarius*. *Sed & ante concessionem Ottonis abusum fuisse Widonem nomine Abbatis & Abbatiæ administratione*, *inde patet*, *quod Anno VII. Berengarii*, & *Adelberti Regum ipse* Wido *Mutinensis Episcopus*, & *Abbas Nonantulanus locavit Aufredo de Guisvertis*, *qui dicebatur Giso*, *Curtes Nogariæ*, *ad Duas Robores*, & *Filidiano*, *imposito annuo censu*. *Scriptæ tabulæ in Castro Nogariæ mense Aprilis*.

Exstat etiam Diploma Anno supradicto 962. *Imperii Primo*, *die II. mensis Octobris ab eodem* Ottone Augusto *datum*, *quo omnia Privilegia Regum & Imperatorum Abbatiæ Nonantulanæ concessa confirmat*. *Ante Annum* 970. Wido *e vivis excessit*.

HUBERTUS EPISCOPUS PARMENSIS ABBAS XXIII.

HUbertus, *sive* Humbertus Episcopus Parmensis *Nonantulanus Abbas*, *sive Præpositus* (*Abbatis enim honor a* Berengario II. Rege *ad Præpositos translatus fuerat*) *quamdam fecit permutationem*, *in qua*, *datis nonnullis terris*, *accepit domum in Civitate Ticinensi prope Ecclesiam S. Mariæ de Capella*.

JOHANNES ABBAS XXIV.

OTto II. Imperator *in Italiam veniens*, *ac Cœnobium Nonantulanum inveniens iniquorum hominum pravitate pæne desolatum*, *quippe diu Abbatibus veris destitutum*, *quum nullum inter Monachos aptum inveniret*, Johannem *quemdam* Græcum Archimandritam, & *Consecretalem suum*, *probis moribus*, & *scientia ornatum*, *in Pastorem ejusdem Monasterii promovit*. *Cui rogatu*, & *interventu* Theophaniæ Conjugis, & *Consortis Imperii sui*, *Anno* 982. *Privilegia confirmavit*, *mentionem in suo Diplomate faciens Fanani*, *Lizzani*, & *Galba*, *simul cum Silva Majore usque ad finem Crepunani*, & *Aquæ currentis juxta Castellum Panzani*, *quæ vocatur Zena*.

Exstant tabulæ Geriberti Notarii de commutatione quorumdam bonorum in Civitate Papiensi inter Johannem Abbatem, & *Bernardum Monetarium*, *scriptæ Anno* 984. *VIII. Martii*. *Quo eodem Anno*, *tempore Ottonis II. Regis & Imperatoris sub Indictione XII. habetur precaria in Careto*, *Montecello*, & *aliis locis agri Papiensis concessa per eumdem Abbatem Giselberto filio quondam Leoprandi*.

Biennio post Thedaldus Attonis Comitis filius, idemque Comes & Marchio, Missus Domni Imperatoris, *sententiam pronuntiavit in favorem Abbatiæ Nonantulanæ super Ecclesia Sanctæ Mariæ de Solaria contra Bosium Comitem*.

Hunc Johannem Abbatem *Romani auctoritate* Crescentii Consulis *Pontificem in schismate*

contra

contra Gregorium V. declararunt Anno Christi 996. Placentinæ *quoque* Ecclesiæ Archiepiscopum, *is superbia inflatus sese appellabat. Certe inter eum titulo Archiepiscopi Placentini & Nonantulani Abbatis donatum ex una parte, & Gundefredum, qui & Azo, Magistrum Monetæ ex alia, sequuta est permutatio quarumdam terrarum intra Civitatem Ticinensem prope Basilicam S. Mariæ, aliorumque bonorum in agro Ticinensi exsistentium in loco, ubi dicitur de Ponte, ut ex tabulis* Warimberti *Notarii scriptis die III. Januarii, Anno* 989. *constat*.

MARTINUS ABBAS XXV.

MArtinus *Diaconus & Præpositus Monasterii S. Silvestri de Nonantula Anno* 992. *commutationem fecit quarumdam terrarum in loco Clavenacia cum Dominico, qui Boniza dicebatur, filio quondam Restaldi, ut apparet ex charta Adelberti Notarii*.

Exstat & venditio manu supradicti Notarii scripta die VIII. Septembris Anno 993. *ad favorem Adietrasbertæ filiæ quondam Ildebrandi de Comitatu Lucense, medietatis Curtis Montironi prope Rastellinum, & nonnullorum bonorum in locis Besentuli, & Gavilli in qua charta proditur, libram valere denarios CCXL.*

LEO ARCHIEPISCOPUS ABBAS XXVI.

A*Nno Salutis* 996. *ordinatus fuit Abbas Nonantulanus* Leo Archiepiscopus, *ut puto,* Ravennatis Ecclesiæ, *cui* Otto III. Imperator *veteres possessiones confirmavit, & novas addidit*.

JOHANNES ABBAS XXVII.

L*Eoni in Abbatia Nonantulana successit* Johannes *Anno* 998. *ordinatus Abbas. Is biennio post Kalendis Novembris vitam cum morte mutavit*.

LEO ABBAS XXVIII.

J*Ohanni vita functo successit* Leo, *qui usque ad Annum* 1002. *in vivis egit*.

RODULFUS ABBAS XXIX.

M*Onachis Nonantulanis Abbas, quo per multa tempora caruerant, ab* Ottone III. Imperatore, *tamdem fuit redditus, electo* Rodulfo *Abbate Anno* 1002. *Quo Anno per eumdem Abbatem Gulprando procuratori Communitatis Battoni facta fuit concessio silvarum, aliarumque terrarum incultarum in Spinarecta, Monte Chiarello, & Monte Castellione pro annuo canone solidorum quinque Lucensium ex tabulis Goffredi Notarii*.

Huic Abbati preces obtulit Bonifacius Marchio Thedaldi filius *pro ædificanda Ecclesia in loco ubi dicitur Roversella, in Diœcesi Mutinensi, & donatæ ab ipso Marchione fuerunt terræ juxta flumen, quod dicitur Cremonella*.

Anno 1009 *Regnante Henrico II. facta est commutatio inter* Domnum Warinum Episcopum Mutinensem *cum consensu Canonicorum suorum, præsente Aldegerio Judice sacri Palatii, & Advocato Ecclesiæ S. Geminiani de Mutina, & Domnum Rodulfum Abbatem S. Silvestri de Nonantula cum consensu Fratrum suorum, præsente Adelfredo sacri Palatii Judice, & Ad-*

A *vocato ipsius Monasterii. Episcopus dat medietatem Castri, quod est situm in loco qui dicitur Finalis, cum medietate Capellæ in ipso Castro dicatæ in honorem S. Laurentii Confessoris, cum clausura, terris &c. Ipse vero Episcopus recipit jugera centum terræ in loco qui dicitur Rusula, jugera XXIII. in loco Coeulo, & alias terras. Actum in Villa Saliceti*.

Anno 1011. *Rodulfus Abbas Ecclesiam S. Michaëlis extra Castrum Nonantulæ a Theodorico Abbate olim fundatam erexit in Plebem cum potestate decimandi, quam constitutionem* Henricus II. Rex *confirmavit suo Diplomate. Qui Henricus Anno* 1013. *Rodulfo eidem donationem fecit multarum terrarum in agro Mutinense*.

B *Anno* 1016. *IX. Kal. Decembris, Indictione XV. Henrico Imperante, Arnulfus filius quondam . . . . . . & Simbaldus filius quondam Alberti de loco Rastellini pro remedio animarum suarum donarunt Domno Rodulfo Abbati & successoribus, aream de terra, ubi Castrum Rastellini est ædificatum, una cum ipso Castro, domibus, & casis suis, & quinque partes de Capella in honorem S. Michaëlis dedicata infra ipsum Castrum*.

Anno 1017. *& Quarto Henrici Imperatoris VII. Kal. Aprilis, Indictione V.* Bonifacius Marchio Thedaldi filius, & Richilda ejus Uxor *donarunt Monasterio Nonantulano jus eligendi Canonicos in Ecclesia S. Silvestri ad ipsos*
C *spectans in fundo Nogariæ Comitatus Veronensis, si tamen ipsi obierint sine filiis filialibus, & nepotibus legitimis*.

Anno eodem 1017. *prædicta* Richelda Bonifacii Marchionis Uxor *emit a Petro Presbytero de Ruvere multa bona in Ruvere, Nogaria, & aliis locis, quæ postea donavit Cœnobio Nonantulano*.

Anno Henrici Imperatoris Octavo, die V. Martii Rodulfus Abbas concessit titulo precariæ nonnullis Judicibus Archidiaconissæ Ecclesiæ Placentinæ terras & Cellam in honorem S. Silvestri constructam sub annuo canone solidorum duorum Papiensium de argento.

Anno 1017. Bonifacius Marchio filius b. m.
D Thedaldi Marchionis, & Richilda ejus Uxor *filia* Giselberti Comitis Palatini, *donant Rodulfo Abbati casas & res in Antado, Auratica, seu Granariolo, in fundo Tresentæ, & medietatem Curtis Tresentulæ cum casis, areis, & Capella S. Michaëlis Archangeli, & alia multa bona, ut videre est in tabulis Donati Notarii Sacri Palatii*.

Anno V. Henrici Regnantis in Italia die II. Martii Domnus Warinus Episcopus Mutinensis *confitetur, se accepisse a Domno Rodulfo Abbate precariam in Roncone & Navissella juxta fluvium Panarium, ex tabulis Nigeni Notarii*.

Anno III. Henrici Regis, Indictione IV. concessa fuit per Dominum Rodulfum Abbatem pre-
E *caria magna in agro Papiensi Aledramo filio b. m. Alberici. Qui Aledramus in compensationem donavit Monasterio Nonantulano jugera* 50. *terræ in Runco Rondenarii ex tabulis conscriptis per* Walfredum *Notarium*.

Anno Henrici Regis & Imperatoris Decimo Monasterium Nonantulanum totum igne concrematum est.

Anno 1025. *Conradi Imperatoris Secundo, X. Kal. Februarii* Walderada *filia quondam* Marchionis Ottonis *emit Curtem Sorbariæ*.

Anno 1026. *Nonantulana Abbatia* Heriberto Mediolanensi Archiepiscopo *subjecta fuit. Quo eodem Anno Rodulfus Abbas recepit quædam bo-*

na

na in Civitate Placentiæ, ubi dicitur Campagna, & Aqualonga, & Albonano, dedit autem Presbytero Ingelramno de Ordine Ecclesiæ SS. Antonini & Victoris petiam terræ cum ædificio ligno & horto positam Placentiæ prope Ecclesiam S. Agathæ ex tabulis Antonii Notarii.

Anno 1030. XVI. Kal. Januarii extat quædam commutatio, in qua Rodulfus Abbas concessis quibusdam terris in agro Papiensi Abbati S Salvatoris Ticinensis, recepit ab eo Ecclesiam S. Ambrosii prope fluvium Secchiam, ubi dicitur Campo Gajano, ut ex tabulis Petri Notarii apparet.

Anno 1032. Conradi Imperatoris Octavo Rodulfus Abbas permutavit cum Comitibus Widone, & Riprando quondam Uberti Comitis Filiis, & cum Widone, & Ottone prædictorum Nepotibus, qui professi sunt omnes se ex Natione sua Lege vivere Salica, tres partes bonorum quamplurium in finibus Brixiæ ad jugera 1500. recipiens ab eis multa bona in Comitatu Bononiense, & Mutinense, & in Civitate & territorio Taurinense, in Carmagnola, in Rivolo, & aliis locis, inter quæ bona enumerantur Wilzagara cum Curtibus & fundis suis (nunc Castrum S. Cæsarii nuncupatur) cum Capellis ibi ædificatis in honorem S. Cæsarii, & S. Geminiani, cum Castro Manzolino, Garzoleto, Taivolo, & aliis.

Eodem Anno commutavit ipse Abbas quartam partem sibi residuam supradictorum bonorum cum Adelberto Comite filio quondam Uberti Comitis, & Sophia illius Conjuge filia Pachleurandi Comitis, quæ profitetur Natione sua se Lege vivere Longobardorum, sed nunc pro viro suo Lege vivere videtur Salica. Recepit autem a suprascripto Adelberto Comite, & ejus Uxore, portionem, quæ ad illos spectabat in Castro Wilzagara, aliisque locis supra nominatis.

Anno 1034. VII. Kal. Octobris Conradus Imperator concessit Abbatiæ Nonantulanæ loca in Plebe S. Agathæ, S. Martini, in Castellione, Casale Brancolini, Castellione Cuvalisio, Falsignano, Valmanino, Brazalino, Formilisio, Fregnanello, Ronalia, & Persiceto. Extant etiam literæ ejusdem Conradi Augusti scriptæ sub die XI. Novembris, Anno 1034. super discordia inter Rodulfum Abbatem Nonantulanum, & Albertum filium quondam Amezoni habitatorem Mantuæ, subscriptæ ab Alinzo Notario.

RODULFUS II. ABBAS XXX.

Rodulfus Canonicus Metropolitanæ Mediolanensis Ecclesiæ, Rodulfi Abbatis defuncti Nepos, eidem in Abbatia regimine non a Monachis, sed ab Heriberto Mediolanensi Archiepiscopo electus, successit Anno 1036.

Anno Conradi Imperatoris XV. die III. Decembris, Indictione XIII. Rodulfus Abbas concedit multa bona sui Monasterii Uberto filio b. m. Ammani, qui profitetur se ex Natione sua Lege vivere Francorum, & recipit ab eodem medietatem Curtis & Castri Sorbariæ cum Capella S. Laurentii.

Anno 1040. coram Gotebaldo Misso & Capellano Henrici Imperatoris disceptatum est inter Azonem Præpositum Ecclesiæ S. Michaëlis de Florentia adhærentem Monasterio Nonantulano, & Willelmum Clericum defendentem pro se Ecclesiam S. Miniati ejusdem loci; sententia fuit, etiam ex renuntiatione spontanea prædicti

A Willelmi, eamdem Ecclesiam cum area sua spectasse & spectare ad Monasterium Nonantulanum.

Anno 1043. facta fuit concessio per Abbatem Rodulfum Adriacæ nobili feminæ Ferrariensi de Hostilia Mantuana, & aliis locis.

Leo IX. Papa Anno 1049. ad preces Bonifacii Marchionis, ejusque Conjugis Beatricis, confirmavit Abbatiæ Nonantulanæ Privilegium Hadriani Papæ Primi Anselmo Abbati concessum. Subinde Curtem Quarantulæ cum Castello Mirando, & Ecclesia S. Mariæ, & S. Possidonii idem Bonifacius Marchio a Rodulfo Abbate precario jure accepit: quam Curtem postea Matildis ejus filia dono dedit Hugoni de Man-

B fredis, salvo jure Abbatiæ. Obiit Rodulfus eodem Anno 1049.

DEODATUS ABBAS XXXI.

Deodatus Abbas successor Rodulfo datus est a Monachis Anno 1050. sub isto Anselmus Veronæ Comes, qui multa bona a Monasterio Nonantulano jure precario tenebat, promittit se numquam ei moturum quæstionem de dominio, neque allegaturum præscriptionem aliquam Anno 1055.

GOTHESCALCUS ABBAS XXXII.

C Post Deodatum ab Anno 1056. ad Annum usque 1058. invenitur Gothescalcus, modo Abbas, modo Præpositus Monasterii Nonantulani appellatus.

LANDULFUS ABBAS XXXIII.

Goteschalco vita functo Landulfus Rodulfi II. Abbatis Nepos, Civis Mediolanensis, circiter Annum 1061. factus est Abbas.

Anno 1065. interposita fuit appellatio per Syndicum ejusdem Landulfi Abbatis Nonantulani, eo quod Vicarius Domni Manfredi Electi Veronensis noluit confirmare electionem factam per Domnum Abbatem de Johanne in Archipres-

D byterum Ecclesiæ S. Petri de Nogaria.

Anno 1067. Landulfus ab Alexandro Papa II. obtinet Privilegium pro exemtione Monasterii sui, cum confirmatione aliorum Privilegiorum. Data est Bulla Lucæ VII. Idus Junii, Pontificatus VII. Indictione V.

Anno 1068. XVII. Kal. Januarii idem Abbas accepit libellario jure in perpetuum Monasterium & Ecclesiam S. Bartholomæi de Porta Ravignana Civitatis Bononiæ a Petro & Bernardo de Civitate Bononiæ, promittens ipse Abbas & Fratres se quotannis soluturos eisdem tertiam partem oblationum advenientium in Festis Paschatis, Nativitatis D. N. J. Christi, & S. Bartholomæi ad eamdem Ecclesiam.

E Eodem Anno ipse Abbas prope flumen, quod dicitur Gambacanis juxta Palatam construxit Ecclesiam in honorem Sanctorum Silvestri, Johannis, Nicolai, Synesii, & Theopompi, pro utilitate Monasterii, & cunctorum navigantium per flumen, quod dicitur Fossa nova, & illam dotavit.

Anno 1072. VIII. Idus Februarii, Guido, Albertus, & Gottifredus filii quondam Rodulfi de Castro de Curte in remedium animarum suarum donant Landulfo Abbati Castrum Torcillum cum tenimento & fossato, exceptis casis domnicalibus cum areis suis. Eodem quoque die idem Abbas prædictis Guidoni, & Alberto con-

concessit precario jure supradictum Castrum Toricelli .

Anno 1088. *V. Kal. Martii* Comitissa Matildis *concessit Abbatiæ Nonantulanæ Ecclesiam Sancti Silvestri , sitam in Castro Nogariæ cum omnibus terris &c. confirmamus donationem ejusdem Ecclesiæ factam a* Richilda Comitissa, *seu a* Bonifacio , *&* Beatrice *ipsius Mathildis Genitoribus* .

JOHANNES ABBAS XXXIV.

JOhannes *Landulfi successor in Abbatia Nonantulana reperitur Anno* 1092.

Anno 1095. *die I. Junii Imelda mulier Papiensis , filia quondam Tidonis , Lege vivens Romana donat Abbatiæ Nonantulanæ Ecclesiam S. Quirici & Juditæ prope Portam Palatii, & Ecclesiam SS. Simonis & Judæ , & S. Silvestri Civitatis Papiæ , & terras in vicis Manonis & Thidonis* .

Anno 1100. *Indictione IX. mense Septembri, Monachi & Monachæ Ecclesiæ S. Benedicti de Cremona omnia sua Monasterio Nonantulano , & se in perpetuum subjiciunt* .

Anno 1102. *XV. Novembris , Indictione II.* Matildis Comitissa *de licentia* Domni Bernardi S. R. E. Cardinalis *in Lombardiæ partibus Generalis Vicarii* Domni Paschalis Papæ, *in suorum peccatorum remissionem , & Sanctæ Nonantulanæ Ecclesiæ restaurationem, in qua Corpus Beatissimi Confessoris Silvestri requiescit , Johanni Abbati & prædictæ Ecclesiæ in perpetuum donavit Castrum Tedaldi cum Ecclesia S. Johannis Baptistæ , eo onere ut Nonantulanum Monasterium unum bizantium quotannis in Lateranensi Palatio nomine pensionis persolvat . Actum in Castro Panciani , scribente* Widone *Notario Sacri Palatii, subscribente ipsa Matilde , & Bernardo Cardinale , Judicibus , & testibus* .

Eodem Anno Albertus Comes *cuidam elargitus est bona in loco Castelliuni Plebatus S. Laurentii in Collina , quæ postea pervenerunt ad Abbatiam Nonantulanam* .

DAMIANUS ABBAS XXXV.

DAmianus *Monachus Johannem Anno* 1104. *excepit . Qui VIII. Idus Martii donavit quædam bona Fratribus Canonicis Ecclesiæ S. Petri in Siculo* .

JOHANNES ABBAS XXXVI.

SUccessit inde Johannes *Anno* 1113. *IV. Idus Novembris a* Paschale II. *Papa consecratus , & a quo & retulit Diploma datum Laterani per manum* Johannis S. R. E. Cardinalis Bibliothecarii *III. Idus Junii Anno* 1114. *in quo confirmatur donatio Comitissæ Matildis, & aliorum* .

Eodem Anno 1114. Comitissa Matildis *ad preces* Domni Bernardi Episcopi Parmensis , *dum apud Bondenum erat una cum Johanne Abbate Nonantulano , & Ameto Priore Nogariæ , pro illa pensione , quam debebat persolvere Monasterio Nonantulano pro Castro & Curte Nogariæ , eidem concessit Brandam , & Palmatam , & Maorsum & alia ad habendum & possidendum . Chartula scripta est Indictione VII. VIII. Kal. Novembris per manum Ubaldi Capellani cum signo ipsius Matildis* .

Anno 1115. *XII. Kal. Decemb. Johannes Abbas investivit Monasterium S. Benedicti de Cremona, quod est sub regimine Abbatiæ Nonantulanæ, de una petia terræ perticarum XII. Eodem Anno homines Castri Gipsi restituunt prædicto Abbati Misso Domni Henrici Imperatoris multa bona posita in Curte Raigosiæ* .

Anno 1117. *Die VII. Junii Johannes Abbas locavit* Johanni Comiti *bona in loco Scotedulo Cremonæ* .

Anno 1121. *die I. Martii Indictione IX. habetur Syndicatus jussu Johannis Abbatis & Monachorum factus a Priore Monasterii S. Crucis de Cremona super administratione bonorum ejusdem Monasterii , & Ecclesiæ SS. Benedicti & Silvestri de Cremona, necnon Sancti Silvestri de Placentia , & in eisdem Civitatibus , suburbiis, & territoriis* .

Anno 1124. *Johannes Abbas concessit licentiam fundandi Castrum S. Mariani in partibus Tusciæ in Diœcesi Arretina habitatoribus illius loci . Et sequenti Anno iidem homines S. Mariani , Milites in tabulis nuncupati , se obligant Johanni Abbati de emendo equos infra certum tempus sub pœna amittendi bona feudalia* .

Anno 1125. Callistus II. Papa *confirmavit Johanni Abbati , & Monasterio Nonantulano omnia privilegia , Castra , Curtes , Ecclesias &c.*

Anno 1128. *idem Abbas Monialibus S. Benedicti de Cremona non pauca bona elargitus est* .

Anno 1132. *Mense Augusto prædictus Abbas concessit in emphyteusim ad centum annos Abbati & Monachis S. Proculi de Bononia omne id & totum , quod habuit Johannes per scriptum a* Comitissa Matilda *in Curte Cellulæ , & duas petias terræ , quæ fuerunt Alberti Beneventani* .

Eodem Anno exstat oppignoratio facta per Monasterium Nonantulanum Communi & Populo Ferrariensi de Hostilia , & aliis locis .

HILDEBRANDUS ABBAS XXXVII.

HIldebrandus *Abbas Nonantulanus, Johanne ipso adhuc vivente , reperitur, fortasse ob schisma tunc exortum in Ecclesia Romana ; nam Anno* 1131. *chartæ habentur ipso rectore conscriptæ* .

Anno 1131. Innocentius II. Papa *per Bullam datam Laterani VII. Kal. Decembris præcipit Militibus & bonis hominibus Nogariæ , ut recognoscant in suam dominam Ecclesiam Nonantulanam. Qui idem Pontifex Anno* 1133. *Diplomate dato Nonantulæ per manum* Aymerici S. R. E. Diaconi Cardinalis *& Cancellarii IV. Idus Octobris , Indictione X. Pontificatus Anno III. amplissimum Privilegium Hildebrando Abbati concessit, in quo vetera omnia confirmantur, & conceduntur insignia pastoralia* .

BIERLO ABBAS XXXVIII.

VIvente adhuc Hildebrando , Bierlo *Abbatem Nonantulanum gessit, qui Anno* 1137. *die X. Aprilis confirmavit Aymoni & Adelberto Scavino investituram Silvæ , quæ est infra Pagum Persicito territorio Mutinensi* .

ANDREAS ABBAS XXXIX.

SUccessit *Anno* 1141. Andreas *Abbas , qui privilegium concessit Plebi S. Mariæ de Bondeno de Decima & aliis rebus* .

ALBERTUS ABBAS XL.

ALbertus Abbatiam regere cœpit Anno 1144. quo Anno Conradus Rex ad preces Geltrudis Reginæ Conjugis, Abbatiam Nonantulanam sub sua defensione suscipiens, ea omnia privilegia confirmat. Datum est Diploma Ratisbonnæ Anno XX. ejusdem Conradi.

Anno 1147. Eugenius III. Summus Pontifex controversiam diremit inter Albertum Abbatem Nonantulanum, & Theobaldum Veronensem Episcopum super Plebe Nogariæ, decernens, ut Episcopus haberet jus Parochiæ, Abbas jus eligendi Archipresbyterum, qui de Plebis cura Episcopo respondeat, & Episcopus consecrationes & ordinationes faciat gratis.

Eodem Anno 1147. Azo Florentinus Episcopus declarat, Ecclesiam S. Silvestri de Rusignano spectare ad Abbatiam Nonantulanam.

Anno 1152. die XXV. Januarii donata fuit Monasterio Nonantulæ Ecclesia S. Michaëlis de Casalecchio.

Conradus Romanorum Rex ad Abbatem Nonantulanum scribit, se mittere duos viros discretos, & magnæ auctoritatis, Abbatem videlicet Corbejensem, & A. Cancellarium suum, qui negotia Abbatiæ in melius commutabunt, & de ipsorum terris recuperandis operam dabunt. In aliis item literis significat, se in Italiam mittere Henricum Protonotarium suum, virum prudentissimum, qui ex dispositionis suæ decreto Abbatiæ Nonantulanæ negotia secundum honorem Regni ordinabit.

Anno 1156. Mense Augusto Albertus Abbas Widoni, & Alberto filiis quondam Malistæ concessit in feudum omnia, quæ Malerba acquisierat a Marchione Conrado, & quod fuit feudum Comitis Alberti.

Eodem Anno Hadrianus Papa IV. Abbatiæ Nonantulanæ amplissimum largitus est Privilegium.

Anno 1164. Fridericus I. Imperator Privilegia renovavit eidem Abbatiæ.

Quum inter Monasterium Nonantulanum, & Episcopum Mutinensem controversia foret super possessione Lavoletti coram Hildebrando Cardinale & Legato, idem Episcopus ad audientiam Alexandri III. Summi Pontificis appellarat. Alexander eamdem caussam commisit Ottoni de Brixia Diacono Cardinali S. Nicolai ad Carcerem Tullianum, Apostolicæ Sedis Legato, & postea Manfredo S. Georgii ad Velum aureum Diacono ejusdem Sedis Legato, qui sententiam tulit pro Monasterio. Sententia ab Alexandro Pontifice confirmata est.

Anno eodem prædictus Papa O. Veronensi, & V. Mantuano Episcopis mandat, ut nobilem Turrisendum Parochianum Veronensis Episcopi, qui Curtem Nogariæ ad Monasterium Nonantulanum spectantem invadebat (acceperat ille in feudum a Friderico Augusto) & in suæ salutis periculum detinebat, solicite moneant, & Ecclesiastica severitate, appellatione remota, rogent, ut eamdem Curtem pacifice Monasterio dimittat. Scriptæ sunt literæ Veletri VII. Idus Aprilis.

Anno 1168. Hildebrandus S. R. E. Cardinalis Basilicæ XII. Apostolorum, & Apostolicæ Sedis Legatus sententiam dedit, instante Mense Aprilis, Regnante Friderico Imperatore, Anno Imperii ejusdem XIV. contra Henricum Episcopum Mutinensem ad favorem Alberti Abbatis Nonantulani pro silva Lavoletti Solariæ.

A Anno 1170. VI. Kal. Maji, Indictione III. Alexander Pontifex Viterbii morans Diploma dedit Abbatiæ Nonantulanæ per manum Gratiani S. R. E. Subdiaconi confirmans Privilegia & immunitates eidem.

Ad hunc ipsum Annum pertinet sententia Odonis S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconi Cardinalis & Apostolicæ Sedis Legati, lata Brixiæ die XV. Mensis Martii in controversia vertente inter Albertum Abbatem Nonantulanum, & Offredum Episcopum Cremonensem super Monasterio Sancti Benedicti de Cremona, in qua Abbati restituitur eadem Ecclesia & Monialium Cœnobium, quippe ereptum ipsi tempore Octaviani Schismatici, qui Cremonam veniens Abbatissæ interdixerat, ne Abbati Nonan-
B tulano de cetero obediret, quia idem Abbas obedientiam eidem Octaviano præstare recusabat. Alexander Papa III. per suas literas datas Vercellis VI. Kal. Maji sententiam istam confirmavit.

Conradus Legatus Friderici Imperatoris restituit Ecclesiæ de Valle-Fabrica prædia, quæ filii Munaldi abstulerant. Fridericus verò Imperator eamdem sententiam ac restitutionem ratam habuit tam in his, quæ restituta sunt in Comitatu Assisii, quàm in Comitatu Nucerino, vel in aliis locis, videlicet Curtem S. Donati, Curtem Porcili, Castrum Casagaldi, ipsamque Ecclesiam de Valfabrica Nonantulano Monaste-
C rio subjectam sub sua Imperiali protectione suscepit, Diplomate dato Assisii Anno 1177. XIII. Kal. Januarii, Indictione XI.

BONIFACIUS ABBAS XLI.

BOonifacius, adhuc vivente Abbate Alberto, & ipse Abbas est nuncupatus, fortassis a Paschale Antipapa. Reperiuntur ejus Acta Anno 1172. & sequentibus.

Anno 1180. Indictione XIV. die XIX. Mensis Octobris Fridericis I. Imperator Ecclesiæ S. Silvestri de Nonantula per suum Diploma datum Alteburgii restituit possessionem rerum, quas Turrisendus Veronensis in loco Nogariæ vel ejus
D Curia injuste tenebat, eo pacto ut quocumque tempore ipse Fridericus, vel filius ejus Romanorum Rex, vel alius ex suis successoribus Nonantulanæ Ecclesiæ censum vel pensionem, quam Comitissa Matildis, vel Antecessores Henricus Imperator, & Rex Conradus inde solvere consueverunt, & ipse solvere voluerint, prædicta Ecclesia Nonantulana illum censum recipiat, & ipsum Fridericum & Filium, ejusque Successores sub jam dicto canone possessionem prædictam sine contradictione tenere permittat.

Anno 1191. Cælestinus Papa Diplomate dato Romæ per manum Egidii S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconi Cardinalis VI. Kal. Julii, Pontificatus Anno I. confirmavit omnia præde-
E cessorum Privilegia Bonifacio Nonantulano Abbati ejusque Ecclesiæ. Quo eodem Anno prædictus Pontifex mandat hominibus Civitatis Cremonæ, ne se intromittant in Ecclesia S. Crucis ejusdem Civitatis, sed illam Abbati Nonantulano dimittant.

Anno 1192. Bonifacius Abbas renovavit Episcopo Ferrariensi concessionem illi alias factam de Hostilia, & aliis locis.

Anno 1194. VI. Kal. Martii idem Abbas Bonifacio Priori S. Silvestri de Nogaria donavit omnes terras, quas Monasterium Nonantulanum habebat ultra Lacum Gardæ versus Brixiam in Episcopatibus Veronense, & Brixiense in

se in Scovolo, *&* *aliis locis*, *&* *etiam in Tridentino Episcopatu*. *Tabulæ scriptæ sunt Veronæ coram* Domno Fidantio Presbytero Cardinale *titulo S. Marcelli*, *Apostolicæ Sedis in Italia Legato*, *ipso ratam habente donationem*.

RAYMUNDUS ABBAS XLII.

INnocentius III. Summus Pontifex, *amoto ab administratione Abbatiæ Nonantulanæ* Bonifacio *ejusdem dilapidatore* Raymundi Amici *ex Abbate S. Mariæ in Strada XII. Kal. Julii*, *Anno* 1202. *eidem Monasterio Abbatem dedit*. *Idem Pontifex Anno* 1209. *Privilegia confirmavit prædicto Cœnobio*, *Bulla data IV. Nonas Julii*, *Indictione XI. Viterbi per manum Johannis S. Mariæ in . . . . Cardinalem*, *S. R. E. Cancellarium*.

Anno 1210. *Raymundus Abbas amplissimum ab* Ottone IV. Imperatore *Privilegium obtinuit*, *quo præcedentia confirmantur*.

Subsequuntur ceteri Abbates, *nempe* Landulfus, *sive* Rodulfus *Anno* 1248. Cursaccus *Anno* 1250. Bonacursius *Anno* 1256. *quibus etiam temporibus inveniuntur Abbates Nonantulani* Guido Albertus *&* Raymundus. *Tum* Landulfus *Anno* 1264. Guido 1286. Frater Nicolaus de Prato *Ordinis Prædicatorum*, *Magister in Theologia*, *ex Episcopo Spoletino*, *&* *Vicario Papæ in Urbe*, *a* Benedicto Papa IX. Episcopus, Cardinalis Ostiensis *&* Veliternensis *creatus*, *Anno* 1303. *vivente adhuc* Guidone Abbate, *Monasterii Nonantulani generalem administrationem per Sedem Apostolicam obtinuit*. *Deinde* Fridericus Abbas *Anno* 1311. Deodatus *Anno* 1312. Nicolaus filius quondam Domini Acti de Barattis de Parma *Anno* 1312. *Tum* Guido Episcopus Mutinensis *Anno* 1320. *Postea* Bernardus *Anno* 1322. *&* Nicolaus *iterum*; *tum* Bernardus *iterum Anno* 1329. Guillielmus *Anno* 1334. Fridericus *Anno* 1347. Deodatus *Anno* 1351. Ludovicus *Anno* 1357. Ademarus *Anno* 1363. Thomas *Anno* 1369. Nicolaus de Assisio *Anno* 1387 Baptista Guzzadinus Bononiensis *Anno* 1398 Delfinus Guzzadinus *Anno* 1400. Jacobus Episcopus Veronensis *Anno* 1404 Balthassar Cossa Diaconus Cardinalis S Eustachii, & Legatus Bononiæ *Anno eodem*. Johannes Galeatius de Pepulis *Anno* 1406. Guronus Maria Estensis
A Nicolai Marchionis Ferrariæ filius *Anno* 1450. Julianus de Ruvere S. Petri ad Vincula Cardinalis *Anno* 1483. Galeottus de Ruvere S. Petri ad Vincula Cardinalis *Anno* 1503 Julianus Cæsarinus S. Angeli Diaconus Cardinalis *Anno* 1505. Johannes Matthæus Sertorius Mutinensis Archiepiscopus S Severinæ *Anno* 1509 Johannes Jacobus Sertorius, *tum* Antonius Maria Sertorius *Anno* 1531. Julius Sertorius Archiepiscopus S. Severinæ 1551. Carolus Cardinalis Borromæus Archiepiscopus Mediolanensis Bononiæ & Romandiolæ Legatus *Anno* 1561. Johannes Franciscus Bonhomus Cremonensis *Anno* 1563. Guido Cardinalis Vercellensis *Anno* 1572. Philippus Guastavillanus S. Mariæ in
B Cosmedin Diaconus Cardinalis S. R. E. Camerarius *Anno* 1581. Hieronymus Matthæus Romanus Diaconus Cardinalis S. Hadriani *Anno* 1589. Alexander Matthæus Cameræ Apostolicæ Clericus *Anno* 1603. Ludovicus Ludovisius S. Mariæ Transpontinæ Presbyter Cardinalis, S. R. E. Camerarius, & Archiepiscopus Bononiensis *Anno* 1621. Antonius Barberinus S. R. E. Cardinalis *Anno* 1632.

Si *Nonantulanum* excipias, ut supra vidimus, cum *Farfensi* nullum aliud in Italia Monasterium antiquis temporibus certare potentiâ, amplitudine, aliisque prærogativis poterat. Sed præ Nonantulano Farfense felix, quod
C Archivi sui monumenta vetusta fere omnia in hunc usque diem servarit. Nam etsi Diplomata ceterasque membranas depopulata sit aut flamma, aut hominum iniquitas, insigne tamen Chartarium, sive *Regestum*, quod *Registrum* alii dicere amant, incolume temporis injurias evasit, uti jam commemoravi in Præfatione ad Chronicon Farfense Par. II. Tomi II. Rer. Italicarum; in quo sacri illius loci Chartæ usque ad Annum MXCII. descriptæ fuerunt. Egregium sane volumen, quod omnibus bonarum Literarum amatoribus optandum est ut integrum aliquando in lucem prodeat; inde enim non solum ediscere liceret, quanta rerum copia præstantissimo illi Cœnobio olim fuerit,
D sed etiam multa ad eruditionem Sæculorum rudium præsidia possent derivari. Ego quod possum, seriem priorum Chartarum illic descriptarum, qualem olim accepi, publici juris facio.

CATALOGUS
NONNULLARUM CHARTARUM REGESTI MSTI
MONASTERII FARFENSIS.

Præfatio Johannis Grammatici, qui collegit, & disposuit Regestum jubente Berardo Abbate Anno MXCII. Imper. Henrico IV. Indict. XV. XIII. Kal. Majas. Scriptor Regesti Gregorius e Sabinensi Comitatu oriundi Nobilissimis parentibus orti.

VErsus exprimentes rerum supradictarum serim & temporum.

Imago Beatæ Mariæ Virginis, & Abbatis offerentis librum, & Scriptoris, & Collectoris.

Epistola Faroaldi Ducis Spoletani Joanni Papæ, *in qua recenset multa a se donata Monasterio Sanctæ Mariæ Farfensi, & dicit Monasterium a se restauratum per* Thomam Abbatem. *Circ. Annum* 703.

Joannis Papæ *Privilegium Thomæ Abbati, in quo originem Monasterii recenset, fundatum videlicet a* Laurentio quondam Episcopo *de peregrinis veniente in fundo, qui dicebatur Acutianus. Datum pridie Kalendas Julii, imperante Domno nostro piissimo P. P. Augusto Tiberio Anno VIII. Principatus ejus Anno VI., sed & Theodosio atque Constantino. Circ. Annum* 703.

Venditio Oliveti facta Thomæ Abbati. Actum ad Sanctum Petrum in Germanitiano territorii Sabinensis. Quam vero Cartulam venditionis ego Arichis Notarius per jussionem Sindolphi Castaldionis Civitatis suprascriptæ scripsi. Circiter Annum 691.

Alia venditio olivarum eidem Abbati temporibus Transmundi Ducis Langobardorum, *& Sindolphi Castaldionis Civitatis Reatinæ. Circ. Annum* 691.

Obiit Thomas post XXV. annos & VII. menses regiminis, & dies quinque, IV. Idus Decembris.

Successit Autepertus *Tolosanus, qui præfuit annis VII. mens. V. & diebus XVIII.*

Successit Lucerius *Maurigena ortus Provincia, qui præfuit annis XVI. mens. VI. & dies X. & obiit XVI. Kal. Julii.*

Transmundus Dux Langobardorum *Lucerio Abbati donat Ecclesiam Sancti Getulii. Datum mense Majo, Indictione VII.*

Anno 724.

Flavii Liutprandi Regis *Lucerio Abbati Privilegium, quo confirmat donata Monasterio a Ducibus Spoletanis, & aliis, & concedit, ut defuncto Abbate, Monachorum Congregatio alterum eligere possit. Actum Spoleti in Palatio XV. die mensis Junii.*

Circ. Ann. 724.

Transmundi Ducis *donatio. Datum mense Januario, Indictione VIII. sub Rione Castaldione.*

Anno 725.

Testamentum Adualdi, & Audolphi temporibus Luponis Ducis Langobardorum *Anno ejus Primo, mense Novembris.*

Anno 746.

Fulcoaldus *Aquitanus præfuit annis XIX. & mens. VI. & dies XII. Obiit IV. Nonas Decembris.*

Donatio Luponis Ducis. *Datum Spoleti in Palatio Anno Ducatus nostri in Dei nomine Primo, mense Decembri, Indict. XIV.*

Anno 746.

Luponis *altera donatio. Datum jussione Civitate nostra Reatina Anno in Dei nomine Ducatus nostri Primo, Indict. XIV. sub Bertone Castaldione.*

Anno 746.

Ejusdem Luponis *alia donatio pro mercede Ratchisii Regis. Datum jussione in Gualdo nostro in Pontias, Anno Ducatus nostri in Dei nomine II. mense Octobri, per Indictionem XV. sub Restone Castaldione, & Casualdo Archiporcario, vel Gundualdo Actionario nostro.*

Ejusdem alia donatio ex jussione Ratchis Regis. *Data jussione in Civitate Ticino, Anno Ducatus nostri in Dei nomine II. mense Julio, per Indictionem XV. sub Gundualdo Actionario nostro.*

Anno 747.

Ejusdem Luponis *confirmatio Monasterio Sancti Petri in Classicella concessi a Transmundo Genitrici Fulcoaldi Abbatis. Datum jussione Spoleti in Palatio Anno Ducatus nostri in Dei nomine III. II. die præsentis Novembris, Indict. I. sub Godefrid Castaldione.*

Anno 747.

Ejusdem alia donatio. Datum jussione in Civitate nostra Reatina Anno in Dei nomine Ducatus nostri V. Indict. III. sub Immone Castaldione nostro.

Anno 749.

Ejusdem Luponis *jussio, ne mulieres ambularent per certas vias secus Monasterium, nisi per viam, quæ Salaria est a Sancto Parcratio recte in Pontem Sancti Viti in Sala, & exinde in Textam, de Texta in Scappligiano. Datum jussione in Curte nostra ad Varrianum Anno Ducatus nostri in Dei nomine V. mense Decembris, per Indictionem III.*

Anno 749.

Ejusdem alia donatio. Datum jussione in Palatio nostro Spoletano Anno Ducatus nostri in Dei nomine VI. mense Novembri, Indict. IV. sub Immone Castaldione.

Anno 750.

Luponis, & Hermelindæ *confirmatio bonorum Parthenonis Sancti Georgii Martyris prope murum Civitatis Reatinæ, subjecti Monasterio Farfensi. Datum jussione Spoleti in Palatio Anno Ducatus in Dei nomine VI. mense Aprili, per Indictionem IV. sub Immone Gastaldione nostro.*

Anno

Anno 751.

Haistolphi Regis *confirmatio bonorum*. *Datum jussione Ravennæ in Palatio IV. die mensis Julii Anno felicissimi Regni nostri III. per Indictionem IV.*

Anno 751.

Donatio Rotfredi temporibus Luponis Ducis Langobardorum, *& Gotfredi Gastaldionis Reatini*.

Anno 751.

Donatio Bonæ relictæ Averolphi Gastaldionis temporibus Luponis *Anno Ducatus ejus IV. mense Decembri, Indict. II. Actum Spoleti.*

Anno 748.

Donatio Isemundi, & Teudemundi fratrum Anno V. Luponis *sub Taciperto Gastaldione Reatino mense Julio, Indict. II. Actum in Reate.*

Anno 749.

Judicium de supradicta donatione, jubente Lupone *&c.*

Venditio acceptis in præsenti loco pretii Cavallis VI. pro solidis IX. & auro cocto pensante solidos CCCXL. Luponis *Anno V. sub Taciperto Gastaldione Reatino. Actum Reate.*

Anno 749.

Diremptio litis pro Monasterio Sanctæ Mariæ, & Sancti Archangeli Michaëlis, constructo in Terentiano a Claudiano Presbytero & Monacho Farfensi per Luponem Langobardorum Ducem *mense Decembri, per Indict. IV. Spoleti.*

Anno 750.

Testamentum Palumbi Diaconi tempore Luponis. *Actum in Civitate Reatina.*

Anno 750.

Donatio Bonæ tempore Luponis. *Actum in Sabinis in Casa Beati Martyris Hyacinti mense Majo, per Indict. XV.*

Anno 747.

Donatio Luponis, *ex jussione Potestatis. Actum in Curte nostra ad Varrianum Anno Ducatus nostri in Dei nomine VI. mense Decembris, Indictione IV. sub Immone Gastaldione.*

Anno 750.

Commutatio Teudemundi Actionarii temporibus Transmundi Ducis, *& Piconis Gastaldionis Reatini mense Aprilis, per Indictionem XII. Actum in Reate.*

Anno 729.

Judicium in Insarii ex jussione Ratchis Regis *Anno Domni Ratchis Regis in Dei nomine III. die XVII. mensis Aprilis, Indict. XV.*

Anno 747.

Conventio inter Fulcoaldum Abbatem, & Grimoaldum, & Anzonem pro rebus Claudani Presbyteri & Monachi. Regnante Haistolpho Rege Anno Regni ejus III. sub Probato Gastaldione Reatino mense Novembris, Indict. V. Actum in Reate.

Anno 751.

Donatio Rotharii Abbatis, *& Hittæ Sanctimonialis Conjugis ejus, Anno Aistulphi Regis IV. mense Februarii, per Indict. V. Actum Spoleti.*

Anno 752.

Venditio facta a Teudone Monacho Monasterii Sancti Salvatoris per concessum & assensum Domni Astualdi Abbatis, *& cunctæ Congregationis. Regnante Domno Haistulpho Rege Anno Regni ejus IV. sub Probato Gastaldione Reatino mense Novembris, per Indictionem VI. Actum in Reate.*

A Anno 753.

Judicium Teutonis Episcopi, *& Laicorum Judicum, inter Furcoaldum Abbatem, & Maurum Clericum.*

Donatio Miccionis Anno IV. Aistolphi Regis sub Probato Gastaldione Reatino mense Aprilis, per Indict. VI. Actum in Reate.

Anno 753.

Donatio altera Anno V. Aistulphi Regis mense Julio, per Indictionem VII.

Anno 754.

Cambium Teutonis Episcopi *Anno VIII. Haistulphi Regis mense Novembris, per Indictionem VIII.*

Anno 754.

B *Donatio Guinealpi Sculdais, & Conjugis Stephaniæ Anno I.* Albuini Ducis *sub Alefrido Gastaldione Reatino mense Martio, Indict. X.*

Anno 757.

Donatio Felicis coloni, Albuini temporibus.

Datio Curtis ad laborandum, Albuini Anno I. XIV. Kal. Novembris, Indict. XI.

Anno 757.

Quinctus Abbas Guandelbertus, *qui uno præfuit anno, menses VII., & postulavit Fratres, ut alium eligerent: quo facto in Firmana Civitate Monasterium S. Hippolyti a Fratribus accepit.*

Sextus Halanus *præfuit annos VIIII. menses III. dies VIII. Obiit V. Nonas Martias.*

C *Conventio quædam Theodoræ pro Oratorio Sancti Angeli, Imperante Constantino, a Deo coronato Imperatore Anno XLVII. & ...... ejus Anno XXVII., sed & Leone ejus Filio Anno XVII. Indictione V. mense Augusto, die XVII. in præsentia* Leonis Episcopi Civitatis Castri Urb. ......

Anno 767.

Venditio Anno I. Ducatus Gisulfi Ducis *mense Aprili, per Indictionem XIII. Pacta ... pro remedio solido, sex modia milii pro medio solido, & solidum in auro unum.*

Anno 760.

Venditio terræ facta ab Allone & Albrichino Monachis Sancti Vincentii cum concessione Her-

D meperti Abbatis, *& confratrum Anno II.* Gisulfi. *Actum in Marsis mense Januario, Indictione XIV.*

Anno 761.

Compositio pro Cavallo furto sublato, Gisulfi *Anno II. mense Martio, Indict. XIV.*

Anno 761.

Judicium Gisulfi *in Civitate Reatina Anno ejus II. mense Aprilis, Indict. XIV.*

Anno 761.

Aliud Judicium ejusdem cum Misso Domni Regis, & Judicibus suis, Teutone Episcopo *&c. mense Februario, per Indictionem XIV.*

Anno 761.

Donatio Aliperti cum formula Quisquis in

E Sanctis *&c. Anno II. Gisulfi VIII. Kal. Apr. Indict. XIV.*

Anno 761.

Donatio Gisulfi Anno ejus II., & V. Regni Desiderii, *& II.* Adelgis *Filii ejus, sub Alifrido Gastaldione, & Lupone Archipurcorio.*

Anno 761.

Commutatio Heletrici Actionarii Anno supradicto mense Julio, Indict. XIV.

Anno 761.

Donatio Theodori Desiderio & Adelchis Anno Regni eorum VI. mense Octobri, Indict. I.

Anno 762.

Desiderius Rex *confirmat donationem quandam*

dam factam ab Abnetrada cum filiis suis de Monasterio Sancti Hippolyti. Datum jussione Ticino in Palatio XVII. die mensis Decembris Anno felicissimi Regni nostri VI. Indict. I.

Anno 762.

Venditio, Regnante Desiderio, & Adelchis Anno VI., & IV. Thodocii Ducis Spoletani, *Indict. I.*

Anno 763.

Donatio Theodicii Ducis *Anno supradictorum Regum VII. & IV. Data jussione Spoleti Anno Ducatus ejus I. mense Julio, Indict. I. sub Alferido Gastaldione.*

Anno 763.

Donatio Audesis de Reate Anno supradictorum mense Augusto, Indict. I.

Anno 763.

Alia donatio Hisemundi Anno supradictorum, Indict. II.

Anno 764.

Refutatio Anno Regni supradictorum VIII. & V. mense Martio, Indict. II.

Anno 764.

Cambium Anno eodem.

Confirmatio Theodicii Ducis *Anno eodem, & Theodicii III. mense Decembris, Indict. III.*

Anno 764.

Donatio Larciani coloni Anno supradictorum VII. & IV. mense Decembris, Indict. III.

Anno 764.

Venditio Sisonis Anno supradictorum VIII. & VI. mense Decembris, Indict. III.

Anno 764.

Venditio Lucanuli *Anno eodem, mense Martio, Indict. III.*

Anno 765.

Venditio Manni Anno eodem, mense Martio, Indictione III.

Anno. 765.

Cambium Ratperti Anno eodem, mense Septembris, Indict. III.

Anno 764.

Oblatio Sisonis Anno supradictorum IX. & VII. mense Decembris, Indict. IV.

Anno 765.

Cambium Theodosii Anno eodem, mense Januarii, Indict. IV.

Anno 766.

Donatio Scamberti Anno supradictorum IX. & VII. mense Aprilis, Indict. IV.

Anno 766.

Venditio Miccinelli Anno supradictorum X. & VII. mense Aprilis, Indict. IV.

Anno 766.

Donatio Teudicii Ducis *Anno supradictorum X. & VII. Ducatus Teudicii IV. mense Junii, Indict. IV. sub Godiscalco Actionario.*

Anno 766.

Venditio Feruli Anno eodem, mense Junio, Indict. IV.

Anno 766.

Donatio Crisodoni Anno supradictorum XI. & IX. mense Augusti, Indict. V.

Anno 767.

Cambium Fulcoaldi Monachi Anno eodem, mense Aprili, Indict. VI.

Anno 768.

Donatio Autonis Anno eodem, mense Decembris, Indict. VI.

Anno 767.

Donatio Taneldis relictæ Pandonis Anno supradictorum XII. & IX. mense Martii, Indict. VI.

Anno 768.

*Commutatio inter Abbatem Farfensem, & An*silpergam Abbatissam Monasterii Domini Salvatoris fundati infra muros Civitatis Brixianæ *Anno eodem XIX. die mensis Aprilis, Indict. VI.*

Anno 768.

Testamentum Teuderacii Anno eodem, mense Majo, Indict. VI. Monasterio Domini Salvatoris, sito in Lethenmno, donat is Casale in Villa Mæria. Factum in Reate.

Anno 768.

Donatio Theodicii Ducis *Anno eodem. Datum Spoleti Anno Ducatus ejus VI. mense Septembri, Indict. VIII.*

Anno 769.

Venditio Mauri Anno supradictorum XII. & X. mense Februarii, Indict. VII.

Anno 769.

Hic Alanus Abbas *in extremo die suasit cuidam Episcopo, cui nomen* Guicbertus, *facere promissionem Regulæ, & ipsum adhuc hospitem constituit Abbatem, qui per XI. menses exercuit tyrannidem. Rogantibus Monachis jussu Regis Desiderii Alefridus Gastaldius Reatinus de Monasterio expulit eum.*

Septimus Probatus *præfuit annis XI. mensibus IV. diebus XV. Obiit quarto Idus Augusti.*

Confirmatio Guillerami donationis factæ a Patre suo Anno supradictorum XIII. & XI. mense Februario, Indictione VIII.

Anno 770.

Testamentum Acerisii filii Stephani Anno supradictorum XIV. & XI. mense Martio, Indict. VIII.

Anno 770.

Confirmatio donatorum facta a Teodicio Duce *Anno supradictorum XVI. & XIV. Teodicii X. mense Julio, Indict. X.*

Anno 772.

Donatio Ubaldini Anno supradictorum XVI. & XIII. mense Martio, Indict. X.

Anno 772.

Donatio Ilderici, & Matris ejus Anno supradictorum XVII. & XIV. mense Martio, Indict. XI.

Anno 773.

Judicatum pro quibusdam bonis Monasterii, in quo subscribit inter alios Gumpertus Episcopus.

Donatio Ilderici Gastaldionis Anno supradictorum IX. & VII. mense Aprili, Indict. III.

Anno 765.

Donatio Helenæ Sanctimonialis Anno supradictorum XIV. & XI. mense Maji, Indict. VIII.

Anno 770.

Alia donatio ejusdem Anno supradictorum XV. & XII. mense Maji, Indict. IX.

Anno 771.

Donatio Lanfredi Anno supradictorum XVI. & XIV. mense Februarii, Indict. X.

Anno 772.

Testamentum Johannis Archipresbyteri Reatini Anno supradictorum XVII. & XIV. mense Septembris, Indict. XII.

Anno 773.

Commutatio Teutberti & Probati Anno Desiderii XI. mense Augusto, Indict. II.

Anno 764.

Adriani Papæ *Privilegium constituens Priorem Vestiarii Sanctæ Ecclesiæ Judicem pro rebus ablatis Monasterio. Datum X. Kal. Majas, Impe-*

Imperantibus Domno nostro piissimo Augusto Constantino a Deo coronato Magno Imperatore Anno LIII. & Principatus ejus Anno XXXIII. sed & Leone Magno Imperatore ejus Filio Anno XXI. Indict. X.

Anno 772.

Donatio Hildeprandi Ducis *temporibus Beatissimi & Coangelici Domni Hadriani Pontificis, & universalis Papæ.*

Anno 774.

Oblatio Vimi, & Petri filii ejus habitatorum Castri Viterbii, Regnante Domno nostro Karolo Viro Excellentissimo Rege, Anno Regni ejus in Dei nomine II. in Italia, mense Julio, per Indictionem XIII.

Anno 775.

Donatio Hildeprandi Ducis Spoletani, *Regnante Domno Karolo Excellentissimo Rege Francorum atque Langobardorum, Anno Regni ejus in Italia, Deo opitulante II. Anno Ducatus Hildeprandi III. sub Rimone Gastaldione.*

Anno 775.

Alia donatio ejusdem eodem Anno.

Judicium Hildeperti Ducis.

Donatio ejusdem Hildeperti Anno eodem.

Judicium Hildeperti cum Adeodato Episcopo, Gualtar Episcopo de Firmo, Vatperto Episcopo Balbensi, Auderis Episcopo Esculano, *& aliis.*

Donatio Teuferii Anno Regni Karoli IV. mense Septembri, Indict. I.

Anno 777.

Donatio Aliperti Anno eodem, mense Januario, Indict. XV.

Anno 777.

Donatio Haleradi & Ursi Anno eodem, mense Januario, Indict. XV.

Anno 777.

Donatio Pleonis Anno eodem, mense Martio, Indict. XV.

Anno 777.

Conventio cum Valentione Anno eodem, mense Martio, Indict. XV.

Anno 777.

Judicatum Ducis Hildeprandi *de Ecclesia Sancti Michaëlis de Reate.*

Donatio facta ab Hildeprando Duce *Monasterio Beati Archangeli Michaëlis, sito foris ponte secus Civitatem Reatinam, anno eodem, Ducatus ejus V. mense Martio, Indict. I. sub Rimone Gastaldione.*

Anno 778.

Donatio ejusdem eidem Monasterio Anno V. Karoli, & V. ejusdem Hildeperti.

Anno 778.

Oblatio Pimpulæ Anno Karoli IV. mense Junio, Indict. XV.

Anno 777.

Donatio Gemmuli cum fratre suo, Anno eodem, mense Februario, Indict. XV.

Anno 777.

Donatio Victoris Anno Karoli V. mense Octobri, Indict. I.

Anno 777.

Donatio Theudemundi Anno Karoli V. mense Novembri, Indict. I.

Anno 777.

Donatio ejusdem Anno eodem, mense Martio, Indict. I.

Anno 778.

Donatio ejusdem Anno Karoli III. mense Decembri, Indict. XV.

Anno 776.

Oblatio sui, & suorum Teudeberti Clerici Anno Karoli V. mense Aprilis, Indict. I.

Anno 778.

Donatio Hildeperti Ducis *Anno eodem, & Ducatus ejus V. mense Aprilis, Indict. I.*

Anno 778.

Cambium cum Petro Episcopo *Anno eodem, mense Aprilis, Indict. I. Actum in Reate.*

Anno 778.

Donatio Arualdi Anno eodem, mense Majo, Indict. I.

Donatio Hildeperti Ducis *Anno eodem, mense Majo, Indict. I.*

Testamentum Johannis Presbyteri Anno eodem, mense Majo, Indict. I.

Donatio Bassfelonis Anno eodem, mense Julio, Indict. I.

Donatio Ansæ Anno eodem, mense Junio, Indict. I.

Cambium cum Stephano Notario Anno eodem, mense Junio, Indict. I.

Donatio Gudescalchi Anno eodem, mense Junio, Indict. I.

Donatio Hebremundi Anno eodem, mense Augusto, Indict. I.

Anno 779.

Donatio Gaderisii Anno Karoli VI. mense Aprilis, Indict. II.

Donatio Zaronis Anno eodem, mense Augusto, Indict. II.

Anno 779.

Donatio Ursi Anno eodem, mense Septembris, Indict. II.

Karoli Francorum Regis, & Langobardorum, & Patricii Romanorum *Privilegium. Datum IV. Kal. Junii Anno VII. & I. Regni nostri. Actum Carisiago Palatio in Dei nomine feliciter.*

Anno 780.

Ejusdem aliud Privilegium, ut Monasterium gaudeat eisdem Privilegiis, sicut cetera Monasteria Lirinensium, Agaunensium, & Luxoviensium, ubi prisca Patrum Basilii, Benedicti, Columbani, vel ceterorum Patrum Regula custodiri videtur. Datum sub die IX. Kal. Junii, Anno VIII. & I. Regni Domni nostri Karoli gloriosissimi Regis. Actum Karilego Palatio publico in Dei nomine feliciter.

Anno 780.

Guitbertus Episcopus *concedit Monasterium Sancti Angeli, positum inter duo flumina ad pontem fractum ante Civitatem Reatinam, & Monasterium Sancti Angeli in Narnate. Actum Spoleti. Regnante Karolo Anno Regni ejus in Italia VII. & Anno VII. Hildeprandi Ducis Spoleti, mense Junio, Indict. III.*

Anno 775.

Donatio Liutperti Presbyteri temporibus Adriani Pontificis, & universalis Papæ, & Hildeprandi Ducis, & Rimonis Gastaldionis Reatini, mense Decembri, Indict. XIV.

Anno 775.

Venditio vinearum Cauculi Anno Karoli VIII. & II.

Donatio Spentonis Anno eodem, mense Aprili, Indict. XIV.

Anno 776.

Donatio Teudemundi Anno eodem, mense Aprili, Indict. XIV.

Anno 776.

Karoli Francorum, & Langobardorum Regis, & Patricii Romanorum *confirmatio Privilegio-*

vilegiorum. Datum V. Idus Junias, Anno VIII. & III. Regni nostri. Actum Vincentia Civitate in Dei nomine feliciter.

Anno 781.

Octavus Abbas Ragambaldus *præfuit annis III. mensibus VII. diebus XXIII. Obiit V. Non. Martii.*

Judicatum Karoli *pro Monasterio Sancti Angeli Civitatis Reatæ ad Vadum Medianum finibus Florentinis, mense Julio, Indict. IV.*

Anno 781.

Donatio Hildeprandi Ducis, *Regnante Domno nostro Karolo, & Pipino filio ejus Excellentissimis Regibus Francorum, atque Langobardorum, & Patritio Romanorum, Anno Regni eorum in Italia, Deo propitio X. & II. Datum Spoleti mense Aprilis, Indict. VI. Anno Ducatus ejus X. sub Rimone Gastaldione, & Adeodato Actionario.*

Anno 783.

Cessio Tenderadi Anno Karoli & Pipini XI. & IV. & XII. Hildeprandi Ducis.

Anno 784.

Karoli Regis Francorum, & Langobardorum, & Patricii Romanorum *Privilegium pro Sancto Angelo in Reate. Datum XV. Kal. Septembris Anno XIV. & IX. Regni nostri. Actum Haristalio Palatio nostro feliciter.*

Anno 786.

Nonus Abbas Altpertus *præfuit annos V. menses X. & dies XV. Obiit XVIII. Kal. Januarii.*

Oblatio Romualdi Anno Karoli, & Pipini XIII. & V., & Ducatus Hildeprandi XIII. mense Septembri, Indict. IX.

Anno 786.

Venditio Paulo Falconario *Anno eodem, mense Julio, Indict. IX.*

Anno 786.

Donatio Hilderici, & Tacipergæ Genitricis ejus de Monasterio Sancti Jacobi Apostoli, quod Avius ejus a fundamentis ædificaverat. Anno Karoli & Pipini XIV. & VIII. & Hildeprandi XIV. mense Decembris, Indict. X. Actum in Reate.

Anno 787.

Donatio Hilderici Clerici Anno eodem, mense Decembri, Indict. X.

Anno 787.

Donatio Hildeprandi Ducis *Anno eodem.*

Oblatio Gayri. Anno Deo propitio Pontificatus Domni nostri Adriani ter Beatissimi, & Apostolici Papæ in Sacratissima B. Petri Apostolorum Principis Sede XVI. mense Februario, Indict. XI. Actum ad Sanctum Valentinum in Silice.

Anno 788.

Donatio Aribonæ Adriani Papæ Anno XVII. mense Januario, Indict. XII. Actum Viterbi.

Anno 789.

Donatio Teudemundi, & Filii ejus Anno Karoli & Pipini XVII. & IX., & temporibus Guinichis Ducis Spoletani Anno I. mense Octobris, Indict. XIII.

Anno 789.

Karoli Francorum, & Langobardorum Regis, & Patricii Romanorum *confirmatio donationum* Hildeprandi Ducis. *Datum V. Kal. Aprilis Anno XX. & XIV. Regni nostri. Actum in Ghillinhaim Villa nostra in Dei nomine feliciter.*

Anno 793.

Decimus Abbas Mauraldus *præfuit annos XII. menses IV. dies XV. Obiit VIII. Kal. Novembris.*

A *Donatio Leonis Sculdais filii Teudemundi Anno Karoli & Pipini XVIII. & XI., & Anno III.* Guinichis Ducis Spoletani, *mense Junio, Indict. XIV.*

Anno 791.

Donatio Palumbi Anno supradictorum XIX. & Guinichis IV. mense Februarii, Indictione XV.

Anno 792.

Testamentum Pauli, & Tassilæ Conjugis ejus eodem Anno, mense Majo, Indict. XV.

Anno 792.

Donatio Goderisii, & Aldæ Conjugis ejus eodem Anno, mense Februario, Indictione XV.

B Anno 792.

Judicatum Guinichis Ducis. *Actum Spoleti mense Januario, Indict. XIV.*

Anno 791.

Oblatio Gemuli Anno supradictorum XX. & XIII. & Guinichis Ducis V. mense Junio, Indict. I.

Anno 793.

Oblatio Mauri Clerici, Anno eodem, mense Junio, Indict. I.

Donatio Probati, & Piconis fratrum. Anno supradictorum XXIX. & XXI. XII. die mensis Augusti, Indict. I. Inseritur Flavii Liutprandi Regis *Diploma favore Piconis latum. Actum Spoleti XII. die mensis Novembris, Anno Regni ejus XXXI. Indict. XI.*

C Anno 793.

Commutatio Maurualdi cum Usualdo Abbate Sancti Salvatoris *in Territorio Reatino loco, qui vocatur Letenandus, sive Bojandus. Anno Karoli, & Pipini XXV. & XIX. mense Augusto, Indict. VII.*

Anno 799.

Judicatum pro Monasterio. Anno Karoli, & Pipini XXVII. & XXI. mense Augusto. Dum in Dei nomine conjunxisset Pipinus Magnus Rex *Cancello in finibus Spoletanis, & resedissem ego* Atebroard Comes Palatii *in judicio, residentibus ibi* Adelmo Episcopo, *qui nobiscum aderat &c.*

D Anno 801.

Karoli Regis Francorum, & Langobardorum, & Patricii Romanorum, *confirmatio donationum Hilderici, & Taciperghæ. Datum mense Augusto Anno XXIII. & XVIII. Regni nostri. Actum Regnasburg Civitate, Palatio publico in Dei nomine.*

Anno 797.

Concessio ad usum facta Serengo Mediolanensi rerum Monasterii exsistentium in Territorio Mediolanensi, & Ticinensi. Anno supradictorum XXIV. & XIX. mense Majo, Indict. VII. Actum Mediolanis.

Anno 799.

Cambium cum Urso Presbytero, seu Petro,

E *& Sindoni germanis. Anno supradictorum XXVIII. & XX. mense Octobris, Indictione VIII.*

Anno 800.

Judicatum Atebroard Comitis Palatii *residentis in Cancellis finibus Spoletanis. Anno Karoli, & Pipini XXVII. & XXI. mense Augusto, Indict. IX.*

Anno 801.

Investitio Mauroldi de Cella Sancti Petri in Classicella per Halabolt Abbatem & Missum Domni Pipini Regis. *Sub die XI. mensis Maji, Indict. IX. Anno Deo propitio Domni Karoli, & Filii ejus Pipini XXVII. & XX. in diebus illius,*

illius, quando Domnus Karolus ad Imperium coronatus. Testis Johannes Episcopus. Actum in ipsa Missa Sancti Antimi mense Majo.

Anno 801.

Oblatio Rainaldi Clerici. Anno supradictorum XXIX. & XXI. XX. die Mensis Octobris Reate.

Anno 802.

Donatio Opterami. Anno supradictorum XXIX. & XXI. XII. die Mensis Novembris, Indict. X.

Anno 801.

Donatio Gulferii. Regnante Domno nostro Piissimo, perpetuo, & a Deo coronato Karulo Magno Imperatore, anno Imperii ejus I. seu & Domno nostro Leone Summo Pontifice & universali Papa in sacratissima Beati Petri Apostolorum Principis Sede anno VI. mense Junio, Indict. VIIII.

Venditio Anionis, & Atriciasi. Anno suprascripto Mense Augusto.

Anno 798.

Judicatum Mamianis Abbatis, & Hisembard Missi Domni Regis, *Spoleti, Anno Karoli, & Pipini Regis XXIV. & XVIII. Mense Majo, Indict. VI.*

Anno 796.

Testamentum Alticausi. Anno I. Pontificatus Leonis Mense Octobri, Indict. V. Actum ad Fontem.

Anno 803.

* *Undecimus Abbas* Benedictus *præfuit Annos X. Menses V. dies III. Obiit III. Id. Augusti.*

Karolus Serenissimus Augustus a Deo coronatus, Magnus & Pacificus Imperator, Romanorum gubernans Imperium, *qui & per misericordiam Dei* Rex Francorum, & Langobardorum, *confirmat Privilegia & res Monasterii. Datum Idibus Junii, Anno III. Christo propitio Imperii nostri, & XXXV. Regni nostri in Francia, atque XXIX. in Italia, Indict. XI. Actum Aquis Palatio nostro publico in Dei nomine feliciter. Amen.*

Anno 803.

Donatio Desiderii. Anno Karoli & Pipini Regum in Italia XXX. & XXIII. die VI. Mensis Martii, Indict. XI.

Anno 804.

Redditio mutui Probato, & Piconi fratribus. Anno ab Incarnatione D.N.J.C. DCCCIV. & auxiliante Domino Anno IV. Imperii Karoli a Deo coronati Magni & Pacifici Romanum gubernantis Imperium, qui & per misericordiam Dei Rex Francorum, & Langobardorum, anno Regni ipsius in Francia XXXV. & in Italia XXXI. seu & Regnante Pipino Filio ejus anno in Dei nomine XXIV. Mense Februarii, XIX. die per Indictionem XII. Actum in Reate.

Anno 804.

Donatio Liuderis. Anno eodem, Mense Majo, die XXVIII. Indict. XII. Actum Reate.

Anno 805.

Venditio Inguli. Anno Imperii Karoli Magni V. Leonis Pontificis X. Mense Augusti per Indictionem XIII. Actum Castro Viterbi.

Anno 805.

Conventio cum Pintiolo. Anno eodem, Mense Septembri, Indictione XIV. Actum Viterbi.

Anno 802.

Venditio Gualfredi, & Agiperti fratrum. Anno II. Imperii Karoli Magni, & VII. Pontificatus Leonis, mense Februarii, Indict. X.

Anno 806.

Donatio Melliti. Anno ab Incarnatione DCCCVI. Sexto Imperii Karoli Magni, Regni in Francia XXXVII. in Italia XXIII. Pipini verò Filii ejus XXV. mense Martio, die IV. Indict. XIV. Actum in Reate.

Anno 806.

Ususfructus concessus quarumdam rerum Mellito. Anno VI. Imperii Karoli Magni XXXVII. &c. ut supra mense Aprilis, die I. Indict. XIV.

Anno 806.

Donatio Racorudæ. Anno ut supra, mense Aprilis, die I. Indict. XIV.

Anno 806.

Judicatum Romani gloriosi Ducis *in Castro Viterbiensi. Actum temporibus Karoli Domni nostri piissimi, perpetui Augusti, a Deo coronati, Magnifici Imperatoris Anno Deo propitio Imperii ejus VI. atque Domni nostri Leonis Summi Pontificis, & universalis Papæ in Sacratissima Sede Beati Petri Apostoli Anno XI. in mense Majo, per Indictionem XIV.*

Anno 807.

Judicatum Ardemanni, & Gaidualdi Missorum Karoli Imperatoris, & Domni Regis Pipini XXII. die mensis Februarii, Indict. XV. Reate.

Anno 807.

Venditio Homuli. *Anno Imperii Karoli Magni VII. Leonis Papæ XII. mense Aprili, Indict. XV. Actum ad Casalem in Curte Monasterii.*

Anno 808.

Investitio Abbatis facta a Rodoperto XIV. die mensis Januarii, Indict. I. Anno VIII. Imperii Karoli Magni, Regni Franciæ XXXVIII. Italiæ XXXVI. Pipini XXVIII.

Anno 808.

Donatio Rodovici. Anno Imperii Karoli VIII. Regni Franciæ XXXVIII. Italiæ XXXVI. Pipini XXVIII. ab Incarnatione DCCCVIII. mense Januario, die VIII. Indict. I. Actum in Reate.

Anno 808.

Donatio Frauperti. Anno ab Incarnatione DCCCVIII. Imperii Karoli VIII. Regni Franciæ XXXIX. Italiæ XXXVI. Pipini XXVIII. mense Martio, die XXX. Indict. II. Actum in Reate.

Anno 809.

Donatio Massioli. Anno supradicto, mense Junio, die XVIII. Indict. II.

Anno 808.

Venditio Ursiperti. Anno VIII. Imperii Karoli Magni, Leonis Papæ XIII. mense Aprilis, Indict. I. Actum in Vico Arnena.

Anno 808.

Commutatio cum Teudaldo. Anno supradicto, mense Februario, Indictione I. Actum Viterbi.

Anno 809.

Cambium cum Scaptolfo. Anno supradicto Karoli, & Pipini, mense Julio, die XVIII. Indict. II. Actum in Reate.

Anno 809.

Donatio Fauli, & Autarii fratrum. Anno Imperii Karoli IX. Pontificatus Leonis XIV. mense Februario, Indict. II. Actum Viterbi.

Anno 810.

Donatio Spentonis, Statii, & toti fratrum. Anno IX. Karoli, Regni Francorum XXXIX. Italiæ XXXVI. Pipini XXVII. mense Martio, die XVII. Indict. III. Actum in Monasterio Sanctæ Mariæ.

Anno 810.

Donatio eorumdem. Anno ab Incarnatione DCCC-

DCCCIX. cetera ut supra, mense Martio, die XVII. Indict. III. Actum in Monasterio Sanctæ Mariæ.

Anno 810.

Cambium Grifonis Sculdais. Anno supradicto, mense Aprili, die XVII. Indictione III. Actum in Reate.

Anno 811.

Judicatum Guinichi Ducis, Isemundi Episcopi, & aliorum inter Ittonem Presbyterum & Monachum Farfensem, & Leonem Sculdaim, mense Januario, Indict. IV. Anno Imperii Karoli Magni X.

Anno 811.

Donatio Teudolphi. Anno ab Incarnatione DCCCXI. Imperii Karoli Magni XI. Regni Francorum XLI. Italiæ XXXVII. mense Majo, die XXIV. Indict. IV. Actum in Reate.

Anno 813.

Judicatum Leonis Summi Pontificis in Sacro Palatio Lateranensi cum Johanne, & Tastaldo Episcopis, Theodoro Numinculatore, Georgio Bibliothecario, Gemmoso Vestiario, Alminino Quisdelori, Agiprando Cubiculario, Nordo Racuvio, Naningo de Viterbo. Anno Imperii Karoli Magni XIII. Pontificatus Leonis XVIII. mense Majo, Indict. VI.

Anno 814.

Donatio Acerisii. Anno DCCCXIV. Imperii Karoli XIV. Regni Francorum XLIV. Italiæ XL. die XXVIII. Octobris, Indictione VII.

Anno 814.

Donatio Helenæ ancillæ Dei. Anno DCCCXIV. cetera ut supra, mense Julio, die XVIII. Indict. VI.

Anno 814.

Donatio ejusdem. Anno eodem, mense Julio, die XVIII. Indict. VI.

Donatio Ursi, & Ildeperchæ. Anno eodem, mense Julio, die XVII. Indict. VI.

Anno 807.

Notitia Judicati inter Ruphonum Abbatem Monasterii Sancti Salvatoris, siti Baugiano, & Benedictum Abbatem Farfensem. Actum ad Sanctum Angelum foris Pontem, mense Aprili, Indict. XV.

Notitia Judicati inter Benedictum Abbatem, & Romualdum, facti a Guinico Duce, & aliis Judicibus.

Traditio facta a Lupo.

Anno 814.

Judicatum Adhalardi Abbatis Missi Domni Imperatoris Karoli inter Benedictum, & Leonem. Actum Spoleti. Anno Domnorum Karoli, & Bernardi Regum XLII. mense Februario, Indict. VII.

Redditio Molendini facta a Misso Guinichi Ducis in Reate.

Locatio emphiteotica Gualperto Viterbiensi.

Donatio Hilderici Gastaldionis, Ludogvico Serenissimo Augusto a Deo coronato, Magno, Pacifico Imperatore, Romanum gubernante Imperium, Anno ejusdem in Christi nomine I., seu & Regnante Bernardo Rege Langobardorum Anno ejus in Dei nomine II., sed & temporibus Guinichis Ducis Ducatus Spoletani, Anno ejus in Dei nomine XXV. mense Majo, die XVIII. Indict. VII. Actum in Reate.

Anno 814.

Concessio vitalitia Curtis cujusdam Hilderico Gastaldioni, & Conjugi ejus, sub certa solutione annuali, mense Martio, Indictione VII. Anno Imperii Ludovici I., Bernardi Regis Langobardorum II.

A Anno 814.

Redditio cujusdam terræ per Missum Guinichis Spoletani.

Donatio Grifonis. Anno I. Ludovici, II. Bernardi XXV. Guinichis, die VIII. mensis Novembris, Indict. VIII.

Anno 815.

Donatio Scatolphi, & Formosæ Conjugis ejus. Anno II. Ludovici, II. Bernardi, XXVI. Guinichis, mense Januario, die XVII. Indict. VIII.

Anno 815.

Donatio Ragifredi Anno II. Ludovici, XX. Leonis Papæ, mense Martio, Indict. VIII.

Anno 815.

B Ludovici Imperatoris Privilegium confirmatorium Privilegii Karoli Magni. Datum II. Non. Augusti, Anno Christo propitio Imperii Domni Hludowici piissimi Augusti, Indictione VIII. Actum Francofurt in Dei nomine feliciter. Amen.

Anno 815.

Ejusdem alterum Privilegium confirmatorium ut supra. In hoc recensentur inter cetera bona, Monasterium Sancti Euangelistæ, situm juxta muros Spoletanæ Civitatis, Monasterium Sancti Salvatoris, situm non procul ab eadem Civitate Spoletana, Monasterium Puellarum, quod nuncupatur Sancti Georgii, constructum sub muro Civitatis Reatinæ, Monasterium
C Sancti Silvestri, vel Sanctæ Marinæ in territorio Firmano. Datum II. Nonas Augusti, Anno Christo propitio II. Imperii nostri, Indictione VIII. Actum Francofurt Palatio Regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

Anno 816.

Duodecimus Abbas Ingoaldus præfuit .... Obiit VII. Kal. Aprilis.

Donatio Donuli Transpadini. Anno Ludovici III. Leonis XXI. mense Majo, Indictione IX.

Anno 816.

Donatio Spentonis. Anno Ludovici III. Bernardi IV. die XXIII. mensis Junii, Indictione IX.

D Anno 816.

Venditio Ruponis. Anno III. Ludovici, & I. Stephani Papæ. Actum Viterbi.

Anno 816.

Donatio Benedicti, & Luponis fratrum. Anno ut supra, mense Augusto, Indictione IX. Actum in Monasterio Sanctæ Mariæ.

Anno 816.

Ludovici Imperatoris Privilegium concedentis Monasterio res Majorani, & duorum filiorum ejus. Datum XI. Kal. Julii Anno Christo propitio III. Imperii Domni Hludowici piissimi Augusti, Indict. IX. Actum Aquisgrani Palatio Regio in Dei nomine feliciter. Amen.

Anno 817.

E Stephani Papæ confirmatorium Privilegium omnium bonorum, quæ recensentur, & præcipue commutata cum Ecclesia Romana sub Adriano Papa, cum conditione, ut Monachi quotidianis diebus pro remissione peccatorum suorum centum Kyrie eleison cantent, & solvant pro præfatis fundis existentibus ex corpore Patrimonii Sabinensis pensionis nomine decem auri solidos. Scriptum per manus Christophori Scriniarii in mense Januario, Indict. X. Bene valete. Datum X. Kal. Februarii per manus Theodori Nomenclatoris Sanctæ Sedis Apostolicæ, Imperante Domno Hludowico Augusto a Deo coronato, Magno pacifico Imperatore

Anno

Anno III. & Pontificatus ejus Anno III. Indictione X.

Anno 817.

Paschalis Papæ *Privilegium confirmatorium &c. Scriptum per manus Christophori Scriniarii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Februario, Indict. X. Bene valete. Datum Kalendis Februarii per manus Theodori Nomenclatoris Sanctæ Sedis Apostolicæ. Imperante Domno Hludowico piissimo perpetuo Augusto a Deo coronato, Magno pacifico Imperatore, Anno III. Indict. X.*

Reliqua desiderantur.

In accumulandis autem tot opibus ac bonis jam monui, præter spontaneas Fidelium oblationes, insudasse etiam non levi studio atque industriâ Monachos, & reliquos in Clero militantes; eosque majoribus Elogiis cumulatos, qui præ ceteris opulento jam patrimonio majora procurabant augmenta. Et sane hominum genus idem semper fuit, semperque futurum erit. Verùm mihi minime in præsentia dissimulandum, antiquis etiam Sæculis non defuisse, quibus tantum terrenarum rerum studium in sacris viris nequaquam probabatur. Debuisset enim, ut ipsi sentiebant, Ecclesiasticæ, ac præsertim Monasticæ vitæ institutum ab humanis affectibus suos expurgare sectatores; atque alibi potius quàm in Claustris exquirenda fuisset, non dicam Avaritia, sed anxia illa rei alienæ ac divitiarum cupiditas. Et quamquam perfectionem sibi ante oculos pingere, facillimum sit, at difficillimum factis attingere: attamen ne cum primis quidem Euangelii rudimentis componebatur tanta Religiosorum hominum solicitudo, ut sua Templa, suumque Cœtum, quot possent modis ditarent. Quæ enim Chartæ supersunt, satis indicant, numquam finem factum novis in dies oblationibus procurandis, & lubentissime suscipiendis. Huc minime derivabo, quæ in hanc eamdem rem olim congessi in Tract. *de Charitate Christiana*, potissimum Cap. XVIII. Sed ea tantùm addam, quæ inclytus ille, semperque memorandus Romanorum Imperator, & Francorum Rex Carolus M. in Capitulari Anni DCCCXI. sive Memoriali excogitabat. „ Inquirendum „ est (ita ille ajebat) si ille Sæculum dimis„ sum habeat, qui cotidie possessiones suas „ augere quolibet modo, qualibet arte non „ cessat, suadendo de Cælestis Regni Beatitu„ dine, comminando de æterno supplicio In„ ferni, & sub nomine Dei, aut cujuslibet „ Sancti, tam divitem, quàm pauperem, qui „ simplicioris naturæ sunt, & minus docti, at„ que incauti inveniuntur, si rebus suis exspo„ liant, & legitimos eorum heredes exheredi„ tant; ac per hoc plerosque ad flagitia, & „ scelera propter inopiam, ad quam per hoc „ fuerint devoluti, perpetranda compellunt, „ ut quasi necessario furta & latrocinia exer„ ceant, cui paternarum rerum hereditas, ne „ ad eum perveniret, ab alio prærepta est. Hæc ipsa, quæso, rursus lege, memoriâ simul recolens, heic loqui Principem summe pium, & Christianissimum, summeque prudentem. Qui & hæc alia infra addit: „ Iterum „ inquirendum, quomodo Sæculum reliquis„ set, qui cupiditate ductus propter adipiscen„ das res, quas alium vidit possidentem, ho„ mines ad perjuria, & falsa testimonia pretio „ conducit; & Advocatum, sive Præpositum

A „ non justum ac Deum timentem, sed crude„ lem ac cupidum, ac perjuria parvipenden„ tem inquirit, & ad inquisitionem rerum non „ qualiter, sed quanta, adquirat. *Pergit idem Augustus infra dicere*: „ Quid de his di„ cendum, qui quasi ad amorem Dei, & San„ ctorum, sive Martyrum, sive Confessorum, „ Ossa, & Reliquias Sanctorum Corporum „ de loco ad locum transferunt, ibique novas „ Basilicas construunt; & quoscumque potue„ rint, ut res suas illic tradant, instantissime „ adhortantur? Ille siquidem vult ut videatur „ quasi bene facere, seque propter hoc factum „ bene meritum apud Deum fieri, quibus po„ test persuadere Episcopis. Palam fit, hoc B „ ideo factum, ut ad aliam perveniat potesta„ tem. „ Ita ille de ævo suo. Sed quàm vetustus sit hic morbus e Sancto Hieronymo disces in Epistola ad Rusticum. „ Vidi ego, „ *inquit*, quosdam postquam renuntiavere Sæ„ culo, vestimentis dumtaxat, & vocis pro„ fessione, non rebus, nihil de pristina con„ versatione mutasse. *Tum in epitaphio Nepotiani*: „ Alii nummum addant nummo, & „ marsupium suffocantes, matronarum opes „ venentur obsequiis; sint ditiores Monachi, „ quàm fuerant Sæculares. " Ut etiam habetur in Vitis Antistitum Cenomanensium apud Mabillonium in Analect. Cap. XII. Alano diviti viro eripuerat unicum filium mors importuna. C Propterea ad illius hereditatem *multi servi Dei* inhiabant eum orantes; „ ut ad „ loca Sanctorum, quibus insistebant, suas „ res traderet; & si vellet, ab eis pretium „ acciperet, & utrumque haberet, & elee„ mosynam ex eis, & munera. Hæc suade„ bat ei Abbas de Monasterio Turonensi, in „ quo Sanctus Martinus requiescit; similiter „ & Abbas, qui dicitur Duo-Gemelensis Mo„ nasterii, sive alii Præpositi, & Abbates, „ & Servi Dei multi. *Hæc acta circiter Annum Ch. 626.*

Non ergo excogitandum, in taciturnos semper Monachos sponte effluxisse rorem terrenarum hereditatum. Nihil eos remorabatur, D quin pios homines ad liberalitatem erga suas Ecclesias solicitarent quotidie; atque de ejusmodi consuetudine nihil remissum fuerat, vivente Carolo Magno, ut vidimus. Certe ejusmodi fluxarum rerum aviditatem is minime probabat in iis, qui Sæculo & divitiis se valedixisse profitebantur. Propterea neque in supra memoratis verbis constitit inclyti Imperatoris providentia. Habemus illius Legem CXXII. inter Langobardicas Par. II. Tomi I. Rer. Italic. ubi ait: „ De liberis hominibus, „ qui ad servitium Dei se tradere volunt, ut „ prius hoc non faciant, quam a nobis licen„ tiam postulent. Hoc autem ideo dicimus, „ quia audivimus aliquos ex illis non tam E „ causâ devotionis hoc fecisse, quàm pro „ exercitu, seu pro alia functione Regali fu„ gienda. Quosdam verò cupiditatis causâ „ ab his, qui res illorum concupiscunt. Et „ hoc ideo fieri prohibemus. „ In Additamentis quoque ad easdem Leges Langobardicas pag. 152. a me editis constitutum hoc videas a Ludovico II. Augusto; „ Ut nullus „ Canonica aut Regulari institutione constitu„ tus (*idest nullus Canonicus, nullus Monachus*) „ aliquem consecrari propter res adipiscendas „ deinceps persuadeat. Et qui hoc facere „ tentaverit, Synodali vel Imperiali sententiâ „ modis omnibus feriatur. „ Et nullum qui

dem tempus fuit, quo humana cupiditas, vel in ipsa Sacra, piorumque cellas non penetrarit; eoque ex numero exclusum minime censeo Sæcularem Clerum, quamquam is non pari ac regularis successu in ejusmodi venatione processerit. Sed & nullum fuit Sæculum, quo Sancti viri non floruerint, qui paucis contenti, a rebus alienis sibi, suove Monasterio, conquirendis, atque a domibus ambitiosis abhorrebant. Instar omnium esse posset Sanctus Nilus Monachus natione Græcus, cujus egregia acta refert magnus Annalium Ecclesiasticorum parens ad Annum Ch. 1000. integra autem edita habemus a Clariss. PP. Martene & Durando Tom. VI. Veter. Script. Habitabat ille in humili Monasterio Calabriæ, quo quum venisset Otto Tertius Imperator, „ & vidisset Fratrum tuguria circa Oratorium „ constructa, dixit: Ecce tabernacula Israel „ in deserto. Ecce habitatores Regni Cœlo„ rum. Isti non ut habitatores, sed ut pe„ regrini manent heic. " Obtulit autem ei Imperator *Monasterium & proventus*, eumque hortatus est, ut curam de suis alumnis haberet, ne ipso Nilo sublato e vivis, angustiati paupertate ac loci difficultate dissiparentur. At Sanctus vir omnia recusavit, inquiens: „ Si omnino sunt Monachi fratres mei, & cu„ stodient pro virili Christi mandata: ipse, „ qui usque adhuc mecum curam gessit de il„ lis, multo majorem geret absque me de „ iis, qui sperant in ejus misericordia. *Offe„ rebant ei alii pecunias*, prætexentes Mona„ chorum indigentiam, & pauperum distribu„ tionem. Is autem in stercora ea vitabat, „ *Monachos beatos prædicans*, si labores ma„ nuum suarum manducaverint; " nam nihil habentes, omnia possidentes. Scilicet, ut est in eadem Vita Cap. 77. intelligebat ille, „ rerum abundantiam multis caussam esse in„ temperantiæ. & impietatis. " Hisce adde quid senserint Sancti celebres duo Corbejenses Abbates *Adhelardus* & *Wala*. Illi (ut Auctor est Pascasius Radbertus Lib. I. Cap. 18. de gestis ipsius Walæ) ejusmodi cupiditatem in suis Monachis aversabantur, suadentes, „ ne rebus multum ditescere gauderent, ne„ que divitias Sæculi appeterent, ita ut in „ eis cor apponerent. *Ad hæc* suos præmo„ nebat filios, ne rebus affluerent humanis, „ pro quibus Sæculo deservirent *&c.* " Nihil tamen mirandum, tantum in humanis cordibus potuisse rerum terrenarum concupiscentiam, cui tamen se renuntiare profitebatur, quisquis Monasticæ vitæ se se addicebat. Luculentiora etiam exempla suppeditavit ætas subsequuta. Certe hæc de Monachis Cartusianis Robertus de Monte Continuator Sigeberti scribebat ad Annum 1131. „ Monachi „ Cartusienses paullatim pullulabant, qui præ „ ceteris continentes, pesti Avaritiæ, quam „ plurimos sub Religionis habitu laborare vi„ demus, terminos posuerunt, dum certum „ numerum hominum, animalium, possessio„ num, quem eis prætergredi nullo modo li„ ceat, statuerunt. " Benedictinus Abbas fuit Robertus Montensis, adeoque luculentum in eo testem habemus cupiditatis (*pestem „ Avaritiæ* is appellat) qua *plurimi sub Re„ ligionis habitu* tunc *laborabant*. " At quid tamdem factum de tam severo, & paupertatis amico instituto? Nihil opus est, ut digito innuat vastissimas eorum Basilicas, amplissima Monasteria, latifundia innumera. Hæc

A si vidisset Sanctus Bernardus, qui nascentis instituti paupertatem ac virtutes tantopere Sæculo XII. laudavit, mutato stilo carpsisset, arbitror, in iis, quæ in Cluniacensibus quoque gravissime improbavit. Et subsequenti quidem Sæculo XIII. Humbertus Burgundus, Quinctus Ordinis Prædicatorum Magister Generalis, animadvertit, quos fructus pareret jam abrogatus a Cartusianis pristinus opum contemtus. Sunt ejus verba in Serm. XXIV. ubi de eisdem Cartusiensibus agit: „ Quartum „ est in terminis possessionum. Ut finis po„ neretur cupiditati, ordinatum est apud istos, „ quod omnis domus habeat terminos, ultra „ quos non liceat eis aliquid habere. Sed quia

B „ sunt aliqui, qui paullatim per quasdam di„ spensationes antiquos terminos sunt trans„ gressi, ostendendum est eis, quomodo ex „ hoc crescentibus terminis Ordo decrevit. Animosius etiam, quàm Sanctus Bruno paupertatem plenissimam amplexus est, atque opibus bellum indixit Franciscus Assisinas, miræ sanctitatis vir; nihil enim possidere, fundamentum instituto suo substruxit: quod ante eum (si primos Ægypti Monachos excipias) nemo alius excogitarat. Quid contra egerit Frater Elias Ordinis illius Minister Generalis, ipso etiam sanctissimo institutore vivente, Historia Ecclesiastica satis prodit. Successerunt & alii Religiosi Ordines, apud quos paupertas eadem summa lex facta est; & hos tamen

C quotidie cernimus, neque miramur, aliis nominibus eludere mentem institutorum suorum, ac terrena concupiscere: quasi paupertas intolerandum monstrum sit, a quo sibi cavere quisque pro viribus debeat.

Illud etiam animadvertas velim, interdum piorum Fidelium liberalitatem diversis verbis Monachorum gulæ fomenta præbuisse, quum ea largirentur Monasteriis, *ut opulenta refectio constitueretur* Monachis certo quodam die, *quatenus illi quoque ipso tempore anni in vigiliis, & Missarum celebrationibus libentius recordentur nostri*, ut est in donatione Anni 853. Monasterio Sancti Maximini Treverensis facta

D Tom I. pag. 131. Veter. Scriptor. Martenne & Durand. Frequentes autem sunt in antiquis Chartis hujusmodi *Refectionum* exempla, quum sibi donatores pii parsuaderent, Monachos lubentius Deum pro se exoraturos, si hilaritatis caussam eis conferrent. En ut sensim in corporis voluptates rigida Monachorum disciplina deflectebat. Eo autem devenerat omnium ferme Monachorum terrena cupiditas Sæculo Ch. Undecimo, ut palam quoscumque solicitarent ad effundendas opes in sua Monasteria. Quod ægre ferentes Parochi, aliique Sæculares Clerici Deo militantes, querimoniam detulere ad Leonem IX. Pontificem Romanum, insignis Sanctitatis, ut omnes norunt, virum: Itaque

E ille *ad omnes per Italiam Episcopos* Epistolam dedit, quæ ad Labbeum Tom. IX. Concil. Octava est. En ejus verba. „ Leo Episco„ pus &c. Relatum est auribus nostris, esse „ quosdam perverse agentes, qui subvertere „ atque dividere conantur Ecclesiæ unitatem. „ Videlicet Abbates & Monachi, qui non stu„ dio caritatis, sed zelo rapacitatis invigilant, „ & docent atque seducere non cessant Sæcu„ lares homines, quos illaqueare possunt, ut „ res suas atque possessiones, sive in vita, sive „ in morte, in Monasteriis illorum tradant; „ & Ecclesiis, quibus subjecti esse videntur, „ & a quibus Baptismum, Pœnitentiam, Eu„ chari-

„ chariſtiam , nec non pabulum vitæ cum la- „ cte acceperunt vel accipiunt , nihil de bonis „ ſuis relinquant : Hanc denique formam di- „ ſcordiæ nos animadvertentes , omnibus mo- „ dis inhibere volumus ; & ne amplius fiat , „ omnino prohibemus ; conſiderantes , non „ eſſe bonum , ut illi , qui olim fuerunt ſocii „ paſſionum , ſecundùm Apoſtolum , ſint im- „ munes a ſocietate conſolationum ; & quia „ dignus eſt operarius mercede ſua . Ideoque „ præcipimus atque jubemus , ut quicumque „ amodo in Monaſterio ſe converti voluerit , „ ſive in vita , ſive in morte , omnium rerum

A

„ & poſſeſſionum , quas pro ſalute animæ ſuæ „ diſponi decreverit , medietatem Eccleſiæ , „ cui ipſe pertinere dignoſcitur , relinquat ; „ & ſic demum in Monaſterio , prout libitum „ ſibi fuerit , eundi convertendique habeat li- „ centiam . Quicumque autem hujus Decreti „ contradictor extiterit ac temerator , anathe- „ matis gladio ſubjaceat . “ Quæ verò turbæ & controverſiæ Sæculo Ch. XIII. & ſubſequentibus invaluerint inter Parochos , & Fratres Mendicantes , ejuſmodi de cauſſis , libens , prætereo . Atque utinam nos meliore Sæculo nati , Chariſmata etiam meliora æmulemur.

DE REDEMTIONE PECCATORUM,

UNDE OLIM LOCIS DEO DICATIS
MULTA OBLATA FUERE:

ET DE

INDULGENTIARUM
ORIGINE.

DISSERTATIO
SEXAGESIMAOCTAVA.

DISSERTATIO SEXAGESIMAOCTAVA.

Quamquam in praecedenti Dissertatione multa differuerim de caussis, quae olim Ecclesiasticum patrimonium incredibili oblationum copiâ auxere, nondum tamen digitum intendi in unam, quam omnium principem appellare non injuriâ possis. Eam igitur nunc memorabo, quâ cognitâ facile mirari desinent Lectores, cur non solùm tot fundi olim ad Ecclesiae manus devenerint, sed etiam Curtes, Castella, ac Urbes. Illud exploratum est, vel primis Ecclesiae Saeculis, Christianis in crimina & peccata lapsis, si Deo reconciliari, atque a reatu absolvi cupiebant, opus fuisse poenitentiam subire, & salutaribus poenis, certisque castigationibus corporis, aliisve operibus Pietatis, reatum suorum facinorum expiare, atque ita misericordiam ac indulgentiam a Deo impetrare. Publicis enormibus criminibus publica Poenitentia injungebatur. Occulta tantùm occultis, quamquam non desint, qui scribant, fuisse Saecula, quibus publica etiam poena gravioribus delictis, licèt occultis, indicebatur. Compertissimum praeterea est, Sacrificium incruentum, Vigilias, Jejunia, reliquas corporis macerationes, Eleemosynas, Orationem, Fundos sacris Locis donatos, aliaque austeritatis, Religionis, aut Caritatis opera, & Jejunia ipsa interdum ad multum temporis producta, ad Poenitentiam adhibita fuisse. Verùm sensim deferbuit antiquae disciplinae rigor in hominum poenitentium castigatione, tum e vitiorum colluvie barbaricis Saeculis in dies augescente, tum ex humanarum rerum consuetudine, quae facilius in pejus ruunt, quàm ad melius attolluntur, neque diu in recto statu consistunt. Ergo labantem disciplinam restaurare in animum induxit Saeculo Christi Septimo Theodorus Monachus Graecus, qui Romam profectus sub Vitaliano Papa, ita suis virtutibus Pontificis gratiam sibi conciliavit, ut Anno DCLXXVIII. per eum evectus fuerit ad Cantuariensem in Anglia Archiepiscopatum: quod munus sanctissime impletum, Anno demum DCXC. una cum vitâ deposuit. Is autem fuit, qui celeberrimum *Poenitentialem* Librum composuit, sensim postea in omnes fere Occidentales Ecclesias diffusum, ibi edisserens, quota & qualis Poenitentia singulis peccatis indicenda in posterum foret. Fallitur enim Ptolomaeus Lucensis in Histor. Ecclesiastic. Lib. 12. Cap. 12. quum de Theodoro I. Papa scribit: *Hic Librum Poenitentialem composuit, qui communiter in Ecclesiis Curatis reperitur*: quod & longe vetustior Johannes Monachus Vulturnensis in Praefatione ad Chronicon Vulturnense Part. II. Tomi I. Rer. Italicarum memoriae prodidit, nominum similitudine deceptus. A veritate forsan non abludam, si dixero, aliquid novitii, laude tamen digni, eâ occasione in Occidentem invectum fuisse. Qui mores antea in Oriente obtinerent, quoties eluenda erant peccata, e Poenitentiali *Johannis Jejunatoris* Patriarchae Constantinopolitani, edito per Morinum in Appendice ad Libros de Poenitentia, ediscere

A possumus. Vivere ille desiit Anno Christi DXCV. aut sequenti. Ad Occidentem verò quod attinet, nondum quisquam criminibus ferme singulis suam decreverat poenitentiam, si Idololatriam, Homicidium, Moechiam, & Furtum etiam excipias. Nam quae Sanctus Columbanus de Poenitentiis praescripserat, intra Monachorum claustra claudebantur. Attamen tam opportuna & comoda visa statim fuit Sacerdotibus Theodori Cantuariensis lucubratio, quum in eâ quisque ad manus haberet poenas, cuicumque peccato assignandas, ut locus stupori amplius superesse non possit, quare ejus *Canones Poenitentiales* tamdem unaquaeque ferme Occidentalis Ecclesia exceperit,
B iisque postea per plura Saecula fuerit usa. Praeterea Populus antiquae in Poenitentia severitatis vestigia adhuc multa conservans, medicinalibus hujusmodi poenis non difficile sese supposuit. Hosce autem Canones, quantum potuit, consarcinavit Jacobus Petius, ac Lutetiae Parisiorum Anno MDCLXXIX. evulgavit. Peccatis nonnullis ibi praescribitur *Jejunium* aliquot dierum, aut etiam unius Anni, duorum, aut plurium; aliis *Psalmorum* recitatio, *Eleemosyna*, aut aliae poenitentiarum species. Hujusmodi ratione per aliquot subinde Saecula impositis satisfactoriis hisce poenis reconciliari Deo per sacram peccatorum Confessionem consueverunt Christi fideles. Nonnulla tamen in Petiti Col-
C lectione deprehendas, quae inter se pugnant: alia verò, quae interpolata a posteris fuisse facile dignoscuntur. Immo & inter ipsos Canones, Theodoro sine dubitatione tribuendos, nonnulli occurrunt, a quibus antiqua Occidentalium Ecclesiarum disciplina abhorruit, quosque non immeritò posteriorum Saeculorum prudentia major ac scientia improbavit. Qualia sunt, ob Adulterium mulieris dissolvi Matrimonium, at non invicem ob viri Adulterium. Mulieri ob Adulterium dimissae licere post duos poenitentiae annos alteri nubere. Viro fas esse aliam uxorem ducere, si prior in Monasterium ingressa redire noluerit, sive in captivitatem ducta post duos annos redimi non possit. Sunt
D & alia ejusmodi de Matrimonio solvendo, atque ad alias Nuptias convolando, quae aut culpanda sunt, aut certe nunc abrogata novimus. Conjugibus quoque continentia praecipitur *tribus Quadragesimis*, scilicet ante Pascha, Natale Domini, & Festum Apostolorum, & *die Dominicâ*, & *quartâ* & *sextâ Feriâ*: & ex qua die mulier motum infantis senserit, & menstruorum tempore &c. Haec e disciplina Graecorum. Secus facientibus certi dies Jejunii in pane & aqua indicebantur Poenitentiae loco. Sunt & alii Canones, interdicentes vesci Sanguine & Suffocato; seu statuentes immunditiam ciborum aut liquorum e contactu animalium; sive mulieris post partum, aut menstruatae,
E quae Poenitentiam subire cogebatur, si eo tempore Ecclesiam fuisset ingressa, sive animalium, quae sanguinem humanum attigissent. Quo Graeci hominis severitas declinaverit, ex paucis hisce intelligis. Plura supersunt, quibus refellendis tempero, ad alia intentus. Hoc unum inte-

interea tenemus, in immenſum nemus tunc excreviſſe Peccatorum, etiam leviorum, & quæ nunc nos ne inter Peccata quidem referimus, Pœnitentias ac Pœnas.

Porro quum hæc audis, continuo ſubit percontari, quei rudibus iis Sæculis, non dicam, tamdiu toleraretur, ſed vel tantillum toleraretur atque exerceretur, ejuſmodi pœnitentiæ rigor, noſtris temporibus plane inſuetus, ac plane intolerandus, ſi in uſum reſtituendus foret. Tantus interdum noſtris diebus peccatorum numerus, eorumque gravium, ad Sacramentalem Confeſſionem a nonnullis adfertur, ut pœnitentia iis imponenda, ſecundùm Canones pœnitentiales, ſi adhuc vigerent, initâ & ſubductâ ratione, non ſolùm integram eorum vitam occuparet, ſed quàm longe etiam excederet. Quis Jejunium, & quidem nonnumquam pane & aquâ exigendum, aliaſque corporis caſtigationes, Orationeſve, Pœnitentiæ titulo impoſitas ad multos annos, nedum ad reliquum vitæ, tam facile protenderet? Præterea quomodo tam ſeveram Pœnitentiæ diſciplinam Chriſtiani ſubire potuiſſent, plus etiam mireris, quoties animo recogites, corruptos magis quàm noſtris temporibus fuiſſe hominum illorum mores, & plura vitia ac facinora non in Laicis tantùm, ſed & in Clero, tunc deprehenſa fuiſſe, & longe minorem quàm nunc Pietatem barbaris in Populis locum habuiſſe. Intolerabilior etiam hujuſmodi diſciplina fuiſſe videatur; quænam enim ratio Chriſtiano peccatori ſatisfaciendi pro ſuis reatibus erat, quando prolixa indicebatur Pœnitentia, quam interrumpere mors cito poterat, aut quam ne diu quidem vivens & pœnitens impleſſet? Ad hæc Synodus Cabilonenſis II. Anno Chriſti DCCCXIII. coacta, Cap. 25. hæc tradidit: *Pœnitentiam agere juxta antiquam Canonum conſtitutionem in pleriſque locis ab uſu receſſit, & neque reconciliandi antiqui moris ordo ſervatur. Quare implorandum cenſuere Patres Imperatoris adjutorium, qualiter ſi quis publice peccat, publicâ multetur pœnitentiâ* &c. Porro ſi jam tum Pœnitentia de publicis peccatis pæne obſoleverat, quid factum opinari licebit de peccatis occultis? Ego paucis difficultatem ſolvam. Difficillima hæc plane fuiſſent, niſi adinventus fuiſſet modus, ipſamet peccata, ſeu peccatorum pœnas redimendi. Certa res eſt, poſt Theodori Cantuarienſis mortem paullatim propagatos per Chriſtianorum Regna, & fere ubique uſurpatos fuiſſe Canones illos Pœnitentiales, ita ut Sæculo Chriſti Nono, Reginone teſte de Eccleſiaſtic. Diſciplin. Lib. I. pag. 30. interrogandi forent Presbyteri ad audiendas peccatorum Confeſſiones delecti: *Si habent Pœnitentiale Romanum, vel a Theodoro Epiſcopo, aut a venerabili Beda Presbytero editum; ut ſecundùm quod ibi ſcriptum eſt, interrogent Confitentem, aut Confeſſo modum Pœnitentiæ imponant.* Vides, heic non unum Pœnitentialem Librum laudari. Et revera Theodorum imitati alii Libros Pœnitentiales ſubinde concinnarunt, auctis aut imminutis peccatorum pœnis; immo hos ita deturparunt, ut Synodus Cabilonenſis, paullo antea memorata, repudiandos ac penitus eliminandos cenſuerit *Libellos, quos Pœnitentiales vocant, quorum ſunt certi errores, incerti Auctores, qui pro peccatis gravibus leves quoſdam & inuſitatos imponunt Pœnitentiæ modos* &c. Ex hiſce verò intelligimus, excipiendum fuiſſe, præter Romanum, celebrem Pœnitentialem Theodori, cujus erat Auctor certus, & a quo gravibus criminibus graves pœnitentiæ modi indicebantur. Certum eſt, inquam, Pœnitentiales hoſce Canones in uſum fuiſſe deductos. Sed ſimul animadvertendum, ipſum quoque Theodorum (quod ajo, etiamſi non omnia Theodori ſint, quæcumque ſub ejus nomine circumferuntur) aut certe alios, humanarum virium, ac morum æſtimatores, remedia excogitaſſe iis, *qui jejunare non poſſunt, & adimplere quod in Pœnitentiali ſcriptum eſt.* Si cui ergo injunctum erat dei unius in pane & aqua Jejunium, pro hac Pœnitentiâ decantare poterat *quinquaginta Pſalmos in Eccleſia flexis genibus.* Si verò illi gravis foret genuum flexio, *unum pauperem* eo die paſcere poterat, iiſdem tamen Pſalmis in loco convenienti recitatis. *Qui verò Pſalmos non novit, unum diem, quem in pane & aqua pœnitere debet, dives Denariis tribus, pauper uno Denario redimat.* Erat & Redemptio unius hebdomadæ: erat & unius anni; atque in hac poſtrema erogandi erant *pauperibus viginti duo Solidi*, ſive *viginti ſex*, ut alii habent, additis quorumdam dierum, & trium Quadrageſimarum Jejuniis: quibus recurrentibus, *quidquid ori ſuo præparatur in cibo vel in potu, illud æſtimet, quanti pretii ſit vel eſſe poſſit; & medietatem illius pretii diſtribuat in eleemoſynam pauperibus* &c. Reliquos redimendi peccata modos prætermitto. Satis in præſentia ſit, animadvertiſſe, vix poſt Pœnitentiales Canones evulgatos, inſtitutas quoque fuiſſe *peccatorum* ſive *pœnitentiarum Redemtiones*, quæ primo aſpectu improbandæ minime videbantur, quum in levamen & ſubſidium præſertim pauperum cederent, & exploratiſſimum ſit ex divinis Scripturis, peccata eleemoſynis rite redimi poſſe. Et ſane dum pauperes paſcebantur, humanæ cupiditati Sacerdotum objici nihil poterat, quum ex hiſce Redemtionibus nullum lucrum ii ſibi captarent. Concilium quoque Triburienſe, Anno DCCCXCV. celebratum, Canone 56. varias pœnas homicidis voluntariis præſcribit, ſed ita, ut neceſſitate interveniente, *licitum ſit eis tertiam Feriam & quintam, atque Sabbatum redimere uno denario, vel pretio denarii, ſive tres pauperes pro nomine Domini paſcendo.* Johannes Morinus vir doctiſſimus Lib. X. Cap. 17. de Diſciplin. Pœnitentiæ, arbitratur, haſce *Redemtiones* cœptas eſſe invehi dumtaxat poſt Annum Chriſti Octingenteſimum, neque tribuendas eſſe Theodoro Cantuarienſi, quæ tamquam excerptæ ex ejus Libro adferuntur a Burchardo, Ivone & aliis, ſed a poſterioribus eidem fuiſſe affictas.

Duo interim ego heic nobis animadvertenda cenſeo. Primum eſt, numquam in Eccleſia Dei defuiſſe *Redemtiones peccatorum*, ſive ſubſtitutiones piorum operum pro caſtigationibus corporis, quas rei criminum ſubire e præſcripto ſalutaris pœnitentiæ debebant. Inter opera iſta ſatisfactoria, vel a primis Eccleſiæ Sæculis, immo Religionis veræ incunabulis, notum eſt, numeratum fuiſſe *Sacrificium*, quod cruentum in veteri Lege, incruentum in novâ inſtitutum fuit. Proinde in pæne ab Apoſtolis accepto Canone Miſsæ, verba illa occurrunt: *Qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis pro ſe, ſuiſque omnibus, pro Redemtione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ* &c. Quæ verba, etſi ignotum ſit, quo tempore invecta in ipſum Canonem fuerint, certum tamen

tamen est, antiquissima esse. De *Eleemosyna* & *Oratione* idem constat; & celeberrima inprimis sunt Danielis verba Cap. 4. vers. 24. *Peccata tua Eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum*. Excitare etiam Templa Deo, aut jam excitatis dona offerre, uti & Servis Dei ac Religiosis Congregationibus commoda ac fundos ad eorum alimentum largiri, Xenodochia & Nosocomia construere pro hospitibus atque ægris egenis, hæc perpetuo habita sunt in Ecclesia Dei opera satisfactoria, hoc est, quibus Deo satisfieret pro peccatorum nostrorum reatibus. Proinde in Christianorum Republica antiquitus invaluerunt formulæ illæ dicendi *Pro remissione peccatorum*: *Pro mercede*: *Ad mercedis augmentum*: *Pro remedio*, seu *redemtione animæ meæ*, atque horum similia. *Redemtiones* quoque & *remedia peccatorum* Sæculo Christi Quincto commemorabat Salvianus Lib. I. Advers. Avaritiam. Porro quantæ sit antiquitatis formula illa *pro remedio animæ meæ*, nihil meliùs indicare posset, quam Papyrus Ravennas a Cl. V. Scipione Maffejo edita pag. 143. Diplomaticæ suæ, si certam illius ætatem tenemus. Ibi eadem phrasis, pro barbarici Sæculi more exarata, *pro remedium animæ meæ* occurrit. Et quandoquidem ibi donatrix jurat *per salutem Domnorum nostrorum invictissimorum Principum Augustorum*, *Romanum guvernantium Imperium*, opinatur vir doctissimus referendam potius Chartam ad tempora præcedentia Annum Christi CCCCLXXVI. quàm ad posteriora, quippe tunc simul imperarunt Arcadius & Honorius, Honorius & Theodosius &c. Et profectò non desunt, quæ nobis illius opinionem persuadere videantur. Quippe Mabillonius Tomo I. Annal. Benedictinor. Diploma profert Dagoberti I. Francorum Regis, scriptum Anno Christi DCXXXIV. ubi legitur *pro remedio anime nostre*. De fide tamen Mabillonianæ hujus Chartæ disputatum novi. Si verum quoque foret, floruisse eodem Sæculo Septimo circiter Annum Christi DCL. Marculfum auctorem *Formularum* veterum, a Bignonio & Baluzio editarum, is Lib. 2. Formul. 4. habet *pro remedium animæ nostræ*, & *remissionem peccatorum nostrorum*: ex quo intelligere possemus illius formulæ vetustatem. Verùm adhuc est dubia Marculfi ætas. Ad formulam quod attinet *Principum Augustorum Romanum guvernantium Imperium*, ista certe feram præfert antiquitatem, quum in celebri Charta *plenariæ securitatis* scripta An. DLXV. & evulgata a Brissonio & Mabillonio, juretur per salutem *invictissimi Principis Romanum gubernanti Imperium*. Subscribit etiam in Philyra a Maffejo evulgata *Adquisitus Optio numeri Mediolanensium*: quæ formula ad tempora Græcorum Ravennæ dominantium spectare videtur. Verùm fortassis nihil obstant hactenus dicta, quin Philyra illa longe post Annum Christi CCCCLXXVI. credi possit conscripta, immo dubitatio non tollitur, quin possit etiam pertinere vel ad ipsum Sæculum a Christo nato Nonum. Tunc simul imperarunt Ludovicus Pius, & Lotharius, deinde Lotharius, & Ludovicus II. Notum verò est, Carolum Magnum Imperatorem creatum, suis eodem Sæculo addidisse titulis *Romanum gubernans Imperium*. Ipsius quoque Ludovici Pii ac Lotharii temporibus Agnellus Ravennas vivens mentionem faciebat *Numeri Mediolanensium* in Vita Felicis Archiepiscopi, Part. I. Tomi II. Rerum Italicar. Formula quoque jurandi *per salutem Imperatoris*, Ravennæ, & alibi perdurabat etiam Sæculo Nono, uti constat ex Dissertatione V. *de Ducibus*, & ex aliis monumentis. Ita & *per salutem Papæ* juratum sæpe vidi. *Vicedominus* verò memoratur in ista Charta, cujus officii nomen etsi Sæculum Sextum non ignoravit, frequentiùs tamen auditum est Sæculis subsequutis. Ita & formula *pro remedio animæ*, familiaris quidem esse cœpit post Sæculum Christi Septimum: dubium verò est, an antea adhibita fuerit in donationibus piis. Tenebras autem hinc depellere posset altera Philyra Ravennas, ex Archivo Bononiensi depromta, & a Mabillonio in Supplement. ad Libr. de Re Diplomaticâ, producta, inter quam, & a Maffejo editam, multum similitudinis intercedit, & in qua pariter formulam habemus *pro ablutionem & remedium animæ meæ*. Verùm & illius ætas ignota est, subtractis nempe notis Chronologicis; nisi quod subscribit *Anastasius V. H.* (idest *vir Honorabilis*) *Excabin.* qui si fortè *Scrivius* fuit, uti videtur veri simile, satis proderet, Chartam spectare ad Sæculum Nonum.

Alterum nunc nobis animadvertendum est, videlicet uti a Theodoro Cantuariensi multa invecta fuere in disciplinam Pœnitentiæ, antea ignota Occidentalibus Ecclesiis, ac præ ceteris minuta illa peccatorum enumeratio, singulisque præscriptus Pœnitentiæ modus ac tempus; ita novus aliqua ex parte apertus est usus *redimendi peccata*. Taxatio enim facta est sensim *Redemtionum*, & pro tot Jejunii diebus indictæ sunt oblationes Eleemosynarum, seu Psalmi ab aliis cantandi, seu Missæ celebrandæ, earum numero definito post rationes exacte initas ad normam Pœnitentialis. Quod si Morinus censuit, post Annum Quingentesimum ejusmodi *Redemtionem* in Ecclesiam Dei penetrasse, contra justus superest suspicandi, ne dicam pro certo affirmandi locus, Theodorum ipsum Cantuariensem agnovisse, ac probasse facultatem aliquam redimendi peccata. Ejusdem mentio est inter ipsius Canones, a Jacobo Petito editos. Sed & Beda Theodoro ipsi primis suis annis synchronus, in Libro *de Remediis Peccatorum* eamdem rationem redimendi peccata commemorat. At enim hæc a recentioribus assuta fuerint Libris Theodori, & Bedæ. Quin accidisse hoc potuerit, præfracte sane ego inficias non ierim. Attamen quum Theodorus vir Orientalis originis in disciplina Pœnitentiæ, ritibus Græcorum præcipue adhæserit, atque ipse *Johannes Jejunator*, quem sequutus est Theodorus, Pœnitentibus sese indulgentem præstiterit: veri etiam videtur simile, ne Theodorum quidem tanta austeritate usum, ut pœnis corpori indicendis nullam commutationem sive Redemtionem reliquerit. Quod certum est, vix e vivis Theodorus sublatus est Anno Christi DCXC. quum insolitæ quædam, atque inauditæ antea, peccatorum Redemtiones a Sacerdotibus excogitatæ, adhibitæque re ipsa fuere. Cujus rei testem habeo Canonem XXVI. Concilii Cloveshoviensis Secundi Anno DCCXLVII. in Germania habiti a Sancto Bonifacio Moguntino Archiepiscopo. Ibi hæc leguntur: *Sicuti* NOVA ADINVENTIO, *juxta placitum scilicet propriæ voluntatis suæ, nunc* PLURIMIS *periculosa* CONSUETUDO EST, *non sit Eleemosyna porrecta ad minuendam, vel ad mutandam satisfactionem per Jejunium, & reliqua*

liqua expiationis opera, a Sacerdote Dei pro suis criminibus jure Canonico indictam. Tum Synodus hortatur, ut Eleemosynæ quidem a pœnitentibus præbeantur, sed ita ut caro etiam peccatorum ministra suas det pœnas, castigata Jejunio. Vidisti, *Novam adinventionem* appellari Eleemosynarum oblationes, ut immunitas a Jejunio succederet. Canone XXVII. subsequenti indicant Patres, adinventum quoque fuisse, redimere peccata per Psalmos ab aliis recitatos, aut per Orationes ad Deum adhibitas per alios. *Per Orationes, & intercessiones Deo digne appellantium, atque orantium* &c. *Pro ipsis alios, Psalmos cantare putant vel jejunare* &c. Addunt, divitem quemdam magni cujusdam facinoris reum, affirmasse in suis literis, *idem nefas* JUXTA MULTORUM PROMISSA *in tantum esse expiatum, ut, si deinceps vivere possit trecentorum annorum, pro eo plene Jejunium satisfactionum modis, per aliorum scilicet Psalmodiam, & Jejunium, & Eleemosynas persolutum esse*. Heic aliquod tenebrarum in verborum contextu: at apertissimum est, divitem illum sibi persuasisse, immo ab aliis ei persuasum fuisse, jam reatum suum satis superque sublatum, quod curasset, ut Deo satisfieret per alios Psallentes & Jejunantes pro seipso. Quare jam habemus, non diu stetisse severitatem medicinalium Pœnitentiarum, a Theodoro Archiepiscopo indictarum, ac privata statim auctoritate invectas fuisse *Redemtiones peccatorum*, longe ante Annum Octingentesimum Æræ vulgaris. Et fortasse Theodorus ad pœnarum commutationem commendarat dumtaxat Eleemosynam effusam in *Pauperes*, quibus videlicet Christiana lex adeo impense hortatur ac imperat, ut subsidium adferatur. At posteri alios subinde excogitarunt Eleemosynarum usus, ac Redemtionum modos, quos propterea Synodus uti nuper adinventos improbat.

Et profecto, ut ad illud denique deveniam, in quo situs est præcipuus hujus argumenti cardo, *Redemtiones* ejusmodi in sacrorum locorum, sive Clericorum, atque Monachorum commodum, humana industria paullatim convertere cœpit. Nullus dubitandi locus est (repetere enim juvat) quin piorum quoque largitio in sacra Templa, sacratosque Dei servos, Deo summopere accepta sit; ipsumque construere novas Deo Ædes, aut nova utriusque sexus Cœnobia, atque alere sacros Ecclesiæ Ministros, inter opera veræ Pietatis, Religionis, atque interdum Caritatis, sit referendum. Quare sensim Deo dicati viri, hanc veritatem præ oculis perpetuo habentes, non raptim, sed progressu temporis eò devenere, ut totam ferme Pœnitentiarum Redemtionem redigerent ad multas pecuniarias, quas plerumque sibi e manibus non sinebant elabi. Si vis lege de integro Canones nuper laudatos Concilii Cloveshoviensis. Nullo negotio assequêris, Sacerdotes fuisse illos, qui Psalmos recitandos, qui jejunandum susceperant pro facinoroso Divite illo, eique plenam delictorum Expiationem polliciti fuerant. Traditas iis quoque Eleemosynas opinari fas est. Testes alios novæ hujusce consuetudinis si flagitas, ego tibi exeram complures, ac præcipue antiquos Pœnitentiales Libellos, quibus utebantur Presbyteri ad solvenda Pœnitentium delicta in Sacramentali Confessione. Ex his Morinus supra laudatus nonnullos edidit in Appendice ad Tractatum de Pœnitentia; alios evulgavit Clariss. Monachus ex Congregatione Sancti Mauri Edmundus Martene Tomo 2. de antiquis Eccles. Ritibus. Quibus adde Librum de Remedio Peccatorum Bedæ, ac Reginonem Lib. 2. de Ecclesiast. Disciplinis, & Capitulare Theodulfi Episcopi Aurelianensis apud Baluzium Tom. 7. Miscellaneor. pag. 21. Sed quandoquidem eruditi illi viri Codices nobis tantummodo laudant in Galliis adservatos, non abs re futurum puto, si & ego duos Pænitentiales ex Italicis Bibliothecis promam, ut per eos aliqua ad Eruditionem Ecclesiasticam accessio fiat, & per nostros quoque Codices communis eorum temporum ritus luculentius confirmetur. Primum debeo erudito, meique etiam amantissimo viro Bartholomæo Campagnolæ, Archipresbytero Ecclesiæ Sanctæ Cæciliæ in Urbe Veronensi, qui illum ex Codice MSto antiquissimo Capituli Canonicorum Veronensium descriptum ad me misit.

IN NOMINE DEI SUMMI.

Incipit Prologus Canonis Pœnitentialis.

,, Quotiescumque Christiani, qui ad pœnitentiam accedunt, Jejunia damus, & nos debemus participare cum eis una aut duas septimanas, aut quantum possimus Jejunare; ut non dicatur nobis, quod Sacerdotibus Judeorum dictum est a Domino: *Ve vobis Legis doctoribus, qui adgravatis homines, & imponitis super humeros eorum honera gravia & importabilia! ipsi autem digito vestro non tangitis sarcinas ipsas.* Nemo enim sublevare potest cadentem sub pondus, nisi inclinaverit, ut porrigat ei manum; neque ullus Medicorum vulnera infirmancium potest curare, nisi fetoribus particeps fuerit. Ita quoque nullus Sacerdotum vel Pontificum peccatorum vulnera curare potest, aut ab animis peccata auferre, nisi per instantem sollicitudinem & oraciones & lacrimas. Necesse est nobis ergo, fratres karissimi, sollicitos esse pro peccantes, quia sumus alterius membra .... compaciuntur omnia membra. Ideoque & nos si viderimus aliquem in peccatis jacentem, festinemus eum ad pœnitentiam pro nostra doctrina revocare. Et quociescumque dederitis consilium peccati, simul da illi & pœnitentiam. Et iterum dic ei, *quantum debeat Jejunare & Redimere peccata sua*, ne fortè obliviscatur, quantùm eum oporteat pro peccatis suis Jejunare. Necesse est tibi, & iterum inquiras ab eo, ne fortè erubescat, & timeat ad te amplius judicare. Non omnes Clerici debent hanc scripturam usurpare aut legere, nisi Episcopi, Presbyteri, cujus claves Regni Cœlorum traditæ sunt. Si autem necessitas evenerit & Presbyter non fuerit præsens, Diaconus suscipiat Pœnitentem. Et sicut superius diximus, humiliare se debet Episcopus sive Presbyter, ut cum tristicia & gemitum lacrimasque orare non solùm pro suo delicto, sed & pro omnium Christianorum: ut possit cum beato Paulo dicere: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?* Cum ergo venerit quis confiteri peccata sua, dic ei, ut expectet modicum in Ecclesia solus, aut in corde suo dicat, *Pater noster, qui es in Cælis.* Et dicis Orationem hanc: *Domine Deus, propicius esto mihi peccatori, ut cundigne possim tibi gracias agere, qui me indignum propter tuam misericordiam ad officium Sacerdotale dignatus es provocare, & me exiguum & humilem mediatorem constituisti adorare & intercedere ad Dominum nostrum Jesum Christum pro peccantibus. Ideoque, Domine dominator, qui omnes homines vis salvos fieri, & ad agbagnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, set ut convertantur & vivant: suscipe orationem meam, quam fundo ante conspectu clemenciæ tuæ pro peccatis meis, & pro eorum, qui ad pœnitentiam convenerunt.*

,, Pervidens autem ille, qui ad pœnitentiam venit, Sacerdotem tristem & lacrimantem per sua facinora, magis ipse timorem Domini percussus, amplius tristatur & timet. Interrogas eum, qui postulat. Ille autem respondebit tibi: *Deo & tibi Sacerdoti confessionem meam facere volo.* Tunc interrogas eum his verbis: *Credis in Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum?* Respondebit: *Credo. Credis quod istæ tres Personæ, quas modò diximus, Pater & Filius & Spiritus Sanctus tres Personæ sint, & unus Deus?* Respondebit: *Credo. Credis quod in ista ...... carne, in qua manes, in ipsa abes resurgere in die Judicii, & recipere sive bonum sive malum, quod gessisti?* Respondebit: *Credo. Vis dimittere peccata quæcumque in te peccaverunt? Domino dicente: Si non remiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra.* Et require diligenter, si est incestuosus. Set si non vult ipsa incesta dimittere, non potes ei dare pœnitentiam. Nam si vult ipsa incesta dimittere, tunc fac, eum confitere omnia peccata sua, & ad ultimum dicere: *Multa sunt pecata mea in factis, in verbis, in cogitationibus.* Tunc da illi pœnitentiam. Postea si videris eum ex toto corde conversum, suscipe eum per manum dexteram; inpromittat emendationem viciorum suorum. Et duc eum ante Altare: confiteatur peccata sua. Eum verò, qui potest festinanter Jejunare, quod ei impositum est, noli prohibere. Magis enim laudandi sunt hii, qui celeriter debitum persolvere festinant. Et sit mandatum ei, ut de cetero non peccet. Qua si Jejunaverit, quod ei dictum est, purificabitur. Quod si iterum pristinas consuetudines vel peccata reversus fuerit, sic est quomodo canis, qui revertitur ad vomitum suum; & tamen recurrat: nunquam desperet. Omnis itaque pœnitens non solùm hoc debet Jejunare, quod illi mandatum est, set & postquam jussa compleverit, debet ex se ipso, quantùm ei aptum fuerit, Jejunare. Si enim jussa compleverit, peccata ei remittuntur: Si verò postea ex sua voluntate Jejunaverit, coronam sibi adquirit, & Regnum cœlorum. Et postquam Jejunaverit, & comederit, caveat crapulâ & ebrietate, quia omnis luxuria de ebrietate nascitur. Ideo beatus Apostolus prohibet, dicens: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.*

,, Postquam confessus fuerit, jactent se pariter ante Altare. In primis dicis Psalmum XXXVI. *Domine, ne in ira tua.* Et dic eum totum, & tercia vice *Chyrieleyson*, & Oracionem Dominicam. Et dicis istam Oracionem: *Precor te Domine, clemenciam & misericordiam majestatis tuæ, & famuli tui* (illius) *facinora confitenti, veniam relaxare digneris, & præteritorum criminum culpas donare digneris, qui humeris tuis ovem perditam reduxisti ad caulas: qui publicani precibus & confessione placatus es. Tu etiam famulo tuo* (illi) *placare, Domine: tu hujus*

„ *jus preces benignus suscipe, Christe. Remitte ei omnia crimina & peccata, & da ei pro suppliciis veniam, pro mœrore lætitiam, pro morte vitam, uti qui ad tantam spem cælestem sapientiam volutus est, de tua misericordia confidens, ad æterna te protegente perveniat. Per Dominum.* Postea dicis istos versiculos cum *Gloria*: *Benedic anima mea Domino, & omnia interiora mea nomen sanctum ejus*, cum *Gloria*: *Benedic anima mea Domino; & noli oblivisci omnes retributiones ejus: Qui propiciabitur omnibus peccatis tuis; qui sanat omnes languores tuos: Qui redimet de interitu vitam tuam; Qui saciat in bonis desiderium tuum: Qui coronat te in misericordia; & renovabitur, sicut aquilæ, juventus tua.* Et dicis Orationem hanc: *Domine Deus noster, qui non offensionem nostram, set satisfaccionem placaris: respice, quæsumus super famulum tuum* (illum) *qui se tibi peccasse graviter. Tuum est absolucionem criminum dare, & veniam relaxare peccantibus; qui dixisti, pœnitentiam te malle quàm mortem. Concede ergo, Domine, huic famulo tuo* (illi) *ut tibi pœnitentiæ excubias celebret, ut cum rectis actibus suis offeris sibi ad diem futuri Judicii sempiterna gratuletur. Per Dominum.* Postea dicis: *Miserere mei, Deus*, usque ubi dicitur: *omnes iniquitates meas dele.* Et hanc Orationem dicis: *Deus, justorum gloria, & misericordia peccatorum, da huic famulo tuo* (illi) *plenæ indulgenciæ locum: exoratus indulge; qui præterita peccata deplorat, futura mala non senciat. Dimitte ei, Domine, omnia crimina, & in semitis justiciæ eum placatus instaura, ut securus maneat deinceps inter tuos bene meritos currere, & ad pacis æternæ præmia pervenire mereatur. Per Dominum.* Hic signas eum cum Chrysma, aut Oleo Sancto, & dicis Orationem hanc: *Benedicat tibi Dominus, & custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem, qui regnat in sæcula sæculorum. Amen.* Item alia: *Benedicat te Omnipotens, & perabundancia Spiritus Sancti corroboret; mentem tuam sanctificet; castimoniâ tuâ decoret, adque sensos tuos in bonis operibus informet, qui te enutriet, & ab omnibus diabolicis & humanis insidiis suâ te semper protectione & virtute defendat, ut quæcumque ab eo postulaveris, clementer concedat, auferat omnia mala, quæ gesisti, & tribuat graciam, quam semper rogasti. Qui tecum vivit.* Item Oratio super Pœnitentem: *Exaudi, Domine, preces nostras, & confitencium tibi parce peccatis, ut quos reatus accusat, indulgentia tuæ miseracionis absolvat.* Item alia Oratio: *Da nobis, Deus, ut sicut publicani precibus & confessione placatus es, ita & huic famulo tuo* (illi) *placeris, & precibus ejus aspira; ut in confessione flebili permanens, & peticione perpetuùm clemenciam tuam celeriter exoret, sanctisque Altaribus & Sacramentis restituatur, rursus divino famulatui mancipetur. Per Dominum.*

„ Cum ergo venerit aliquis ad Sacerdotem confiteri peccata sua, priùs in secreto cordis sui hæc aput se debet orare: *Domine Deus omnipotens, propicius esto mihi peccatori, ut me pro peccantibus, & peccata sua confitentibus, dignum inter te & ipsos mediatorem constituas: quique peccatorum mortem non vis sed ut convertantur & vivant, suscipe oracionem servi tui, quam pro famulis, famulabusque tuis ante conspectum gloriæ tuæ pœnitere cupientibus effundo, ut pariter eos, & a peccatis exuas in futurum, & ab omni crimine inlæsos custodias.* Alia Oracio: *Respiciat Dominus Jesus at tuam salutem, & infundat super te dona virtutum, ut nihil in te inimicus fraudare decipiat. Custodiat te Dominus Jesus Christus, qui Diabolum interfecit, & nos omnes liberavit de tormentis pœnarum, ut ad regna Cœlorum dignus pervenias in benedictionem Christi. Custodiat te Deus altissimus omni tempore vitæ tuæ, & defendat te ab omni periculo in hoc Mundo & in futuro. Convertat Dominus Deus noster vultum suum, & det tibi pacem omnibus diebus vitæ tuæ. Ipse autem Deus santificet te, ut sis perfectus & integer corpore & animâ sine querela in adventum Domini nostri Jesu Christi servet precio tua. Det tibi Deus Angelum pacis Custodem, ut regat te in hoc Mundo, & in futuro. Animam tuam purificet ab omni delicto. Defendat te Dominus ab omnibus malis, & ab omni reatu adversarii: ut cum venerit Dominus, non discuciat, sed in gloria sua remunerando te adsumat. Per Dominum* &c.

„ Pœnitens dicit: *Confiteor tibi Domine pater cœli & terræ, coram hoc sancto Altario tuo, & istius locis Reliquiis, & coram hoc Sacerdote tuo omnia peccata mea, quæcumque feci ab infantia mea, sive in cogitationibus, sive in mala voluntate, sive in verbis, seu in opere, sive de omnibus peccatis, quæ feci contra tuam voluntatem & leges Christianas, & contra sanctam Regulam, & contra omnia Præcepta divina. Confiteor omnia cordis & corporis mei vitia. Peccavi per superbiam & elationem, per avaritiam, & detractionem, & quia falsitatem locutus sum. Peccavi, quia juravi & perjuravi, & mendacium locutus sum nimis. Peccavi per verba risui moventia, & per multa verba otiosa vel vana. Peccavi, quia die Dominico, vel indicto, & commune Jejunii, violavi & fornicavi. Peccavi per fraudem, & furtum, per turpiloquium, & scurilitatem, & quia proterve egi. Peccavi per adulterium, & fornicationem, & omnes scelos, vel omni nefas turpissimas, & sordidas cogitationes & operationes, & pollutiones, sicut equus & mulus in quibus non est intellectus. Miser ego, infelix peccator: peccavi per concupiscientiam mulierum, & mœchatus sum eam in corde meo, & corpore peccavi per illusionem nocturnam, & pollutus sum, & sorditus introibi in sanctam Ecclesiam. Miser ego peccavi per gulam & crapulam & ebrietatem usque ad vomitum. Per omicidium peccavi, & per detractionem, per accidiam, & ociositatem, & somnolentiam, & pigritiam, & jactantiam cordis & corporis mei. Peccavi, quia opus Dei neglegenter feci, & circa Altaria vel Sacreficia omnem neglegentiam habui. Corpus & Sanguinem Domini indigne sumpsi: etiam per ebrietatem rejeci eum. Miser ego peccavi per rixas, & vanam gloriam, & quia maledixi multos homines per iram & blasphemavi eos. Peccavi in visu, auditu, gustu, odoratu, & tactu. Peccavi, quia quod non debui cogitare, cogitavi; & quod debui cogitare, non cogitavi: quod non debui*

„ *loqui*,

„ *loqui, locutus sum; & quæ debui loqui non* „ *sum locutus: quod non debui operare, operatus sum; & quæ debui operare, non sum operatus. Patri & matri, sicut debui, non obedivi, & præcepta eorum, sicut debui, non adimplevi. Mea culpa. Hæc omnia commisi vel adimplevi, & alias plurimas, quorum non est numerus. Quidquid errans, sciens, cotemnens, occulte seu manifeste commisi, tu Deus omnipotens, universa mihi peccatori, quæso, propicius ac miserator digneris indulgere. Precor te, Domine frater, ora pro me peccatore, quia peccavi in Lege Dei, in cogitationibus, in verbis, & in factis, in operibus, & vacatione mentis, & ira, in potu vel cibo, & neglegentiis multis. Multa sunt peccata mea super numerum arena maris. Neglegens fui de operibus Dei, & de Ordine meo, quod custodire debui.*

„ Respondet Sacerdos: *Domine frater de istis culpis, quas in te dicis, totas in me agnosci, & alias plurimas, quorum non est numerus. Oremus ad invicem.* Oratio: *Jesu salvator omnium, miserere digneris super nos famulos tuos, quia tu es Deus benedictus, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas in Secula seculorum. Amen.* Oratio: *Misereatur tibi omnipotens Deus: donet tibi veram perseverantiam, & tolerantiam bonam, finem bonum. Inluminet te Spiritus Sanctus. Indulgeat tibi Dominus Deus omnipotens omnia peccata tua præterita, præsentia, & futura; & nec te permittat omnipotens Deus plus temptare, quam fragilis tua possit sustinere. Auxiliator tuus sit omnipotens Deus. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.* Oratio ad Confessionem: *Suscipe Confessionem meam, unica spes salutis meæ Domine Deus meus, irâ, indignacione, odio, multiloquio, perjurio, gulâ, ebrietate, commesacione, scurilitate, avariciâ, rapinâ, cupiditate, tenacitate, furto, superbiâ, jactanciâ, invidiâ, detractione, homicidio, contemptione, æmulatione, vanagloriâ, mendacio, fornicatione, inmundiciâ, luxuriâ, omnibus viciis, & iniquitatibus, adque sceleribus, quibus inquinatus sum, & perditus sum. Set tu, Domine, qui justificas impios, & resuscitas mortuos, justifica me, & vivifica & resuscita me, Domine Deus meus. Amen.*

Alterum Pœnitentialem ego olim descripsi, immo consarcinavi ex duobus antiquissimis Ritualibus manu exaratis in Bibliotheca celeberrimi Monasterii Bobiensis, itemque ex uno spectante olim ad D. Cœlestinum Lorefice Monachum Benedictinum.

PŒNITENTIÆ RITUS

E CODICIBUS MSTIS

MONASTERII BOBIENSIS.

In nomine Domini. Incipit ratio, qualiter suscipere debeant Sacerdotes, Pœnitentes ad Pœnitentiam.

„ QUotiescumque Christiani ad Pœnitentiam accedunt, Jejunia damus, & nos cum eis communicare debemus jejunio unam aut duas ebdomadas, aut cumque possumus, ut non dicatur nobis, quod dictum est Sacerdotibus Judæorum a Domino Salvatore: *Væ vobis Legis peritis, qui adgravatis homines, & imponitis super humeros eorum onera gravia & inportabilia! ipsi autem uno digito vostro non tangitis sarcinas ipsas* &c. Ita quoque nullus Sacerdotum, Peccatorum vulnera curare potest, aut animabus auferre peccata nisi per instantem sollicitudinem & orationem cum lacrimis. Necesse est nobis, Fratres karissimi, sollicitos esse pro peccantibus, quia sumus alterutrum membra &c. Et quotiescumque dederimus consilium peccanti, demus ei pœnitentiam statim, quantum debeat jejunare, *aut qualiter, si jejunare non potest, Redimere peccata sua possit*. Et hoc scitote, Fratres, ut dum venerint ad vos Servi vel Ancillæ, quærentes pœnitentiam, non eos gravetis, neque cogatis tantùm jejunare, quantùm Nobiles; quia Servi vel Ancillæ non sunt in sua potestate. Ideoque medietatem eis imponite. Omnis itaque pœnitens non solùm hoc debet jejunare, quod illi mandatum est a Sacerdote, verùm etiam postquam compleverit ea, quæ illi Sacerdos præceperit, peccata ejus remittentur. Si verò postea ex sua voluntate jejunaverit, mercedem sibi adquirit & Regnum Cœlorum. *Si quis fortè non potuerit jejunare, & habuerit, inde dare ad redimendum se potuerit. Si Dives fuerit, pro uno anno det Solidos XXVI: Si verò Pauper fuerit, det Solidos III.* Neminem verò conturbet, quia jussimus dare viginti sex Solidos, aut minus, quia faciliùs est dives dare viginti sex Solidos, quàm pauper det Solidos tres. *Attendat namque unusquisque, cui dare debeat, sive pro redemptione Captivorum, sive super Sancto Altari, sive Pauperibus.*

„ Sequitur consilio.

„ LEgimus in Pœnitentiale. Pro criminalibus culpis Annum I. aut II. vel III. pœnitentiam agere, vel pœnitere in pane & aqua, vel pro aliis minutis causis, Mense I. vel Ebdomadâ I. Sunt autem diversa peccata. Quæ ad majora pœnitentia concordant, hæc sunt. Si quis homicidium fecerit, VII. Annos pœniteat; III. ex his in pane & aqua. Similiter qui sciente se perjuraverit, & qui „ for-

,, fornicationem cum uxore alterius, aut Deo
,, sacratâ fecerit, & qui ad homicidium fa-
,, ciendum consenserit, & factum fuerit, vel
,, qui hominem in perjurium scienter ducit,
,, & qui cum quadrupedia peccant. Qui au-
,, tem minora peccata committunt, hoc est,
,, qui cum viduas, aut virgines peccant, &
,, qui falsa testimonia super alios apponunt, &
,, ad sorcerias recurrunt, aut divinationes cre-
,, dunt, & qui alienos labores extollunt, &
,, qui usuras tollunt, isti pœniteant V. Annis
,, vel III. ex his in pane & aqua secundùm Ca-
,, nones. Si autem per minimam, III. Annis
,, pœniteant, I. ex h s in pane & aqua. Sunt
,, autem criminalia & mortalia peccata, hoc
,, est, qui in Ecclesia fornicant; & qui Eccle-
,, sias frangunt; & qui de res Ecclesiæ aliquid
,, extollunt; & qui pro alienas res per conten-
,, tionem se perjuraverit; & qui cum Sanctæ-
,, monialæ Deo sacratâ in Monasterio fornica-
,, verit, aut generationem fecerit; aut qui
,, cum sua matre aut sorore, aut cum matre,
,, & filia, aut cum duas sorores, vel conso-
,, brinas, aut noverca; & qui plus credunt
,, divinationes, vel alia diabolica ingenia eum
,, adjuvare posse, quàm Deum; & qui cum
,, masculos post duodecim annorum sicut So-
,, domite faciunt; & qui a Christiano Populo
,, se separant, & ad Heretici vadunt, & eo-
,, rum consortia tenent, & postea revertuntur:
,, & Mulieres, quæ avorsum faciunt, per quem
,, animas perdunt; & qui eorum infantes op-
,, primunt, & sine Baptismo moriuntur: & il-
,, li qui Sacerdotes aut Monachos, aut pro-
,, priis parentibus occiderint; & qui aliis ho
,, micidiis, aut murdros faciunt Isti tales de-
,, bent anno & dimidio exul pœnitere, & a
,, communione privari. Et post hoc commu-
,, nione receptâ, XV. Annis pœniteant, VII.
,, ex his in pane & aqua secundùm Canones.
,, Si per consilium XII. Annis pœniteant, V.
,, ex his in pane & aqua. Et qui sic potest
,, adimplere, quomodo in Pœnitentiale scrip-
,, tum est; nam apud aliquos hæc causa ardua
,, & difficile esse videtur. Et ideo qui sic istà
,, adimplere non potest consilium damus, ut in
,, Psalmis, & Orationibus, vel Vigiliis in no
,, ctibus sive diebus aliquot in pœnitentia pro
,, hoc esse debeat. Idest pro unaquaque die
,, quando in pane & aqua debet pœnitere,
,, psallat Psalmos L. flectendo genua, aut sine
,, flectendo genua, LXX. infra Ecclesia, aut
,, in alio secreto loco, & se inde non moveat,
,, donec eos compleat. Qui verò omnes Psal-
,, mos tenet, per ordinem canat. Sin autem
,, cum isti præcipui Psalmi adimplere potest,
,, idest *Miserere mei, Deus, secundùm* &c. *Deus*
,, *in nomine tuo: Miserere mei, Deus, misere-*
,, *re: Deus misereatur: Deus in adjutorium*.
,, Et si istos non scit, cum solo *Miserere mei,*
,, *Deus, secundùm*, potest adimplere. Pro
,, una Ebdomada canat Psalterios III. & Psal-
,, mos XX pro uno Mense Psalterios XIII. &
,, Psalmos L. per duos Menses Psalterios XXVI.
,, & Psalmos C per tres Menses Psalterios LX.
,, pro integro Anno Psalterios CXX. & CCC.
,, palmatas pro singulo Psalterio: & omne ci
,, bum quod ei Dominus dederit, postquam
,, psallit, sumat, nisi tantùm Quartâ & Sextâ
,, Feriâ, unâ die jejunet usque ad Nonam, &
,, aliâ usque ad Vesperum. Et hoc iterum
,, non committat. Et post hæc remissio pleni-
,, ter est. Et qui Psalmos nescit, & jejunare
,, debet, & non potest per unumquemque

A ,, diem, det Denarium valentem in elemosina,
,, aut quantùm potest; & Quartâ & Sextâ Fe-
,, riâ jejunet usque ad Nonam. *Et qui hoc fa-*
,, *cere non potest, quod superius dictum est, eli-*
,, *gat Sacerdotem justum vel Monachum, qui*
,, *verus Monachus sit, & secundùm Regulam*
,, *vivat, qui pro se hoc adimpleat, & de suo*
,, *justo pretio hoc redimat. Cantatio enim unius*
,, *Missæ spetialis potest XII. dies redimere: X.*
,, *Missæ tres Menses possunt redimere: XX.*
,, *Missæ novem Menses: XXX. Missæ duodecim*
,, *Menses possunt redimere*.

,, Cum ergo venerit aliquis ad Sacerdotem
,, confiteri peccata sua, mandet ei Sacerdos,
,, ut expectet modicum, donec intret ad cu-
B ,, biculum suum ad orationem. Si autem non
,, habuerit cubiculum, tamen in corde suo di-
,, cat Orationem Dominicam, idest *Pater no-*
,, *ster*, & Capitulum: *Ego dixi: Domine*,
,, *miserere mei; sana animam. Ab occultis*
,, *munda me, Deus, & ab alienis* &c. *Illu-*
,, *stra faciem tuam super servum tuum, & sal-*
,, *vum* &c. *Miserere mihi, Domine, quoniam*
,, *ad te clamabo tota die. Lætifica, quoniam*
,, *tu, Domine, suavis & mitis multum. Do-*
,, *mine, exaudi orationem meam, & clamor* &c.
,, Sequitur Oratio: *Domine Deus omnipotens*,
,, *propitius esto mihi peccatori, & præsta, ut*
,, *ego condigne possim tibi gratias agere, qui me*
,, *indignum & peccatorem propter tuam miseri-*
C ,, *cordiam ministrum fecisti Sacerdotalis, & me*
,, *exiguum, humilemque & inutilem mediato-*
,, *rem constituisti ad orandum & intercedendum*
,, *ad Dominum nostrum Jesum Christum pro*
,, *peccantibus. Ideoque, dominator Domine*,
,, *qui omnes homines vis salvos fieri, & ad*
,, *agnitionem veritatis venire, qui non vis mor-*
,, *tem peccatoris; sed ut convertatur & vivat*,
,, *suscipe orationem meam, quam fundo ante*
,, *conspectum clementiæ tuæ pro peccatis meis*,
,, *& pro famulis famulabusque tuis, qui ad pœ-*
,, *nitentiam venerunt*. Per &c. Oratione verò
,, completâ incipiat Sacerdos hunc Psalmum:
,, *Domine, ne in furore tuo*, secundum; &
D ,, dicat hanc Orationem: *Deus, cujus indul-*
,, *gentia nemo non indiget: memento, Domine*,
,, *famulo tuo* (illo) *vel famulis tuis* (illis)
,, *qui lubricâ terrenique corporis fragilitate nu-*
,, *datus, quæsumus, ut des veniam confitenti*.
,, *Parce supplici, ut qui nostris meritis accusa-*
,, *mur, tuâ miseratione solvamur*. Per &c.
,, Et dicat Psalmum quinquagesimum: *Bene-*
,, *dic, anima mea, Domino*, usque *Renova-*
,, *bitur sicut Aquila*. Et dicit Orationem
,, hanc: *Deus, sub cujus oculis omne cor tre-*
,, *pidat, omnesque conscientiæ contremiscunt*,
,, *propitiare omnium gemitibus, & cunctorum*
,, *medere vulneribus, ut sicut nemo nostrum est*
,, *liber a culpa, ita sit alienus a venia*. Per &c.
E ,, Et dicat Psalmum *Miserere mei Deus* secun-
,, dum, usque *& omnes iniquitates meas dele*.
,, Et dicat orationem hanc: *Deus infinitæ mi-*
,, *sericordiæ, veritatisque immensæ, propitia-*
,, *re iniquitatibus nostris, & omnium anima-*
,, *rum nostrarum medere languoribus, ut mise-*
,, *rationum tuarum remissione percepta, in tua*
,, *semper benedictione lætemur*. Per &c. Et di-
,, cat Psalmum: *Deus in nomine tuo*. Et di-
,, cat Orationem hanc: *Præveniat hunc famu-*
,, *lum tuum* (illum) *vel hos famulos tuos*
,, (illos) *quæsumus, Domine, misericordia*
,, *tua, & omnes iniquitates ejus, vel eorum*,
,, *celeri indulgentiâ deleantur*. Per &c. Et
,, dicat Psalmum: *Quid gloriaris*, usque *vide-*

bunt

„ *bunt justi*; & dicat Orationem hanc: *Exaudi, quæsumus, Domine, supplicum preces, & tibi confitenti parce peccatis, ut quem conscientiæ reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis absolvat*. Per &c. A

„ Tunc surgant ab Oratione. Surgentes verò ammoneat eum Sacerdos his verbis: Ecce Frater, Deo gratias, dies sancti, in quibus debemus omnes Deo confiteri peccata nostra; & ideo quia non erubuimus committere, nullo modo debemus erubesci, confiteri Deo, maxime cum Scriptura dicat: *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet*. Et Beatus Johannes Apostolus dicit: *Mundus totus in maligno positus est*. Et iterum: *Si dixerimus, quia peccatum non fecimus, ipsi nos seducimus, &* B *veritas in nobis non est*. Et Beatus Jacobus dicit: *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini*. Et Dominus per Ezechielem Prophetam loquitur: *Dic tu prior iniquitates tuas, ut justificeris*. Et Salomon: *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, quia subito veniet ira ipsius*. Ipse etiam clemens & benignus ad indulgentiam paratus, invitans nos ad pœnitentiam, sic promittit: *Peccator quacunque horâ conversus fuerit ad me, omnium peccatorum ejus obliviscar*. Et iterum: *Convertimini ad me, & ego revertar ad vos*. Ergo nullo modo desperemus de C misericordia Redemptoris nostri, quia nullum tam grave peccatum est, quod non possit ignosci. Plus sunt enim centuplum ipsius misericordiæ, quàm peccata totius Mundi. Et si ex toto corde pœnitentiam egerimus, statim suscipiet nos, & dimittet nobis omnia peccata nostra, & antequam eum invocemus, dicet nobis: *Ecce adsum*. Quia sicut Beatus Johannes dicit: *Fidelis est & justus, & dimittet nobis peccata nostra; & emundat nos ab omni iniquitate*.

„ Post hanc verò monitionem, interroga eum, si tenet Orationem Dominicam & Symbolum, & si ea recte tenet. Sin autem corripe illum, & statuta die redeat. Tunc D dices ei: *Vis dare tuam Confessionem?* Respondeat: *Volo*. Interroga: *Credis in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum?* Respondet: *Credo*. Interroga: *Credis, quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus tres Personæ sunt, & unus Deus?* Respondeat: *Credo*. Interroga: *Credis, quod in ipsa carne, in qua nunc es, ut in ipsa debeas resurgere in die Juditii, & recipere sive bonum sive malum, quod fecisti in vita tua?* Respondeat: *Credo*. Interroga: *Habes fidem, quod possit tibi Deus dimittere peccata tua, si confessus & conversus fueris?* Respondeat: *Habeo*. Interoga: *Vis dimittere illis hominibus quicumque in te peccaverunt? Domino dicente: Si non dimiseritis* E *hominibus peccata eorum, nec Pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra*. Respondeat: *Volo*. Cave, si non vult dimittere salvâ suâ lege, nec debes dare ei pœnitentiam. Et si vult dimittere, interroga eum capitalia peccata & minuta. Hoc est, Superbia, Homicidium, Adulterium, Perjurium, Mendacium, Odium, Ira, Furtum, Rapina, Sacrilegium, Avaritia, Cupiditas, Usura, Detractio, Hebrietas, Ventris ingluvies, Luxuria, Fornicatio, Sodomiticum, Concupiscentia, Falsum testimonium, Traditio, Falsitatem, Disperantiam, Stultiloquium, Hypocrisis, Vaniloquium, Pigricia, Ociositas, Somnolentia, Neglegentia, de Infantis oppressis, de Divinationibus, & Sorciariis, de Maleficiis, & Veneficiis, de Incantationibus, de Decimis, & Primiciis, de Misterio Ecclesiæ, de Sacrificio, si per negligentiâ ceciderit, aut vomuerit, & sine Baptisterio mortui fuerint, de die Dominico custodiendo, si immundum comederit, & Sepulchrum violaverit, qui proximum suum maledicit, & qui in verbis semper jurat, qui invidet, accusat, blasphemat, tristatur. Et sic judica secundùm modum criminum ejus. Et si ille dixerit: *multa sunt peccata mea in cogitationibus, in verbis, in factis*, tunc da ei pœnitentiam. Postea intuitus eum, si videris, ex toto corde confessus, suscipe per manum dexteram, & promittat emendationem vitiorum suorum; educ ante Altare, & confiteatur peccata sua. Et licèt omnes in uno constringantur vitio, discretio sit in unoquoque eorum. Hoc est inter divitem & pauperem, liber, & servus, infans & puer, juvenis & adulescens, senes & æbes, gnarus & laicus, atque femina, virgo Canonica, vel sanctæ Monialis, cum conjugio, vel sine conjugio, peregrinus, sanus, debilis, infirmus, Clericus, Monachus, in gradu, vel sine gradu, Lector, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Episcopus. De qualitate hominum, vel pecudum, continens, vel incontinens, voluntate, vel casu, in publico, vel in abscondito, necessitate, vel voluntate. Loca & tempora discernat, quali compunctione emendet. Et interroga eum, si vult dimittere illis, quicumque in eo peccavere, an non: vel si est incestuosus, aut si vult dare confessionem de omnibus peccatis, quibus peccavit post Baptismum, vel si vult ea custodire, an non. Et si hæc noluerit, non des ei pœnitentiam, sed instrue illum cum severitate, & dic ei:

„ Hoc scire potes, frater, quod Dominus non judicabit bis, sed omnia in vera Confessione lavantur. Et certe melius est tibi in conspectu Dei, & mihi indigno Sacerdoti, tua confiteri peccata, quàm in die Judicii in conspectu Angelorum, vel filiorum hominum, ubi omnia peccata absconsa manifesta erunt, qui ea in præsenti erubuerit confiteri. Nam qui in hoc Sæculo sua fuerit peccata confessus, & pœnitentia digna inde acceperit, & ea custodierit, sine dubio in die Judicii illa peccata ei non manifestabuntur, si iterum ea non fecerit, & usque in illa die semper fructuosa erit vera pœnitentia. Sed post ea nullum spatium datur pœnitentiæ. Vera enim conversio non est, nisi omnia peccata fueris confessus, & omnem discordiam dimiseris. Et ad veram pœnitentiam non poteris pervenire, nec vitam æternam possidere, nisi ad veram pacem & concordiam veneris, cum quibus concors non es, sicut ipse Dominus dicit: *Dimittite, & dimittetur vobis*. Item: *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Et si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra*. Paulus Apostolus dicit: *Plenitudo ergo Legis est Dilectio*. Nunc autem si pleniter, ac fideliter confessus fueris, & emendaveris, promitto tibi per Dei omni-

„ potentis misericordiam, quod peccata tua „ oblivioni tradentur; at tamen ut de præteritis lugeas, & de futuris te caveas. Et „ quomodo potes, frater, pœnitentiam accipere, nisi hoc, quod Dominus dicit, attenderis, qui cotidie clamat? *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat*. „ Memor esto confessio Publicani, vel conversio Latronis in Cruce pendentis. Audi, inquit, Dominum dicentem: *Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque munus tuum ante Altare, & vade prius reconciliari fratri tuo*. Non dixit: si tu habes adversùs fratrem tuum, sed si frater tuus habet aliquid adversùm te, quia tunc nobis a Domino debita dimittuntur, cum nos proximis universa mala denegamus. „ Et semper omnino providendum est, si vult pleniter dimittere, & satisfacere omnibus, non solùm cui ille, sed qui sibi deliquit, aut non, quia de talibus scriptum est: *Juga boum emi quinque: Uxorem duxi: Villam emi, rogo te, habe me excusatum*. Humilitas verò sonat in voce, Superbia in actione. Et sicut non proficit vulneri medicamentum, si adhuc ferrum in eo est, ita nihil proficit abstinentia illius, cujus adhuc dolus in mente, vel in visu manet, aut in pectore. Qui verò pœnitentiam faciunt jejunio & fletu, in orationibus, & eleemosynis, perpetrata iterum non committant; quia Deus dicit: *Malum cogitavi; ignovi. Malum fecisti; ignovi. Perseverare in malum non ignosco. Ideo judicas districtum juditium secundùm Canonum, ut ceteri timorem habeant*. Ecce, frater, talia sunt præcepta divina. Si hæc omnia, quæ in paucis tibi retuli verbis, juxta tuam possibilitatem, Domino adjuvante, impleveris, in veritate dico tibi, pœnitentiam poteris accipere: & si eam utiliter custodieris, in perpetuum eris salvandum, & cum Christo sine fine in cælestia patria regnaturus. „ Nam si est, quod iterum ad pristinum peccatum reversus fueris, sicut canis, qui revertitur ad proprium vomitum, quia pœnitentia non tantum verbo agenda est, sed satisfactio. Cito enim corrigitur culpa, quæ cito cognoscitur; tardius autem sanatur vulnus, quæ putrescentibus membris longo tempore adhibetur. Qui peccat, & cito corrigitur, continuo reviviscit; nam qui consuetudinem facit peccandi, jam sepultus est. „ Secundùm modum culpæ exhibenda est pœnitentiæ magnitudo. Murmurare verò in flagellis Dei, peccator homo non debet, quia maxime per hoc emendatur. Ex tribus enim causis accidit, idest ex peccato, ex temptatione, ex intemperantia passionis. „ Qui flagella sustinet, & contra Deum murmurat, justitiam judicantis accusat.

„ Post hæc omnia prolata, si videris eum bene conversum, & incestuosa dimittere promittat, & omnia emendare, quod injuste egit, & perseverare in bonis actibus, & omnia sacra Scriptura credere, vel resurgere in die Juditii, & recipere bonum, sive malum, quod egit, dic illi: Certe irritum est illi pœnitentiam accipere, & sine dubio frustra venit ad pœnitentiam, qui semetipsum abnegare non vult, dicente Domino: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum: tollat Crucem suam, & sequatur me*. „ Crux quippe tollere, semetipsum abnegare, „ Dominumque sequere est, quisquis terrenis desideriis, vanisque cupiditatibus implicatus, atque nefandis operibus deditus, abrenuntiaverit, mens de terrenis ad cælestia erexerit, & de vanis cupiditatibus elemosinarum largitione indigentibus copiam tribuerit, & de nequissimis operibus fructum bonæ operationis, prout vires suppetunt, per veram confessionem, lacrimarumque irrigationem de præteritis delictis sedula lamentatione Creatori suo effuderit, & ad eosdem mores non omnino respexerit, procul dubio se ille, quod olim fuit, negare non desinit. „ Iste, qui talia egerit, omnino crucem suam tollit, semetipsum quod fuit negatum reminiscit, auctoremque vitæ Christum sequi non diffidit, at æternam vitam pervenire poterit, eo Domino præstante, qui super uno peccatore converso plus gaudet, quàm supra nonaginta novem justis, quibus non est opus pœnitentiâ, qui vivit & regnat in Sæcula Sæculorum. Amen.

„ Incipit Confessio, qualiter confiteri debet „ homo peccata sua Deo & Sacerdoti.

„ Confiteor tibi, Domine Pater cæli & terræ, coram hoc sancto Altario tuo, & istius loci Reliquias, & coram hoc Sacerdote tuo, omnia peccata mea, quicquid Dei pietas mihi ad memoriam reduxit, vel quæcumque feci ab infantia mea sive in cogitationibus, sive in mala voluntate, seu opere, sive de omnibus peccatis, quæ feci contra tuam voluntatem, & leges Christianas, & contra sanctam Regulam, & contra omnia præcepta divina. Confiteor omnia cordis & corporis mei vitia. Peccavi per superbiam & elationem, per avaritiam & detractionem, & quia falsitate loquutus sum. Peccavi & juravi & perjuravi. Peccavi per verba visum moventia, & per multa verba otiosa vel vana. Peccavi, quod die Dominico in Ecclesia loquutus sum vana verba, & Quadragesimæ vel indicto & communi jejunio violavi, & fornicavi. Peccavi per fraudem, & furtum, & turpiloquium, & scurrilitatem, & proterve egi. Peccavi per adulterium & fornicationem, & omne scelus, vel omni nefas, turpissimas & sordidas cogitationes & operationes & pollutiones, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. „ Miser ego infelix peccator peccavi per concupiscentia mulierum, & mœchatus sum eas in corde meo, & in corpore. Peccavi per illusionem nocturnam, & pollutus & sordibus introivi in Sanctam Ecclesiam miser ego, & præsumpsi ad Altare accedere, quod dignus non sum, quod cum sordidas cogitationes & opere assistebam ibi, & discordia cum Fratribus habebam. Peccavi per gulam & crapulam & ebrietatem usque ad vomitum. „ Peccavi per homicidium & detractionem, per accidiam & otiositatem, somnolentiam, pigritiam, jactantiam cordis & corporis mei. „ Peccavi, quod inobediens fui Pontifici meo, vel ceteris fratribus meis, & humilitatem non habui. Sine causa iratus sum adversùs fratres meos, & deformavi, & despexi eos, & dixi *Racha*, vel *fatuo*: etiam provocavi eos ad iram, & scandalizavi unum de pusillis. Peccavi & fraudavi res Ecclesiæ, vel Domino meo, vel proximi mei. Habui concupiscentia hujus Mundi, & plus quæsivi „ pla-

„ placere hominibus quàm Deo . Peccavi ,
„ quia ficut hypocrita vel idiota egi . Contri-
„ ftavi hominem, & pignus abftuli hominibus,
„ & non eum reddidi, & quod nolui mihi fieri,
„ alteri feci. Malum pro malo reddidi , etiam
„ malum pro bono . Pacem falfam dedi cum
„ Fratribus , & in corde dolo tenebam. Mifer
„ ego peccavi , quia dilectionem Dei & pro-
„ ximi vel caritatem cum fratribus meis non
„ habui . Peccavi , quia multos homines feci
„ jurare & perjurare , fciente me , & occifi
„ eos in anima & corpore . Peccavi nimis
„ confpectu Dei. Diffipavi fubftantia mea cum
„ meretricibus vivendo luxuriofe . Peccavi ,
„ quia invidia , & hodio habui adversùs fra-
„ tres meos , & accufavi eos , & dixi fuper
„ eos falfum teftimonium . Peccavi , quia lo-
„ quutus fum cum proximo meo , & occultas
„ infidias ei pofui , & circumveni hominem in
„ negotio , vel in penfa , & menfura duplici .
„ Peccavi , quia fimulavi me effe juftum prop-
„ ter cupiditatem & vanam gloriam, ut homi-
„ nibus placerem , cum effem mifer , & pec-
„ cator nimis . Peccavi , quia gaudium habui
„ fuper interitum inimicis meis , & adversùs
„ filiis matris meæ pofui fcandalum . Paravi
„ foveam , feminavi difcordiam & rixas vel
„ zizania inter fratres, & fcifma mifi inter eos
„ per contentiones , animofitates , & murmu-
„ rationes , per difcenfiones & fufurrationes ,
„ inflationes & feditiones , per amaritudinem,
„ indignationem , & iram, & clamorem atque
„ blafpemiam . Peccavi , quia injufte judica-
„ vi hominem , vel etiam condempnavi , five
„ flagellavi fine caufa per ira & vana gloria .
„ Peccavi , quia propter cupiditatem & va-
„ nitatem hujus Sæculi juravi , & honorem
„ Sacerdoti præfumpfi accipere , cum dignus
„ non effem mifer ego . Et perjuravi , quia
„ minime implevi, quod promifi , & opus Dei
„ negligenter feci . Circa Altaria vel Sacrifi-
„ cia omnem negligentiam habui . Corpus &
„ Sanguinem Domini indigne fumpfi ; etiam
„ per ebrietatem rejeci eum , & gravioribus
„ culpis commifi mifer ego . Peccavi per ri-
„ xas , per vana gloria , & per iram maledixi
„ homines : etiam blafpemavi eos, & peccare
„ feci , quia malis meis exemplis vel fuafioni-
„ bus multæ animæ perierunt ; mifer ego pec-
„ cavi per delectationes peffimas , per fomnia
„ vana , per auguria , & divinationes . Simi-
„ liter voluntarie & delectabiliter peccavi in
„ vifu , auditu , guftu , hodoratu , & tactu .
„ Peccavi etiam in lege Dei , & in cogitatio-
„ nibus , in verbis , in factis , in operibus ,
„ in vagatione mentis , in ira , in potu & in
„ cibo , atque in negligentiis multis . Ego
„ confiteor, quia in fancta Dei Ecclefia multa
„ mala cogitavi & perpetravi; inordinate & fuper-
„ be fteti & fedi, jacui, afpexi, perrexi, ofcula-
„ vi , confenfi , tetigi , intravi , exivi . Simi-
„ liter in omnibus locis , ubicumque voluptas
„ corporis mei me perduxit , perfeveravi. Fe-
„ ci cantica turpia , & inepta protuli carmi-
„ na . Ofculo nefando pollutus fum . Sacra-
„ mentum fuper fancto Altare & fanctas Re-
„ liquias , vel in benedicta Cruce juravi , &
„ verba perjuria , & mendatia protuli . Per
„ fanctum Dei nomen , & Chrifti Euange-
„ lium , vel Sanctorum nomina ac corpora
„ juravi mifer ego . Confiteor ego , quia
„ multum peccavi , & multa mala cogitavi &
„ perpetravi ubique , & cum mala voluntate
„ confilia mala dedi contra Dei præceptum, &

A „ Dei voluntatem . Patrem meum & matrem
„ meam , fratres , & forores, patruos & ami-
„ tas , five omnibus parentibus meis , fecun-
„ dùm Dei præceptum & voluntatem , hono-
„ ris obfequium non exhibui, nec in neceffita-
„ tibus eorum , prout potui , præfui . Omnes
„ Chriftianos , ficut Deus præcepit , non dile-
„ xi. Dominicâ die , & follempnitates Sancto-
„ rum non digne nec Deo acceptabile duxi ,
„ & ad nefcientibus non annuntiavi . Decimas
„ bonorum meorum non reddidi. Latrocinium
„ & furtum abfcondi, & commedi , & abfcon-
„ dentem confenfi . Infirmos , & in carcere
„ pofitos non vifitavi, nudos non operui , hof-
„ pites propter Dominum non fufcepi, nec pe-
B „ des eorum lavi ; efurientes & ficientes non
„ refici ; dolentes & flentes non confolavi; in-
„ ter fe difcordantes , five parentes meos vel
„ alios Chriftianos rixantes vidi , plus ad ira-
„ cundiam , quàm ad pacem provocavi, mifer
„ ego . De his fupradictis malis & de aliis
„ innumerabilibus delictis & peccatis meis ,
„ quod ego mifer & infelix ab infantia ufque
„ hodie commifi, & minime recordare poffum ,
„ Deo & omnibus Sanctis ejus confeffus fum ,
„ & tibi Dei Miffo . Unde te deprecor , ut
„ intercedas pro me ad Redemptorem Domi-
„ num noftrum Jefum Chriftum , & judices
„ me fecundùm quod tibi vifum fuerit , ut ve-
„ niam inveniri merear per eum , qui vivit &
C „ regnat Deus , per omnia Sæcula fæculorum.
„ Amen .

„ Iterum verò interroget eum Sacerdos
„ ita : Dic mihi, frater , fpecialiter opera tua,
„ quæ fecifti aut cogitafti . Peccafti in cogita-
„ tione aut in verbo , vel in opere ? Jurafti
„ fupra Euangelia, aut fuper Altare ? Si per-
„ jurafti, X. Annos peniteas . Jurafti in manu
„ Sacerdotis , aut alterius hominis manu, aut
„ in Cruce confecrata ? Si jurafti & mentitus
„ es , III. Annos peniteas . Maledixifti homi-
„ nem per iram ? Habuifti invidiam ? Fuifti
„ detracciofus ? Dixifti ociofa verba ? VII.
„ Diebus peniteas . Habuifti odium vel iram?
„ Tamdiu cum pane & aqua vivas . Habuifti
D „ concupifcentia gulæ ? Cogitafti fordide ?
„ Concupifti aliquid, quod non debuifti? Pec-
„ cafti voluptuofe delectatione ? Fuifti afper
„ pauperibus? Neglexifti vifitare Chriftum in
„ carcere, vel infirmos, & excipere peregrinum
„ in domum tuam? Neglexifti reducere difcor-
„ des ad concordiam integro animo ? Mandu-
„ cafti jejuniorum diebus ante horam ? Fuifti
„ occupatus ociofis fabulis, ftans in Ecclefiam
„ leccionem divinam audientes ? Cogitafti ali-
„ quid pfallendo vel orando aliut quàm opor-
„ tebat ? Fuifti locutus luxuriofa , vel detra-
„ ctiofa verba ? VII. Diebus peniteas . Fuifti
„ facrilegus , aut maleficus? VII. Annis peni-
„ teas , tribus in pane & acqua . Fecifti fur-
E „ tum ? Ut fupra peniteas . Fornicafti ? Fe-
„ cifti adulterium cum muliere aliena , aut
„ cum Virgine , aut Sanctimoniales? VII. An-
„ nos peniteas , tres in pane & aqua. Aut ju-
„ mento , vel aliis animalibus ? XV. Annos
„ peniteas , Fecifti homicidium ? VII. Annos
„ peniteas tres in pane & aqua. Fuifti raptor?
„ Dixifti falfum teftimonium ? Ut fupra peni-
„ teas . Coinquinafti te in membris tuis malis?
„ Coinquinafti in concupifcentia oculorum
„ fantafmatum, tangendo per mala delectatio-
„ ne ? XL. Diebus peniteas . Vidifti volunta-
„ rie , quod licitum non fuit videre ? aut au-
„ difti delectabiliter, quod non debuifti? Fui-

,, sti locutus , quod licitum non fuit , aut ta- A
,, cuisti hoc , quod loquere debuisti ? Fuisti
,, manibus tuis operatus hoc quod non licitum
,, fuit ? Ambulasti, ubi licitum non fuit? Præ-
,, teristi hoc, quod præceptum fuit? Cogitasti,
,, aut locutus fuisti , quando voluisti , aut no-
,, luisti ? Sciens aut nesciens fuisti operatus
,, contra voluntatem Dei ? Quomodo conser-
,, vasti patrem , aut matrem , & cumpatrem
,, vel commatrem , seu filios tuos in Christo ?
,, Quomodo conservasti te Die Dominico ,
,, aut alia festa Sanctorum ? Si neglegisti, VII
,, Diebus peniteas . Accepisti Communionem
,, sanctam ? Conservasti eam ? Si vomitum fe-
,, cisti ex ea propter ebrietatem , XL. Dies
,, peniteas . Si propter infirmitatem , VII. B
,, Diebus peniteas . Si canis eam sumpsit ,
,, Annum peniteas . Conservasti penitentiam ,
,, quam antea habuisti ? Si neglexisti super in
,, posicionibus , emendetur . Super imposicio-
,, nem addere jejunium de hora tertia in sex-
,, ta , de sexta in nonam , de nona in vespe-
,, rum . In judicio judicasti juste ac injuste ?
,, Sicut judicasti, ita es judicandus a Domino.
,, Fecisti vomitum per ebrietatem ? XV. dies
,, peniteas . Concupisti fornicare , & non po
,, tuisti ? I. Annum peniteas . Osculasti inle-
,, cebrosum osculum ? VII. Dies peniteas. Fui-
,, sti in somno pollutus ? I. Diem peniteas ,
,, aut XXX. Psalmos cantes . Nupsisti cum
,, uxore tua retro ? XL. Dies peniteas . Co- C
,, luisti idola vel incantaciones , aut divinacio-
,, nes , vel sortes ? VII. Annos peniteas , aut
,, V. vel III. Consensisti homicidium ? Si fa-
,, ctum fuit , VI. Annos peniteas ; & si non
,, factum fuerit, III. Furasti cibum? XL. Dies
,, peniteas . Percussisti hominem per iram ?
,, efudisti sanguinem ? XL Dies peniteas. Tu-
,, listi usuras ? I. Annum peniteas , dimidium
,, in pane & aqua .
,, De Mulieribus . Mulier fornicasti ? nec-
,, casti partum conceptum ? X. Annos peni-
,, teas . Es adultera ? VII. Annos peniteas .
,, Coinquinasti te ipsam ? III. Annos peniteas .
,, Consensisti duobus fratribus? Usque ad mor-
,, tem peniteas, & in finem vitæ accipias Cor- D
,, pus Domini . Posuisti filium tuum super te-
,, ctum , aut fornacem per sanitate ? VII. An-
,, nos peniteas . Oppressisti filium tuum dor-
,, miens ? III. Annos peniteas .
,, De Presbyteris. Presbyter, accepisti uxo-
,, rem ? Deponatur . Perpetrasti adulterium ?
,, Amplius pelli debet , & ad penitentiam re-
,, digi , vel X. Annos in pane & aqua peni-
,, teat . Diaconus VII. tres in pane & aqua .
,, Subdiaconus V. duos in pane & aqua .
,, Confessio peractâ , imponat ei Sacerdos
,, jejunium , secundum quod melius fuerat ,
,, quia ipsius arbitrio consistit modus peniten,
,, tiæ . Indicto verò jejunio iterum prosterna
,, tur ante sanctum Altare , usque in finem E
,, Psalmi , & *Kirie eleison*, & *Pater noster* .
,, Isti dies absoluti sunt, quibus divinum au-
,, dire officium debemus . Omnes dies Domi-
,, nici . Natale Domini cum aliis tribus die-
,, bus, idest Sancti Stephani , & Sancti Johan-
,, nis Evangelistæ , & Sanctorum Martyrum
,, Innocentorum . Octava Domini . Piphania
,, Domini . Purificatio Sanctæ Mariæ , Totæ
,, Albæ . Ascensio Domini . Festivitas duo-
,, decim Apostolorum . Nativitas Sancti Jo
,, hannis Baptistæ . Assumptio Sanctæ Mariæ.
,, Missa Sancti Laurentii . Dedicatio Sancti
,, Michaëlis . Missa Sancti Martini , vel illo-
,, rum Sanctorum , Corpora (*quorum*) infra
,, ista Provincia requiescunt .
,, Post hanc ammonitionem faciat penitens
,, Confessionem : *Ego miser cognosco me pecca-*
,, *torem . Ego volo Deo confiteri , & coram*
,, *hoc sancto Altario , & istius loci Reliquiis ,*
,, *& tibi Sacerdoti .* Postquam ergo de his hu-
,, juscemodi confessus fuerit , projiciat se peni-
,, tens in terra ante Altare coram Sacerdote ,
,, & dicat : *Ego confiteor , Domine pater cœli*
,, *& terræ coram hoc sancto Altario tuo in pu-*
,, *ra & vera confessione , ac bona voluntate ad*
,, *emendandum . Sed tu Deus , quia dixisti :*
,, *Nolo mortem peccatoris , sed ut convertatur*
,, *& vivat . Miserere mei , & remitte ac dele*
,, *omnia peccata mea præterita , præsentia ;*
,, *daque mihi fortitudinem de futuris , ut ad ista*
,, *ulterius non revertar : facque mihi secundùm*
,, *tuam clemenciam , & perduc me ad vitam*
,, *æternam . Amen .* Et dicat Sacerdos : *Mi-*
,, *sereatur tui omnipotens Deus , & dimittat*
,, *tibi omnia peccata tua , & liberet te in omni*
,, *opere bono , & perducat te in vitam æter-*
,, *nam . Amen .*
,, Capitula. *Salvum fac servum tuum ; Deus*
,, *meus sperantes . Ab occultis meis munda me ,*
,, *Domine : & ab alienis parce servo tuo : Do-*
,, *mine , non secundùm peccata nostra faciet no-*
,, *bis , neque secundùm iniquitates nostras : Do-*
,, *mine exaudi orationem meam , & clamor*
,, *meus ad te veniat .* Deinceps Sacerdos stans,
,, qui se inter Deum & hominem mediatorem
,, discernit , ante conspectum divinæ majestatis
,, cum gemitu postulat dicens Orationes : *Pre-*
,, *veniat hunc famulum tuum , quæsumus , Do-*
,, *mine , misericordia tua, & omnes iniquitates*
,, *celeri indulgentiâ largiatur : per Dominum*
,, &c. Alia : *Omnipotens sempiterne Deus , con-*
,, *fitenti tibi huic famulo tuo pro tua pietate*
,, *peccata relaxa, ut non plus ei noceat conscien-*
,, *tiæ reatus ad pœnam , quàm indulgentia tuæ*
,, *pietatis adveniat .* Per &c. Alia : *Inclina ,*
,, *Domine , aurem tuam ad me , & exaudi me .*
,, *Respice de cælo, Christe, super famulum tuum*
,, *istum , & porrige manum tuam super ipsum,*
,, *& benedic corpus & animam ejus , ut in con-*
,, *sortio Sanctorum accipiat benedictionem cœle-*
,, *stem, lumen angelico Spiritum Sanctum Para-*
,, *clitum; qui ex aqua & Spiritu Sancto est re-*
,, *natus , qui precioso Sanguine tuo in terra est*
,, *comparatus , qui signum tuum , Christe , in*
,, *fronte accepit , tuum esse concedas in die Ju-*
,, *dicii ; & quem precioso Sanguine redemisti ,*
,, *in tuo Regno jubeas adjuvari introitum ha-*
,, *bendi , sicut benedixisti Patriarchas & Pro-*
,, *phetas & Apostolos & Martyres , Confessores*
,, *& Virgines , Sacerdotes atque omnes Sanctos.*
,, *Sic benedicere digneris , Domine , famulum*
,, *tuum istum , qui in nomine tuo in conspectu*
,, *clementiæ tuæ benedictionem & veniam pro*
,, *peccatis suis postulat . Et sicut liberasti tres*
,, *pueros de camino ignis ardentis , sic liberare*
,, *digneris , Domine , famulum tuum istum de*
,, *Inferno & de potestate Diaboli , & de terre-*
,, *na cupiditate , & de variis languoribus . Cul-*
,, *pas ejus parcas . Peccata remittas ; ut mun-*
,, *dus & immaculatus in die judicii ipsum reci-*
,, *pias , sicut recepisti Eliam & Enoc justos in*
,, *Regno cælorum .* Alia : *Benedicat tibi Domi-*
,, *nus , qui te creavit in carne . Sanet te Dei Fi-*
,, *lius , qui pro te passus est in Cruce . Illumi-*
,, *net te Deus Spiritus Sanctus , qui in te effu-*
,, *sus est in Baptismo . Sanet te Sancta Trini-*
,, *tas & Unitas excelsa cum omni sanitate per-*
petua.

„ petua. Corpus tuum custodiat. Animam tuam
„ salvet. Cor tuum irradiet. Sensum dirigat,
„ & ad supernam gloriam perducat. Omnes
„ Sancti Angeli & Archangeli, Patriarchæ &
„ Prophetæ, Apostoli & Martyres, Confessores
„ & Virgines intercedant pro te ad Dominum
„ nostrum Jesum Christum: & omnes benedi-
„ ctiones, quæ scriptæ sunt in novo Testamen-
„ tum, in te descendant, teque defendant; ut
„ hic habeas centuplum, & in futura vitam
„ æternam possideas. Ab omni dolore & ab
„ omni tribulatione te eripiat Christus Filius
„ Dei, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit
„ & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

„ Item Oratio imposicionis. Domine sancte
„ Pater, omnipotens eterne Deus, qui per Je-
„ sum Christum filium tuum Dominum nostrum
„ vulnera nostra curare dignatus es, te suppli-
„ ces rogamus ae petimus nos tui Sacerdotes,
„ ut ad precibus nostris aures tuæ pietatis incli-
„ nare digneris, & ad penitentis confessionem
„ movearis: remittasque omnia crimina & pec-
„ cata universa, condonesque huic famulo tuo,
„ Domine, pro supplicationibus veniam, pro
„ merore leticiam, pro morte vitam: ut qui ad
„ te tantam spem cælesti apicis devolutus est,
„ & de tua misericordia confidens ad bonum
„ pacis premiis tuis, atque cælestia Regna, te
„ protegente pervenire mereatur ad vitam æter-
„ nam. Per &c. Item commendacio: Commen-
„ damus tibi, Domine, in vita præsenti, ut ab
„ omni malo eum eripias, & intercedente beato
„ Petro Apostolo tuo, ad vitam perducas æter-
„ nam. Per &c. Alia: Intercedente pro nobis
„ beata & gloriosa semperque Virgine Dei ge-
„ nitrice Maria, & beato Petro Principe Apo-
„ stolorum, qui habet potestatem ligandi atque
„ solvendi, ipse te absolvat, & liberet ab omni-
„ bus peccatis tuis. Qui vivit &c. Postea verò
„ absolvat eum, ita dicens: Tu, qui es nostri
„ mysterii vinculo alligatus, si forte tibi conti-
„ gerit, me absente, in aqua seu itinere, vel in
„ quocumque loco, ut ab hoc Sæculo migrare
„ cogaris, quantum nostræ est potestati absolu-
„ tus & reconciliatus sis a nobis & a Domino
„ Deo, ejusdemque misericordia commendatus;
„ & ab omni penitentie excommunicationis vin-
„ culo absolutus, ut placide ac tranquille ad lu-
„ cem eternam transire valeas. Quod ipse præ-
„ stare dignetur, qui cum Patre & Spiritu
„ Sancto vivit & regnat per omnia Secula Se-
„ culorum. Amen. Item alia Oratio ad ab-
„ solucionem: Ab omnibus judiciis, quæ tibi
„ pro peccatis tuis debentur, secundùm magnam
„ misericordiam suam omnipotens Dominus te
„ absolvat & parcat & remittat ac deleat omnia
„ peccata tua, & perducat, atque introducat
„ te in vitam eternam. Amen. Item Alia
„ Oratio ad absolucionem: Adesto, Domine,
„ supplicationibus nostris, & me etiam miseri-
„ cordia tua primus indigeo, clementer exaudi,
„ ut quem non eleccione meritis, & dono gratiæ
„ tuæ constituisti operis hujus ministerium, da
„ fiduciam tui muneris exequendi, & ipse in
„ nostro ministerio, quod tuæ pietatis est ope-
„ rare. Per &c. Alia: Præsta, quæsumus,
„ Domine, famulo tuo dignum penitentiæ fru-
„ ctum, ut Ecclesiæ tuæ Sanctæ, a cujus inte-
„ gritate deviarat peccando, ammissorum red-
„ datur innoxius veniam consequendo. Per &c.
„ Alia: Deus, qui humani generis benignissime
„ reformator, qui hominem invidiâ Diaboli ab
„ eternitate de rectum, unici Filii tui sanguine
„ redemisti, vivifica hunc famulum tuum, quem

A „ tibi nullatenus mori desideras, & qui non
„ derelinquis devium, assume correptum. Mo-
„ veant pietatem tuam, quæsumus, Domine,
„ hujus famuli tui lacrimosa suspiria. Tu ejus
„ medere vulneribus. Tu jacente manum por-
„ rige salutarem, ne Ecclesia tua aliqua sui
„ corporis vastetur, ne grex tuus detrimentum
„ sustineat, ne de familiæ tuæ dampno inimi-
„ cus exultet, ne renatum lavacro salutari
„ mors secunda possideat. Tibi ergo, Domine,
„ supplices preces, tibi fletum cordis effunditur.
„ Tu parce confitenti, ut sic in hac mortalita-
„ te peccata sua te adjuvante defleat, qualiter
„ in tremondi Judicii die sententiam dampna-
„ tionis eternæ evadat, & nesciat, quod intret
B „ in tenebris, quod stridet in flammis; atque
„ ab erroris via ad iter reversus justitiæ, ne-
„ quaquam ultra vulneribus saucietur. Sed in-
„ tegrum sit ei atque perpetuum, & quod gloria
„ tua contulit, & quod misericordia reforma-
„ vit. Per &c. Alia: Omnipotens & miseri-
„ cors Deus, qui peccatorum indulgentiam in
„ confessione celeri posuisti, succurre lapsis,
„ miserere confessis; & famulum tuum, quem
„ delictorum catena constringit, magnitudo tuæ
„ pietatis absolvat. Per &c.

„ Reconciliatio penitentis ad mortem. O
„ sanctus, misericors Deus clemens, qui se-
„ cundùm miserationum tuarum peccata peni-
„ tentium deles, & preteritorum criminum
C „ culpas veniam remissiones evacuas, respice
„ super hunc famnlum tuum, & remissione
„ sibi omnium peccatorum suorum toto cordis
„ confessione poscente deprecatus exaudi. Re-
„ nova in eum, piissime Pater, quidquid diaboli-
„ ca fraude violatum est, & in unitate Ecclesiæ
„ tuæ membrorum perfectam remissionem resti-
„ tue. Miserere gemituum, miserere lacrima-
„ rum, & non habentem fiduciam nisi in tua
„ misericordia, ad sacramentum reconciliatio-
„ nis admitte. Per &c. Alia: Magestatem
„ tuam, Domine, supplices deprecamur, ut
„ huic famulo tuo longo squalore penitentiæ ma-
„ cerato, miserationis tuæ veniam largire di-
„ gneris, ut nuptiali veste receptâ ad regalem
D „ mensam, unde ejectus fuerat, mereat introi-
„ re. Per &c.

„ Incipiunt Letaniæ super Pœnitentem.

„ Kyrie eleyson.
„ Christe eleyson.
„ Christe audi nos.
„ Exaudi Deus voces nostras.
„ Exaudi Christe, miserere nobis.
„ Exaudi Deus orationem Populi tui.
„ Sancte Sanctorum Deus, miserere nobis.
„ Deus Angelorum, miserere nobis.
„ Deus Archangelorum, miserere nobis.
E „ Deus Innocentium, miserere nobis.
„ Deus Patriarcharum, miserere nobis.
„ Deus Prophetarum, miserere nobis.
„ Deus Apostolorum, miserere nobis.
„ Deus Euangelistarum, miserere nobis.
„ Deus Levitarum, miserere nobis.
„ Deus Doctorum, miserere nobis.
„ Deus Sacerdotum, miserere nobis.
„ Deus Confessorum, miserere nobis.
„ Deus Martyrum, miserere nobis.
„ Deus Monachorum, miserere nobis.
„ Deus Virginum, miserere nobis.
„ Deus Viduarum, miserere nobis.
„ Deus omnium Sanctorum, miserere nobis

„ Deus

,, Deus unus & incomprehensibilis, miserere nobis.
,, Deus laudabilis & honorabilis, miserere nobis.
,, Deus sapiens & potens, miserere nobis.
,, Deus magnus & benignus, miserere nobis.
,, Deus altissimus & magnificus, miserere nobis.
,, Deus vivus & verus, miserere nobis.
,, Deus sanctus & speciosus, miserere nobis.
,, Deus terribilis & fortis, miserere nobis.
,, Deus fidelis & pius, miserere nobis.
,, Deus sapiens & clemens, miserere nobis.
,, Deus justus & rectus, miserere nobis.
,, Deus Pater & Filius & Spiritus Sanctus, miserere nobis.
,, Deus omnium Te timentium, miserere nobis.
,, Deus omnium in Te confidentium, miserere nobis.
,, Deus omnium ad Te clamantium, miserere nobis.
,, Deus omnium in Te sperantium, miserere nobis.
,, Deus omnium Te laudantium, miserere nobis.
,, Deus omnium Te benedicentium, miserere nobis.
,, Deus omnium exauditor, miserere nobis.
,, Omnes Sancti intercedite pro nobis.
,, Kyrie eleyson.
,, Christe eleyson.
,, Kyrie eleyson.

,, Deinde dicat Sacerdos hanc Orationem: *Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum vulnera nostra curare dignatus es: Te supplices* rogo, *aut* rogamus, *&* peto, *aut* petimus, *ut* ego tuus humilis Sacerdos, *aut* nos tui humiles Sacerdotes, *ut precibus* meis, *aut* nostris *aures pietatis tuæ accomodes, & peccata universa condones, desque* huic famulo tuo, *aut* his famulis tuis (illis), *Domine, pro suppliciis veniam, pro merore leticiam, pro morte vitam; ut quia spe cœlestis aspicis* devolutus, *aut* devoluti *est, de tua miseratione* confidens, *aut* confidentes, *tua opitulatione* salvatus, *aut* salvati *pervenire* mereatur, *aut* mereantur *ad vitam æternam*. Per &c. Psalmus: *Domine ne in furore tuo*, primus, cum *Gloria Patri. Kyrie eleyson.* Sequitur Oratio: *Precor, Domine, clementiæ & misericordiæ tuæ majestatem, ut* famulo tuo, *aut* famulis tuis (illis) *peccata & facinora sua* confitenti, *aut* confitentibus *veniam concedere digneris, & præteritorum criminum culpas indulgeas, qui humeris tuis ovem perditam reduxisti ad caulas, qui Publicani precibus & confessione placatus es. Tu etiam Domine* famulo tuo, *aut* famulis tuis (illis) *placare. Tu hujus precibus benignus aspira, ut in confessione placabilis permaneat. Fletus ejus & peticio perpetuam clementiam tuam celeriter exoret, sanctisque Altaribus, & Sacrariis restitutus spei rursum æternæ gloriæ mancipetur.* Per &c. Psalmus: *Domine, ne in furore tuo*, secundus, cum *Gloria; Kyrie eleyson*. Oratio: *Deus pietatis, Deus pacis indulgentiæ omnium delictorum, qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Tu nosti, quia non justificabitur omnis homo vivens; & quia dignatus es dicere: Convertimini ad me, & qua hora conversi ingemueritis, salvi eritis; pietatem tuam supplices exoramus, ut hujus famuli tui* (illius) *confessionem & satisfactionem acceptare digneris; desque illi gratiam misericordiæ tuæ, & præsta ei indulgentiam omnium delictorum suorum, ut te duce ad Regna Cælestia redire mereatur.* Per &c. Psalmus: *Miserere mei Dus secundum magnam*, usque *iniquitates meas dele*, cum *Gloria Patri. Kyrie eleyson*. Oratio: *Domine Deus noster, qui offensione nostra non vinceris, sed satisfactione placaris, respice, quæsumus, super hunc famulum tuum* (illum) *qui se tibi peccasse graviter confitetur. Tuum enim est absolutionem criminum dare, & veniam relaxare peccantibus; qui dixisti te pœnitentiam malle, quàm mortem. Concede ergo huic famulo tuo* (illi), *Domine, ut tibi pœnitentiæ excubiis celebret, & correctis actibus suis toto protectus munimine, ad gaudia Patriæ Cælestis valeat pervenire*. Per &c. Psalmus: *Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit*; cum *Gloria*; *Kyrie eleyson*. Oratio: *Omnipotens sempiterne Deus, confitenti huic famulo tuo* (illi) *pro tuâ . . . . peccata relaxa, ut non plus ei noceat conscientiæ reatus ad pœnam, quàm indulgentia tuæ pietatis ad veniam*. Per &c. Psalmus: *Deus in adjutorium meum*, cum *Gloria; Kyrie eleyson*. Oratio: *Deus justorum gloria, & misericordia peccatorum, da huic famulo tuo* (illi) *plenam indulgentiæ veniam, & pœnitentiæ locum exoratus indulge, ut qui præterita peccata deplorat, futura mala non sentiat, neque jam lugenda committat. Dimitte ei, Domine, omnia crimina, & in semitis eum justitiæ placatus restaura, ut securus mereatur deinceps intra tuos benemeritos currere, & ad pacis æternæ præmia pervenire*. Per &c. Psalmus: *Benedic, anima mea, Domino, & omnia, quæ intra*, usque *renovabitur ut aquila*, cum *Gloria Patri; Kyrie eleyson*.

Jam animadvertit Lector, quei in Italia reconciliarentur olim Pœnitentes, & qualis Redemtio salutarium pœnarum in usu foret. In Casinensi Pœnitentiali, per Morinum edito, nihil aliud scriptum est, nisi hoc breve monitum: *Cui non potes imponere Jejunium, impone Eleemosynam & Orationem. Eleemosynæ* autem nomine significabatur omnium frequentissimus modus redimendi peccata. Cuinam verò tribueretur plerumque ejusmodi Eleemosyna, & quanta esset tribuenda, habes e Pœnitentiali nostro, cujus verba repetere heic opus est, videlicet: *Si quis fortè non potuerit jejunare, & habuerit* (supple *facultates*) *indedare ad redimendum se poterit. Si dives fuerit, pro uno Anno det Solidos XXVI. Si verò pauper fuerit, det Solidos III. Neminem verò conturbet, quia jussimus dare XXVI. Solidos, aut minus, quia facilius est diviti dare XXVI. Solidos, quàm pauperi dare Solidos III. Attendat namque unusquisque, cui dare debeat sive pro Redemtione captivorum, sive super sancto Altari, sive Pauperibus*. Parum hic Italicorum ritus abludebat ab aliorum Populorum usu. Apud Bedam in Libro de Remediis Peccator. itidem legitur: *Qui non potest sic agere pœnitentiam, in primo Anno eroget Eleemosyna, Solidos XXIII. pro uno Anno; XXII. Solidos pro secundo Anno; pro tertio Anno XVIII. Solidos, qui sunt LXIII. Solidi.*

Paria

Paria occurrunt in Reginonis Libro 2. Cap. 438. *de Redemtionis pretio* : quæ etiam laudantur a Burchardo Lib. 19. Cap. 22. Collection. Canonum : *Si quis fortè non potuerit jejunare, & habuerit unde possit redimere, si dives fuerit, pro septem hebdomadis det Solidos XX. Si non habuerit tantum, unde dare possit, det Solidos X. Si autem multum pauper fuerit, det Solidos III. Neminem verò conturbet* &c. ut supra. Ex Pontificali Anglicano Monasterii Gemmeticensis Martenius Pœnitentialem adfert Tom. 2. de antiquis Eccles. Ritibus, pag. 43. cum Reginonis verbis paria tradentem. Idemque occurrit in altero, evulgato per eumdem Martene pag. 76. Halitgarius quoque Cameracensis Episcopus circiter Annum Christi DCCCXXV. *de Scrinio Romanæ Ecclesiæ Pœnitentialem Romanum adsumtum* (cujus tamen Auctorem se ignorare fatetur) evulgavit, quem suo Tractatui de Pœnitentia in Appendice Morinus adtexuit. Alii Rabanum Maurum celebrem Archiepiscopum, pro Halitgario, Libelli hujus collectorem volunt. Ibi durior mulcta, ac Redemtionis forma habetur. Nam quod pro uno Anno supra dicitur impendi, idem heic persolvendum injungitur pro septem hebdomadis. Hæc ejus verba: *Si quis fortè non potuerit jejunare, & habet unde dare ad redimendum, si dives fuerit, pro septem hebdomadibus det Solidos XX.* Reliqua cum supra memoratis concordia sunt. Itidem inter Leges Ecclesiasticas Edgari Regis Angliæ, Tomo 9. Concilior. Editionis Labbeanæ, pag. 695. hæc habentur : *Quisque poterit unius diei Jejunium unico Denario redimere.* Præterea Pœnitentialis Andegavensis, publici juris factus ab eodem Morino in Appendic. pag. 36. agit *de Remedio Pœnitentis*, & Bedæ verba nobis exhibet. Alia id genus exempla mitto. Non erat certe ubique ipsissima redimendi forma : attamen ubique pecunia ad Redemtionem adhiberi potuit, atque consuevit.

In cujus verò beneficium convertenda foret Eleemosyna, sive mulcta, redimentibus injunctas pœnas præscripta, jam dixi, videri mihi, primitus ad hoc lucrum captandum pauperes ante alios fuisse accitos. Verùm uti Bobiensis supra mox descriptus Pœnitentialis ducet, Clerici quoque & Monachi ab hujusmodi liberalitate minime se excludendos rati, Ecclesias suas in eo negotio sensim pauperibus conjungere, tum subinde etiam præponere cœperunt. Vidisti erogandam multam ex ejusdem Pœnitentialis consilio *pro Redemtione Captivorum, sive sancto Altari, sive Pauperibus*. Si ad *sanctum Altare* oblatio illa deferebatur, jam intelligis, eamdem ad ærarium Ecclesiæ accessisse. Similia in aliis quoque locis usurpata fuere. Ita Burchardus Lib. 19. Cap. 76. *Qui in Quadragesima ante Pascha cognoverit uxorem suam, & noluerit abstinere ab ea, uno Anno pœniteat, aut pretium suum, videlicet XXVI. Solidos, ad Ecclesiam tribuat, aut Pauperibus dividat.* Idem in aliis Pœnitentialibus constitutum videas. Mirentur certe Lectores antiquæ disciplinæ rigorem, quæ tantum pœnæ irrogabat usui maritalis thori, recurrente tempore Quadragesimali ; sed quando in ipso Theodori Cantuariensis Pœnitentiali alia adhuc duriora deprehenderit, mirari desinet ; & quod plus est, laudabit mitiorem, ac si ita dicere fas est, hac in re prudentiorem temporum nostrorum disciplinam, atque

A doctrinam. Ceterum Nicolaus quoque I. Papa in Respons. ad Bulgar. Cap. L. aliique veterum non pauci, inter flagitia recensuerunt non abstinere a conjugali opere tempore Quadragesimali, & Dominicis diebus. Dixi, Ecclesias, æque ac Pauperes, propositas olim fuisse, ut ex Redemtionibus iis emolumentum caperent. Sed minime heic stetit humanorum consiliorum cursus. Præter *Ecclesias* sese etiam immiscuerunt *servi Dei* (Clericos & Monachos subintellige) huic negotio, censentes, sibi quoque peccatorum multas rectissime posse tribui. Apud Jacobum Petitum inter Canones Theodoro Cantuariensi adscriptos hunc legimus : *Sed attendat unusquisque, cui dare debeat, sive pro Redemtione Captivorum, sive super sanctum Altare, seu Servis Dei, aut Pauperibus in eleemosynam.* Eadem verba repetita invenias apud Reginonem, Burchardum, Ivonem. Sed hæc minime tribuenda Theodoro Cantuariensi, non immeritò quisquam contendat, præeunte in hac sententia Johanne Morino. Quod verò a *sancto Altari*, sive ab Ecclesiis, distincti nobis occurrant *Servi Dei*, fortasse non aliâ de caussâ factum, quàm quod sensim invectus pariter fuerit usus, ut per Missas cantatas injunctis Pœnitentiis fieret satis. Adfert Petitus hoc etiam Capitulum, veluti ex eodem Theodoro excerptum, Burchardo quoque, & Ivoni memoratum : *Item qui jejunare non potest, roget Presbyterum, ut Missam cantet pro eo, & tunc ipse adsit, & audiat* &c. Audi & Reginonem Lib. 2. Cap. 446. *Cantatio unius Missæ potest redimere duodecim dies. Decem Missæ quatuor menses. Viginti Missæ novem menses* &c. Heic scribe *VIII. menses*. In Collectione Concilior. Angliæ, ad Annum DCCCCLXVII. Pœnitentialis Libellus refertur, ubi num. 18. & 19. de Redemtione agitur, ibique legimus : *Potest etiam quisque duodecim mensium jejunium triginta Solidis redimere* &c. *Unicâ etiam Missâ potest quis absolvere duodecim dierum jejunium. Et cum triginta Missis potest quis eximere totius anni jejunium* &c. En, ut puto, caussa, quare sacri Ministri separatim ab Ecclesia adsciscerentur in consortium emolumenti redundantis e Redemtione pœnarum. Ac proinde in Pœnitentiali a me supra edito hæc produntur : *Qui jejunare non potest, eligat Sacerdotem justum, vel Monachum, qui verus Monachus sit, & secundùm Regulam vivat, qui pro se hoc adimpleat, & de suo justo pretio hoc redimat. Cantatio enim unius Missæ specialis potest duodecim dies redimere. Decem Missæ tres menses possunt redimere. Viginti Missæ octo menses. Triginta Missæ duodecim menses possunt redimere.*

Neque ego inficias ierim, quin Pœnitentibus optio relinqueretur erogandi multas iis præscriptas, sive in refectionem Pauperum, sive in Captivorum redemtionem, si mallent, potiusquam ad augendum Ecclesiarum patrimonium. Verùm non injuriâ suspicari possumus, sæpe ac sæpius eosdem sese accommodasse ad Sacerdotum consilium, quibus peccata confitebantur : horum verò crebriora hortamina fuisse, ut in Ecclesiæ suæ utilitatem pretium Redemtioni constitutum converteretur. Humanæ cupiditatis vires quantæ sint, nemo ignorat, nisi qui hominem plane non novit. Hominum verò sacrorum animus, ut ab illa præ ceteris caveat, sitque immunis, optandum quidem est ; sed a corrupta nostra omnium

nium natura id non tam facile exſpectandum. Quod enim Apoſtolus olim ajebat ad Philippenſes Cap. 2. verſ. 21. *omnes . quæ ſua ſunt quærunt , non quæ ſunt Jeſu Chriſti* , ad omnia tempora ſpectat , atque ad omne hominum genus. Et ſane recogita, ſi noſtris adhuc temporibus eadem diſciplina vigeret , iidemque ſacræ Pœnitentiæ Canones in honore forent , ubi de Redemtione pœnarum ageretur, ſimulque de eligendis perſonis , in quas Eleemoſyna illa conferenda foret , quid nos ad Confeſſiones excipiendas , aut ad conſilium Populi pœnitentis adhibiti , facilius ac lubentius ſuaderemus . Sancti quidem viri ejuſmodi temporalia lucra refugiebant ; ac proinde Guigo Chartuſianus de Sancto Hugone Epiſcopo Gratianopolitano in ejus Vita num. 20. ſcripſit : *Non deargentatam convictis vel confitentibus impoſuit Pœnitentiam* . Verùm non omnes Sancti, non omnes a Philargyriâ abhorrentes olim fuere .

Neque plura addam in re , quam & hominis natura perſpecte cognita , & ipſa demum experientia exploratiſſimam reddunt . Quare ex quo Canones Pœnitentiales in Occidente prodierunt , & invecta fuit forma ejuſmodi Redemtionis : multis , ne dicam pleriſque, e Clero via lata aperta eſt ad ſuum ſibi commodum procurandum, non minùs quàm alienum. Ideſt Pœnitentibus , ut carnis macerationem , eamque ad vitam , aut ad annos plures duraturam , commutatâ pœnâ , evaderent ; Sacerdotibus autem , ut ſacris locis , pariterque ſibi, utilitatem ex iis mulctis conquirerent. Et profectò Patres Concilii Pariſien. VI. Anno Chriſti DCCCXXIX. habiti, quum male ferrent, antiquæ diſciplinæ rigorem hac viâ ſenſim infringi , aut ſaltem imminui , Lib. I. Cap. 32. in hæc verba dixerunt : *Quoniam multi Sacerdotum partim incuriâ , partim ignorantiâ modum Pœnitentiæ reatum ſuum confitentibus , ſecus quàm jura Canonica decernant, imponunt, utentes ſcilicet quibuſdam Codicillis contra Canonicam auctoritatem ſcriptis , quos Pœnitentiales vocant ; & ob id non vulnera Peccatorum curant , ſed potius foventes palpant : omnibus nobis ſalubriter in commune viſum eſt, ut unuſquiſque Epiſcoporum in ſua Parochia eoſdem erroneos Codicillos diligenter perquirat , & inventos igni tradat , ne per eos ulterius Sacerdotes imperiti homines decipiant . Sacerdotes porro , qui aut muneris , aut timoris , aut certe favoris cauſsâ , tempora modumque Pœnitentiæ ad libitum pœnitentium indicunt , audiant* &c. Sed ne iſta quidem ſalubria edicta quidquam obſtitere , quin diſciplina Eccleſiaſtica , quod eſt ad Pœnitentiarum tempora , modumque , paullatim tepeſceret , ac demum tota concideret . Interim verò univerſa hæc Pœnitentiarum imponendarum , aut per Redemtionem laxandarum œconomia quodam in arcano erat, oculiſque Populi eripiebatur . Hoc eſt , Pœnitentiales Libri minime ſinebantur effluere in Laicorum manus . Id factum credere liceat, ne ab innocentibus & indoctis ignota flagitia diſcerentur . Certe Bulgari ad Fidem Chriſti recentiſſime converſi , a Nicolao I. Papa inter cetera Pœnitentiales Libros petierant Anno DCCCLXVI. Reſpondit ille Cap. 75. Tom. 8. pag. 542 Concilior. Labb. deferendos ac ſervandos ab Epiſcopis ejuſmodi Libros : *Nam Sæculares tale quid habere non convenit , nimirum quibus per id quemquam judicandi miniſterium nullum tribuitur* . Neque reticendum , in uſu etiam fuiſſe , ut Principes , ac Reges , inſtantibus Sacerdotibus , graviorum peccatorum reos notos ad Pœnitentiam ſubeundam compellerent , donec ab Eccleſia remiſſionem & pacem conſequerentur .

Venio nunc ad arcem argumenti primo propoſiti . Ex hiſce peccatorum Redemtionibus nemo eſt qui ſtatim agnoſcere non poſſit , latifundiorum & facultatum proceſſiſſe non levem copiam , quibus Eccleſiæ olim tam Monaſticæ , quàm Sæcularis Cleri , ditatæ fuerunt . Nam etſi olim Monachis interdictum fuerit , Confeſſiones Sæcularium audire, quum ejuſmodi jus ad Parochos tantùm , alioſve Presbyteros Sæculares ab Epiſcopo probatos ſpectaret : Monachi tamen ſenſim in hanc meſſem convolarunt, & denique Privilegia bene multa & heic ſibi procurarunt . Itaque temporibus illis , quoties Chriſtianorum quiſquam confeſſionem ſuorum facinorum Deo ejuſque Miniſtro facturus, ad tribunal Pœnitentiæ accedebat , Sacerdos ſingulis peccatis ex Pœnitentiali parato pœnam indicens , & calamum, chartam, ac atramentarium exerens, quaſcumque pœnas pœnitenti indictas adnotabat. Tum ſubductis rationibus colligebat, ad quot dies, menſes aut annos , tota illius pœnitentia extenderetur . Uti quiſque nullo negotio intelligit , ſi quando gravia & plurima delicta ad pedes Sacerdotis deferebantur (ſæpe autem deferebantur : etenim vitia plura , & minor pietas , quàm noſtris temporibus , tunc obtinebat) Canonica pœna ad centum annos, interdum etiam ad ducentos , ſive trecentos & ultra pertingere deprehendebatur . Quid heic faciendum? Exigendum-ne erat reliquum vitæ in jejuniis , aliiſque auſteritatibus pæne intolerandis a Sacerdote præſcriptis , quæ vel ipſos homines Monaſticam vitam profeſſos nimium fatigaſſent atque abſterruiſſent, nedum Sæculo addictos ? Alios a noſtris fuiſſe homines illorum temporum , ſi fortè tibi perſuadeas , audi Petrum Damiani Sæculo Chriſti Undecimo contra ſentientem Lib. I. Epiſtol. XV. *Dum afflictio carnis a Cunctis pœnitentibus pœne reſpuitur, in præfigendis pœnitudinum judiciis vigor Canonum funditus enervatur . Quis enim Sæcularium ferat , ſi vel triduo per hebdomadam jejunare præcipias ?* Verùm pœnitentibus paratum heic erat effugium . Cum ruſticis , aliiſque ex opere manuum viventibus , mitiſſime agebatur ; longa quippe ac ſevera jejunia non ferebat eorum vitæ genus , atque inſtitutum . Lenius itidem habebantur mulieres, ne earum repetita jejunia ſuſpicionem læſæ honeſtatis ingererent . Iis verò , qui opibus abundarent , aut iis minime carerent , offerebatur *Redemtionis* via . *Viginti ſex Solidi* , ut vidimus , & plures etiam ſecundùm locorum conſuetudinem , iique argentei , unum Pœnitentiæ Annum penſabant, ſive redimebant homini diviti , ita ut qui ad trecentos annos in pœnitentiâ ducendâ , exempli gratiâ , adigebatur , erogatis Solidis ſepties mille & octingentis in Pauperes , aut in pia Loca , poſſet ſe tam gravi diuturnæque pœnæ ſubducere . Iis, quibus erat curta ſupellex, *tres* tantùm *Solidi* ſatis erant ad unum Pœnitentiæ Annum a ſe eliminandum . Hunc etiam ritum innuit prælaudatus Petrus Damiani in Epiſtola ad Hildebrandum , recuſâ Tom. 4 pag. 28. Rer. Italicarum . *Centum itaque* , ait ille , *Annorum ſibi* (ideſt Archiepiſcopo Mediolanenſi) *Pœnitentiam indidi , Redemtionemque ejus taxatam per unum-*

unumquemque Annum pecuniæ quantitate præfixi. Quum verò plerumque Pœnitentes pecunia deficeret (quod etiam contingeret temporibus nostris) cujus ope sese redimerent, prædia ac fundos lubenter offerebant, & ex his unus, aut alter, aut plures nonnumquam in jus Ecclesiæ transferebantur, hoc est, aut novis Ecclesiis, Cœnobiis, & Xenodochiis constructis, aut antiquis donabantur, sed servato sibi sæpe ac sæpius usufructu, dum viverent. Neque enim, ut præfati sumus, segnes erant sacri Ministri ad propriæ Ecclesiæ utilitatem procurandam, atque ad convertendam in sui Monasterii, aut Ecclesiæ lucrum pœnitentiam ac piam liberalitatem Christi fidelium. In Additamentis a me editis ad Chronicon Casauriense Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. donatio legitur facta Anno MXXXII. Cœnobio Casauriensi. Ita præfantur donatores: *Cum quadam die cogitare cœperimus, qualiter* IMPII *&* PECCATORES, QUI PECCATA SUA REDIMERE *negligunt, in illa pœna perpetua cum Diabolo damnabuntur; & qualiter Justi* &c. *subitò respexit nos Divina pietas, & compunctum est cor nostrum, & cum tremore & æstuatione cordis cœpimus anxie quærere* CONSILIUM A SACERDOTIBUS *& Religiosis Viris* (idest a Monachis Casauriensibus, ut conjicere licet) *qualiter* PECCATA NOSTRA REDIMERE, *& iram æterni Judicis evadere possemus. Et* CONSILIO ACCEPTO, *quod* NIL SIT MELIUS *aliud inter Eleemosynarum virtutes*, QUAM SI DE PROPRIIS REBUS *&* SUBSTANTIIS NOSTRIS IN MONASTERIO DEDERIMUS &c. An Consilium illud probent Decreta Conciliorum, & sententiæ Sanctorum Patrum, edicet tibi doctissimus Fleury in Præfationibus ad Historiam Ecclesiasticam. Plura & ego attuli in Tractatu Italico *de Caritate erga Proximum*. Sed Amor terrenarum rerum, sive Concupiscentia, nimis altas radices in cordibus nostris egit. Nihil difficilius, quàm illum extrudere; utpote qui mille artes novit sese celandi, & sub variis personis nobis incautis illudit. Quare nil mirum, si sacrum ac cæleste Pœnitentiæ tribunal diu perrexit hominum cupiditati lucra adferre, usque adeo ut vel Anno Christi MCXCV. in Eboracensi Concilio Canon. 3. hocce Decretum fuerit promulgatum: *Prohibemus etiam, ne Sacerdos Laico ad pœnitentiam venienti, obtentu cupiditatis, injungat, ut Missas faciat celebrari*.

Credibile etiam est, Sacerdotes sese attemperare ad variam pœnitentium fortunam, & ad majorem, minoremve eorum liberalitatem; filiorumque necessitatem præ oculis habuisse, ne quem ad gravem compellerent egestatem. In Concilio Rotomagensi, Anno ML. Cap. 18. statuitur: *Ut Pœnitentes occasione avaritiæ gravare, aut levare, nemo præsumat; sed juxta modum culpæ, vel possibilitatem naturæ moderetur pœnitentiam. Tales namque, si hujus sanctionis transgressores inveniantur, gradus sui periculo subjaceant*. Quid sibi ista velint, nemo indiget, ut a me edoceatur. Et quando tot Ecclesiis donationes factas latifundiorum cessione videmus, reservato sibi a donatoribus eorum usufructu, dum in vivis essent, facilis hæc fortasse videbatur indulgentia & via, qua sese Pœnitentes redimerent, dum simul nullo aut levi suo, dum viverent, incommodo ejusmodi Redemtionem præstarent. Ceterum ingens eorum copia fuit, qui non exspectato tempore mortis, & viventes adhuc sua sacris locis conferebant; neque tantùm prædia, sed & Castella; & ne usufructu quidem sibi servato, *animæ suæ, suorumque*, ut ajebant, *parentum*, idest cognatorum, tam pia liberalitate, *remedium* procurantes. Complura in hoc ipso Opere exempla munificentiæ hujus prostant. Attamen duo heic inserere statui, utpote ad hoc idem argumentum spectantia. Primum excerpsi e Libro MSto Diplomatum & Bullarum, existente in Archivo Monasterii Vallis Umbrosæ, in agro Volaterrano.

Donatio facta a Gerardo Comite & Guilla ejus uxore Monasterio Sanctæ Mariæ, nunc Ordinis Vallumbrosani, sito in Volaterrano territorio, in Castro de Sereno, Anno 1004.

IN nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis. Anno ab Incarnatione ejus MIV. Indictione II. Manifestus sum ego Gerardus Comes filius Gerardi, qui fuit similiter Comes, & Uxor mea Guilla, nobis tractantibus & cogitantibus scilicet fragilitatis, quod bena præsentis vitæ non essent perpetua, sed temporanea & fugitiva, idcirco de bonis non perituris in Cælo thesaurum facere cupimus, ut centuplum efficiatur & æternaliter possideatur. Ideo propter remedium animæ meæ, & animæ supraſcriptæ Guillæ, & Parentum nostrorum, deque remissione omnium peccatorum nostrorum, contradere, atque simul offerre unanimi voto providemus tibi omnipotenti Deo, & Ecclesiæ, & Monasterio Sanctæ Mariæ Matris nostræ, quod nos construimus infra Episcopatum Voliterrensis inter Castellum de Sereno. Quatenus concedimus & confirmamus huic Monasterio in honorem Sanctæ Mariæ Matris nostræ, ad quam omnia nostra bona, & certas nostras possessiones unanimi voto donamus cum Curtibus, & Ecclesiis, Castellis, & Rocchis, Villis, campis, pratis, silvis, pascuis, salectis, pantaneis, piscariis, puteis, fontibus, & rivis, & aquis, molendinis, montibus, & rupibus, ædificiis, cultis & incultis locis, habitationibus, sive habitatoribus in jam nominatis Curtis suc. . . . . infra Comitatu & Territorio Voliterrensis, & Lucensis, & Populoniensis, & Rossellensis, & infra Comitatu & Territorio Orbivieto, & infra Comitatu & Territorio, quod dicitur Toscana, & infra Comitatu & Territorio Castro; seu per aliis Comitatis de supraſcriptis Comitatis. Primum nominamus Castellum de Serena cum Curte, & pertinentia, cum Ecclesiis; Ecclesia Sanctæ Mariæ de Padule medietatem cum Curte Castello de Mirandulo, cum Ecclesia Sancti Joannis Euangelistæ, cum Curte; & Castello de Jovili, cum Ecclesia Sancti Laurentii, cum Curte; Castello de Frosinis sexta parte, cum Ecclesia Sancti Michaëlis Archangeli cum Curte; Scopetulo Castello cum Curte; medietatem de Castello de Cumulo cum Curte; Castello de Vicinatico, cum Ecclesia & Curte; Ecclesia Sanctæ Mariæ de Bosseto; Ecclesia Sanctæ Margharitæ de Tavernule; Ecclesia Sanctæ Mariæ de Solario; Ecclesia Sanctæ Luciæ de Perignano cum Curte; Ecclesia Sanctæ Mariæ de Pulverario cum tredecim Mansis, qui sunt in Curte de Casali; Ecclesia Sancti Blasii de Anarito cum Curte; Ecclesia Sancti Michaëlis de Noctula medietatem; & medietatem de Linaria; Castello de Campilii medietatem cum Ecclesia & Curte; Castello de Aquaviva quartam partem, quod Legodornii vocatur, cum Ecclesia Sancti Cassiani; Rocca de Biserno, quæ Ciniculo vocatur, cum Ecclesia Sancti Angeli medietatem, cum Curte, & suam portionem; & Rivo de Gualdo Castello, ubi dicitur Montecalvo, suam portionem & medietatem; & suam portionem, quod jam fuit Castellonovo; Castello de Mitrano medietatem cum Curte; Castello de Negrano suam portionem medietatem; Castello de Varianello medietatem cum Curte; Castello de Planzano medietatem cum Curte; Castello, ubi dicitur Bisenzo medietatem cum Curte, & cum Ecclesia Sancti Michaëlis; Castello de Martha cum sua portione. Seu de aliis locis & vocabulis de his supraſcriptis Curtis & Casis, seu Castellis & Rocchis, sive Ecclesiis, & rebus domnicatis, & massaritiis rebus, cum fundamentis, & cum ædificiis, vel universis fabricis &c. sive Ecclesiis sunt pertinentes, vel despicientes, tam Servos, quàm & Ancillas in quibuslibet locis vel vocabulis habere & possidere visi sumus, & quocumque ordine & legibus est nobis pertinentes, tam & in vita nostra, quàm & post obitum nostrum, ubicumque esse inveniuntur &c. una cum accessione & ingressoriis suis, seu cum superioribus & inferioribus suis, qualiter supra legitur, in integrum tibi supraſcriptæ Dei Ecclesiæ & Monasterio offerimus, in ipsa Sancta Dei Ecclesia & Monasterio sint omni tempore proprietario jure, & in suo dominio habeat & teneat atque possideat, & faciat . . . . . . tam ipsa Dei Ecclesia & Monasterio, quàm nos, atque Boniperto Abbati totius Monasterii cum Fratribus suis ipsam Ecclesiam & Monasterium nunc detinet, aut alii Successores sui, qui in tempore fuerint, quidquid juxta legem voluerint, sine omni nostra contradictione. Equidem spondimus nos ego qui supra Gerardo, una cum prædicta Guilla pariter prædictæ Dei Ecclesiæ & Monasterio, & illi Abbati, qui in tempore in ipsa Ecclesia & Monasterio fuerint, supraſcriptas certas nostras possessiones, qualiter supra legitur, in integrum ab omnibus hominibus defensare; & insuper hæc jam prædictus Gerardus & Uxor mea Guilla non licet ullo tempore nolle quod volumus: sed quod a nobis semel factum conscriptum est, inviolabiliter conservare promittimus cum stipulatione subnixa. Nam qui hanc Cartulam, & nostro Testamento refragare voluerit, in primis ira Dei incurrat &c.

Hanc præsentem Cartulam Anselmus Notarius scribere rogavit intra Castellum supraſcriptum, Monasterio Sanctæ Mariæ in Territorio Voliterrensi.

Ego Gerardus cum Uxore mea Guilla hac Cartula offersionis a nobis facta est.

Ego Bonipertus Abbas prædicti Monasterii hac Cartula in me facta est, & subscripsi.

Ego Petrus Monachus hac Cartula in me facta est, & subscripsi.

Ego Petrus filius Alberti rogatus testis.

Ego Bernardus filius Rustici rogatus testis.

Ego Rodulphus filius Rolandi rogatus testis.

Ego Rolandus Judex Sacri Palatii subscripsi.

Ego Guilielmus Judex Domni Imperatoris subscripsi.

Ego Anselmus Notarius post tradita complevi & dedi.

Habes a viventibus oblatam sacro loco ingentem bonorum & Castellorum copiam, nullumque verbum audis de usufructu reservato. Ira

Ita in Chartophylacio Luçensis Archiepiscopii Charta habetur, in qua Anno MXL. *Ghisella, que Hermellina vocatur, relicta bone memorie Enrighi Comes, filio bone memorie Ildebrandi Comes, & filia bone memorie Farolfi, quia consentientis & data licentia sibi Ildebrando Comes filio bone memorie Ildebrandi Comes, Cognato & Mundualdo suo, in cujus mundio ipsa esse videtur, pro Remedio Animæ suæ* sacris locis donat omnes *Casas, Cortes, Ro-* A *chas, Castella, Ecclesias* &c. quas ipse possidet infra *Comitatu Lucense, Pisense, Florentino, Populoniensi, Rossellensi, Vulterrensi, Aretino* &c. ad ipsam Ghisellam translatas ob mortem *Theodegrimi* fratris sui. Sed & alteram subnecto Chartam, cujus pervetustum apographum vidi in Archivo Canonicorum Regularium Pistorii. Heic autem ususfructus reservatur.

Dotatio Ecclesiæ Sancti Petri Pistoriensis facta a Guinifredo Filio Guilliradi, ejus fundatore, qui & ipsam subjicit Monasterio Sancti Bartholomæi Pistoriensis, Anno 767.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Die IX. mense Aprile. Regnante Domno Desiderio, & Adelgis *Anno Decimo & Octavo, per Indictione V. feliciter. Christiani Domini nostri Jesu Christi adsidue nos convenit precepta complere, ut cujus providentia mens nostra adcommodare dignatus est, ipsius auxiliante, quoniam vitam temporum, & mortis exitum debemus ob scripta patefacere, atque adversi sancti & venerabilis loci nos commendandum ibi volumus festinare, ubi semper debemus permanere, ubi justis & bene merentibus sine fine in gaudio repausare festinant, ut pro his temporalibus rerum nobis omnipotens Dominus centuplum restituere dignetur. Unde modò ego Guinifredi filio quondam Guillirad, una cum dilectissimis filiis meis, idest Guillerad, Agrafi, unanimiter bonâ & integrâ voluntate nostrâ donamus, tradimus, atque offerre visi sumus omnes res, quas nominative dixerimus, de res pecuniola nostra, quas abemus de jura genitoris nostris, vel de eorum conquisito, similiter de nostro in aliquantu offerimus in Ecclesia Oratorio nostro beati Petris, & Sancte Marie*, quod nos indigni peccatores in nostro privilegio a fundamentis erexerimus, *ibidem offerrimus; idest est in primis Case habitationis, ubi habitamus locus, qui appellatur Pionte, una cum solamentu de ipse Case, seo Curte, ubi ipse Ecclesia superposita est, una cum orto circa ipse Case, seo & prato prope ipse Case, una cum arboribus. Et insuper ibidem damus Casa habitationis, quam habere visi sumus locus, qui appellatur Casale, una cum solamento suo, Curte, orto, vinea, terra, pratis, pascuis, cultum & incultum de quidquid ividem ad nostra dominatione pertenet in integrum, quod avemus in suprascripto loco, excepto silva illa, qui fue de ipsa Cortes, quod antea dedimus, & Sancti Vitis: Et insuper dedimus ibidem Casa habitationis cum solamento, Curte, orto, prati, pascuis, silvis, salectis, sationibus, cultum & incultum, omnia integro quod habere visi sumus, locus qui appellatur Duenta, excepto Casagio illo in integrum ad Cattarutula da Padule, quod nobis reservamus. Et insuper Casa, quod habere visi sumus, quod nobis da Guillerad Gastaldio in cambio evenne locus, qui vocatur Cinquantula ad Mediana, cum omnia de quidquid ad ipsa Casa pertenet, Curte, orto, vinea, terra, pratis, pascuis, cum omnia ad ipsa Casa pertenet in integrum ibidem dedimus, excepto una petiam de terra, que fora ipsa clausura est, quod nobis reservamus. Item de Case* B *massaricie ividem damus. In tali enim tinere ut omnes Romani, qui modò sunt, vel eorum heredibus dare debeas per circulo annus per quemque Casa sua luminaria in ipsa Ecclesia Oratorio nostro in valliente tremisse, oleo, cera, auro, de ista tris res una quale habuerit orum Massarii ipsi, qui modò sunt per singulas Case, vel heredibus eorum faciat ad ipsa Ecclesia angarias e divinos quattuor per annos, nam nulla reddita vel angaria, neque via supponendum nullu homo possit. Et insuper dedimus ividem Silva Domnica, qui appellatur Calamicca. Idem massaricie Case sunt, in primis Casa Godiperti de Calamicca: Casa Istabili de Calamicca: Casa Gaudimari de Cilonia, excepto Silva domnica de Cilonio: Casa Crespuli de* C *Fremiano, excepto sorte Fosculi, qui fue Barbano ejus, quem nobis reservamus. Ista verò omnia, qualiter superius ad ipsa Ecclesia per nos datum & confirmatum est, ipsa omnia volemus, ut aveas ipse sancta Dei virtute Oratorio nostro, ut non nos suprascripti Gunifredi, Saxu, Guillerad, Agrafi, non aliquis de heredibus atque posteris nostris nullatenus habeamus facondia alique Dominus ipsa suptraëndum, neque de ipsa Ecclesia, neque da homini illi, nec in Monasterio, ubi per nos contraditum vel confirmatum fuerit. Sic tamen dicimus, atque decernimus*, dum fuerit die vite nostre totorum & omnium, res nostra dum uno de nobis supervixerint, omnia in integrum D aveant in sua potestate; quislibet nobis antea uno de altero defunctu fuerit, tunc ille qui remansere, de portione defunctis faciat lemosina. Uno nobis totorum justum comparuit, ut dum fuerit die vite nostre, usofructo in nostra abeamus potestate homini libertandum, & omnis trinsecus Case eramentum, firramentum, nutrimentum nobis reservavimus, *e ipso qui super exceptavimus faciendum, quivis bonus est, & quis hoc, quod antea dicere debuimus, de portione Bellisari in ipsa subjaceat, sicut illa nostram portionem, unus inter nos cui quia minime abente filii vel filiæ, aut parente, in quem nobis opportet cadere, aut Casam nostram commendare; nisi volemus, ut post nostro* E *quandoquidem totorum obito tam ipse Ecclesia, quàm res pecunia, que ibidem per nos datum, vel confirmatum est, ut subjaceat in Monasterio beatissimi Sancti Bartholomei se ipse* Abbas Dominico, *vel ille qui pos ipso in ipso Monasterio ordinatum fuerit, tam ipsa Ecclesia, cum omnia ad ipsa Ecclesia pertinente, ipsi eam abeant in sua potestate regendum, gubernandum, Sacerdotem vel Monachi ividem congregandum, qui*

qui ibidem secundùm sancta Regula habitare & vivere debeat, & pro peccatis nostris, vel de parentibus nostris die noctuque Deo deprecare deveneat, ut nobis ad remedio & salute anime nostre *perteneat. Et quis ille de heredibus, atque posteris nostris contra ipsa Ecclesia, vel ejus deservientis, agere aut causare, aut aliquit subtrahere, aut controversiam facere voluerit, aut Rectoris, qui fuere, & neglectum posuerit per nos orandi: in primis inram Dei, & ipsius sancte Virtutis incurrat periculum. Et si forsitans aliquis de heredibus atque posteris nostris contra hanc Cartulam agere voluerit, adda ipso Monasterio Sancti Bartholomei res ipsa subtraëre voluerit, compositurus sit ad Abbate Monasterii Sancti Bartholomei Solidos mille. Et post data compositio & pena ab ipso soluta, presens Cartula in sua maneat firmitate. Qui verò Cartula autfertionis ad nos facta Lucio Notarius scribere rogavimus.*

Actum Pistoria, Regnum & Indictione suprascripta, feliciter.

Signum ✠ manus Guinifredi.

Signum ✠ manus Saxoni.

Signum ✠ manus Guillerad.

Signum ✠ manus Agrafi: hanc Cartulam fieri rogaverunt, & ipsorum relecta est.

Signum ✠ manus Lazaro filio quondam Casinduli, testis.

Signum ✠ manus Johanni filio quondam Georgi, rogatus testis.

A *✠ Ego Anselmi, rogatus ad Guinifredi, Saxu, Guillerad, Agrafi, testis subscripsi.*

Signum ✠ manus Rotpulo filio quondam Ermifredi, testis.

Ego ✠ Tacmandu, rogatus ad Guinifredi, ad Saxu, ad Guillerad, Agrafi, testis subscripsi.

✠ Ego qui supra Lucio Notarius, scriptor hujus Cartule post a testibus roborata, tradita complevi & dedi.

✠ Ego Gualbertus Notarius & Judex sacri Palatii, scriptor, qualiter in autenticum scriptum inveni, fideliter exemplavi.

Ad illa verba *Anno Decimo* adjectum est supra B *Un*, quasi scribendum fuerit *Undecimo*. Et sane quamquam fere semper Regnum Desiderii Regis præcedat Adelchisi ejus filii Regnum annis duobus, attamen interdum tribus annis inter se differunt. In Archivo Lucensis Archiepiscopii vidi Chartam scriptam *Anno IX. Desiderii Regis*, & *VI. Adelchis*, decurrente *Majo mense*, *& Indictione III.* ideft Anno Christi DCCLXV. Immo etiamsi liberis minime carerent, non desinebant tamen pii homines multa largiri locis Deo sacratis. Unum ex multis exemplum profero e Bobiensis Monasterii pergamenis descriptum, sed nescio an exacte satis.

Charta Beatæ, multa donantis Monasterio Bobiensi Sancti Columbani, Anno 863.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludovicus Lotharii filio, *hic in Italia in Christi nomine Duodecimo, XIII. Kalendas Julii, Indictione XI. Sacrosancto & venerabili loco Monasterio beati Columbani Confessoris, ubi* Ermerisio Præpositus esse videtur, *nec non &* Beata, qui propter amorem & remedium anime mee, vel parentorum meorum, ut mihi peccatoris proficiat ad salutem, *proinde dono ego Beata ad ipso Sancto memoriam, de Casis & omnibus rebus juris meis, atque medietatem, quicquid habere visa sum in finem Tertonense, loco qui dicitur.....nio, vel in eorum territorio. Hoc est Casa, Curte, Orto, area, campis, pratis, pascuis, vineis, silvis, ac silaneis, ripis, rupinis, coltum vel incoltum, divisum vel indivisum, cum finibus, terminibus, accessionibus, & ingressoras earum, cum omnia & ex omnibus jura & acjaeentia, aut pertinentias earum, aquarum, aquarumque ductibus, cum omnia super adstantibus, vel habentem, omnia in integrum, ipse suprascriptis rebus, qui mihi obvenit de Amabile ne...... defuncta, quarta omnem medietatem. Unde alia medietatem dare debeo* ad filii mei Fictabile & Amabile. *Nam aliis rebus, sicut supra legitur,* pro remedio anime mee vel parentorum meorum, ut mihi peccatrix proficiat ad salutem, *dono, cedo, confero, & per presentem Cartolam donationis in suprascripto Monasterio factam....... & potestatem habendi, faciendi Actor suprascripti Monasterii voluerit, ad presentem diem. Et nunquam liceam neque ego Beata, neque eredibus meis, ipsis suprascriptis rebus de ipso sancto Monasterio subtrahere, nisi quod dixi, firmis & stabilis permaneat omnia in tempore. Et pro predicti am-*C*pliorem firmitatem & securitatis ritus gentis nostre Langobardorum, accepti Launichild mantello uno, ut plus firmis & stabilis permaneat; & mea donatio omni in tempore atque persistam. Quam verò Cartulam donationis mee factam ad omnia suprascripta.*

Acto Robenii feliciter.

Signum ✠ manu Beate, qui hanc Cartolam fieri rogavi, & ei relecta est.

Signum ✠ manu Lubeni de Robenio testis.

Signum ✠ ✠ manibus Lubeni & Bonarigeri testis.

Signum ✠ manu Stabilis testis.

Signum ✠ manu Ildeprandi testis.


Ego Florentino Notarius hujus Cartola post D *roborata complevi & dedi.*

Quod si Archiva adeas, ubi ingens etiamnum piarum donationum copia superest, aut si recolas Chartas, ab eruditis Scriptoribus e tenebris erutas: ibi innumeræ occurrent tibi oblationes factæ Ecclesiis cum ea formula *pro animæ meæ mercede, & parentum meorum*; sive *pro remedio animæ meæ & parentum*; sive *per hoc salutem perpetuam & remedium meorum peccatorum invenire possim*; sive *pro redemtione peccatorum meorum*, atque similibus aliis formulis. Hæc indicant, ea dona a Fidelibus in Ecclesias collata fuisse, ut pia hac largitione satisfactorias pœnas suorum criminum eluerent. E Hujusmodi verò Redemtionis frequens est mentio apud inferiorum Sæculorum Scriptores, e quibus unum dabo Petrum Damiani, qui Epistol. 12. Lib. 4. hæc ad Episcopum quemdam scribit: *Præterea non ignoras, quia quum a Pœnitentibus terram accipimus, juxta mensuram muneris eis de quantitate Pœnitentiæ re-*

relaxamus , *ſicut ſcriptum eſt* : *Divitiæ hominis* , *redemtio ejus* . Luculentiorem teſtem adferre non poſſis . Rurſus idem ſcribit in Epiſtol. 8. Lib. 5. *Quum Sacerdotes Eccleſiæ* , *annoſam indicunt quibuſdam peccatoribus Pœnitentiam* , *numquid non aliquando certam pecuniæ præfigunt pro annorum Redemtione menſuram* , *ut nimirum facinora ſua Eleemoſynis redimant* , *qui longa jejunia perhorreſcunt* ? Mirabar autem ego in Antiquitat. Eſtenſib. Cap. 7. pag 41. & adhuc miror, quei Henricus IV. Germaniæ ac Italiæ Rex , Anno Chriſti MLXXVII. ditiones omnes confirmans *Ugoni & Fulchoni germanis Aczonis Marchionis filiis* , proteſtetur, ſe id facere *pro Patris noſtri* , *noſtræque remedio animæ* . Nonne formula hæc locum habuit in unis donationibus piis ? Atta- A men eam quoque interdum adhibitam oſtendi , quum de Sæcularibus perſonis remunerandis agebatur , idque in uſu Regis ejuſdem fuiſſe , quod ejuſmodi etiam munera crederentur Deo grata , & præcipue ſi quando facinore aliquo Regiam gratiam antea quiſquam amiſiſſet , aut ipſe Rex indebita mala ſubditis illata , novo munere ſibi reparanda cenſeret . Nunc profectò ſimile Privilegium videas conceſſum ab eodem Rege *Ragimbaldo Comiti Tarviſano* , a quo nobilis Comitum Collalti progenies originem trahit . Ejus diplomatis antiquum exemplar debeo præſtantiſſimo viro Antonio Rambaldo Comiti Collalti , ac intimo Conſiliario Auguſtiſſimi olim Caroli VI. Imperatoris . Ita verò ſe habet .

Henricus IV. Germaniæ & Italiæ Rex Ragimbaldo Tarviſano Comiti omnia illius bona & jura confirmat, Anno 1077.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis* . Henricus IV. *divina favente clementia* Rex. *Si juſtis petitionibus noſtrorum fidelium aures noſtræ pietatis inclinaverimus* , *juſtiſque eorum precibus clementer annuerimus* , *Regni noſtri gubernacula benigne regere & moderari credimus* , *& eos noſtræ* . . . . . . *fideliores inde meritò reddere non dubitamus*. *Quocirca omnium Dei noſtrorumque fidelium tam futurorum quàm præſentium noverit multitudo*, *qualiter nos* pro Patris noſtri , noſtræque animæ remedio , *intuituque amabilis Camerarii noſtri Gunthediardi* , Ragimbaldo Tarviſienſi Comiti *noſtro fideli* , *per noſtri Præcepti traditionem concedimus*, *donamus* , *& confirmamus* , *& corroboramus omnia ſua bona* , *Caſtella ſcilicet*, *Turres*, *Villas* , *Capellas* , *ſeu maſſaritias* , *foreſtas* , *ſilvas* , *vineas* , *campos* , *prata* , *molendina cum aquis ſuis* , *piſcationes* , *venationes tam in mon-* B *tibus quàm in planiciebus* , *ſervos & ancillas* , *aldiones vel aldianas* , *& omnes res* , *quas juſte poſſidet* in Comitatibus Tarviſienſi , Patavienſi, Vicentino , Cenetenſi , *ſeu quæcumque* . . . . . *modò poſſidet in cunctis locis infra noſtrum Regnum Italicum* : *univerſaliterque quæcumque Pater jam dicti Ragimbaldi* , *aut alii ejus Parentes per Præcepta aut alias juſtas acquiſitiones aquiſiverunt* , *& illi reliquerunt* , *& ille jam juſte acquiſivit* , *vel acquirere deinceps jure poterit* , *ſicut jam dictum eſt* , *per Præceptum noſtrum concedimus & confirmamus* . *Eâ ſcilicet ratione* , *quod nullus Archiepiſcopus* , *Epiſcopus* , *Dux* , *Marchio* , *Comes* , *Vicecomes* , *Gaſtaldio* , *nulla prorſus magna parvaque noſtri* C *Regni perſona audeat prædictum Ragimbaldum Comitem de omnibus prędictis ejus bonis diſveſtire* , *moleſtare* , *inquietare* . *Si quis verò &c.*

Signum Domni  *Henrici invictiſſimi Regis* .

Gregorius Vercellenſis Epiſcopus ac Cancellarius . . . .

Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti MLXXVII. Indictione XV. Anno autem ordinationis Domni Henrici Regis . . . . . . *Regni verò XXIIII.*

Actum Veronæ feliciter .

Neque tantùm in Henrico IV. Rege, ſed & in Henrico III. ejus patre , inter Romanorum Imperatores Secundo, conſuetudinem hanc deprehendi, plura alia, ut puto, deprehenſurus ſi pari ſucceſſu uti Eccleſiarum , ita & Sæcularium virorum Chartæ ad nos uſque perveniſſent . Itaque adſervatur in antiquiſſimo Regeſto Archivi Eſtenſis , expers omnis ſuſpicionis exemplum Diplomatis , ab eodem Henrico III. Rege ac Imperatore II. conceſſi Anno Chriſti MLV. Populo Ferrarienſi : ex quo intelligas , poſt mortem Bonifacii Marchionis Ferrariam non ejus filiæ Mathildi paruiſſe , ſed quidem Imperatori : quod & de Mantua factum alibi animadverti . Subſcribit ibi *Andreas divino* D *nutu Ferrarienſis Notarius* , *qui die XIV. introëunte Menſe Februario* , *Anno Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Centeſimo Quinquageſimo Secundo* , *tempore Eugenii Papæ & Conradi Regis* , *authenticum Privilegium* , *ſeu reſcriptum* , *ſigillo Henrici II. Regis II. Imperatoris ſigillatum* , *ſuis manibus deſcripſit*. Tum *Armanus Dei gratiâ Imperialis Aulæ* , *item Poteſtatis & Communis Ferrariæ Notarius* , *illud exemplum Anno MCCXXXI. exemplavit* . Diſertis autem verbis & heic legitur formula *pro remedio animæ noſtræ* . Leguntur & alia, quæ ad eorum temporum eruditionem non parum conducunt . Nunc illud accipe .

Henrici III. Germaniæ ac Italiæ Regis, & Imperatoris II. Privilegium concessum Ferrariensi Populo, Anno 1055.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis*. Henricus *divina favente clementia* Romanorum Imperator Augustus. *Noverint omnes sancte Dei Ecclesie, nostrique fideles, tam futuri quàm presentes, qualiter* pro remedio anime nostre, *& ob interventum* Conjugis nostre Imperatricis Agnetis, *& propter interventum dilectissimi* Filii nostri Henrici Quarti Regis, *universo Populo Ferrariensi nobis supplicanti pro fideli ac devoto eorum servitio omnes Curtenses a datione in placito, que Tertie dicuntur, tutos esse permittimus. Villanos etiam infra totam Civitatem Ferrarie, vel ubicumque in eorum terra habitant, ad publicum Placitum non venire: Sed Dominis eis pro illis respondere concedimus. Naves suas & caballos ad P. officium persolvere non cogantur, nisi cum nos in Regnum Ytalicum veniremus, vel noster Missus. Preterea si quis ad Placitum vocatur, & debitum suum sponte confitetur, a pena Tertiarum solutus sit. Similiter etiam & Viduas a Tertiis in placito solvimus. Bannus autem illorum secundùm antiquum modum centum & octo Denarii sit. Ripaticum non dent, nisi Papie, duodecim denarios ejusdem monete. Cremone autem si fortè quisquam Negotiatorum moratus fuerit, & alibi aliquod negotium de Sale fecerit, duo oralia persolvat. De piscibus pro unaquaque vegete duos Denarios Mediolanenses tribuat. Ravenne duos monete Venetie, Venetie verò duodecim ejusdem monete. Et preter hec prenominata loca omnem mercatum Ytalicum absque qualibet exactione secure frequentent. Secundùm etiam quod Lex jubet, in Placito inducie illis concedantur, nisi cum nos, aut noster Missus in Regnum Ytalicum venerimus. Generale Placitum in anno bis custodiant, & hoc solvendo modo tribus diebus, & unaquaque die tres porcos, centumque panes, unam libram piperis, & alteram zinamomi, tresque sextarios mellis; hisque tribus diebus tantummodo unam vegetem vini: quarta verò die unum verrem ac quinquaginta panes placitanti tribuant. Fotrum autem nobis, aut nostrò Misso ad Italiam venienti plenissime persolvant; hec enim omnia, que prescripta, nec non concessa sunt, illâ exceptione stabilimus & confirmamus ad cetera tempora; nisi cum nos, aut noster Missus in Regno Ytalico steterimus. Si quis autem hujus nostre concessionis & confirmationis violator extiterit, centum Libras auri optimi componat, medietatem Camere nostre, & medietatem predicto Ferrariensi Populo. Et ut hec nostre confirmationis auctoritas stabilis ac firma permaneat, hanc Chartam inde conscriptam, manu propria, ut infra videtur, corroborantes, Sigilli nostri impressione jussimus insigniri.*

Signum Domni Henrici Tertii Regis invictissimi, Secundi Romanorum Imperatoris.

Gunterius Cancellarius vice Hermani Archicancellarii recognovit.

Data VIII. Kalendas Septembris, Anno Dominice Incarnationis MLV. Indictione VIII. Anno autem Domni Henrici Tertii Regis Imperatoris autem Secundi, ordinationis ejus XXVII. Regni quidem XVII. Imperii verò VIIII.

Actum ad Pontem in Dei nomine feliciter Amen.

Præterea alterum hujus formulæ exemplum vide in Diplomate Berengarii Regis I. quod evulgavi in Dissertatione XI. *de Allodiis*. Nunc alterum addo, e Tabulario Monasterii Veronensis Sancti Zenonis deductum, ubi autographum visitur.

Berengarii I. Regis Diploma, quo hortulum in Civitate Verona positum Ingelfredo Vasso suo donat, Anno 897.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis*. Berengarius *divina favente clementia* Rex. *Si petitionibus fidelium aures Regiæ inflectuntur, hìc & in futuro benivolentiæ credimus fiducialiter augeri. Quapropter omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque, presentium scilicet ac futurorum, cognoscat industria*, Berthilam nostram *dilectam* Conjugem & Consortem nostri Regni, *nostram expetiisse clementiam, quatenus* Ingelfredo *dilecto* Vasso nostro, *per hujus Precepti institutionem, concedissemus Ortellum unum in proprietate pertinentem de Veronense Comitatu, situm infra Civitatem Veronam non longe Cortealta. Cujus nos ratam arbitrantes petitionem, pro Dei amo-* A *re, &* remedio anime nostre *predictum Ortellum, extendentem de uno latere per longum perticas legitimas quinque, additis sex pedibus, de altero verò latere per longum perticas quatuor, additis pedibus decem: ex uno capite extendentem in latitudinem perticas quatuor, additis quatuor pedibus; de altero verò capite perticas quatuor, additis octo pedibus, concedimus eidem Ingelfredo per bujus nostri Precepti paginam in proprietatem ad habendum, tenendum, commutandum, donandum, vendendum, & quicquid voluerit faciendum absque alicujus potestatis contradictione. Contra quod nostre donationis Preceptum, si quis insurgere temptaverit &c.*

Signum Domni BS *Berengarii serenissimi Regis*.

Sigillum cereum.



Vitalis Cancellarius jussu Regis recognovi & subscripsi.

Data Pridie Kalendas Mai, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCXCVII. Anno autem Regni Domni Berengarii piissimi Regis VIII. Per Indictionem Quartamdecimam.

Actum Veronæ in Dei nomine, feliciter. Amen.

Ad vetera quoque tempora spectat ritus ille, de quo in Dissertatione præcedenti egi. Quum videlicet apud se quisquam retinebat aliis inique ablata, aut indebitis tributis subditos vexabat, sese Redimere consuevit donando Ecclesiis: quod tamen factum puto, nisi certus rerum ablatarum dominus appareret. *Maltoletum*, *Malatolta*, *Toltamala* appellari consueverunt ejusmodi exactiones contra jus invectæ. In Vita Innocentii III. Papæ, Tomo III. pag 489. Rer. Italicarum, nobiles quidam viri *jurarunt stare mandatis Domni Papæ super facto Vetrallæ, stratæ securitate, Mattolectis*. Lege *Maltolectis*. Dantes quoque Cant. V. Paradisi, usus est voce *Maltoletio*: quæ vox propria fuisse creditur Dialecti Forojuliensis, pro *Maltolto*. Ita Frater Jacoponus Tudertinus, synchronus Dantis, Lib. 4. Cantic. 21.

Figli, nipoti, e frati,
Rendete il Maltoletto.

Quam verò antiquus sit iste ritus, habes ex Collectione Canonum Pœnitentialium, ante *annos nongentos* scriptâ, atque editâ a Clariss. Viris Martene & Durando Benedictinis Congregation. Sancti Mauri, Tom. 4. Thesauri Novi Anecdotor. pag. 55. ubi *si quis injuste aliquid abstulit, eroget in eleemosynam: & alium* B *tantum, quantum valet ipsum argentum, de terra Ecclesiis Dei conferat in eleemosyna* &c. Neque modicum momenti habuit ad piorum liberalitatem erga Monachos alliciendam alter ille ritus, cujus adhuc rudera supersunt. Nempe consuevere veteres Monachi, communionem Sanctorum præ oculis habentes, primo aliorum Monasteriorum alumnos confœderatos habere, suarumque precum atque orationum participes facere, tum eumdem bonorum operum fructum communicare cum iis etiam, qui aut in suum Cœnobium, aut in alia sibi sociata, alicujus beneficii largitate fuerant liberales. *Societatis* ac *Fraternitatis* nomine pia hæc consuetudo designabatur, ejusque vestigia aliquot vel in C ipsis monumentis Sæculi a Christo nato Octavi occurrunt, uti indicat Clariss. Mabillonius in Præfation. ad Sæcul. III. Actor. Sanctor. Benedictinor. Part. I. atque in Annalib. Benedictinis ad Annum DCCCLIX. num. 52. Hujusmodi *Fraternitatum* exempla ab Anno DCCC. usque ad finem Sæculi Duodecimi protulit Goldastus Tom. 2. pag. 140. Rer. Alamann. uti & *Missam pro illis, qui Elimosinam faciunt*, scilicet Monachis, & quidem ditibus. Vide etiam Cap. 18. pag 172 Antiquitat. Estens. ubi Regienses Monachi Anno MCXIX. filios Odonis Blanchi investiunt *de omni Fraterna, & Oratione, & Eleemosyna*, quæ in eorum Cœno-

Cœnobio facienda fuerit. Capite quoque 30. pag. 298. *Gulpho Dux Spoleti, & Marchio Tusciæ*, multa circiter Annum MCLXVI. concedit Monachis Lucenſibus Sancti Frigidiani *ratione Fraternitatis, quam nobis ſuâ gratiâ conceſſerunt*. Atque hactenus dicta uberiorem lucem accipient ex Charta Senenſi mecum a præclariſſimo, dum vivebat, viro Huberto Benvogliento ejuſdem Civitatis Patritio communicata, ubi *Ildebrandinus Comes* multa Abbati Sancti Salvatoris injuſte occupata reſtituit, ea etiam ratione commotus, quod *Monachi ejuſdem Monaſterii cum adjutorio Domini noſtri Jeſu Chriſti participem & conſortem me*

A *fecerunt omnium Orationum ſuarum, & divini ſervitii, quod omnipotenti Domino die noctuque exhibere videntur*. Neque hoc tantùm polliciti ſunt Monachi, ſed etiam, ut ille ait, *a me humiliter exorati, onus trium annorum de Pœnitentia mea ſuper ſe ſuſceperunt, quam de peccatis meis ab Aretino Epiſcopo acceperam*. Viden, qui ritus eorum temporum forent? Atqui hic etiam adnumerandus eſt inter rationes Redimendi peccata ſua. Offerebant pii homines temporalia bona Templi Miniſtris; ii contra ſpiritualia conferebant, ſuſcepto in ſe onere pœnitentialium pœnarum. Ita verò ſe habet Charta illa Senenſis.

Ildebrandinus Comes Monaſterio Sancti Salvatoris terras reſtituit eidem occupatas, Anno 1154.

IN nomine Domini. Amen. Scriptura retrodonationis, quomodo teſtamentum Piciavene de Sciano Abbatia Sancti Salvatoris recuperavit, & modò habet. Divinæ Leges habent, & humane firmiterque precipiunt & prohibent, ut nullus preſumat res alienas invadere, aut contra rationem retinere; ſed precipue res Eccleſiarum & predia nullatenus ab aliquo ſint invadenda, ſive ratione ulla retinenda, unde Eccleſia Dei, cui jure competunt, aliquod patiatur detrimentum vel jacturam. Proinde ſacri Canones & divine Scripture auctoritas omnes Eccleſiaſticarum rerum invaſores, eaſque violenter tenentes, maledicunt, & excommunicant. Quapropter ego Ildibrandinus Comes, filius Comitiſſe Donniſie, *dimitto & refuto terras omnes Abbatie Sancti Salvatoris in manibus* Nicolai Abbatis ejuſdem Abbatie, *quas Piciavena de Sciano quondam teſtamento pro anima ſua prefate Abbatie dereliquit. Has etenim terras uſque modò contra juſtitiam occupatas detineri feci*. Ut igitur mihi omnipotens Deus peccata mea & culpas indulgeat, per me & per omnes perſonas dimitto & refuto atque renuntio omne jus & omnem uſum, ſi quod fortè habui, in predictis terris Piciavene, que teſtamento pervenerunt Monaſterio Sancti Salvatoris Berardingorum. Et quidem per hanc refutationem, quam feci, Monachi ejuſdem Monaſterii cum adjutorio Domini noſtri Jeſu Chriſti, participem & conſortem me fecerunt omnium Orationum ſuarum, & divini ſervitii, quod omnipotenti Domino die noctuque exhibere videntur. Et inſuper a me humiliter exorati, onus trium annorum de pœnitentia mea ſuper ſe ſuſceperunt, quam de peccatis meis ab Aretino Epiſcopo acceperam.

B *Refutationem ſiquidem prædictarum rerum primum feci in Capitulo apud Abbatiam coram Monachis ejuſdem Abbatiæ, & coram Plebano de Rapulano, multiſque aliis. Secundo ante Plebem Sancte Agathe de Aſciano in preſentia & teſtimonio jam dicti Nicholai Abbati, & Domni Petri olim Prioris de Ranteſſa, & Plebani de Aſciano, & Donodei, & Nontivollio, & Griffoli, filii Tracii, & Magialis, filii Homodei, & quorundam aliorum. Anno Domini Milleſimo Centeſimo Quinquageſimo Quarto menſe Novembris, Indictione .....* tempore Anaſtaſii Papæ Quarti, & Jeronimi Aretini Epiſcopi.

Ego Frater Nicolaus Peccator Monachus, & C *ſolo nomine non opere dictus Abbas predicti Monaſterii, hec omnia vidi & interfui, & omnia ſupraſcripta deſcripſi, & manu propria ſic denotavi. Amen. Amen. Amen.*

Atque ex hoc ritu Fraternitatum, ſive *Societatum*, effluxere Diptycha, ſive tabulæ aut Libri, in quibus olim nomina adnotabantur eorum, qui ad percipiendos ſpirituales hoſce fructus admittebantur. Non pauca ex iis adhuc ſuperſunt in antiquis Cœnobiorum Archivis, mortem quoque piæ gentis quandoque indicantia, ac propterea *Necrologiorum* nomine deſignata. Unum ego, & quidem antiquiſſimum, reperi Brixiæ in nobiliſſimo Cœ- D nobio Monialium Sanctæ Juliæ, non unâ manu ſcriptum. Sed quum nuda tantum nomina occurrerent, & nihil Hiſtorici exhiberent, ego paucis delibatis, quæ mihi viſa ſunt alicujus momenti, reliqua dimiſi. En ergo ſpecimen illius Codicis.

EXCERPTA

EXCERPTA

EX NECROLOGIO ANTIQUISSIMO MONIALIUM SANCTÆ JULIÆ IN CIVITATE BRIXIANA.

Garibaldus Episcopus.
Odalricus Comes.
Domnus Arnulf.
Folco Episcopus.
Ophim Episcopus.
Conradus Episcopus.
Franco.
Karolus.
Karolus.
Ludovvicus.
Ludovvicus.
Ludovvicus.
Karlmannus.
Karlmannus.
Ludovvicus.
Lotharius.
Karlmannus.
Buoso.
Ermengarda.
Vulgunda Abbatissa.
Herimanni Argiepiscopi,
Wicerus Episcopus.
Fredepertus Episcopus.
Ceiso Episcopus.
Benedictus Episcopus.
Ansualdus Episcopus.
Chunibertus Episcopus.
Affrid Episcopus.
Petrus Episcopus.
Theodepertus Archipresbyter.
Beresindus Archipresbyter.
Perso Archipresbyter.
Arduinus Archipresbyter.
Gunderissi Archidiaconus.
Marialdus Archidiaconus.
Leo Archidiaconus.
Engilmannus Archidiaconus.
Audacharius Episcopus.
Andreverga, Cunibertus Comes.
Echardus Episcopus.
Dominicus Episcopus.
Maurus Episcopus.
Petrus Abbas.
Ansprandus Abbas.
Folchuvino Abbas.

Hæc sunt nomina de hominibus Rothadi Episcopi, qui defuncti sunt Romam tempore Nicolai Pape.

Vololdus &c.

Hæc sunt nomina Fratrum de Congregationis Matris Ecclesie Suessonice.

Rotadus Episcopus.
Teudoldus Prepositus & Presbiter.
Godo Decanus & Presbiter.
Hartgaudus Thesaurarius &c.

Hec sunt nomina Fratrum de Congregatione Sancti Leodegari.

Domnus Abbas.
Domnus Manegoldus Comes. (rubris chara-
Emma Cometissa. (cteribus.
Ambrosius Comes.
Grimaldus Commes.
Ingelfredus Commes.
Egintincus Comes.
Sibichus Episcopus.
Ambrosius Episcopus.
Gregorius Episcopus Vercellensis Urbis.
Domna Hermengarda humilis Abbatissa.
Domnus Lodovicus Imperator. (charactere
Domna Ingelberga Imperatrix. (rubro.
Domna Berta Abbatissa.
Domna Adaleida Abbatissa.
Eberardus.
Gisla.
Liutfrid.
Unroch, & Valefrid.
Adelgis Beringeri.
Bernardus.
Adelardus.
Bernioldus Comes.
Grimilda Abbatissa.
Waldus Episcopus.
Salomon Episcopus.
Osinus Episcopus.
Liutpertus Archiepiscopus.
Domnus Liutuvardus Episcopus.
Rimbertus Episcopus.
Wilibertus Episcopus.
Thiedericus Episcopus.
Angelbertus Archiepiscopus.
Votingus Episcopus.
Amelricus Episcopus.
Dodo Episcopus.
Agino Episcopus.
Benedictus Episcopus.
Lupus Archipresbyter.
Paulus Archidiaconus.
Chunibertus Abbas.
Ordo Fratrum Insulanensium Sanctæ Mariæ.
Folchurinus Abbas.
Liutbert &c.
Antonius Episcopus.
Adodascrus Episcopus.
Ecchardus Episcopus.
Andreas Abbas.
Petrus Episcopus.
Ædæluulf Rex Anglorum.
Marchoardus Abbas.
Petrus Episcopus.
Rataidus Abbas.
Gaideriscius Abbas.
Wala Abbas.
Giselramnus Abbas.
Hludovvicus Rex.
Iterum filius ejus Hludovvicus.
Liutgarda Regina.
Hildigard.
Hemma &c.
Domnus Ardingus Episcopus.
Stabilis Archipresbyter &c.
Domnus Ardingus Episcopus.
Stabilis Archipresbyter &c.
Bonifacius. (Hic pater Mathildis Comitis-
(sæ celebris fuit.
Richilda &c.
Rampertus Episcopus.
Garibaldus Episcopus.
Garardus Episcopus.
Adelbertus Comes.
Odelbertus Abbas.
Immo Abbas.
Egilolfus Episcopus.

Anno Domini MCCXLIII. Indictione I. Domna Titerbe Abbatissa fecit se scribi in isto Libro cum omnibus suis parentibus vivis, & defunctis.

In nomine Domini nostri Jesu Christi: Incipit notitia regularis Ordinis, quomodo traditæ sunt Sanctemoniales in Monasterio Domini Salvatoris secundùm ordinem Sancte Regule in tempore Domne Amelperge humilis Abbatisse.

Domnus Imperator Lotharius tradidit filiam suam Domnam Gislam, secundùm ordinem Sancte Regule.

Domnus Hludowicus Imperator tradidit filiam suam Gisla.

Albi tradidit filiam suam Giselpergam.

Adelbertus Comes tradidit filiam suam Reginsindam.

Adelgisus Comes tradidit filiam suam Cunigunda.

Domnus Eberardus Dux tradidit filiam suam Gisla.

Rambertus Comes tradidit neptam suam Sconburga.

Liutfrid Comis tradidit filiam suam Adelei.

Grimoaldus Comes tradidit filias suas Rotperta, & Regimberga.

Tiso Comes tradidit filiam suam Suamilta Deo & Sancte Julie sub jugo sancte Regule.

Hec sunt nomina Monachorum.

Giselbertus Abbas cum omni parentela sua vivis & mortuis.

Amizo Abbas cum omnibus parentibus suis &c.

Domnus Landulfus Episcopus.

Nomina Abbatum & Fratrum de Monasterio Sanctæ Euphemiæ.

Domnus Johannes Abbas.

Domnus Giselbertus Abbas.

Domnus Atto Abbas.

Domnus Petrus Abbas.

Domnus Ambrosius Abbas.

Domnus Reginæo Abbas.

Sed jam tamdem sciscitetur aliquis: quonam gentium abiere tam celebres *Pœnitentiales* Libri, atque in eis præscriptæ pœnæ & Canones? Eorum, ut ita dicam, ne ullum quidem in usu vestigium nunc restat. Et quare illorum usus in Ecclesia adeo tepuit, immo prorsus ex hominum commercio evanuit? Dicam brevibus: neque enim injusta petitio. *Sacrarum Indulgentiarum* usus Pœnitentiales Libros, eorumque statuta penitus eliminavit. Illud constat, vel ab exordio Ecclesiæ in potestate sacrorum Antistitum, sed præsertim Romani Pontificis, fuisse, reis ac pœnitentibus minuere aut relaxare pœnas criminum: quæ facultas non aliunde eisdem tradita, quàm ab ipso Ecclesiæ auctore Christo. Hæc autem toties exercebatur, quoties difficilia tempora, impotentia, ægritudo corporis, aliæve justæ caussæ mitius cum pœnitentibus agendum suadebant. Ista Canonicarum pœnarum condonatio, *Indulgentia* appellata est, & adhuc appellatur: ejusque exempla suppetunt in Conciliorum ac Patrum Libris, sed in primis apud Sanctum Martyrem & Episcopum Cyprianum. Nulla apud me dubitatio relinquitur, quin iis ipsis temporibus, quibus maxime Canones Pœnitentiales vigebant, Indulgentiæ interdum, immo sæpe sæpius, concederentur a sacris Ecclesiæ Ministris pro variâ hominum infirmitate, temporumque necessitate. Verùm in his erat modus, & adhuc passim Pœnitentes corporalem castigationem aut subibant, aut redimebant. Ejusmodi Indulgentiarum patentia exempla præbet præsertim Sæculum a Christo nato Undecimum. At tunc maxime Ecclesiastica disciplina hac in parte novos ritus, vultumque diversum induere cœpit, quum militares expeditiones in Saracenorum gentem, Christicolis maximopere infensam, suscipi cœptæ sunt. Leone Ostiensi teste Lib. 3. Cap. 71. Chronici Casinensis, Anno MLXXXVII. Victor III. Papa exercitum ingentem ex omnibus fere Italiæ Populis collectum adversùs illos *sub remissione peccatorum omnium* direxit, ingentemque ex iis victoriam retulit. Quo exemplo permotus, paucos post annos Hierosolymitanam expeditionem omnium celeberrimam Orbi deprædicavit Urbanus II. itidem Romanus Pontifex. Nam ut Populos ad sacram Terram recuperandam expeditiores alacrioresque faceret, Anno MXCVI. in Concilio Claromontano *iter illud pro omni pœnitentia* reputandum statuit. Hoc est, quicumque Cruce assumtâ militarent contra Saracenos, sacrorum locorum in Oriente usurpatores, indulgente Ecclesiâ, Remissionem cujusque pœnæ, ob anteacta crimina in Pœnitentialibus Canonibus indictæ, consequebantur. Pari etiam liberalitate actum postea fuit erga illos, qui in Hispaniam pergerent adversùs Saracenos militaturi. Vide Concilii I. Lateranensis œcumenici Canonem Undecimum. Nempe tam arduum iter, tot labores atque pericula, a Christi fidelibus suscepta, Pœnitentiæ ac Redemtionis loco erant, & meritò sane. Quæ res innumeram gentem non tantùm caussâ pietatis, quàm ejusmodi Spiritualis lucri, ad arma excitavit; neque eo solum tempore, sed duobus etiam Sæculis proximè subsequutis. Post Annum quoque Vulgaris Æræ Millesimum (fortassis & antea) cœperunt summi Pontifices & Episcopi, quoties solemnis aliqua Templorum dedicatio fiebat, Populis confluentibus pœnarum Pœnitentialium partem, modicam tamen, remittere. Neque heic stetit Indulgentiarum usus. Sensim per sacros Pastores propagari cœpta est relaxatio Canonum Pœnitentialium, condonatis modò levibus pœnis, ubi fideles peregissent alia Pietatis officia, nempe peregrinando Hierosolymam, aut ad limina Apostolorum, aut ad Compostellanum Templum, aut ad visitandas alias Ædes sacras, aut arma ferendo in Hæreticos & Paganos, sive alia Religionis aut Caritatis Christianæ opera exercendo. Utique primò nonnisi paucorum dierum, aut etiam annorum Pœnitentia relaxabatur, si expeditiones sacras excipias, quibus certe major, immo plena Indulgentia debebatur. Cujus rei possem adferre exempla non pauca: sed instar omnium erit, quod in Appendice Chronicorum Henrici Danduli legitur, spectans ad unum e Templis Venetis.

Alexander III. Papa visitantibus Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Caritate Venetiis, Indulgentiam viginti dierum concedit, Anno 1177.

ALexander Episcopus *Servus Servorum Dei dilectis Filiis & Fratribus Sanctæ Mariæ de Caritate*, *salutem & Apostolicam benedictionem*. *Cum pro commodo generalis Ecclesiæ*, *cujus curam & regimen licèt immeriti gerimus*, *venissemus Domino ducente Venetias*, *ad petitionem vestram invocati*, *pro nostri officii debito Nonis Aprilis Ecclesiam vestram Spiritus Sancti gratiâ dedicavimus* : & omnibus, qui in anniversario Dedicationis, vel tribus diebus ante, vel tribus post, eamdem contrito animo & devote & humiliter visitaverint, de Pœnitentia sibi injuncta Viginti Dies, *confisi de misericordia Jesu Christi*, *& beatorum Petri & Pauli meritis*, duximus indulgendos. *Ne igitur illud* Indulgentiæ, *quod visitantibus Ecclesiam vestram annuatim indulsimus*, *in posterum a memoria hominum elabatur*, remissionem, *quam fecimus*, *auctoritate Apostolica confirmamus*, *eamque ad perpetuam memoriam futurorum in scriptis duximus redigendam*.

Datum Venetiis in Rivoalto, *IV. Kalendas Junii*.

Sed quando repagula fracta semel fuere, jamque Populi perspicere cœperunt, se absque veterum Redemtionum onere Canonicis Pœnitentiis absolvi posse, tum ii ampliores Indulgentias exposcere, Episcopi verò ac præcipue Romani Pontifices, liberalitate certantes, plura ac majora in dies elargiri, donec eo ventum est, ut ex tantâ Indulgentiarum copiâ, ac earum potissimùm, quæ *Plenariæ* vocantur, sublatus sensim fuerit usus ac obliteratum penes ineruditum vulgus nomen Canonum Pœnitentialium. Id sensim factum dixi. Attamen ante aliquot Sæcula fuere, qui ex ejusmodi Indulgentiis populorum concursum ad se trahebant, lucri potissimùm, ut suspicari licet, captandi causâ; eamque in rem aut conficta Privilegia, aut fabulas fabricabant. Teste Richardo de Sancto Germano Honorius III. Papa Anno MCCXXV. *Indulgentiam Saracenisci*, *quæ ex longiturnitate temporis satis inoleverat*, *tamquam falsam cassavit*, *& irritam per suas literas denuntiavit pariter & inanem* : *pro eo quod Clerici loci ejusdem dabant accedentibus ad ipsam Ecclesiam Remissionem peccatorum*, *facientes eis intelligi*, *quod ita de Peccatis Omnibus emundati recederent*, *sicut perties quædam quam ostendebant eis cortice emundatam*. Non consuevere, ut dixi, temporibus iis Romani Pontifices tantam Indulgentiæ copiam Pœnitentibus largiri, nisi eam, aut sacri belli expeditione, aut longâ peregrinatione promererentur. Quare ubi primus omnium Bonifacius VIII. Pontifex Jubilæum Romanum Anno MCCC. instituit, & visitantibus sacra Urbis loca Remissionem Omnium Peccatorum elargitus est, commota sunt universa Christianorum Regna ad tantæ Indulgentiæ sonum, quam consequi sine militia, hoc est sine discrimine vitæ, cuicumque licebat. Quare innumeri confluxere Romam, & Regales viæ per totum illum Annum copiosissimis nundinis

A præ multitudine peregrinorum minime concedebant. Testatur autem Johannes Villanius Historicus, qui non segnius, quàm alii, eò perrexit, nullum diem abiisse, quo Romæ non numerarentur *oltre al Popolo Romano dugento mila di Pellegrini*. Addit infra: *E dell' offerta fatta per li Pellegrini molto tesoro ne crebbe alla Chiesa*, *e' Romani per le loro derrate furono tutti ricchi*. Immanem pecuniæ vim ad Bonifacium Papam inde venisse ex spontaneis Fidelium oblationibus, testantur & alii scriptores, e quibus præcipue audiendus Guilielmus Ventura Astensis, ipse religionis caussâ tunc ad Urbem profectus. *Exiens*, inquit ille Cap. 26. Chronic. Astens. Tomo XI. Rer.
B Italicar. *de Roma in Vigilia Nativitatis Christi*, *vidi turbam magnam*, *quam dinumerare nemo poterat*. *Et fama erat inter Romanos*, *quod ibi fuerunt viginti centum millia virorum & mulierum*. *Pluries ego vidi ibi tam viros*, *quam mulieres*, *conculcatos sub pedibus aliorum*. *Et etiam egomet in eodem periculo plures vices evasi*. *Papa innumerabilem pecuniam ab eisdem recepit*, *quia die ac nocte duo Clerici stabant ad Altare Sancti Petri*, *tenentes in eorum manibus rastellos*, *rastellantes pecuniam infinitam*. Ita & Anno MCCCL. innumerabiles Populorum catervæ Romam confluxere Jubilæi paris caussâ, uti memoriæ prodidit Matthæus Villanius Lib. I. Cap. 56. Multa
C Ecclesiis data, sed plura Laicis, qui tantæ Religionis motum in suum lucrum convertendum curarunt.

Sunt, equidem fateor, qui tot Indulgentiarum plaustra in Ecclesiam invecta ægre ferunt, atque inconsultæ etiam prodigalitatis arguunt earum largitores; quippe per eas non attenuata solùm sed extincta videtur salutaris Pœnitentiæ severitas ac antiqua disciplina; immo peccantibus frena undequaque laxata, animique videntur additi, quando tam facile, ac tam levibus Pietatis operibus præscriptis, innumerabilium criminum pœnæ nunc eluuntur. Et sane istorum querelis suffragium aliqua ex parte præstant Patres Tridentini Concilii Ses-
D sion. 25. Cap. 21. Titul. de Indulgentiis, ubi sancta Synodus *in Indulgentiis concedendis moderationem juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi cupit*, *ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur*. Neque defuere summi aliquot Pontifices, nostris etiam temporibus, qui exuberantes Indulgentias resecarunt, & modum in iis concedendis servavere ac servandum jussere. Præterea Tridentina ipsa Synodus, & Sanctus Carolus Borromæus in suis Conciliis optavere, ut *Canones Pœnitentiales* saltem, qui ante Theodorum Cantuariensem in Ecclesia Dei usurpati sunt, restituerentur, atque ut Sacerdotes audiendis Confessionibus peccatorum præpositi,
E Canones eosdem præ oculis haberent, iisque prudenter & cum discretione ad satisfactiones Pœnitentibus injungendas uterentur. Sed qui nostrorum temporum disciplinam dolent, quasi nimiâ lenitate pœnitentibus indulgentem, animadvertant quæso, graviori olim censuræ ob-

noxiam fuisse veterem in usu Canonum Pœnitentialium disciplinam. Etenim invectis *Peccatorum Redemtionibus* (eas autem invehere necesse fuit, neque enim homines tam diuturnas & graves corporis afflictationes sustinere poterant) eo recidere tota Pœnitentiarum moles plerumque videbatur, ut dumtaxat ex Christianorum prædiis atque pecuniâ, sacri Pœnitentiæ Ministri ditarentur. In ejusmodi disciplinæ usu locus nimius, ut quisque videt, esse flatibus Avaritiæ poterat: quod tamen deforme vitium a Clero eliminatum semper voluere, semper optavere Canones & Patres. Ac proinde postremis hisce Sæculis, ac nostro potissimùm, laus & commendatio major in eo debetur, quod a sacris Pœnitentium Confessionibus sublata est omnis turpis lucri non solùm occasio, sed etiam umbra. Illud ergo cum Tridentino Concilio votis nostris urgendum est, ut & moderatio adhibeatur in Indulgentiarum largitione, & quando revocare in usum Canones Pœnitentiales non possumus (hanc enim spem prorsus sublatam mihi videre videor) saltem *pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungantur, ne si fortè Sacerdotes Domini peccatis conniveant, & indulgentius cum Pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur*. Et Indulgentiæ quidem laudandæ, summâque cum devotione accipiendæ sunt; Pœnitentiæ tamen, piæque castigationis non idcirco usus est deponendus, quem tantopere commendant, ac necessarium peccatoribus existimavere Sancti Patres, ut quantum in nobis est, scelerum nostrorum pœnas a nobis exigamus, & divino omnium Redemtori Christo conformes in passione efficiamur: quod sane certiorem Indulgentiarum fructum faciet, tutiusque ad beatitatis æternæ

A Regnum pœnitentes adducet. In primis verò optandum foret, ut Publicorum saltem gravissimorum criminum expiatio, antiqui rigoris aliquam retineret aut resumeret formam: quod & optarunt & mandarunt prælaudati Tridentini Patres, Session. 24. Cap. 8. Doleat certe quisque pius ac prudens, attenuatam hac in re nimium videri veterum disciplinam; quum tamen in utilitatem cederet Christiani ipsius Populi, quoties publicis gravibus facinoribus venia danda est, Pœnitentiæ publicæ reos subjicere, & cum iis severius agere, ut & ipsi & reliqui rectius agere in posterum, atque ab enormibus hisce flagitiis abstinere discant. Et sane ab exordio Ecclesiæ ad sera usque tempo-

B ra, & vel post invectas hactenus recensitas Redemtiones peccatorum disciplina ista viguit. Quamvis enim justitiæ Sæcularium Principum facinorosi satisfecissent, aut aliâ ratione delictorum veniam ab iis impetrassent, nihilo tamen secius Ecclesia congruam illorum criminibus Pœnitentiam, eamque publicam, neque levem, pergebat imponere. Idque alicubi vel postremis hisce Sæculis observatum videtur. Ejusque rei exemplum curiositate eruditæ gentis non indignum producere juvat, quod mihi communicavit olim amicus singularis meus Hubertus Benvoglientus Senensis. Scilicet adservabat ille Codicem MStum, cui titulus: *De Ordine Officiorum Senensis Ecclesiæ*, Auctore Oderico ejusdem Canonico, de quo hæc in vetusto Libello leguntur: *Anno Domini*

C *MCCXXXV. Indictione VIIII. Die VIIII. Kalendas Februarii obiit Domnus Oderigus Canonicus Senensis Ecclesiæ, qui composuit Ordinem Officiorum Senensis Ecclesiæ*. Ibi verò legitur forma Pœnitentiæ, per quam publici homicidæ crimen suum ipso Sæculo Tertiodecimo coram Ecclesia expiare jubebantur.

Ritus

Ritus publicæ Pœnitentiæ imponendæ publicis Homicidis in Ecclesia Senensi, circiter Annum 1220.

De forma mittendi Pœnitentes in carcerem.

Forma mittendi in carcerem Pœnitentes in Ecclesia nostra talis esse consuevit. Feriâ Quartâ in capite Quadragesimæ, Pœnitentes, qui pro Homicidio sponte commisso carcerem subire tenentur, debent prius a Patrinis suis Pœnitentiam recipere de omnibus aliis peccatis. Et postea cum ipsis Patrinis venire ad Episcopalem Ecclesiam, ante Archipresbyterum vel Pœnitentiarium Canonicum. Et tunc ipse quæret ab eo, si de aliis peccatis, quæ commisit, fecerit Confessionem, & utrum pro illo Homicidio carcerem velit intrare. Et ipso rectè respondente, de Homicidio *imponet sibi* Pœnitentiam *in hunc modum. Videlicet, quod per totam Quadragesimam omni die, præterquam in Die Dominico, jejunet in pane & aqua, & centum genuflexiones faciat, & centum* Pater noster *dicat in die, & centum in nocte. Et nulli loquetur in die usque ad Horam Tertiam, nec sero post Completorium; nec manus sibi abluat, nec manutergio abstergat. Et tantùm Sacerdos det ei comedere omni die, & de uno tantùm pulmento, nullos tamen pisces vel anguillas comedat. Indutus jaceat & super paleam. De carcere non exeat, nisi ad necessaria naturæ. Postea loco carceris ordinato, ipse Pœnitentiarius Canonicus vel Patrinus ipsius vadit cum eo ad carcerem: & cum ventum fuerit ante carcerem, Pœnitens deponit vestes consuetas, & exuens sibi omnes pannos lineos, induit se asperam tunicam & cappam, si opus fuerit, & caligas sine pedrolibus, & scoffones, si friguerit, habeat in pedibus, ut ipso habitu se reum protestetur. Et tunc Pœnitentiarius primo interroget eum, utrum verè pœniteat de omnibus peccatis suis. Et si rectè responderit, bene est. Sin autem, injungat ei, pro ut viderit expedire. Et statim præcipiat ei, ut ante carcerem se in terra extensum projiciat, & dicat:* Mea culpa. Peccavi. Domine, miserere mei. *Et hoc faciat tribus vicibus. Post tertiam vicem jaceat prostratus in terra. Et Sacerdos incipiens:* Deus, in adjutorium meum intende, *dicat septem Psalmos Pœnitentiales & Letanias & Orationes:* Deus, qui justificas impios *&c.* Deus, cui est proprium misereri *&c.* Exaudi, Domine, supplicum preces *&c. His dictis, Sacerdos aspar-* A *gat carcerem aquâ benedictâ, & cum incenso benedicto totum locum ex omni parte thurificet. Postea veniens ad Pœnitentem, qui jacet in terra, faciat ei Confessionem, & det sibi aquam benedictam, & incensi fumum. Et suscipiens illum per manum, introducat illum in carcerem, dicendo hanc Orationem:* Commendamus tibi, Domine, famulum tuum in vita præsenti, ut ab omni malo eum eripias, & intercedente beata Maria semper Virgine, cum omnibus Sanctis, ipsum ad vitam perducas æternam. *Postea studiose admoneat eum, quod injunctam sibi Pœnitentiam fideliter exsequatur. Et semper de pane sibi apposito faciat tres eleemosynas. Et sit unus solus panis tantæ quantitatis, quod de residuo se valeat sustentare.*

B

Finem argumento huic faciam, additis in Eruditorum gratiam quibusdam antiquitatis ruderibus, testibus videlicet opulentissimi olim Ecclesiarum patrimonii. Quanta enim antiquis Sæculis opum copia in ærarium Ecclesiasticum fluxerit e Peccatorum Redemtionibus hactenus memoratis, nemo melius novit, quam qui sacrorum Locorum Chartaria evolvere potuit. Neque sane ex iis fortunis, quæ nunc in Clero tam Sæculari quàm Regulari spectantur, mensura petenda est veterum temporum, quibus non minus Episcopi & Canonici, quàm Monachi & Sanctimoniales, aliæque Ecclesiæ innumerabilium fundorum possessione, sive mediate sive immediate, fruebantur, immo & Castellis quoque & Urbibus ipsis in Italia, uti & C extra Italiam, dominabantur. In præcedenti Dissertatione specimen dedi Chartarum spectantium ad Monasterium *Nonantulanum*, atque *Farfense*. Nunc alterum producere statui, pertinentium ad *Sublacense*, atque *Cavense*, tum ut e pauculis hisce intelligat Lector, quali munificentiâ Fidelium Populus usus olim fuerit in celeberrima illa Cœnobia; tum etiam ut monumenta eadem, quamquam breviata, usui esse possint cuicumque illustrare volenti Historiam & Chronologiam antiquorum Pontificum & Principum Italicorum. Nonnullas ex hisce Chartis in hoc Opere dedi. Utinam & cunctas evulgare licuisset.

EXCERPTA

EXCERPTA

EX ARCHIVO MONASTERII SUBLACENSIS.

ANno I. Johannis XIII. Papæ, *&* *Primo* Ottonis Imperatoris, *Menſe Novembri VIII. Indictione IX. Johannes nobiliſſimus vir, filius quondam Lotticani & Anaſtaſiæ jugalium, donat Monaſterio Sublacenſi Caſale in Barbiliano, acceptante* Georgio Abbate.

Tempore Leonis VII. *&* *Anno IV.* Imperatoris Ottonis, *Indictione VIII. Menſe Februario, die XX. Adrianus nobilis vir, & Conſtantia nobiliſſima femina, jugales, concedunt* Georgio Abbati *quaſdam terras. Subſcribunt Bezzo nobilis vir Scriniarius illuſtris:* Johannes Conſul & Dux *&c. Benedictus Scriniarius & Tabellio Urbis Romæ ſcripſit & abſolvit.*

Tempore Johannis X. Papæ, *Menſe Auguſto, Indictione XII. Die XX. Sergius Deo amabilis Primicerius Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, & Agatha nobiliſſima femina, jugales, multa donant Monaſterio Sublacenſi, &* Domno Floro Religioſo Presbitero. *Signum manus* Leonis *in Dei nomine* Conſul & Dux, *a* Sergio Conſul & Dux *in hac donationis Carta teſtis rogatus. Signum Crucis feci* Romanus Conſul & Dux. Silveſter Conſul & Dux. Nicolaus Conſul & Dux. Boſo Conſul & Dux. *Adrianus Scriniarius & Tabellio Urbis Romæ complevit & dedit.*

Tempore Pontificatus Domni Leonis IIII. Papæ, *&* Lotharii *magni* Imperatoris, Nicolaus *ſanctæ Eccleſiæ . . . . dedit & commutavit tibi Tiberio ſanctiſſimo Primicerio ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, fundum, qui dicitur Pionis &c. Ego qui ſupra* Nicolaus *humilis* Epiſcopus & Abbas *prædicti venerabilis* Monaſterii Sancti Eraſmi, *in jure & Dominio ſupraſcripti Monaſterii, a vobis ſanctiſſimo Primicerio terram ſementariciam &c. Subſcribunt* Anaſtaſius *in Dei nomine* Conſul & Magiſter Cenſi Urbis Romæ *&c. Nicolaus immeritus Epiſcopus & Abbas Monaſterii Sancti Chriſti Martiris Eraſmi huic ceſſioni &c. ſubſcripſi.*

Tempore Pontificatus Domni Martini (*) Papæ, *Indictione I. Menſe Aprili Die XV. Breve recordationis de Ceſina Monaſterii Sancti Eraſmi, quem fecit Triberga nobiliſſima femina ad nomen Adriani quondam bonæ memoriæ Scriniarii & Mariæ quondam illuſtriſſimæ feminæ, jugalibus, intra domum eminentiſſimi viri & glorioſi* Ducis Benedicti, *ante ipſum Ducem, & ordinarios Judices &c. Subſcribunt Nicolaus Domini nutu Primicerius ſanctæ Sedis Apoſtolicæ: Georgius Dei providentia Secundicerius ſanctæ Sedis Apoſtolicæ.*

Anno Deo propitio Pontificatus Domni Benedicti *ſummi Pontificis & univerſalis* IX. Papæ *Quinto, in Menſe Junio, Die verò X. Indictione IIII. &c. Certum eſt, nos* Domno Creſcentius *nobilis & inclytus* Præfectus Urbis Romæ, *nec non & Domno Johannes nobilis, qui vocatur de quondam Georgio, pariterque* Domnus Donadeus *nobilis filius viro Domno Johanni* inclyto Comes, *ſeu Johannes filius de ſupraſcripto Johanne nobili, qui vocatur de Georgio, atque Regetella nobilis, & Ragiherius nobilis, germani filii de ſupraſcripto Domno Creſcentio Præfecto &c. tradunt* Domno Benedicto Abbati *Caſtellum, quod dicitur Apolloni cum aliis multis. Actum Apolloni per Giſo Tabellio.*

Anno Primo Johannis XII. Papæ, *Indictione XV. Die XIV. Novembris.* Leoni *Chriſti famulo &* Abbati Monaſterii Sublacenſis *&c. Ego* Gratianus *in Dei nomine* Conſul & Dux *&c. Donat terram poſitam foris Portam Majorem, non longe a muro ipſius Civitatis Romanæ. Actum Romæ. Subſcribunt:* Silveſter *in Dei nomine* Conſul & Dux *teſtis rogatus ſignum* ✠ *feci. Romanus nobilis vir. Urſus nobilis vir &c.*

Anno Pontificatus Domni Benedicti Sexti Papæ, *in Sede beati Petri Apoſtoli Primo, Imperante* Ottone Majore, *Anno XII. &* Ottone Minore *ejus filio, Anno VI. Indictione I. Die IX. Februarii.* Silveſter Abbas *venerabilis* Monaſterii Sanctorum Coſmæ & Damiani, *quod vocatur Mica Aurea, commutat quædam cum Gratiano nobili viro de quondam Ancilla Dei Conſtantia filio.*

Anno Primo Stephani Papæ VII. *Indictione III. Die XXII. Decembris. Maria Ancilla Dei donat quædam* Leoni Abbati Sublacenſi. *Memoratur* Adrianus Conſul & Dux. *Subſcribunt* Sergius Conſul & Dux. Gratianus *in Dei nomine* Conſul & Dux. Leo Conſul & Dux. *Arnolfus in Dei nomine Conſul.*

Anno IV. Die I. Decembris, Indictione VII. Leonis Papæ IX. Domna Imilia *nobiliſſima* Comitiſſa, *olim Conjux Domni Donadei, habitatrix Paleſtrinæ, donat Monaſterio Sublacenſi, &* Humberto Abbati, *ſuam portionem de Caſtello, quod vocatur Sancto Angelo. Geſo Tabellio Civitatis Tiburtinæ.*

Anno Domni Johannis Papæ XIII. . . . . *Indictione X. Die XX. Junii. Roſa nobilis femina cum conſenſu Benedicti Manſionarii ejus viri, offert* Georgio Secundicerio Abbati Sublacenſi *vineam. Subſcribunt Benedictus Manſionarius Scholæ. Georgius Secundicerius Scholæ.*

Anno Primo Leonis Papæ IV. *Indictione IX. Die II. Junii;* Domnus Leo Abbas *recepit oblationem a Mancho Archipresbytero. Subſcribunt* Nicolaus Conſul & Dux. Badvaco Conſul & Dux. Petrus Conſul & Dux. Leo Conſul & Dux. Romanus Conſul & Dux; *qui omnes ſignum Crucis faciunt.*

Anno III. Domni Benedicti VII. Papæ, *&* Ottonis Imperatoris *Decimo, Indictione V. Die XXVIII. Aprilis.* Domnus Benedictus Abbas *concedit in emphyteuſim locum & Caſtrum Juliani cum Turre, Johanni excellentiſſimo viro* Demetrii Ducis *filio.*

Anno III. Johannis XIII. Papæ, *&* Ottonis Imperatoris *Septimo, & poſt Conſulatum ejus Anno VII. ſed &* Ottonis ejus filii *a Deo coronato magno & novo Auguſto, Primo, Indictione XI. Die I. Februarii. Theodora nobiliſſima femina, uxor Gratiani amabilis & eminentiſſimi viri ejus,* Silveſtro Abbati Sanctorum Coſmæ & Damiani, *quod appellatur Mica Aurea, donat* Pratum *unum. Subſcribunt* Gratianus Conſul & Dux. *Petrus nobilis vir. Marinus nobilis vir &c.*

Tempore Ludovici & Lotharii *magnorum* Imperatorum, *Anno Sexto* Paſchalis I. Papæ, *Indictio-*

(*) Vide num potius legendum ſit Marini?

dictione XV. Quarto Septembris. Palumbus *venerabilis* Abbas Monasterii Sancti *Christi Martiris* Erasmi, *siti in Civitate Romana juxta Sanctum Stephanum, qui ponitur in Cœlio Monte, Transmundo Secundicerio sanctæ Sedis Apostolicæ & Philippæ illustrissimæ feminæ, jugalibus, quædam concedit in emphyteusim.*

Domnus Theodorus *sanctissimus* Episcopus Gavinensis Ecclesiæ, *tempore* Gregorii IV. *&* Imperatorum Ludovici & Lotharii *instrumento interest, in quo etiam legitur* Petrus Consul, Johannes Consul & Tabellio.

Anno III. Johannis XI. Papæ, *Indictione IX. Die I. Novembris. Petrus filius quondam Sergii donat quædam. Subscribunt Leo Archipresbyter Sancti Marci.* Stephanus Consul & Dux. Benedictus Consul & Dux. Roseo Consul & Dux. Stephanus Consul & Dux.

Anno XIV. Johannis X Papæ, *Indictione I. Septimo Septembris. Instrumentum, in quo subscribunt* Theophilactus Consul & Dux. Paulus Consul & Dux. Gratianus Consul & Dux. Leo Consul & Tabellio Urbis Romæ.

Anno IV. Johannis XII. Papæ, *Indictione III. Primo Novembris.* Marozia Senatrix omnium Romanorum, Leoni Abbati Sublacensi *donat quædam in Serpentaria.*

Anno Agapiti junioris Papæ *Octavo, Indictione VIII. Die XXIX. Octobris. Rosa uxor Sergii viri magnifici, & filia Theophilacti reverentissimi Acolithi sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Prioris Scholæ Confessionis Sancti Petri, donat quædam* Leoni Abbati Sublacensi.

Anno VIII. Johannes XV. Papæ, *Indictione VI Die VIII. Julii. Instrumentum, in quo adsunt* Petrus Abbas Sublacensis, *Benedictus Presbiter, & Benedictus idiota, Monachi Sublacenses*, Johannes Urbis Præfectus, *N. Cardinalis filius Sigizonis Presbiteri Romani, Stephanus Primicerius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, Rainerius Comes.

Anno Benedicti VII. Papæ *Secundo*, Ottonis Imperatoris *VIII. Indictione IV. Die XXIII. Januarii. Charta, in qua legitur* Domnus Johannes Presbiter & Monachus Sancti Benedicti de Sublacu, atque olim Dux Castelli Albanensis.

Anno III. Johannis Papæ XIII. Ottonis Imperatoris *VII.* & filii ejus Ottonis Imperatoris *I. Indictione XI. Die XXIV. Aprilis. Charta, in qua legitur* Adria Serenissima femina. Johannes Dux. *Franco illustris testis &c.*

Anno XI. Bonifacii Papæ VII. *Indictione XIII. Quintodecimo Septembris*, Domnus Martinus *dudum* Episcopus, *modò* Abbas Monasterii Sublacensis *contractum facit. Ibi Leo Arcarius Sanctæ Sedis Apostolicæ, & Theodora illustrissima femina ejus uxor cum filiabus suis &c.*

Anno . . . . . . Nicolai Papæ Primi, Domni Ludovici Imperatoris *XI. Indictione XIV. Octavo Martii.* Zacharias *Deo amabilis Scriniarius sanctæ Romanæ Ecclesiæ &* Abbas *venerabilis* Monasterii *Sancti Erasmi in Cœlio Monte, &* Leo *eminentissimus* Consul & Dux, *& Anastasia nobilis femina uxor ejus. Ibi & alius* Leo *testis* Consul & Dux.

Tempore Domni Benedicti III. Papæ, Ludovico Imperatore juniore, *Indictione V. Romanus Subdiaconus & Regionarius sanctæ Romanæ Ecclesiæ. In eadem Charta leguntur* Pipinus Consul & Dux atque Vestiarius. Andreas *in Dei nomine* Romanus Dux. Eustasius Consul & Dux. Petrus Consul & Dux.

Anno Primo Stephani Papæ VII. *Indictione III. Die IX. Decembris. Charta, in qua legitur Stephana venerabilis Diacona, filia quondam Stephani, & Sarræ quondam jugalium. Domnus Paschalis Mansionarius Basilicæ beati Petri Apostoli Scholæ Sanctæ Dei Genitricis, quæ appellatur Mejanorum. Faustus Consul & Tabellio Urbis Romæ. Testes* Petrus Consul & Dux. *Leo Consul & Tabellio Urbis Romæ. Petrus Consul. Benedictus Consul.*

Anno IV. Leonis Papæ VI. *Indictione XI. die X. Aprilis, Charta in qua nominantur* Boso *eminentissimus* Consul & Dux, *filius quondam* Theodori Ducis *& Ursæ jugalium. Domnus Florus reverentissimus sanctæ Maturanensis Ecclesiæ . . . . . Petrus nobilis vir.* Nicolaus Consul & Dux. Silvester Consul & Dux.

Anno VII. Benedicti Papæ VII. *Imperii Ottonis XIII. Indictione IX. die IX. Februarii. Gregorius illustrissimus vir, filius Maroze Senatricis per Apostolicam præceptionem Rector Monasterii Sancti Andreæ Apostoli, & Monasterii Sanctæ Luciæ, quod appellatur Renati.* Benedictus Abbas Sublacensis.

Tempore Domni Pauli Papæ, *&* Constantini & Leonis Imperatorum. *Charta, in qua nominatur* Johannes *sanctissimus sanctæ* Ecclesiæ Tiburtinæ.

Anno IV. Johannis Papæ X. *Indictione VII. Die XXV. Aprilis. Johannes Subdiaconus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Primicerius Scholæ Cantorum, quæ appellatur Orphanotrophio, consentiente Scholâ Cantorum, quædam donat. Testes Johannes Consul, Rodulfus Consul.*

Anno IV. Benedicti Papæ VII. *Imperii* Domni Ottonis magni Imperatoris X. *Indictione VII. Die XV. Februarii.* Petrus *eminentissimus* Consul & Dux *donat domum* Benedicto Abbati Sublacensi, *quæ posita est Romæ in Regione Secunda juxta Formam Claudiam.*

Anno II. Anastasii Papæ III. *Indictione VII. Die XXIX. Januarii. Domnina nobilis femina relicta quondam* Adriani Dux, *concedit bona quædam* Johanni *eminentissimo* Consul & Dux. *Subscribunt* Campulus Dux *gener Domninæ. Benedictus Consul & Tabellio Urbis Romæ. Benedictus Scriniarius sanctæ Romanæ Ecclesiæ.* Benedictus Consul & Dux. Johannes *eminentissimus* Consul & Dux. Romanus Consul & Dux. Leo Consul & Dux. Johannes Consul & Dux.

Anno VI. Romani Papæ, Imperii Domni Lamberti *magni* Imperatoris . . . . . . *Indictione XV. Die XX. Augusti. Benedictus Protoscrinarius sanctæ Sedis Apostolicæ, & Visitator Monasterii Sancti Erasmi, quod ponitur in Cœlio Monte, concedit quædam in emphyteusim Annæ nobilissimæ feminæ.*

Anno III. Benedicti VII. Papæ, Ottonis Imperatoris X. *Indictione V. Die IV. Junii.* Theophilactus Abbas Monasterii Sancti Laurentii, *quod ponitur foris muro, concedit quædam* Constantiæ *religiosæ Ancillæ Dei, &* Abbatissæ Monasterii Sanctæ Mariæ, *quod vocatur Tempuli.*

Anno II. Leonis Papæ VI. *Indictione XI. Die VI. Octobris.* Ursus Abbas Monasterii Sancti Viti. *Ibi memoratur Monasterium Monialium Sanctæ Mariæ, & Sancti Georgii, quod ponitur in Campo Martio, juris supradicti Monasterii.*

Anno VI. Agapiti junioris Papæ, *Indictione X. Die V. Martii.* Leonis Abbati Monasterii Sublacensis *Marozza humilis Ancilla Dei, & Constantinus Presbiter* pro Redemtione animæ *bonæ*

bonæ memoriæ Flori *sanctæ* Manturanensis Ecclesiæ Episcopi, *donant quasdam domos, & Oratorium Sancti Theodori Martyris positum Romæ in Regione Tertia. Ibi memoratur Monasterium Sanctæ Luciæ, quod appellatur Renati, & Sancti Viti, quod appellatur Majore. Monasterium sub cura Monasterii Sublacensis. Testes Johannes Consul, Demetrius, & Theodorus nobiles viri.*

Anno VI. Johannis XII. *Indictione IV. Die VIII. Augusti.* Johannes *gratiâ Dei humilis* Episcopus *sanctæ* Narniensis Ecclesiæ, *& Bibliothecarius sanctæ Sedis Apostolicæ, donat quædam Monasterio Sublacensi. Ibi nominatur* Marozza excellentissima femina & Senatrix.

Anno V. Benedicti VII. Papæ, *&* Ottonis Imperatoris *Duodecimo, Indictione VII. Die XXVIII. Maji.* Demetrius Consul & Dux *ex persona Marozze nobilissimæ feminæ bonæ memoriæ, carissima Netta mea, concedit* Benedicto Abbati Sublacensi *terram sementariciam. Ibi* Gregorius Consul & Dux.

Anno VII. Sergii Papæ III. *Die XXV. Januarii, Indictione XIV.* Adrianus *clarissimus* Comes *cum sex Judicibus in judicio residebat in Tiburtina Civitate. Ibi Petrus & Leo filius ejus, magnifici Viri.*

Anno IV. Stephani Papæ VIII. *Indictione XV. Die XVII. Augusti.* Leo Abbas Sublacensis *ad agitandam litem venit in Curte* Domni Alberici *gloriosi* Principis *juxta Basilicam Sancti Apostoli, ante præsentiam Optimatium. Ibi* Marinus *sanctissimus* Episcopus *sanctæ* Polimarsiensis Ecclesiæ, *Nicolaus Primicerius, Georgius Secundicerius, Andreas Arcarius, Johannes Sacellarius, Leo Protoscriniarius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ &* Georgius Dux, *qui appellatur de Cannapara, Benedictus de Leone de Azza,* Adrianus Dux, *Theophilactus Consul,* Johannes Consul & Dux, Georgius Consul & Dux.

Anno VI. Johannis XIII. Papæ, *Imperante* Domno Ottone *piissimo* Imperatore Augusto *a Deo coronato, pacifico Imperatore, Anno X. post ejus Consulatum, imperante cum eo* Ottone filio *Anno IV. Indict. XIV. Die XX. Martii.* Leo Abbas Monasterii Sanctorum Cosmæ & Damiani, *quod situm est in Cave, concedit Domno Georgio Secundicerio Castrum Sabulum cum Ecclesia Sancti Thomæ, positum septimo ab Urbe Tiburtina milliario &c. coram præsentia Amizzo sanctissimo* Episcopo *sanctæ* Tiburtinæ Ecclesiæ, *&* Gratiano Dux & Comes Civitatis Tiburtinæ, *in vice Domni Johannis & Angelici XIII. Papæ, &* Domnus Georgius Abbas *similiter illi alia.*

Anno Millesimo ab Incarnatione Domini, Regnante Domno Oddo Imperatore *in Italia Imperii ejus IV. Februario Mense, Indictione XIII. Actum in Carsoli.* Rainaldus Comes *filius quondam* Berardi Comitis, *qui fuit Francus ex natione Francorum, donat Monasterio Sublacensi Castellum Arcula, Castrum Rubianum, & Castrum Anticulum, quod ego per Præceptum a* Gregorio *Sanctæ Romanæ Ecclesiæ* Papa *acquisivi.*

Anno III. Johannis Papæ XV. *Die XXIV. Aprilis, Indictione I.* Domnus Stephanus *Dei gratia sanctæ* Prænestinensis Ecclesiæ Episcopus *concedit* Stephano Abbati Sublacensi *Ecclesiam Sanctæ Mariæ & Sanctorum Stephani & Laurentii, quam ipse Stephanus Præsul de propriis sumptibus a fundamentis ædificavit, una cum aliis bonis.*

Anno II. Johannis Papæ XVII. *Die IX. Aprilis, Indictione III.* Johannes Abbas Monasterii Sancti Salvatoris, *quod ponitur ad Commune Aquæ, donat Monasterio Sublacensi cisternam antiquam cum pavimento & fundamento terræ positam Alfile inter Ecclesiam Sanctæ Mariæ & Sancti Petri in territorio Ferentinello minore. Hanc nos acquisiti sumus ex emptione, quam ædificari præcepit* Otto Imperator *ad honorem Sancti Michaëlis Archangeli, & Sancti Benedicti, & S. Adalberti. De qua Cisterna Præceptum nobis tradidit &c.*

Anno VII. Agapiti Papæ junioris, *Die XXIV. Maji, Indictione X.* Benedictus *in Dei nomine* Consul & Dux *offert Monasterio Sublacensi &* Domno Leoni Abbati *omnes res suas positas in territorio Campanino, in loco Pusano &c. Actum Romæ. Testes Stephanus Primicerius, Andreas Archarius sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Georgius Secundicerius sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Leo Protoscriniarius, & Apocrisarius sanctæ Romanæ Ecclesiæ,* Georgius Consul & Dux.

Anno II. Sergii Papæ IV. *Die XXIV. Augusti, Indictione VIII.* Domnus Johannes *Domini gratiâ, &* Domnus Crescentius *inclyti* Comites, *germani fratres, filii quondam* Benedicti *bonæ memoriæ* Comitis, *donant Monasterio Sublacensi, &* Johanni Abbati pro delictorum suorum venia, & anima Patris eorum, & Domnæ Theodoradæ *inclytæ* Comitissæ *matris eorum, Ecclesiam unam ad Monasterium faciendum in honore Sanctæ Mariæ in territorio Prænestino juxta Castrum Gallicanum.*

Tempore Johannis X. Papæ, & Berengarii Imperatoris, *Die XVII. Aprilis, Indictione IX. Charta, in qua nominantur Johannes Protoscriniarius sanctæ Romanæ Ecclesiæ,* Sergius Consul & Dux, Rodelandus Consul & Dux.

Benedictus . . . . . Papa Petro *reverentissimo* Abbati Monasterii Sancti Benedicti & Sanctæ Scholasticæ, *confirmat omnia bona, inter quæ Domum & Ecclesiam Sancti Viti Romæ in Regione VII. & Monasterium Sancti Erasmi, & Monasterium Sanctorum Cosmæ & Damiani, cum casis & Curte positum Romæ juxta Viamlatam, cum Curte Majori & Ecclesia infra se, quæ est in honore Sancti Benedicti & Sanctæ Scholasticæ, quod fuit de* Johanne Presbitero Duce Castelli Albanensis, *posita Romæ Regione Tertia in loco, qui dicitur Massa Juliana. Scriptum per manum Benedicti Scriniarii sanctæ summæ & Apostolicæ Sedis, Mense Novembrio, Indictione II. Bene Valete. Data VI. Kalendas Decembris per manum Joannis Deo amabilis Primicerii summæ Apostolicæ Sedis: Anno, Deo propitio Pontificatus* Domni Benedicti *summi Præsulis* Sexti Papæ *in sacratissima Sede beati Petri Apostoli Primo, Imperante* Domno Ottone *piissimo perpetuo* Augusto *a Deo coronato pacifico* Imperatore.

Nicolai . . . . . Papæ *Bulla pro Monasterio Sublacensi: Incipit:* Nicolaus Episcopus *servus servorum Dei, dilectissimo filio nostro* Azzoni *religioso* Abbati *& Presbitero, & Monasterio de venerabili Monasterio sanctissimi Patris Benedicti, & sanctæ Virginis Scholasticæ, quod ponitur in Sublacu, suisque successoribus inibi Deo servientibus & introëuntibus in perpetuum. Cum piæ desiderium voluntatis &c. tradimus & confirmamus religiositati tuæ regimen & Abbatiam Monasterii; confirmamus omnia, quæ nostri prædecessores Pontifices, Imperatores & Reges &c. Montem Cervariam ad Castellum faciendum, Fundum Maranorum, Fundum Conticuli, Fundum Rubiano, Montem Arsulæ &c.*

Scriptum

Scriptum per manum Gregorii Notarii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Indictione I. LEGIMUS. Data in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Anno Deo propitio Pontificatus Domni Nicolai summi Pontificis & universalis Papæ, Imperii verò Domni Ludovici *piissimi* Imperatoris Augusti, *& a Deo coronato magno Imperatore X. jubente, Die XX. Augusti, Indictione I.*

Anno I. Pontificatus Martini Papæ II Leo Abbas Sublacensis *litem vincit in Urbe Roma coram* Benedicto Duce & Consule Romano.

CATALOGUS
ET SUMMARIUM
NONNULLARUM CHARTARUM EXISTENTIUM IN ARCHIVO MONASTERII CAVENSIS.

ANno DCCCCLXXXVIII. *Quincto Principatus* Landenolfi Principis, *Mense Aprilis, Indictione XV. Sexto Anno* Domni Adenolfi Archipræsulis, *ipse Archiepiscopus precatu Audoaldi Archidiaconi, cum consensu Sacerdotum, Levitarum, & ceterorum Clericorum, eximit ab omni sua jurisdictione Eccl. siam, quam* Domna Aloara *serenissima* Principissa, *& Landenolfus Princeps ejus filius construxerant a novo fundamine intus Capuanam Civitatem, vocabulo Sancti Laurentii Levitæ & Martyris* pro redemptione animarum suarum, & Domni Paldolfi Principis & Marchionis, & Domni Landolfi Principis, & Domni Atenolfi Marchionis, & Domni Paldolfi Principis, & Domni Landolfi, & Domni Gisolfi. *In qua etiam Ecclesia Cœnobium servorum Dei ipsi fundatores præordinaverant. Landenolfus & Gisolfus supradicti, filii ejusdem Aloaræ enuntiantur in subsequentibus. Diploma firmatum fuit sigillo Archiepiscopi, imaginem Sancti Stephani continente, quod deperiit. Ipsumque Johanni Subdiacono Primicerio & Bibliothecario scribendum traditum est. Subscriptiones numero novem, quarum prima est hujusmodi:* Ego qui supra Audoaldus Archidiaconus ex jussione Domni Adenolfi Archiepiscopi me subscripsi. *Reliquæ sunt Presbyterorum, Diaconorum, & Subdiaconorum ejusdem Ecclesiæ.*


Anno DCCCCLXXXVII. Quarto Principatus Domni Landenolfi Principis, *Mense Aprili, Indictione XIV. & Quinto* Domni Adenolfi Archipræsulis. *Ipse Archiepiscopus eximit a sua jurisdictione eamdem Ecclesiam, Ecclesiæ tantùm nomine nuncupatam, sed non Monasterium. Diploma supradictis solemnitatibus fulcitur. Sigillum deperiit. In fine habetur:* Bene Valete.

Aloara Principissa, *&* Landenolfus Princeps *concedunt Ecclesiæ Sancti Laurentii Levitæ & Martyris Christi, ejusque Monasterio, &* Domno Jacobo Abbati ejusdem Ecclesiæ, *Casale Montanarium cum hominibus, terris &c. Pœna apposita auri Libræ Decem. Ex jussione prædictæ & gloriosæ Potestatis in Anno Dominicæ Incarnationis Nongentesimo ..... Quinto Anno Principatus ejus, Mense Julio, Prima Indictione, scripsi ego Johannes Diaconus.*

Anno Quarto Principatus Domni Landenolfi Principis, *Mense Martio, Quintadecima Indictione,* Aloara Principissa *relicta* Domni Paldolfi Principis, *& filia* cujusdam Petri Comitis, *cum consensu & voluntate* Landenolfi *&* Gisolfi *germanorum filiorum & Mundualdorum ejusdem Aloaræ,* pro mercede animarum eorumdem, *& viri sui prædefuncti, & pro anima bonæ memoriæ* Paldolfi Principis Salernitanæ Civitatis filii ejusdem, *& pro animabus* Landolfi & Atenolfi Marchionum, *filiorum ipsius, Monasterio Sancti Laurentii constructo intra Capuanam Civitatem juxta Portam dictam Capuanam, quam* Pandolfus Princeps *inchoaverat, & ipsa Aloara compleverat; ubi* Domnus Jacobus Abbas *erat: Monasterio, inquam, hujusmodi donat terras quasdam, & jus piscandi in quadam aqua. Johannes Notarius. Actum Capuæ. Subscriptiones:*

Ego Grimualdus Comes.
Ego Guisnolfus Judex.
Ego Landolfus.
Ego Maro.

Landenolfus, *obsecrante* Adenolfo Capuano Archipræsule, *concedit & confirmat Monasterio suo Sancti Laurentii intra Capuanam Civitatem, & apud Portam Capuanam dictam, ut idem Monasterium habeat exemptionem a servitio quocumque, videlicet ab equo, angaria, vigiliis pro custodia Civitatis &c. Pœna auri puri Libræ quinque. Sigillum deperditum.*

Signum 

Domni Landenolfi excellentissimi Principis.

Adelchisii Scriba ex jussione supradictæ Potestatis scripsi.
Data Calendas Januarias Anno VII. Principatus Domni Landenolfi gloriosi Principis, Indictione II. Actum in Civitate Capuana.

Paldolfus Langobardorum gentis Princeps & Marchio, per rogatum Waiferii Comitis parentis sui concedit Domno Martino Abbati Monasterii Sanctæ Mariæ de Spelunca sub Monte Vesubeo, omnes res & terras concessas a se, vel a prædecessoribus suis, & concedendas in posterum.

Ex jussione supradictæ Potestatis ego Donatus Clericus, Anno Tricesimo Sexto, & II. Anno Principatu ejus Salernitano, & VI. Anno Principatus Domni Paldolfi ejus filii, Mense Octuber, Indictione Octava.


Sigillum cereum, in quo effigies viri cum literis in circuitu: PALDOLFI PRINCIPIS.

A Landolfus Princeps rogatu Igisebardi Archiepiscopi Capuani, concedit Monasterio Sancti Laurentii Ecclesias Sanctæ Mariæ, Sancti Nicandri, Sancti Angeli, Sancti Cosmæ, & Sancti Donati, sui juris, seu Partis publicæ, a sexaginta retro annis, quæque fuerant prius Sanctæ Sedis Capuanæ. Abbas Sancti Laurentii Domnus Jacobus.

Agelchisi Clericus & Scriba ex jussione supradictæ & gloriosæ Potestatis scripsi.

Data Tertio Decimo Calendas Junias, Anno Quinto Principatus Domni Laydulfi gloriosi Principis, Indictione X.

Actum in Civitate Capuana.

Signum  Domni Laydulfi excellentissimi Principis.

Sigillum deperditum.

Anno Tricesimo Principatus Guaimarii Principis, & Nono Ducatus ejusdem Amalfitani, & Octavo Ducatûs ejusdem Salerni, & Sexto Principatus & Ducatus Domni Gisulfi ejus filii, Mense Februario, Prima Indictione, Paldulfus filius quondam Domni Guaimarii gloriosi Principis, commutat quasdam terras in finibus Salerni cum Domno Stephano Abbate Monasterii Sanctæ Mariæ de Spelunca.

Anno XXXIV. Principatus Domni Guaimarii Principis, Septimo Domni Guaimarii ejus Filii Principis, Mense Martio, Octaba Indictione, Johannes Cutulinu filius Petri Pecorari dat Monasterio Sanctæ Mariæ ad Spelea juxta Monte Besubei, constructo a Domno Martino Abbate partem terræ in Liciniana. Subscriptio.

Ego Johannes.

Ego Amato.

Anno Secundo Principatus Domni Manzoni, & Domni Johannis ejus filii, Mense Magio, X. Indictione. Petrus, & Johanna, & ceteri de eorum familia Placitum faciunt Domno Johanni venerabili Abbati Monasterii Sanctæ Mariæ, ædificati ad ipsa Turre in Monte Vesuveo a Domno Martino Abbate, de quadam petia de terra arabili in loco, qui Furche vocatur.

Ego Petrus.

Ego Leo.

Anno Duodecimo Principatus Domni Landolfi Principis, Mense Junio, Indictione XI. Johannes Judex, cognomento Magnus, filius quondam Dodoni, qui fuit Judex, & postea Monachus, habitator in Civitate Calatia, donat Monasterio & Ecclesiæ Sanctæ Crucis, sitæ intro finibus præfatæ Calatiæ, loco cacumine Montis, qui dicitur Verne, ubi est [Abbas ordinatus Domnus Gaudericus venerabilis Sacerdos & Abbas. In quo Monasterio cum lubamine Domini nostri Jesu Christi vestem sanctæ Religionis suscipere cupiebat, terras quasdam in territorio Calatiæ.


Anno XLIV. Principatus Domni Gisolfi, & Tertio Principatus Domnæ Gemmæ uxoris

B ejus, & Domni Paldolfi filii eorum, Mense Novembris, Quinta Indictione, Ciceru filius quondam Petri de Castello Lauri, & Jaquinta filia quondam Jaquinti, uxor supradicti Ciceri, donat Monasterio Sanctæ Mariæ de Spelunca in Monte Vesubeo terras sui juris. Abbas supradicti Monasterii & Sacerdos Sparano.

Anno MC. & XIX. Anno Alexii Imperatoris, Mense Februario, VIII. Indictione, Goffredus Comes Civitatis Monopoli, Ecclesiæ & Monasterio Sancti Nicolai ejusdem Civitatis in ipsa Pinna donat terras ipsius Montis in loco dicto Aquarulo, recipiente offertionem nomine Monasterii Domno Gibaldo Priore, una cum Advocatore suo Godelferio.

C


Sigillum plumbeum in quo hæ literæ.



D Riccardus Secundus Capuanorum Princeps, per interventum Goffridi Comitis Stabuli, & aliorum, pro animabus Riccardi Avii, & Jordani Patris sui, concedit & confirmat Monasterio beati Laurentii Levitæ & Martyris, constructo prope Aversanam Urbem, quinque homines cum filiis, filiabus, domibus & possessionibus eorum, quos Adenulfus in feudo tenuerat in Matalone, Domno Guarino Abbate ejusdem Monasterii. Concedit etiam eidem Monasterio personam Roberti Mellosi ad serviendum & obediendum eidem Monasterio & Abbati. Pœna decem Libræ auri purissimi.

Signum

Signum Domni Secundi Richardi *serenissimi & magnifici Principis.*



Ex jussione præfatæ serenissimæ Potestatis scripsi ego Quiriacus Judex in Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Centesimo Tertio, & XXIII. Anno Principatus præfati Domni Secundi Riccardi gloriosi Principis Capuæ. A

Datum Capuæ, Mense Junio, per Indictionem XI.

Rogerius Dux Roberti *magnifici* Ducis *heres & filius, confirmat Monasterio Sancti Laurentii in Adversano territorio, &* Domno Guerino Abbati, *Sanctum Nicolaum de Betetta ad Sanctam Catelinam, & Balibanum, & Sanctam Mariam de Grano, & Sanctum Petrum de Aqua Joanne, & Sanctum Petrum de Babania, & unum Casalem, qui vocatur Filina, & Sanctum Oruntium de Taranto, & quinque Piscatores cum duobus lintris, & quartum cum uno lintre in Mare magno & parvo, & quintum cum una planch., & Sanctam Cenopuram, quæ est in territorio Polichori, & Sanctum Nicolaum Salice, & Sanctam Mariam de Colovrata, &* B *Sanctam Mariam de Sinisi cum pertinentiis earum. Pœna auri purissimi Libræ XXX.*


Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Centesimo Secundo, Ducatus autem ejus Septimo Decimo, Mense Aprili, Indictione X.

Ego Rogerius Dux *me subscripsi.*

Adest Sigillum plumbeum cum effigie hominis in una parte, & literis in altera: ROG.... P... G... A.

Riccardus Secundus Capuanorum Princeps, *per interventum Riccardi de Aquila & aliorum, pro animabus* Riccardi Avii, & Jordanis Patris *sui, Monasterio Sancti Laurentii, &* Guarino Abbati *donat quatuordecim homines, quos Gerbaldus Capellanus ejus tenuerat in Mattalone, & alia, & præcipue Ecclesiam Sanctæ Mariæ Garbella nomine, quæ est sita foras Mattalone. Pœna quinquaginta Libræ auri purissimi.*

Signum Domni serenissimi Richardi *gloriosissimi & magnifici Principis.*



Joffridus Jordani.
Richardus filius Bartholomæi.
Jhon Fermenioth.
Rodusus filius Roëli.
Johannes Frimese.
Ruallo filius Aymonis.
Giraldus........
Adamus de Rocca Romana.
Petrus Stuntioni.

Ex jussione præfatæ serenissimæ Potestatis scripsi ego Quiriacus Judex in Anno Dominicæ Incarnationis MCI. & XXI. Anno Principatus C *præfati Domni Secundi Riccardi gloriosi Principis Capuæ.*

Datum in Aversana Urbe, Mense Augusto V. in Festivitate beati Laurentii, per Indictionem Novam.

Riccardus Secundus, *rogatu Roberti de Medanea consanguinei sui, & Rogerii Militis ejus, Monasterio beati Laurentii &* Guarino Abbati *confirmat duas petias terræ in pertinentia Matalonis prope Ecclesiam Sanctæ Mariæ in loco,* D *qui dicitur Jugnanus, donatas a supradictis. Pœna quinquaginta Libræ auri purissimi.*

Signum Domni serenissimi Richardi (simile præcedenti) *gloriosissimi & magnifici Principis.*

Ego Rathbertus de Medania me subscripsi.
Ego Rogerius filius Richardi me subscripsi. E

Ex jussione præfatæ serenissimæ Potestatis scripsi ego Quiriacus Palatinus Judex in Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Centesimo Quinto, & XXVI. Anno Principatus præfati Domni Secundi Richardi gloriosi Principis Capuæ.

Datum Capua Mense Decembri per Indictionem Quartamdecimam.

Riccardus Secundus *Monasterio Puellarum Sancti Blaxii, constructo prope murum Aversanæ Urbis, subjecto Monasterio Sancti Laurentii, ubi* Domnus Guarinus Abbas, *confirmat decem petias de terra, quæ olim fuerant Sicenis Ministerialis, designatis finibus & locis.*

Signum Domni serenissimi Richardi (simile præcedenti) *gloriosissimi & magnifici Principis.*

Ex jussione præfatæ serenissimæ Potestatis scripsi ego Quiriacus Judex in Anno Domini MCI. & Vigesimo Primo Anno Principatus præfati Domni Secundi Riccardi gloriosi Principis Capuæ.

Datum Capua, Mense Martio per Indictionem Nonam.

Anno Millesimo Octogesimo Quinto, Mense Januario, Decima Indictione, Rubertus *filius* Riccardi Florientani Domini, *coram præsentia* Domni Godini Archiepiscopi *sanctæ* Sedis Florientanæ, *& Domni Raidolfi de Civitate Rabenna, dat venerabili* Abbati Hugoni, *& sanctæ Ecclesiæ Laurentii de Civitate Aversa, Ecclesiam, quæ nominatur de loco Sanctæ Mariæ de Grano.*

✠ *Signum sanctæ Crucis, & manus meæ Hugo . . . .*

✠ *Signum Sanctæ Crucis, & manus meæ Rubertus Bervillaus.*

✠ *Signum sanctæ Crucis, & manus meæ Bernaldus.*

✠ *Crux fecit ego Rubertus Valia & scriptum.*

✠ *Signum propria manus mea prædictus Rubertus Infans ita egi.*

Anno MCV. temporibus Rogerii Ducis, *Mense Aprili, Indictione Tertiadecima, Rucgerius filius quondam Trugisi de Castello Sancti Severini de loco Rota concedit & confirmat Monasterio Sancti Laurentii*, & Guarino Abbati, *terram, quam habuerat ab Adamo filio Guilelmi de Castelli Lauri. Pœna centum auri Solidi Constantiniani. Subscriptiones duodecim cum ipsa Rogerii, quæ talis est.*

Ego Rucgerius Sancti Severini, filius Turgisi de Rota.

Boamundus Princeps filius Boamundi Principis Antiocheni, *Monasterio Sancti Laurentii*, & Guarino Abbati *concedit Sanctum Petrum de Lacu Johannis, situm in territorio Floriæ.*

Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Centesimo, Indictione Quintadecima. Sequuntur subscriptiones.


Adest Sigillum plumbeum cum effigie duorum virorum in una parte, & in altera viri insidentis equo cum asta & literis:

BOAMUNDUS PRINCEPS ANTIOCHENUS.

Anno MLXXX. Mense Julii, Indictione Tertia, Unfredus Gravinensis Dominus, *filius & heres Domni Aitardi, ad* Dominum Alberonem *patrem & Oratorem suum*, Abbatem Ecclesiæ Sancti Angeli de Fraxinito, *in qua parentum suorum corpora sepulta erant, misit honorabiles Legatos, quatenus Gravinam veniret; cui venienti & officiosissime suscepto, altero die per Librum Euangeliorum coram suis filiis tradidit unum Casale situm ante prædictam Ecclesiam, & terras, quarum fines assignantur. Concessit etiam in ipso Casale Curtem & Bannum & Plateam habere, & alia.*

Subscribunt cum ipso Aitardus frater, Robertus & Aitardus filii Unfredi, & alii Milites ejusdem.

Jordanus Capuanorum Princeps *pro anima sua, & Patris sui* Ricchardi Principis, & Fridelindæ *Matris suæ, dat Monasterio Sancti Laurentii Levitæ & Martyris Christi, quod dicitur ad Septum*, & Domno Rainaldo Abbati *confirmat Startiam, quæ dicitur de Ceraco, quam heredes Hugonis Blanci dederant eidem Monasterio cum Hortis & Curtisanis prope muros Civitatis, in quibus Hortis liceat Abbatibus, Prioribus, & ipsius Monasterii Rectoribus homines coadunare, & habitationem hominum facere, & Judices ad eos judicandos ordinare & statuere quod voluerint &c. Concedit etiam viridarium juxta Forum de die Sabbati, & Lacum Patriensem & Monasterium Sancti Blasii, quod est prope præscriptum murum.*

Signum  *Domni Jordanis excellentissimi Principis.*

Ex jussione præfatæ serenissimæ Potestatis scriptum per manus Vansolini in Anno Tertiodecimo Principis ipsius Domni Jordanis, & Octavo Anno Ducatus ejus Cajetæ.

Datum Pridie Idus Junii, Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi MLXX. per Indictionem Octavam.

Jordanus Capuanorum Princeps *pro animabus, ut supra, Monasterio Sancti Laurentii &* Rainaldo Abbati, *per interventum Domini* Hervei Capuani Archiepiscopi, *donat Vicum Casolla Vallesana, qualiter tenuit Guilielmus de Patia; & terras donatas ab eodem Guilielmo, & a Godefrido filio Vionis. Insuper Villam, quæ dicitur Nobole, oblatam in finibus Magdalonis, & alias terras in finibus Liguriæ oblatas a Comitibus Aversanis. Similiter Cellam Sanctæ Mariæ, quæ dicitur ad la Speloncа, datam a Domno Ricardo, & alias terras & Cellas.*

Signum (simile præcedenti) *Domni Jordanis excellentissimi Principis.*

Ex jussione præfatæ serenissimæ Potestatis scriptum per manus Gansolini, in Anno Vigesimo secundo Principatus ipsius Domni Jordanis, & XVII. Anno Ducatus Cajetæ

Datum Pridie Nonas Augusti, Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi MLXXIX. per Indictionem Secundam.

Prima

Prima Regula est de Spiritu Sancto loquendi. A *Spiritus Sanctus Creator est, sicut Pater & Verbum, testante Propheta*: Spiritus Domini fecit me & in spiraculum omnipotentis vivificavit me. *In nomine Patris, & individuæ Trinitatis. Ego* Ricardus *Dei gratiâ* Francorum Comiti *concedo & trado tibi* Gualterio Abbati de Cenovio Sancti Laurentii, *hoc est unam Ecclesiam Monasterium Cenovii, vocavolo Sancti Archangeli Terrantiani, quod in partibus Neapolis est foras Cripta, situm in Monte qui est desuper amne, qui vocatur Anglanæ: ut tu ibidem Abbas fieri debeatis cunctis diebus vitæ tuæ* B *&c. cum omnibus ovedientiis suis, quoscumque in Monasterio illo habere & pertinere videtur, quantos & quales sunt sive in terra, vel in Insulis Maris &c.*

Hoc Præceptum scriptum est ab Incarnatione Domini Anno Millesimo Quinquagesimo Quinto, Romani Imperii Monarchia Tertio Enrico, *post obitum* Domni Leoni Papæ *menses duo, residente me* Ricardo Comite Liguriæ, Campaniæ Dominatæ, *ejus Dominatus Anno Quarto, sub Pridie Calendas Junii, Indictione Septima.*

Petrus R. noster Epistolarius nostro subscripsit &c.

Ego Riccardus Comes subscripsi.

C Riccardus *Dei gratiâ* Capuanus Princeps, *Sancti Petri, ac Sancti Laurentii Cenovio in tertia parte Adversani Miliarii sito, atque* Abbati Radulfo, *concedit Decimam portionis suæ, quam tenebat super Flumen Vulturnum in diversis locis.*

Facta est hæc donatio Calendis Maji illo Anno, quo obiit Henricus Rex *Franciæ*, Philippo filio ejus *in Regno illi succedente, atque* Nicolao Papa *Romanæ Ecclesiæ præsidente.*

Diploma scriptum est literis majoribus Langobardicis cum lunga Præfatione de hominis creatione, peccato & redemtione.

Rogerius Dux Roberti Ducis *heres & filius, Monasterio Sancti Laurentii*, & Abbati Gerlito, D *per interventum* Adele Conjugis suæ, *concedit Basilianum cum omnibus pertinentiis suis &c.*

Grimoaldus Notarius.

Anno Dominicæ Incarnationis MXCII. Ducatus sui Septimo, Mense Majo, Indictione XIV.

Ego Rogerius Dux me subscripsi.

Ego Adela Dei gratiâ Ducissa.

✠ *Signum Boamundi.*

✠ *Signum Guidonis filii Roberti magnifici Ducis.*


✠ *Signum* Widelmi *de Broilo Stratigi.*


Sequuntur testes nominibus propriis.

Sigillum plumbeum desideratur.

Jordanus, & Riccardus *filius ejus pro animabus* Principis Richardi & Fridelindæ Principissæ *Aviæ*, & Gaytelgrimæ Principissæ Uxoris Jordani, & *matris Richardi, Monasterio Sancti Laurentii circa muros Aversanæ Civitatis*, & Domno Ugoni Abbati *donant Monasterium Sancti Laurentii in Capua cum Ecclesia Sanctæ Reparatæ & Sancti Blasii, & unum Molendinum in Vulturno, juris supradicti Monasterii Sancti Laurentii Capuani. Item Ecclesiam Sanctæ Mariæ & Sancti Johannis in territorio Miniani oblatam ab Ugone Sorello Hospitali prædicti Monasterii, & Ecclesiam Sancti Andreæ in Calino, & alteram Sancti Andreæ in territorio Suessæ. Item Monasterium Sanctæ Crucis cum Casale Marzani-frigidi, & Ecclesiam Sancti Martini de Matarono, Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Juliano, Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Spelunca, Ecclesiam Sancti Salvatoris de Vallo, Sanctæ Mariæ de Dominicella, Sancti Angeli de Lauro, cum decimatione Nuceriæ de annona, vino, fructibus, & animalibus. Item Ecclesiam Sancti Cononis cum omnibus donatis supra dicto Monasterio a Ranulfo de Argentia in territorio Acerræ; & Casolam & Ecclesiam Sanctæ Mariæ cum villanis & pertinentiis suis, ab eodem Jordano alias donatam supradicto Monasterio. Item Monasterium Sancti Vincentii cum hominibus & duobus Molendinis in Laneo ad Pontem Silicis, & sex villanis, & altero Molendino in Aqualonei, & Ecclesiam de Nobole, decimationibus in Rapale, Presbytero in Villa Gariliani, terris & villanis in vico Piponis. Item Monasterium Sancti Blasii prope præscriptum Monasterium cum hominibus, stanzia, & ceteris donatis ab Ugone Blanco hortis & Curtisanis prope muro Aversæ, & viridario ad Forum de die Sabbati, & Lacum Patriensem cum lintribus, cum Ecclesia Sanct . . . . . de Vico Nicoli, & Sancti Angeli de Monte Christi &c.*

Signum prædictorum





gloriosorum Principum.

E *Jubente serenitate & prudentiâ prescriptorum Principum scripsi ego Gansolinus.*

Data Quarto Kalendas Novembris, Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi Millesimo Octoagesimo Septimo. Scriptum autem in Undecima Indictione.

Sigillum plumbeum desideratur.

Anno ab Incarnatione Domini MXCVIII. Mense Julii, Indictione VI. Robertus de Molina in præsentia Joannis Judicis & aliorum hominum Castri sui Sancti Juliani, dat Monasterio Sancti Juliani, in quo parentum suorum corpora sepulta erant, & cui tunc præerat Dompnus Guarnerius Monachus Sancti Laurentii de Aversa pro parte ejusdem Ecclesiæ, Ecclesiam Sancti Pauli in territorio Sancti Juliani cum posses-

possessionibus , Libris , & pannis . Id ut firmius permaneat, idem Robertus sibi & successoribus imponit pœnam duas Libras auri puri; & præterea ipso instante Guarinus Abbas Sancti Laurentii , habitis secum supradicto Guarnerio Priore Sancti Juliani, & Fratre Gilberto Priore Sanctæ Mariæ in Cerche , & aliis Monachis omnibus Presbyteris Castri sibi adstantibus excommunicavit violatores &c.

Actum in Ecclesia Sancti Juliani .

Subscribit primo loco Joannes Judex , inde Notarii manu Robertus , & novem testes .

Anno ab Incarnatione Domini MXCIII. Indictione Prima , Gausfredus de Conversano Comes , *cum consilio Conjugis suæ* , & Roberti *filii sui , eligit Ecclesiam Sanctæ Mariæ Montispilosi , quæ suo assensu ab Archiepiscopo Acherontino unita fuerat Monasterio Sancti Laurentii de Aversa , pro Cella , ut ibi faciat Monasterium . Obtinent autem eam ab Abbate Sancti Laurentii de consilio* Urbani Papæ Romanæ Sedis , & *assensu Conventus Sancti Laurentii redditam , dans pro ea Ecclesiam Sancti Nicolai in Monopolitana Civitate .*

Arnaldus Acherontinus Archiepiscopus .

✠ *Signum propriæ manus meæ , qui supra Gaufredus Comens de Conversano .*

✠ *Signum propriæ manus meæ Robbertus prædicti Comitis filius .*

Roberti Guiscardi Ducis Normannorum, Salerni , Amalfiæ , *Diploma concessum , per interventum* Domnæ Sichelgaytæ Ducis *dilectæ* Conjugis nostræ , Petro Salernitano Abbati , *datum Salerni per manus Ursoni Notarii, Anno ejus III. Bullâ plumbeâ insignitum . Donat Ecclesiam Sancti Matthæi de Rocha Pimontis , quæ olim Rocha Sancti Cirici vocabatur , cum universis omnino bonis suis , ubicumque sitis . Et concedit , ut quicumque Vassallus ipsius Principis se vel sua præfato Cavensi Monasterio offerre voluerit , libere & absque contradictione aliqua id faciat ,*

Ejusdem Roberti Guiscardi Ducis *Diploma, concessum* Petro Salernitano Abbati , *interventu* Domnæ Sichelgaytæ Ducissæ Conjugis; *Datum Salerni per manus Ursoni Protonotarii , Anno Domini MLXXX. Mense Augusto , & plumbeâ Bullâ roboratum . In eo concedit , quod omnes Vassalli & homines Monasterii Cavensis , extra Civitatem Salerni , & etiam intus habitantes , & in Cilento , nempe in Casalibus Sancti Archangeli , Sancti Magni , & Sanctæ Mariæ de Gulia, & alii ubique commorantes , sub omnimoda Monasterii jurisdictione ac potestate existant, nihilque ab eis Curia Principis , vel Respublica , sive Officiales ejus requirant . Et ut nulli eorum liceat absque licentia Monasterii ab ejus dominio & potestate discedere , quippe qui sub ipsius jurisdictione ac defensione jugiter tenentur permanere .*

Ejusdem Roberti Guiscardi Ducis *Diploma , concessum* pro salute animæ suæ , Petro Salernitano Abbati , *datum Salerni per manus Ursoni Protonotarii Anno Domini MLXXXI. Mense Majo , Indictione IV. & plumbeâ Bullâ roboratum . In eo confirmat Monasterio Sancti Benedicti de Tarento , intus Civitatem Tarentinum constructo, Ecclesias eidem Monasterio subjectas una cum obedientiis & pertinentiis suis ;* Ursone Abbate *ejusdem Monasterii consensum præbente .*

Rogerii Siciliæ , Apuliæ , & Calabriæ Ducis , *filii quondam* Rogerii Siciliæ magni Comitis *Diploma concessum* pro salute animæ *Patris nostri Rogerii Comitis &* Matris nostræ Adelaidæ Reginæ *& nostra* , Simeoni Abbati , *datum Panormi Anno Domini MCXXX. Mense Februario , Indictione IX: Regni verò ejus Anno Primo , Bullâ aureâ decoratum . In eo donat Ecclesiam Sancti Archangeli de Petralia Siciliæ Messanensis Diœcesis , olim a Radulfo Belbacense constructam , una cum ingenti territorio & villanis , vaxallisque tam Christianis quàm etiam Sarracenis , & aliis possessionibus , pertinentiis & juribus &c.*

✠ *Rogerius in Christo Deo potens Dux , & Christianorum adjutor.*

Ejusdem Rogerii Siciliæ & Italiæ Regis , *filii quondam* Rogerii I. Comitis Siciliæ , *Diploma concessum pro salute animæ Patris nostri Rogerii Comitis , Matrisque nostræ Adelaidæ Reginæ & nostra* , Simoni Abbati , *datum Salerni per manus Guarni Cancellarii , XVIII. Kalendas Novembris , Anno MCXXXIII. Regni verò ejus Anno III. Bullâ aureâ decoratum. Confirmat omnes donationes, concessiones, emtiones , instrumenta , jura ac privilegia sancti Monasterii Cavensis , & præsertim donationes* Guaimarii & Gisulfi Principum Salernitanorum, & Henrici Comitis Montis Gargani , & Johelis Comitis Stabuli , & Roberti Guiscardi Ducis , *& ipsius* Rogerii Ducis . *Concedit etiam , ut si qua mala consuetudo seu conditio in aliquibus rebus , possessionibus vel hominibus ipsius Monasterii fuerit imposita , omnino deleatur , nullis futuris temporibus imponenda .*

Rogerii Ducis Apuliæ , Calabriæ & Siciliæ, *filii quondam* Roberti Guiscardi Ducis *Diploma* Petro Salernitano Abbati *concessum . In præsentia ipsius Ducis , illustris* Domna Gaytelgrima Comitissa, *filia bonæ memoriæ* Domni Roberti Ducis , *patris prædictorum Ducis & Comitissæ,* pro salute animæ suæ & animabus omnium filiorum suorum , & suprascripti Domni Roberti, & animabus Domni Drogonis & Domni Alfridi Comitum. *Datum Salerni per manus Grimoaldi Notarii Anno MLXXXVI Mense Januario , Indictione X. Bullâ plumbeâ roboratum. Donat Monasterium Sancti Stephani de Juncarico in pertinentiis Laudoniæ , & Casale Juncarici cum omnibus Villanis in eodem Casale existentibus , præsentibus & futuris , nihil sibi in eis jurisdictionis reservans , cum animalibus ac bonis omnibus , ac tenimento ipsius Casalis finibus suis designato . Item donat vineas & terras intus Laquedoniam & Roccam existentes & totum tenimentum , quod Buzzachara dicitur in predictis pertinentiis cum Iscla de Batallola nuncupata suis finibus descripta . Concedit facultatem derivandi aquam de Flumine Aufido in usum Molendini & ædificandi in prænominata Iscla molendinum , omnesque utilitates accipiendi, disponendique pro arbitrio. Concedit etiam facultatem accipiendi fidaticum & plateaticum in toto Casalis prædicti tenimento , atque fidaticum , herbaticum , plateaticum , terraticum , & aquaticum exigendi & accipiendi ab omnibus habitantibus in Casalibus & possessionibus sacri Monasterii Cavensis habitis & habendis; & non modò jura prædicta , verùm etiam quælibet alia, atque merum & plenum dominium exercendi , criminali tantummodò exceptâ jurisdictione .*

Rogerii Ducis *prædicti Diploma* Petro Salernitano Abbati *concessum, & datum Salerni per manus Grimoaldi Notarii Anno Domni MLXXXVI. Mense Majo , Indictione IX. Anno verò Ducatus ejus Primo , plumbeâ Bullâ roboratum .*

ratum. Donat Portum Casalis veteris de Cava cum omnibus suis juribus & pertinentiis & praesertim jus navigiorum & piscationum in mari & in littore ac in terra, nulla potestate seu jurisdictione sibi & successoribus suis reservata in Portu praedicto. Adest illius subscriptio, & Boamundi fratris sui, *filii quondam* Roberti Ducis, *Riccardi Senescalchi, Radulfi de Lauritello, & Goffridi filii Corvi.*

Ejusdem Rogerii Ducis *Diploma, concessum* Petro Salernitano Abbati, *datum Panormi per manus Grimoaldi Notarii, Anno Domini MLXXXVI. Mense Augusto, Indictione IX. Ducatus verò sui Anno Primo. Donat Monasterium Sanctae Trinitatis de Bario cum universis juribus, bonis, & pertinentiis. Adest bulla plumbea, & subscribunt ipse Dux,* Alcerius Panormitanus & Regiensis Archiepiscopus, Robertus filius *quondam* Roberti Guiscardi Ducis, Petronius Comes de Alesna, *Rogerius de Barnavilla, Petrus Bidonis Armeratus Panormi, cum aliis.*

Ejusdem Rogerii Ducis *Diploma, concessum* Petro Salernitano Abbati, *datum Panormi Anno Domini MLXXXVI. Mense Augusto, Indictione IX. per manus Grimoaldi Notarii, plumbeâ Bullâ insignitum. In eo donat Ecclesiam Sancti Joannis extra & prope Civitatem Barensem constructam, cum olivetis, & omnibus pertinentiis suis.*

Subscribunt idem Dux, & reliqui supra memorati.

Ejusdem Rogerii Ducis *Diploma, concessum* Petro Abbati Salernitano, *interventu* Hugonis Lugdunensis Archiepiscopi, *&* Riccardi Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis, *&* Abbatis Monasterii Sancti Victoris Massiliensis, *datum Salerni per manus Landulfi Notarii Anno Domini MLXXXVI. Mense Octobri, Indictione X. Ducatus verò illius Anno II. Donat Casalia & Vassallos Miteliani & Passiani, ac finitimorum locorum & pertinentiarum, omniumque inhabitantium & habitaturorum in toto Cavae territorio & tenimento suis finibus designato, cum uxoribus & filiis, & omnibus rebus eorum mobilibus & immobilibus ubicumque positis, & ad illos pertinentibus.*

Ejusdem Rogerii Ducis *Diploma concessum* Petro Salernitano Abbati, *datum intra claustra sacri Monasterii Cavensis per manus Joannis Notarii Anno Domini MLXXXVI. Mense Octobri, Indictione X. plumbeâ Bullâ roboratum. Donat & confirmat Monasterium & Casale Sancti Petri de Olibola in finibus Apuliae in pertinentiis Rocchae Sanctae Agathae, cum terris, domibus, vineis, ac terris vacuis, villanis &c.*

Subscribunt ipse Dux, Raynolfus Bricto, & Riccardus Senescalcus, & Guelterius Aloë.

Ejusdem Rogerii Ducis *Diploma concessum* Petro Abbati Salernitano, pro remedio peccatorum suorum, *& salute animae illustris* Ducis Roberti *patris sui, &* Domnae Sichelgaitae Ducissae *& genitricis suae, datum Salerni per manus Grimoaldi Notarii Anno Domini MLXXXVII. Mense Majo, Indictione X. Ducatus verò sui Anno II. plumbeâ Bullâ insignitum. Confirmat omnes donationes Monasterio Cavensi factas de quacumque re vel caussa reali seu personali: & praesertim donationem totius tenimenti Cavae, & Sancti Adjutoris, suis finibus designati &c.*

Ejusdem Rogerii Ducis *Diploma concessum* Petro Salernitano Abbati, *datum Salerni per* A *manus Grimoaldi Notarii, Anno Domini MLXXXVIII. Mense Augusto, Indictione XI. Anno verò Ducatus sui III. Donat Monasterium Sancti Adriani de Russano Calabriae cum omnibus Methociis Ecclesiis & villanis, ad Monasterium ipsum spectantibus, & omnibus bonis ejus, ubicumque sitis, ac juribus & pertinentiis.*

Ejusdem Rogerii Ducis *Diploma, concessum* Petro Salernitano Abbati, *bullâ plumbeâ munitum, & datum Salerni, per manus Grimoaldi Notarii, Anno Domini MLXXXIX. Mense Martio, Indictione XI. Ducatus verò sui Anno IV. Donat Ecclesiam Sancti Matthiae de Tusciano, cum omnibus bonis ejus, juribus & pertinentiis.* B

Ejusdem Rogerii Ducis *Diploma, concessum* Petro Salernitano Abbati, *& datum Salerni, Anno Domini MLXXXIX. Mense Junio, Indictione XII. Donat terras, cum vineis & arbustis in locis Dupino, Tusciano, Battipalea, suis finibus disignatis, cum taberna prope Ecclesiam Sancti Archangeli de Tusciano, in compensationem terrarum loci Metiliani, quas Alberto de Grusa restituerat.*

Ejusdem Rogerii Ducis *Diploma, concessum* Petro Salernitano Abbati, *datum Salerni, Anno Domini MXC. Mense Octobri, Indictione XIV. Ducatus verò sui Anno IV. Bullâ plumbeâ roboratum. Donat Casalia & Vassallos* C *Metiliani & Passiani, ac finitima loca & pertinentias & omnes commorantes & commoraturos in toto Cavae territorio ac tenimento suis finibus designato, cum uxoribus, filiis, atque omnibus rebus eorum stabilibus & mobilibus ubicumque positis, & ad eos pertinentibus &c.*

Ejusdem Rogerii Ducis *Diploma, concessum* Petro Salernitano Abbati, *plumbeâ bullâ insignitum, & datum Salerni per manus Landolfi Notarii Anno Domini MXCII. Mense Septembri, Indictione Primâ, Ducatus verò sui Anno VI. Donat Startiam cum terris cultis & incultis demanii sui, sitam in Sarno, ubi Tabellaria dicitur, suis finibus declaratis. Item donat duo Molendina ex decem molendinis suis in flu-* D *vio Furnunculo Sarni, ubi Focae dicitur, cum molis, ferraturis, sedili, arcaturis, aquis, & aliis pertinentiis suis.*

Ejusdem Rogerii Ducis *Diploma, concessum* Petro Salernitano Abbati, *datum Salerni Anno Domini MXCII. Mense Septembri. Donat Decimam piscium Maris Cavae, a Valle videlicet, Gallocanta nuncupatâ, usque ad fluvium Cetariae, qui est de territorio Monasterii Cavensis, per quinque millia passuum intra Mare. Item concedit, ut per suum Ducatum liceat Monasterio vendere absque ulla datione, solutione, exitura, vel alia qualibet praestatione, etiam quoad emptores.*

Ejusdem Rogerii Ducis *Diploma concessum* E Petro Salernitano Abbati, *per interventum* Domnae Adelae *dilectae* Conjugis suae, *bullâ plumbeâ roboratum, & datum Salerni, per manus Grimoaldi Notarii Anno Domini MXCIV. Mense Septembri, Indictione III. Ducatus verò sui Anno X. Donat Castrum Stregula, cum omnibus Vassallis Christianis & Saracenis, & rebus eorum, atque omnibus juribus & pertinentiis.*

Ejusdem Rogerii Ducis *Diploma concessum* Simeoni Abbati, *datum Salerni per manus Joannis Notarii Anno Domini MCVI. Mense Novembri, Indictione XIII. Ducatus verò sui Anno XV. Donat Decimam juris Plateatici Platea-*

rum

rum Salerni, quæ de Sancto Laurentio, & de Ludragula dictæ sunt, & aliarum platearum intus & extra Salernum, quæ tum institutæ erant, & quæ in posterum statuentur, cum facultate exigendi & exigi faciendi prædictum jus platearum, absque aliqua contradictione.

Ejusdem Rogerii Ducis *Diploma, concessum* Petro Salernitano Abbati, ob redemtionem animarum *patris sui & matris suæ* Sichegaytæ, salute quoque suâ, *& per interventum* Domnæ Alæ Conjugis suæ, *Datum Salerni per manus Landonis Notarii Anno Domini MCVI. Mense Martio, Indictione XIIII. Ducatus autem sui Anno XXI. plumbeâ bullâ roboratum. Donat Casale, quod Fabrica dicitur in Apulia, cum omnibus habitantibus & habitaturis in eo, & eum terris, silvis, herbagiis, flumine, ripis, aliisque omnibus juribus & pertinentiis, suis finibus designatis: quæ omnia obtulit in compensationem Castri Stragulæ, & Monasterii Sancti Adriani, quod ab ipso Monasterio Cavensi receperat.*

Ejusdem Rogerii Ducis *Diploma, concessum* Petro Salernitano Abbati, *plumbeâ bullâ roboratum, & datum Salerni per manus Johannis Notarii Anno Domini MCX. Mense Junio, Indictione III. Ducatus verò sui Anno XXV. Confirmat omnia bona stabilia ubicumque & qualitercumque ad sacrum Cavense Monasterium spectantia, ac Servos ipsius Monasterii utriusque sexus habitos & habendos. Et concedit, ut prædicti Servi liberas uxores accipere, & Ancillæ liberos viros possint, dummodo filii & filiæ eorum Servi & Ancillæ sint ejusdem Monasterii.*

Ejusdem Rogerii Ducis *Diploma*, Petro Salernitano Abbati *concessum, plumbeâ bullâ roboratum*, propter redemtionem animarum *patris sui* Roberti *& matris suæ* Sichelgaitæ, salutem quoque suam, *& uxoris suæ* Halæ, *ac filii sui carissimi* Gulielmi: *Datum Salerni per manus Johannis Notarii, Anno Domini MCXI. Mense Februario, Quarta Indictione, Ducatus verò sui Anno XXVII. Donat Castrum Sancti Adjutoris cum omnibus hominibus Vassallis ipsius Castri utriusque sexus, & rebus eorum ubicumque habitantibus, cum terris, arbustis &c. & cum jure plateatico Plateæ prædicti Castri, & omnibus ejus juribus & pertinentiis, cumque omnimoda Vassallorum jurisdictione, absque Reipublicæ vel aliorum contradictione.*

Ejusdem Rogerii Ducis *Diploma, datum Anno Domini MCV. Mense Augusti, Indictione III. Donat terras ac domos intus Salernitanam Civitatem, finibus suis designatas, Mariæ Uxori Johannis, & Gulielmo filio suo, quem ex ipsa Maria suscepit.*

Ejusdem Rogerii Ducis *Diploma, datum Anno Domini MCX. Mense Martio, Indictione III. Donat sextam partem Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Domno de Salerno, ac omnia ad illam pertinentia.*

Ejusdem Rogerii Ducis *Diploma, datum Anno MCXI. Mense Februario, Indictione IV. Donat Castrum Sancti Adjutoris cum omnimoda jurisdictione Vassallorum, cum jure plateatico Plateæ ejusdem Castri, & omnibus juribus illius.*

Ejusdem Rogerii Ducis *Diploma, datum Anno Domini MCIII. Ducatus verò sui Anno XIX. Mense Septembri, Indictione XII. Donat & confirmat quasdam terras cum vinea & castaneto in Transboneja Cavæ, ubi Nucitum dicitur, finibus suis designatas, Guaiferio, Johanni, & Petro filiis quondam Petri.*

Gisolfi Principis Langobardorum *Diploma, concessum* Leoni Abbati, *Anno Domini MLXXI. Mense Majo, Indictione IX. Donat terras in Lucania in territorio Castri Abbatis, ubi Gulia dicitur, ejus finibus designatis.*

Ejusdem Gisulfi Principis Langobardorum *Diploma, concessum* Leoni Abbati *spirituali patri suo, & datum Salerni in sacro Salernitano Palatio per manus Joannis Notarii Anno Domini MLXXIII. Mense Majo, Indictione X. Principatus verò sui Anno XXXI. Donat Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Gulia in Lucania, & alias Ecclesias ibidem, ac totum territorium circa eas Ecclesias existens, finibus designatis, in quo territorio postea* Constabilis Abbas *Castrum, quod Abbatis dicitur, ædificavit.*

Ejusdem Gisolfi Principis Langobardorum *Diploma, concessum* Leoni Abbati, *& spirituali Patri suo, datum Salerni in sacro Salernitano Palatio, Anno Domini MLXXIII. Principatus verò sui Anno XXXI. Mense Majo, Indictione X. per manus Joannis Notarii. Donat Ecclesiam Sancti Nicolai de Serramediana in Lucanis finibus una cum terris, & aliis bonis.*

Jaquintus Episcopus Laquedoniæ *concedit* Petro Abbati Salernitano, *per manus Ursonis Notarii Anno MCVIII. Mense Junio, Indictione I. Monasterium Sancti Nicolai de Lacedonia.*

Johannes Episcopus Anglonensis Falconi Abbati *Anno MCXLII. secundo Nonas Augusti, Indictione IX. confirmat Ecclesiam Sancti Pancratii de Monte Gargano.*

Johannes Secundus, & Tertius Marsicani Episcopi, *primus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis circiter Annum MXCV. alter Anno MCLXVI. multa confirmant Monasterio Cavensi.*

Johannes Episcopus Cannarum *concedit Anno MCLXVII. Mense Decembri Indictione XV. Ecclesiam Sanctæ Luciæ prope Civitatem Cannarum.*

Johannes Episcopus Casertæ *Anno MCLVIII. Mense Majo, Indictione VI. concedit Ecclesias Sanctæ Mariæ & Sancti Martialis de Cervina.*

Johannes Episcopus Grumentanus & Marsicanus *Anno MCXLIV. Mense Majo, Indictione VII.* Falconi Abbati *concedit Ecclesiam Sancti Petri de Tramutula.*

Johannes Episcopus Luceriæ Apuliæ *Anno MXLI. Mense Majo, Indictione VII. concedit Ecclesiam Sanctorum Jacobi & Barnabæ de Luceria.*

Johannes Episcopus Marsicanus & Grumentanus *Anno MXCV. Mense Augusti, concedit* Petro Abbati *Ecclesiam Sancti Jacobi de Burgentia.*

Johannes Episcopus Melfictensis *Anno MCXXXVI. Mense Novembris, Indictione XIV.* Simeoni Abbati *concedit Ecclesiam Sancti Martini de Melficto.*

Johannes Episcopus Pæstanus *Anno MCXLII. Mense Junio, Indictione V.* Falconi Abbati *concedit Monasterium Sancti Angeli de Silvanigra.*

Agapitus *ex Cavensi Monacho* Frequentinæ Ecclesiæ Episcopus, *Anno MCLXXXIX. concedit Ecclesiam Sancti Barbati, & Sancti Cataldi de Taurasio.*

Alfanus Salernitanus Archiepiscopus, *Anno MLXXI. Mense Februario concedit Ecclesiam Sancti Nicolai de Palma de Salerno, cum juribus Parochialibus, Capitulo & Clero consentientibus.*

Alfa-

Alfanus Episcopus Pæstanus, *Anno MC. Mense Majo concordiam init cum Abbate Cavensi de finibus territorii in Cilento, & in Lucania.*

Amatus Episcopus Pæstanus *concedit Ecclesiam Sanctæ Præparationis, alias Sanctæ Veneris de Cornito, Anno XXV. Principatus Domni Guaimarii, & V. Ducatus ejus Amalfiæ, & VIII. Ducatus ejus Surrenti, & VII. Anno Principatuum & Ducatuum Domni Gisulfi, Mense Julio.*

Idem Amatus Episcopus Pæstanus concedit Ecclesiam Sancti Matthæi Apostoli de Lucania Anno XII. Principatus Domni Gisulfi Principis Mense Februario.

Amuris Mensulæ & Castellaneti Episcopus *concedit Ecclesiam Sancti Matthæi de Castellaneto Anno MC. Mense Decembri.*

Bartholomæus Episcopus Nolanus *concedit Ecclesias Sancti Georgii, & Sancti Leontii de Nola, & Sanctæ Trinitatis de Cicala Anno MCXLIII. Mense Decembri.*

Bernardus Episcopus Nolanus *concedit Ecclesias easdem Anno MCLXXXI. Mense Augusto.*

Bertrandus Archiepiscopus Tranensis *concedit Ecclesiam Sanctæ Trinitatis Civitatis Fani Anno MCLXXVII. Mense Novembri.*

Idem Bertrandus consecrat eamdem Ecclesiam Anno MCLXXXIV. Pridie Nonas Maji.

Constantinus Episcopus Minonensis, *sive* Reginensis, *concedit Ecclesiam Sancti Joannis* A *de Minor .... Anno MCXLIV. die IV. Augusti.*

Desiderius Episcopus Lacedoniæ, *sive* Laquedoniæ, *vel Cedoniæ, concedit Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Juncarico, sive de Jurcito in territorio Lacedoniæ apud Rocchettam Apuliæ Anno MLXXXV. Mense Majo. Iste ex Cavensi Monacho Laquedonensis Ecclesiæ factus est Episcopus Anno MLXXXII.*

Dionysius Archiepiscopus Tarentinus *concedit Ecclesiam Sancti Benedicti de Tarento, quam paulo ante dedicaverat, Anno LXIX. Imperii Constantini, & XXI. Archiepiscopatus sui.*

Nicolaus Archiepiscopus Canusinus & Barensis *concedit consecrationem & exemtionem* B *Ecclesiæ Sancti Nicolai de Bario, quam ipse paulo ante construxerat in loco Orandulo & Turri de Musarra appellato, Anno MXXXVI. Mense Majo.*

Nicolaus Archiepiscopus Canusinus & Barensis concedit Ecclesiam Sancti Nicolai ab ipso ædificatam prope Locum ubi Turris de Musarra dicitur, Anno MXXXIX. Mense Octobri.

Idem concedit consecrationem & exemtionem Ecclesiæ Sanctorum Johannis & Pauli de Bario, quam ædificaverat Marcus Abbas Sanctæ Trinitatis de Bario *in horto ejusdem Monasterii, Anno MXLVII. Mense Aprili.*

DE
CENSIBUS
AC REDITIBUS
OLIM
AD ECCLESIAM ROMANAM
SPECTANTIBUS.
DISSERTATIO
SEXAGESIMANONA.

DISSERTATIO SEXAGESIMANONA.

Romanæ Ecclesiæ qualis quantaque sit temporibus nostris opulentia atque majestas, norunt omnes; qualis autem Sæculis rudibus, & post declinationem Imperii Romani, id quidem non omnibus exploratum est. Propterea in ejusmodi plane nobile argumentum aliquid adferre nunc juvat, ut qui inter nostra & antiqua Sæcula comparationem aliquam instituere velit, facilius in posterum possit. Primum ergo illud statuo, quum Romana Ecclesia a sui origine principem locum inter ceteras, immo & supra ceteras tenuerit, ejus etiam dignitati fortunam ac redituum copiam ex oblatione Fidelium profectam semper respondisse. Præcipue tamen opibus aucta est, quum primum sub Constantino Magno Religioni pax reddita, & libertas palam data est. Nam etsi amplissimam illam Constantini Donationem, quæ olim circumferebatur, nunc Eruditorum nemo amplectatur, immo quisque commentitiam agnoscat, nihilo tamen secius fateri omnes cogimur, Constantinum summâ liberalitate certasse, ut Romanam Ecclesiàm uberius etiam quàm reliquas ornaret atque ditaret. In eam sententiam nos perducit non solùm Anastasii Bibliothecarii, sive quicumque is sit, antiquissimi Auctoris, cui Vitas Romanorum Pontificum debemus, auctoritas, sed etiam Ethnicorum ipsorum testificatio, quam ne ipse quidem Cardinalis Baronius reticendam censuit. Narrat Ammianus Marcellinus Lib. 27. Cap. 3. turbas Romæ Anno CCCLXVII. excitatas in electione Romani Pontificis, divisis Populi votis inter Damasum atque Ursicinum. Tum subdit: *Neque ego abnuo, ostentationem rerum considerans Urbanarum, hujus rei cupidos ob impetrandum quod appetunt, omni contentione laterum jurgari debere: quum id adepti, futuri sint ita securi, ut ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis insidentes, circumspecte vestiti, epulas curantes profusas, adeo ut eorum convivia Regales superent mensas.* Hæc Ethnicus scriptor, cui alterum adtexo, nempe Prætextatum Consulem designatum, qui iisdem temporibus Romæ vixit. Hæc de illo Sanctus Hieronymus in Epistola nunc 38. olim 61. ad Pammachium adversùs errores Johannis Hierosolymitani: *Homo sacrilegus, & Idolorum cultor, solebat ludens beato Papæ Damaso dicere: Facite me Romanæ Urbis Episcopum, & ero protinus Christianus.* Invidiose quidem hæc a depressis Paganis tunc dicta. Sed simul sat produnt, qui tum foret Romanorum Pontificum splendor, & Romanæ Ecclesiæ magnificentia, quæ tamen in pauperum sinum uberem partem suarum opum effundere consuevit, uti jamdiu in Tractatu Italicè edito *de Caritate* ostendi. Neque in Romano tantùm agro, atque in finitimis abundabat ingenti fundorum copia eadem Ecclesia, sed etiam per varias Italiæ partes; atque in Asia ipsa. Cælestinus I. Papa ad Theodosium juniorem Augustum scribens Anno Christi CCCCXXXII. commemorabat *possessiones in Asia constitutas, quas illustris & sanctæ recordationis Proba longâ a majoribus vetustate reliquerat* Romanæ Ecclesiæ; is verò Imperatori commendat, *ut omnis ab his insidiantium inquietudo discedat*. Pertinent ista ad prima Ecclesiæ Sæcula. Quid in subsequentibus contigerit (hoc enim potissimùm investigando sumsi) accipito.

Primo loco in *Patrimoniis* sita olim fuit Romanæ Ecclesiæ opulentia, hoc est in Massis, aliisque fundis, quos Augustorum, aliorumque Fidelium pietas in variis Provinciis Sancto Petro contulerat. Eorum administratio fere semper commendabatur Clericis & Subdiaconis spectatæ fidei, qui *Defensores* & *Rectores* appellabantur. *Actionarii* quoque, sive *Actores* ad idem munus delecti fuere. Idem fortassis officium sub diversis nominibus fuit. Constat autem ex Epistolis Gregorii Magni, fuisse varia locupletissima patrimonia sanctæ Romanæ Ecclesiæ *in Sicilia, Gallia, Appia, Calabria, Campania, Corsica, Sardinia, Delmatia, Thuscia, Africa*, & aliis in locis. Meminit etiam Anastasius in Vita Johannis V. Papæ, *patrimonium Siciliæ & Calabriæ*. Tum in Vita Zachariæ testatur idem Scriptor, restituta fuisse Pontifici *a Trasmundo Duce Spoletino Sabinense patrimonium, quod per annos prope triginta fuerat ablatum, atque Narniense, etiam & Auximanum, atque Anconitanum, necnon & Numanatense* &c. Proinde quum legis apud eumdem Anastasium in Vita Johannis VII. & apud Paulum Diaconum in Historia Langobardica, donationem, sive restitutionem *Patrimonii Alpium Cottiarum* ab Ariperto Langobardorum Rege factam, & a Liutprando confirmatam Ecclesiæ Romanæ: his verbis nil aliud significari puta, quàm Cortes, Prædia, & Fundos. Nam quod Bartholomæus Zucchius in Histor. Modoëtiensi Epistolam profert ab Ariperto scriptam Johanni VII. Romano Pontifici, in qua ait: *Ex hoc nostro latissimo decreto eidem Romanæ Ecclesiæ liberaliter Alpes Cottias, in quibus & Genua est, donamus, ita ut in bonis beati Petri ipsæ Alpes a Taurinis montibus usque ad Ligusticum mare censeantur*: fieri quidem potest ut parum Critici, nimiumque creduli aurichalcum illud pro auro accipiant (quod & Turrigius fecit in Libro *Grotte Vaticane* Part. 2. Cap. 6.) verùm nemo inter eruditos est, qui ridendam, putidamque non agnoscat illius Epistolæ imposturam. Eumdem Auctorem, similium criminum reum deprehendi in Commentar. de Corona Ferrea Tom. 2. Anecdotor. Latinor. Hadrianus quoque Primus in Epistol. 49. Codicis Carolini, Patrimonia Ecclesiæ Romanæ commemorat, posita *in partibus Tusciæ, Spoleto, seu Benevento, atque Corsica simul & Savinensi* &c. Modum verò, quo ejusmodi patrimonia, in tam diversis regionibus sita regerentur, supra laudatus Gregorius Magnus plurimis Epistolis suis explicat, in queis admirabilis effulget æquitatis amor atque prudentia. Chronicon quoque Farfense Part. II. Tomi II. Rer. Italic. a me editum, multa habet de *Actionariis* Ecclesiæ Romanæ. Erant autem & in Germania reditus eidem Eccle-

Eccleſiæ Sæculo Chriſti Nono, qui unde colligerentur, incertum eſt. Nicolaus enim I. Papa ad Ludovicum Germaniæ Regem ſcribens Epiſtol. LV ſibi conſtitutum ait de Legato mittendo, *pro unius anni reditibus rerum Sancti Petri in Regno veſtro ſitarum: quum duorum annorum jam tempora præterierint, ex quo reditus ex illis debuerunt eſſe collecti; & nos ex eis nihil recepimus*. Pontifex idem in Epiſtola II. ad Michaëlem Græcorum Imperatorem alia recenſet Romanæ Eccleſiæ Patrimonia a Græcis uſurpata. *Præterea*, inquit, *Calabritanum patrimonium & Siculum, quæque noſtræ Eccleſiæ conceſſa fuerunt, & ea poſſidenda obtinuit*, & *diſponendo per ſuos familiares regere ſtuduit, veſtris conceſſionibus reddantur; quoniam irrationabile eſt*, ut *Eccleſiaſtica poſſeſſio, unde luminaria & concinnationes Eccleſiæ Dei fieri debent, terrenâ quavis poteſtate ſubtrahantur*. Leo etiam IX. in Epiſtol. 7. ad Conſtantinum Monomachum Imperatorem eadem patrimonia repetit. Sed longe his majora donaria, Eccleſiæ Romanæ a Conſtantino Magno oblata, patulo ore contendebat Liutprandus Cremonenſis Epiſcopus in ſua Legatione ad Nicephorum Orientis Imperatorem, nempe *non in Italia ſolùm, ſed in omnibus pæne Occidentalibus Regnis, necnon de Orientalibus atque Meridianis, Græcia ſcilicet, Judæa, Perſide, Meſopotamia, Babylonia, Ægypto, Lybia* &c. Neſcio, an hæc uti magnifica, ita quoque ſint vera. Certe tanta olim fuiſſe Romanis Pontificibus non facile quiſquam oſtendet. Fuiſſe etiam *in Saxoniâ & Bajoariâ*, Romanæ Eccleſiæ Patrimonia, idem infra addit, & ego lubens credo. Quum verò aut locarentur ejuſmodi Patrimonia, aut in emphyteuſim concederentur, inde *penſiones* exibant perſolvendæ quotannis Eccleſiæ Romanæ. In Codice Carolino Hadrianus I. Papa ad Carolum Magnum Regem Epiſtol. 57. ſcribit, *Mauricium Epiſcopum Hiſtrienſem, quod penſiones beati Petri, quæ in Hiſtrienſi territorio jacebant, exigeret, ut eas Romam dirigere deberet*, a malevolis Græcis excæcatum fuiſſe. Incertum, num ejuſmodi penſiones e patrimoniis Eccleſiæ Romanæ illic ſitis effluerent, an ex alio fonte. Et hæ quidem a Carolo Magno conceſſæ videntur Hadriano I. poſt ereptum Langobardis Italicum Regnum. Immo hinc fortaſſe lux affulgeat obſcuro loco in Diplomatis Auguſtorum, Ottonis Magni puta & ſucceſſorum, in quibus Eccleſiæ Romanæ confirmantur *Albinus cum Inſula Corſica, deinde in Suriano, deinde in Monte Bardonis, deinde in Berceto, exinde in Parma, deinde in Regio, exinde in Mantua, atque in Monte Silicis, atque Provincia Venetiarum & Iſtria*: quæ etiam repetit Leo Marſicanus in Chronico Caſinenſi Lib. I. Cap. 8. Non Urbes in iſtis locis, non Caſtella, non Provinciæ tradita fuere hiſce verbis Pontifici Romano, quum certo certius ſit, eaſdem ad Italicum Regnum ſub Carolo Magno, & multis poſt eum Sæculis ſpectaſſe. Quod unum confirmatum fuerit, nihil aliud fuiſſe videtur, quàm Patrimonia, Maſſas, penſiones, Monaſteria, aliaque ejuſmodi privata jura, quæ aut antea Romana Eccleſia illic poſſidebat, aut ab ipſo Carolo nuper acceperat.

Secundo nemini ignotum eſt, quanta acceſſio temporalis potentiæ atque opum facta fuerit Romanis Pontificibus ſtudio Pippini Regis Francorum, & Caroli Magni Auguſti. *Exarchatus* enim *Ravennæ* a Pippino, Romanæ autem Urbis dominatio, una cum aliis Civitatibus a Ca-

A rolo Magno iis conceſſa fuere: qua de re dubitare nos minime ſinunt Annales Francorum, Anaſtaſius biographus, & Epiſtolæ Codicis Carolini, præter alia illorum temporum monumenta. Non æque tamen notum, qualis foret ejuſmodi dominatio, qui proventus, quibuſve conditionibus tot ditiones in Romanam Eccleſiam confluxerint; quæve & quot revera fuerint Civitates ac Provinciæ in primitivis iis donationibus comprehenſæ, & quamdiu illas Romani Pontifices ſibi ſubjectas habuerint, aut poſtea receperint. Multæ heic tenebræ, multa quoque, ut modeſte loquar, dubia ſaltem atque incerta, a quibus perpendendis libenter abſtineo: nihil enim æque delicatum eſt, atque in originem inquirere, & progreſſum prodere

B auctoritatis ac potentiæ, qua Principes & Urbes perfruuntur. Illud extra controverſiam eſt, nunc nobili Italici Regni portioni Romanos Pontifices dominari, & ſupremâ quidem poteſtate atque dominio, tempus verò multa compoſuiſſe, quæ olim longe aliam faciem geſſiſſe videntur. Itaque me refero ad poſteriora Sæcula, atque in primis adnotare placet, quot reditus ante aliquot Sæcula Romana Eccleſia perciperet ex *Ducatu Spoletano*, & ex *Comitatu Narnienſi*. Notitiam hanc debeo Regeſto MSto Cencii Camerarii, de quo infra mihi erit ſermo. Charta verò nunc evulganda, ante Annum MCCC. ſcripta fuiſſe videtur.

C

Hi ſunt proventus & reditus de Ducatu Caſtrorum de Valle Spoletina, & Antiqui.

Caſtrum Roſciani ſolvit pro Fodro XV. Libras Lucenſium. Pro adjutorio Natalis VI. Libras. Pro adjutorio Paſchæ Reſurrectionis III. Libras. Et habet ibi Curia tertiam partem de Bannis, & Folliis, & Salario, de quibus quantitas non eſt parva; quia quandoque eſt parum, & quandoque non multum.

Podium Roſciani ſolvit pro Fodro V. Libras Lucenſium. Pro adjutorio Nativitatis IV. Libras. Pro adjutorio Paſchæ Reſurrectionis XL. Solidos. Et habet ibi Curia tertiam partem

D *ſimiliter de Bannis, Folliis, & Salariis.*

Bittonia ſolvit pro Fodro LXX. Libras Lucenſium. Pro adjutorio Nativitatis X. Libras. Pro adjutorio Paſchæ Reſurrectionis X. Libras. Et habet ibidem Curia tertiam partem ſimiliter de Bannis, Folliis, & Salariis, de quibus quantitas eſt incerta. Et habuit ibidem Curia terras, vineas, ſilvas, caſalina, domos, & homines, & multas poſſeſſiones, quas pro majori parte nobilis vir Mainardus Imperatoris de Peruſio detinet occupatas. Sed adhuc habet ibi Eccleſia Turrim, domos, & caſalina, terras, vineas, ſilvas, & homines, de quibus paucos reditus percipit, propter occupationem factam a

E *Nobili ſupradicto de melioribus & majoribus poſſeſſionibus ſupradictis.*

Cannaria ſolvit pro Fodro XVI. Libras & XVI. Solidos Lucenſium. Pro adjutorio Nativitatis X. Libras. Pro adjutorio Paſchæ Reſurrectionis VII. Libras. Et habet ibi Curia omnia Banna, Salaria, & Follias, de quibus eſt incerta quantitas. Et ſolvit C. Raſengas frumenti, & C. Raſengas Speltæ, & quandoque plus, quandoque minus, ſecundùm temporis qualitatem.

Inſula Albricorum ſolvit pro Fodro LVI. Solidos. Pro adjutorio Nativitatis XX. Solidos. Pro adjutorio Paſchæ XX. Solidos, & XX. Raſengas

sengas frumenti, & XX. Rasengas de Spelta, & quandoque plus, & quandoque minus, secundùm temporum qualitatem; & omnia Banna & Follias.

Insula Vetus cum Sancta Cruce solvit pro Fodro XV. Solidos Lucenses. Pro adjutorio Nativitatis X. Solidos. Pro adjutorio Paschæ VI. Solidos. Et VIII. Rasengas inter frumentum & Speltam, secundùm temporis qualitatem. Et omni Banna & Follias.

Collemarcium, quod detinet Dominus Manens Raynaldi Spoletanus Civis per concessionnem Domini Papæ, solvit pro Fodro XV. Libras. Pro djutorio Nativitatis X. Libras. Pro adjutorio Paschæ X. Libras. Et CXII. Rasengas frumenti, & CXXX. Rasengas de Spelta. Et habet ibi Curia omnia Banna & Follias.

Sorgnanum, quod detinet Frater Ambrosinus per concessionem Domni Papæ, solvit pro Fodro III. Libras. Pro adjutorio Nativitatis XL. Solidos. Pro adjutorio Paschæ XX. Solidos. Et XXX. Rasengas inter frumentum & Speltam, & omnia Banna & Follias.

Castrum Pomontis, quod detinet Episcopus Asisinas occupatum, quod Castrum concessit Domnus Papa Neapolioni, solvit pro Fodro C. Solidos. Pro adjutorio Nativitatis VI. Libras. Pro adjutorio Paschæ III. Libras. Et omnia Banna & Follias. Et Bladum secundùm temporis qualitatem.

Castrum Abboni, quod concessum est Domino Neapolioni per Domnum Papam, solvit pro Fodro XII. Libras. Pro adjutorio Nativitatis VI. Libras. Pro adjutorio Paschæ IV. Libras. Et LX. Rasengas frumenti, & LX. Speltæ, & Banna omnia & Follias.

Castrum Limisciani solvit pro Fodro VI. Libras. Pro adjutorio Nativitatis V. Libras. Pro adjutorio Paschæ III. Libras. Et L. Rasengas frumenti, & L. Rasengas Speltæ, & Banna omnia, & Follias.

Castrum Gualdi Captaniorum solvit pro Fodro XV. Libras. Pro adjutorio Nativitatis X. Libras. Pro adjutorio Paschæ VIII. Libras. Bladum non solvit. Banna & Follias, omnia solvere consuevit. Sed nunc est ibi Rector Massaronus serviens Domni Papæ de mandato Domni Papæ, itaquod Curia habet tertiam partem tantùm.

Castrum Rodionis, quod est Nobilium Dominorum, qui sunt ibi, solvunt homines, pro Fodro XL. Solidos. Pro adjutorio Nativitatis III. Libras. Pro adjutorio Paschæ XXX. Solidos, & nihil aliud.

Castrum Gagloli, quod est Nobilium Dominorum, similiter solvunt homines, pro Fodro XXX. Solidos. Pro adjutorio Nativitatis XXX. Solidos. Pro adjutorio Paschæ XX. Solidos, & nihil aliud.

Castrum Mevaniæ solvit pro Fodro LXXX. Libras. Pro adjutorio Nativitatis X. Libras. Pro adjutorio Paschæ V. Libras. Et tertiam partem Bannorum & Folliarum, de quibus quantitas est incerta.

Castrum Cocoroni solvit pro Fodro CVIII. Libras. Pro adjutorio Nativitatis XX. Libras, & quandoque XXV. Libras. Pro adjutorio Paschæ X. Libras. Et duas partes Bannorum & Folliarum, de quibus quantitas est incerta.

Castrum Monteclæ, quod est Dominorum Nobilium de Jano, solvit pro Fodro III. Libras. Pro adjutorio Nativitatis L. solidos. Pro adjutorio Paschæ XXX. Solidos, & nihil aliud.

Castrum Castagrolæ, quod est similiter Nobilium prædictorum, solvit pro Fodro XL. Libras. Pro adjutorio Nativitatis XXX. Solidos. Pro adjutorio Paschæ XX. Solidos, & nihil aliud.

A

Castrum Jani solvit pro Fodro XV. Libras. Pro adjutorio Nativitatis X. Libras. Pro adjutorio Paschæ VI. Libras. Et medietatem Bannorum & Folliarum, de quibus quantitas est incerta.

Castrum Mazani, quod detinet Frater Ambrosinus per concessionem Domni Papæ, solvit pro Fodro IV. Libras. Pro adjutorio Nativitatis III. Libras. Pro adjutorio Paschæ XL.

B Solidos. Et XL. Coppas frumenti, & XL. Speltæ, & omnia Banna & Follias.

Castrum Clarignani, quod est Nobilium Dominorum, solvunt homines, pro Fodro VI. Libras. Pro adjutorio Nativitatis IV. Libras. Pro adjutorio Paschæ XL. Solidos, & nihil aliud.

Castrum Muricis solvit pro Fodro XXV. Solidos. Pro adjutorio Nativitatis XX. Solidos. Pro adjutorio Paschæ X. Solidos; & omnia Banna & Follias.

Normannia solvit pro Fodro L. Solidos. Pro adjutorio Nativitatis XXX. Solides. Pro adjutorio Paschæ XX. Solidos. Et omnia Banna & Follias. Et Bladum secundùm temporis qualitatem.

Castrum Litaldi solvit pro Fodro XVIII. Li-

C bras. Pro adjutorio Nativitatis X. Libras. Pro adjutorio Paschæ V. Libras. Et omnia Banna & Follias. Et tres partes Passagii, quod est per annum XII. Librarum, & quandoque plus, quandoque minus.

Castrum Trevii solvit pro Fodro LXXX. Libras & plus, Pro adjutorio Nativitatis XX. Libras. Pro adjutorio Paschæ X. Libras. Et duas partes Bannorum & Folliarum. Et medietatem Passagii, quod venditur XXX. Libris per annum. In cujus districtu Dominus Manens habet Villam Fractæ, & alii homines ejus nihil Curiæ serviunt propter concessionem Domni Papæ sibi factam.

In Civitate Fulginate habet Curia tertiam

D partem Bannorum & Folliarum. Et tertiam partem Passagii, quod venditur per annum XXVII. Libris pro parte Curiæ.

Vallis Tupini solvit pro Fodro LX. Libras Ravennatum. Pro adjutorio Nativitatis XX. Libras. Pro adjutorio Paschæ X. Libras. Et omnia Banna & Follias, & totum Passagium. Sed Civitas Fulginensis multos homines dictæ Vallis detinet occupatos.

Castrum Spelli solvit pro Fodro LXXX. Libras. Sed modò non solvit pro Literis Domni Papæ, quas habuit. Et solvit pro adjutorio Natalis Decem Libras. Pro adjutorio Paschæ C. Solidos. Et tertiam partem Bannorum & Folliarum. Et medietatem Passagii, quod ven-

E ditur per annum L. Libris. Quod Passagium detinet Dominus Corradus Munaldi de Mevania, per concessionem Domni Papæ.

In Civitate Assisii habet Curia Passagium per medietatem, quod venditur per annum L. Libras.

Terra Arnulforum solvit pro Fodro LX. Libras. Pro adjutorio Nativitatis XVI. Libras. Pro Rocca secundùm qualitatem Villarum. Pro adjutorio Paschæ hædos. Et CCC. Coppas parvas frumenti, & totidem Speltæ, ad Coppam consuetam. Et omnia Banna, & Follias, & Passagia.

Civitas Interamnensis, quam nunc detinet Dominus

minus Camerarius ad manus suas, solvit pro Fodro CXX. Libras, & duas partes Bannorum & Folliarum, & omnia Passagia.

Castrum Collestath solvit pro Fodro XV. Libras. Pro adjutorio Nativitatis C. Solidos. Pro adjutorio Paschæ hædos & piper. Et quælibet domus ipsius Castri unam Coppam Speltæ, & unam gallinam.

Abbatia de Ferentillo solvit pro reditu, quod debet, XL. Libras, & duas partes Bannorum & Folliarum: de quibus quantitas incerta.

Nobilis vir Dominus Petrus de Vico, pro Castris Civitatis Veteris & Bledæ, debet Ecclesiæ Romanæ singulis annis X. Bisancios auri, videlicet pro quolibet Castro V. Bisancios. Et fuerunt dicta Castra concessa dicto Nobili tempore felicis recordationis Domni Clementis Papæ IV. Anno Domini MCCLXVII. Quarto Kalendas Aprilis, Indictione X. Pontificatus Domni Clementis Papæ IV. Anno III. Prædicta verò Castra posita sunt in Diœcesi Viterbiensi.

„ Reditus Comitatus Narniæ, & Ameliæ.

Castrum Sancti Gemini VI. Libras Lucensium, & Collectoribus XX. Solidos.
Capitone L. Solidos, & Collectoribus VI. Solidos.
Insula L. Solidos, & Collectoribus VI. Solidos.
Perticana XL. Solidos, & Collectoribus VI. Solidos.
Coldiscipuli V. Libras, & Collectoribus XV. Solidos.
Struncum V. Libras, & Collectoribus XV. Solidos.
Lecoppe XXX. Solidos, & Collectoribus IV. Solidos.
Balduinum XX. Solidos.
Fenocletu XXIV. Solidos,
Longula L. Solidos, & Collectoribus VI. Solidos.
Acuzo XXX. Solidos, & Collectoribus IV. Solidos.
Sanctus Urbanus XXIV. Solidos.
Castrum Vetus XII. Solidos.
Castrum Lage XXIII. Solidos.
Literi XXIII. Solidos.
La Fracta XLVI. Solidos.
Vitreolum IX. Libras.

A *Bulgaria XLV. Solidos.*
Carui VI. Libras.
Albinianum III. Libras.
Teizanum XVIII. Solidos.
Bosoni X. Solidos.
Confinge X. Solidos.
Marginata & Corbianum XL. Solidos.
Amelia XV. Libras, & Collectoribus XL. Solidos.

„ Reditus Sabinæ.

De Malliano XXII. Libras Lucensium, cum Castello Astriano.
De Flajano VI. Libras provenientium.
De Tarario VI. Libras provenientium.
B *De Sancto Polo VI. Libras provenientium.*
De Mozzano VI. Libras provenientium.
De Poza VI. Libras provenientium.
De Collonero VI. Libras provenientium.
De Silice VI. Libras provenientium.
De Turre VI. Libras provenientium.
De Bacone VI. Libras provenientium.
De Cotanello VI. Libras provenientium.
De Monte VI. Libras provenientium.
De Aspra VI. Libras provenientium.
De Castello Donnu VI. Libras provenientium.
De Caprignano VI. Libras provenientium.
De Montecalvo VI. Libras provenientium.
De Castellone VI. Libras provenientium.
De Folla VI. Libras provenientium.
C *De Rocca VI. Libras provenientium.*
De Catino III. Libras provenientium.
De Lucco III. Libras provenientium.
De Civitate Lori, quæ est hodie Monte Asule, XVIII. Libras provenientium.
De Marchillano X. Solidos Denariorum Papiensium.

Specimen dedi redituum ex Urbium & Castellorum tributis & vectibalibus provenientium. Præter hosce publicos, alii proventus peculiares erant Romanis Pontificibus ex concursu totius Occidentis Christiani ad Apostolicam Sedem, tum caussâ impetrandi Privilegia ac patrocinia, tum occasione Appellationum & controversiarum multiplicis generis. Sed & D ex ipsis Basilicis Romanis aliquid effluebat in Pontificum scrinia, uti intelliges e subsequenti Charta, quam e prælaudato Regesto MSto Cencii Camerarii depromsi.

De

„ De proventibus, quos Dominus Papa recipit de Confessione „ Beati Petri, & Basilicâ Sancta Sanctorum, „ circiter Annum 1220.

HÆc sunt, quæ Dominus Papa est recepturus ab illis, qui emunt Confessionem beati Petri, secundùm tenorem præteritorum ementium.

In primis, singulis ebdomadis viginti unam libram ceræ.

In unoquoque Mense unam Aquareciam olei, & unam Libram olibani. Sciendum, quod in Nativitate Domini & in Pascha prædictæ ceræ duplicant quantitatem, & olibanum similiter.

In die Sabbati de Albis decem Libras ceræ pro Agnis.

In Purificatione Sanctæ Mariæ decem Libras ceræ pro Candelis, & quatuor Denarios pro juncis Vastarariis.

In Annuntiatione tantumdem.

In Nativitate tantumdem.

In die Jovissancti tres Denarios: pondus Balsami Camerario pro Chrismate; & unam Aquariciam olei; & duodecim ampullas vitreas, sex majores & sex minores; & sex Fannones.

Acolythi debent in Dominica Palmarum duos Solidos provisinorum.

In unaquaque Statione, quando Dominus Papa vadit ad Sanctum Petrum, recipit XL. Solidos provenientium, & IV. Aquaricias Clareti, cum Camerario & Cancellario. Quando vadit ad Vesperum, debet habere par Facularum, II. Libras, & ad Missam II. Libras. Præterea Calices, Cruces, Thuribula, Bacilia aurea, sive argentea, & etiam omne aurum aliud & argentum laboratum, Camisos, Amitos, Stolas, Manipulos, Corporalia, Supercalices, Manutergia de Alemannia, & Pallia, super VI. Libras afforciatorum, quæ ad Altare offeruntur.

Sicut etiam inveni in Scripto alio, debet habere a festo Sancti Gregorii usque ad Pentecosten singulis diebus, XII. Denarios Papienses, & Denarium pro implendis Fontibus apud Sanctum Johannem Lateranensem.

In die Jovissancti, & die Venerissancti, Episcopus Sanctæ Rufinæ recipit jus, quod consuevit habere: videlicet Arcam & Altare; ex quo pulsatur ad Matutinum, usquedum finitur Officium; & ex quo pulsatur ad Missam usque ad finem Missæ. Salvo jure Cantorum, quod habent in Altari cum eodem Episcopo. In Sabbato Sancto, ex quo pulsatur ad Officium matutinale.

Basilica, Sancta Sanctorum, recipit singulis Mensibus unam Aquariciam olei, & Libram unam ceræ.

Ecclesia Sanctorum Quatuor unam Aquariciam olei, & IV. Libras ceræ in die festi eorumdem Sanctorum.

Ecclesia Sancti Clementis in festo ejusdem Sancti unam Aquariciam olei, & VI. Libras ceræ, & Libram unam olibani.

Ecclesia Sancti Pancratii in festo suo unam Aquariciam olei & IV. Libras ceræ.

In Letaniis Majoribus, & in omnibus Stationibus, Diaconus Cardinalis X. Solidos provenientium.

Clericis Romanis in festo Sancti Marci XXV. Libras bonorum provenientium, pro Pesbyterio Crucium & Lectorum, & Lob. ....

Omnibus Mithratis tam Cardinalibus, quàm extraneis, si adfuerint, XL. Solidos provenientium.

Virgariis X. Solidos provenientium.

Sholæ Guidonis X. Solidos provenientium.

Scriniariis X. Solidos.

Ecclesia Sancti Andreæ in Vaticano duas habet Aquaricias olei; & Clerici Sancti Petri, qui faciunt Officium, III. Solidos Denariorum Papiensium. Quando Sandalarii capiunt trabes beati Petri ....

Innocentius autem III. Papa, ut est in ejus Vita §. 144. Tom. III. Rer. Italicarum pag. 567. *ab initio promotionis suæ ad eleemosynas deputavit universos proventus ad se pertinentes de oblationibus Basilicæ Sancti Petri*. Quoties verò Monasteria, aliæque Ecclesiæ a jurisdictione Episcopi eximebantur per Romanos Pontifices, atque incipiebant esse immediate sub jure Ecclesiæ Romanæ: tunc in signum hujusce juris, protectionis & privilegii, jubebantur quotannis *Censum* aliquem persolvere Cameræ Pontificiæ. Ejusmodi verò pensiones, sive Census, non iidem ubique fuere; immo pro varietate regionum atque consensu contrahentium, dissimiles, variique passim deprehenduntur. Quorum originem si petis, responsum istud habeto. In remotioribus etiam Sæculis Monasteria quædam reperimus ita a Regibus, aliisve Fidelibus instituta, ut sub patrocinio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ forent; sed rarò tunc Census persolvendi onus imponebatur. Farfensi quidem Monasterio Stephanus IV. Papa Anno DCCCXVII. (ut habetur Par. II. Tomi II. Rerum Italicar. pag. 370.) pensionem indixit decem Solidorum aureorum. Verùm id ille sibi tribuit, non ratione patrocinii, sed quòd ex *Patrimonio Sabinensi*, ad Romanam Ecclesiam spectante, multa a præcedentibus Pontificibus collata fuerant Farfensibus Monachis. Præterquamquod brevi sublata est pensio illa studio Lotharii I. Augusti. Ad hæc scruteris velim alias Romanorum Pontificum Bullas in Bullario Casinensi a Margarino, atque in hoc ipso Opere a me evulgatas, usque ad tempora Gregorii VII. Papæ: ac ferme nullam in iis commemorationem *Census* invenies. Quod tamen ita dictum volo, non ut ad ea usque tempora ignotum aut inusitatum Censuum ejusmodi morem statuam, sed ut moneam, per quam raro impositos fuisse Monasteriis & Ecclesiis Apostolicæ Sedis patrocinio fruentibus. Ipse enim protuli in Dissertatione XXXVII. *de Hospitalibus* Chartam Lucensem, Anno Christi DCCXC. scriptam, in qua Jacobus Diaconus Monasteriolum sacrarum Virginum a fundamentis erexit *prope muro Civitatis*, præcipiens, *ut Abbatissa, quæ ibidem in tempore fuerit, pro sua, & ipsius Monasterii protectione, per singulos annos reddere debeat in Ecclesia Sancti Petri in Romam ad luminaria in decem Solidos auro oleum, sicut jam ante hoc tempus ego per Cartulam decrevi, & qualiter per ipsam Cartulam ego constitui, quam in Ecclesia Sancti Petri in Roma* *obtuli.*

ob: ili . Infra idem fundator addit : *Si ipsum Monasterium destitutum remanserit , volo & taliter constituo , ut suprascripta Ecclesia cum omnibus rebus ad eam pertinentibus deveniat in potestatem beati Sancti Petri in Roma , vel Pontifici , qui in tempore Papa ordinatus fuerit , in omnibus ordinandum & gubernandum , qualiter ei secundùm Deum recte paruerit* . Postrema hæc apposita videntur , ne Lucenses Episcopi , & ne patroni ejusdem Monasterii , stabilitatem & progressum loci sacri negligerent, metu inflicto successuræ in ejus loci ditionem Apostolicæ Sedis . Et in agro quidem Lucensi aliquot olim Monasteria , Massas & Curtes , pleno jure spectasse ad Romanum Pontificem infra ex aliis monumentis liquebit . Perspicuum verò est , annuam pensionem olei, denos Solidos aureos valentis , Abbatissæ indictam fuisse *pro sua* & *ipsius Monasterii protectione* , quam videlicet institutor ab Hadriano I. Papa impetrarat . Ita vetustissimum Bruniatense Monasterium , quod postea Episcopatus evasit , sub ipsis Langobardis Regibus , subjectum fuisse videtur uni Romanæ Ecclesiæ, cui *Censum* quotanis persolvebat *Denariorum octo* , *& Candelas duas* . Clarissimi quoque Benedictini e Congregatione Sancti Mauri , Martene & Durand in Thesaur. novo Anecdotor. Tom. I. pag. 170. Bullam Leonis IX. exhibent , per quam circiter Annum ML. Parthenoni Sanctorum Fabiani & Felicitatis in loco Andlow pago Helisatia , privilegia Apostolicæ Sedis confirmantur , eo onere constituto , ut Abbatissæ *præstent nobis & Successoribus nostris annualiter tres pannos lineos , Pontificali usui aptos* . Iidem quoque Monachi Tom. I. pag. 328. Veter. Scriptor. Privilegium a Papa Benedicto VII. pro Monasterio Bisuldunensi exaratum retulere , scriptum Anno DCCCCLXXVIII. Ibi

A jubentur Abbates *per singulos annos quinque Solidos persolvere in censum Sancto Petro , & si minime annuatim venire non possunt, ad quartum annum viginti Solidos persolvant* . Ita e Bulla Leonis VIII. Papæ circiter Annum DCCCCLXIV. Tom. 4. Miscellaneor. Baluzii agnoscimus , Monasterium Montis Majoris in Provincia Solidos IV. quotannis pro libertate impetrata persolvisse Apostolicæ Sedi. Ita Lutrense Monasterium Sæculo VII. conditum , *decem Solidos argenti annis singulis pro Censu Romanæ Ecclesiæ* persolvebat , ut habetur in Vita Sancti Deicoli Abbatis .

Cur verò , ut ajebam , rara hujusmodi pensionum exempla ante Sanctum Gregorium VII. B Papam in Privilegiis Apostolicæ Sedis , & contra sub illo , atque sub ejus Successoribus frequentiora occurrant, illa mihi caussa fuisse videtur. Scilicet mos fuit Censum iis Monasteriis & Ecclesiis imponere , quæ prorsus in jure essent Romanæ Ecclesiæ , utpote eidem dono data a fundatoribus , aliisve patronis , aut ab ipsis sæpe Monachis . Monasterium Bisuldunense supra memoratum Miro Episcopus Gerundensis per paginam donationis Romanæ Ecclesiæ tradiderat , ut est in Bulla ipsa . Itaque uti Allodia alicui in emphyteusim concedentes, præscribere solent Censum quotannis persolvendum, in signum præsertim directi dominii : ita & Monasteria atque Ecclesiæ , quæ Allodiorum C ad instar Romano Pontifici donata ad plenam ipsius potestatem spectabant , quoties alicui incolenda dimittebantur , Census annui obligationem quodammodo pariebant . Charta nondum edita rem luculentius indicabit . Eam mihi suppeditavit Regestum Cencii prælaudati. Illa hunc titulum præferebat : *Privilegium Sancti Ciriaci in Gerendoth Alberstatensis Diœcesis* .

Fundatio Parthenonis Sanctæ Mariæ & Sancti Petri ejusque donatio facta Romanæ Ecclesiæ a Gerone Marchione, Anno 963.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis , Patris & Filii & Spiritus Sancti, temporibus Domni Johannis summi Pontificis , & universalis Duodecimi Papæ , *Regnantibus Dominis serenissimis ac piissimis* Imperatoribus Ottone , ejusque æquivoco filio , *Anno Imperii ejus Secundo , & Regni filii ejus Tertio . Ego* Gero *divina dispensante gratia* Marchio *post acerbam mortem filiorum meorum Sigifridi & Geronis* , construxi Monasterium Puellarum , *in quo* Abbatissa Hathwiv *præesse dinoscitur , in honore* beatæ Mariæ *Genitricis Dei & Domini nostri , &* beati Petri *Principis Apostolorum , cui Dominus potestatem contulit ligandi atque solvendi in cælo & in terra , ut ipsis dicata maneant in perpetuum , pro redemtione animæ meæ & filiorum meorum , qui de hac luce , juvenili flore comti migraverunt . Ob hoc enim longo post tempore , acceptâ licentiâ Imperatorum* , limina Apostolorum Petri & Pauli adii , & idem Monasterium, cum omnibus pertinentiis ejus ubicumque positis , & annuali Censu , ditioni illorum in perpetuum subdidi , prius per Pontificalis Privilegii paginam, postmodum per Imperatorum meorum seriem Præcepti . *Nunc volo per istius mei Privilegii textum , ut nullus coheredum meorum potestatem*

D *habeat dominandi, vel de rebus eorum alienandi aut donandi . Sed volo atque constituo , ut omnia integra & illibata permaneant sub jure beatorum Apostolorum* , quibus offero modo triginta Libras argenti, in præsentia Domni Apostolici, pro Censu triginta annorum . *Completis verò triginta annis, Abbatissa , quæ eidem Monasterio præfuerit , annuatim* pensionem singularum Librarum *persolvat . Quapropter humo prostratus deprecor vos , duo magna luminaria, Petrum Paulumque , ut post funera carnis, animæ meæ Paradisi januas aperiatis , & in futuro examine protectores ac defensores mei ante Deum maneatis , quatenus post judicium merear vobiscum lucifluis mansionibus perfrui , & sine fine gaudere , annuente Domino nostro Jesu Christo , qui cum Patre & Spiritu Sancto vi-* E *vit & gloriatur Deus per infinita Secula seculorum . Amen .*

Scriptum per manum Luzonis indignissimi Sacerdotis .

Idem factum fuit Anno Christi DCCCCLXXVIII. quum Lirinense Cœnobium a Benedicto VII. Papa concessum Cluniacensibus fuit , ut constat e Bullario Cluniacensi . Et sane nihil mirum , si obnoxia annuis pensionibus

bus ejusmodi Monasteria deprehenduntur. At reliqua, utpote quæ sibi titulum tantummodo protectionis, & privilegia immunitatis, ab Apostolica Sede procurabant, annui Census minime onus olim subibant; sed tum solùm aliquo munere privilegium Pontificium rependebant, quum primùm impetrabant, atque identidem ubi a subsequentibus Papis confirmandum curabant. Leo IX. in Bulla Parthenoni Hessæ datâ, scribit, *se confirmationem ejus Privilegii gratis concedere pro Sanctorum debita veneratione, & parentum suorum inibi in Christo quiescentium devotione*. Verùm ante Gregorii VII. electionem pauca numerabantur per Europam Cœnobia & Ecclesiæ, quæ in patrimonio forent Cameræ Pontificiæ; ac proinde rari etiam fuere Censuum proventus. Gregorius ergo VII. quippe qui impiger & acerrimus ubique fuit in protegenda atque amplificanda dignitate Romanæ Sedis, nulli etiam diligentiæ pepercit ut quotquot posset Monasteria & Ecclesias immunitatum atque honorum largitione pertraheret ad annuam pensionem præstandam Lateranensi Palatio, quod infra in Dissertatione LXXI. *de Episcopor. m. potentia* ostendam. Ergo præter illa Monasteria, quæ hortante Gregorio eodem in plenum jus cessere Apostolicæ Sedis, alia complura fuere, quæ oblato Romanæ Ecclesiæ annuo Censu Libertatem sibi conquisierunt, hoc est, immunitatem ab Episcoporum jure, & usum Mitræ, aliaque ornamènta Episcopalia impe-

A trarunt. In Tom. I. Bullar. Casinens. Constitut. VIII. Urbanus II. Anno MXCII. *Apostolicæ memoriæ prædecessoris sui Gregorii VII. institutis tenacius adhærens*, *Cavense Cœnobium Privilegio suo communivit*, atque illud *Romanæ soli Ecclesiæ subjectum* decrevit, ita ut ejus *subjectionis caussâ anno quolibet Abbas Romanæ Sedi tres aureos Solidos exsolvat*. Mathildis quoque Comitissa Anno MCIV. ut insigne Monasterium Padolironense, ab Avo suo fundatum, protectione Apostolicæ Sedis frueretur, ut est apud Bacchinium, statuit, *ut Domno Apostolico beati Petri Vicario, vel ejus Misso, prædicti Cœnobii Abbas, vel suus Nuntius, per unumquemque annum tres Libras piperis infra Mensem Madium persolvere studeat, nullaque*
B *alia eidem Monasterio superimpositio fiat*. Pari modo Monasterium sacrarum Virginum Cremonæ sub titulo Sancti Johannis Euangelistæ ædificarunt *Bernardus Comes, & uxor ejus Berta, & in manus Gregorii VII. Papæ beato Petro, & sanctæ ejus Romanæ Ecclesiæ obtulerunt*. Proinde Urbanus idem Secundus in Privilegio concesso Gislæ Abbatissæ ejusdem Asceterii Anno MXCVI. *ad judicium percepta a Romana Ecclesia protectionis, per annos singulos Mediolanensis monetæ Denarios XII. Lateranensi Palatio persolvendos constituit*. Id constat ex ejus tabulis, quarum apographum ex Capitulo Canonicorum Cremonensium olim descripsi, & heic evulgandum duco.

Urbani II. Papæ Bulla, qua Monialibus Cremonensibus Sancti Johannis Euangelistæ, omnia illarum jura confirmat. Anno 1096.

„ URbanus *Episcopus*, servus servorum „ Dei, dilectæ filiæ *Gisilæ Abbatissæ* „ *Monasterii Sancti Johannis Evangeli-* „ *stæ secus Cremonam*, & post eam regulariter „ in eodem loco substituendis in perpetuum. „ Desiderium, quod ad religiosum propositum, „ & animarum salutem pertinere monstratur, „ auctore Deo sine aliqua est dilatione com- „ plendum. Tuis igitur, tuarumque Sororum „ votis Apostolicæ benignitatis aures paterno „ inclinamus affectu, & beati Joannis Evan- „ gelistæ Monasterium, cui auctore Deo præ- „ sidere dinosceris, Romanæ auctoritatis pri- „ vilegio communimus. Quod videlicet Mo- „ nasterium *Bernardus Comes, & uxor ejus* „ *Berta*, sumptibus suis ædificaverunt, & *in* „ *manus* reverentissimæ memoriæ *Gregorii Sep-* „ *timi* prædecessoris nostri, beato *Petro*, *&* „ *sanctæ ejus Romanæ Ecclesiæ optulerunt*. „ Statuimus ergo, ut quæcumque bona eidem „ Loco per supradictos Comites, vel fideles „ quoslibet de suo jure oblata sunt, vel in fu- „ turum largiente Domino offerri contigerit, „ vobis & iis, quæ post vos successuræ sunt, „ firma semper, illibataque permaneant. De- „ cernimus ergo, ut nulli omnino hominum „ liceat eundem locum temere perturbare, aut „ ei subditas possessiones auferre, minuere, „ vel temerariis vexationibus fatigare; sed „ omnia integra conserventur earum, pro qua- „ rum sustentatione & gubernatione concessa

C „ sunt, usibus omnimodis profutura; salvâ „ canonicâ justitiâ Cremonensis Episcopi, si „ quidem Catholicus fuerit, & communionem „ & gratiam Apostolicæ Sedis habuerit. Cui „ tamen omnino non liceat idem Monasterium „ prægravare, aut exactionem vel consuetudi- „ nem, quæ libertati & quieti Monasticæ no- „ ceat, Sororibus illic viventibus irrogare. „ *Sane ad indicium hujus perceptæ a Romana* „ *Ecclesia protectionis, per annos singulos* „ *Mediolanensis Monetæ Denarios duodecim La-* „ *teranensi Palatio persolvetis*. Si quis igitur „ in crastinum Archiepiscopus, aut Episcopus, „ Imperator, aut Rex, Princeps, aut Dux, „ Comes, Vicecomes, Judex, aut Ecclesiastica
D „ quælibet, Secularisve persona, hanc nostræ „ Constitutionis paginam sciens, contra eam „ temere venire temptaverint, secundo, ter- „ tiove commonita, si non satisfecerit emen- „ datione congruâ, potestatis, honorisque „ sui dignitate careat, reamque se divino ju- „ dicio existere de perpetrata iniquitate cogno- „ scat, & a sacratissimo Corpore & Sanguine „ Dei & Domini ac Redemptoris nostri Jesu „ Christi aliena fiat, atque in extremo exami- „ ne districtæ ultioni subjaceat. Cunctis au- „ tem eidem loco justa servantibus sit pax Do- „ mini nostri Jesu Christi, quatenus & hic „ fructum bonæ actionis percipiant, & apud „ districtum Judicem præmia æternæ pacis in- „ veniant.




Ego Urbanus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

„ Datum Cremonæ per manum Johannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis XVII. Kalendas Novembris, Indictione V. Incarnationis Dominicæ Anno MXCVI. Pontificatus autem Domni Urbani Secundi Papæ Nono.

Eodem autem Sæculo XI. & subsequenti, ædificata fuere & alia loca sacra, Apostolicæ Sedis ditioni supposita a fundatoribus, adjectâ propterea Monachis obligatione annui Census Romanæ Ecclesiæ persolvendi. Monasterium Andegavense a Goffrido Martello Comite Andegavensi fundatum, XII. Solidos quotannis debebat Ecclesiæ Romanæ. Obtulerat Sanctæ Sedi Guido Comes ex celebri Guidonum Comi- A tum stirpe prognatus, fundum in Tuscia, situm in Monte Bonizi, nunc *Poggibonzi*. Quum verò Senensis Episcopus ibi Ecclesiam construere cuperet, facultatem ab Hadriano IV. impetravit, constituto annuo Censu unius Byzantii. E geminis Pontificiis Bullis, quas Cl. V. olim Hubertus Benvoglientus descripsit ex Archivo Reformationum Senensis patriæ suæ, ejuscemodi rem confirmatam intelliges.

Hadriani IV. Papæ Bulla, qua Rainerio Senensi Episcopo fundum in Monte Bonizi ad Ecclesiam ædificandam sub annuo Censu concedit, Anno 1155.

„ ADrianus Episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri *Rainerio Senensi Episcopo*, ejusque Successoribus canonice substituendis in perpetuum. Cum ex injuncto nobis a Deo summi Pontificatus officio, cunctis Christi fidelibus debeamus nos exhibere propitios, & ipsos in suis postulationibus exaudire, presertim fratribus nostris Episcopis oportet nos paterna sollicitudine providere, & eos in ipsa operis exhibitione ampliori affectu diligere caritatis. Quocirca, venerabilis in Christo frater, Raineri Episcope, tuis justis postulationibus gratum impertientes affectum, fraternitati tue duximus concedendum, *ut in fundo, quod dilectus filius noster nobilis vir Guido Comes in Monte Bonizi beato Petro, & Nobis*, qui vicem ejus, licèt indigni gerimus, *dignoscitur concessisse*, liceat tibi Ecclesiam construere, & constructam sine contradictione aliqua consecrare, Clericosque in ea juxta tue voluntatis arbitrium ponere, & libere ordinare. Sane ut hec nostra concessio majorem in posterum obtineat firmitatem, auctoritatis nostræ præsidio ipsam duximus confirmandam, & presentis scripti paginâ muniendam. Statuimus autem, ut quicumque de tua Dioe- B cesi ad locum illum transierint, in omnibus spiritualibus tibi tantum & Successoribus tuis debeant respondere, & eamdem, quam prius, habeatis potestatem. *Ceterum ad hujusmodi nostre concessionis & confirmationis inditium, unum Byzantium nobis, nostrisque Successoribus annis singulis persolvetis*. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis & confirmationis ausu temerario infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si qua verò in futurum Ecclesiastica, Secularisve persona hoc attemptare presumpserit, secundò, tertiove commonita, nisi presumptionem suam congruâ satisfactione correxerit, potestatis, C honorisque sui dignitate careat, reamque se Divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Servantibus autem sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bone actionis percipiat, & apud districtum Judicem premia eterne pacis inveniat. Amen, Amen, Amen.



Ego *Adrianus Catholice Ecclesie Episcopus* subscripsi.

† „ Ego Hubaldus Presbiter Cardinalis titulo Sancte Praxedis subscripsi.
† „ Ego Manfredus Presbiter Cardinalis titulo Sancte Savine subscripsi.

† „ Ego

† „ Ego Ubaldus Presbiter Cardinalis titulo Sancte Crucis in Hier∙ salem subscripsi.

✠ „ Ego Johannes Presbiter Cardinalis Sanctorum Johannis & Pauli titulo Pammachii subscripsi.

† „ Ego Johannes Presbiter Cardinalis titulo Sanctorum Silvestri & Martini subscripsi.

† „ Ego Johannes Diaconus Cardinalis Sanctorum Sergii & Bacchi subscripsi.

✠ „ Ego Bernardus Presbiter Cardinalis titulo Sancti Clementis subscripsi.


✱ „ Gerardus Diaconus Cardinalis Sancte Marie in Vialata subscripsi.

„ Data apud Civitatem Castellanam per manus Rolandi sancte Romane Ecclesie Presbiteri Cardinalis & Cancellarii, XII. Kalendas Augusti, Indictione III. Incarnationis Dominice MCLV. Pontificatus verò Domni Adriani Pape Quarti Anno Primo.

Desideratur Bulla plumbea.

Ejusdem concessionis confirmatio facta Gunteramo Senensi Episcopo ab Alexandro III. Summo Pontifice, Anno 1176.

„ ALexander *Episcopus* servus servorum Dei, dilecto filio *Gunteramo Senensi Electo*, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Communi & speciali debito tuis cogimur petitionibus condescendere, & effectum congruum indulgere, ut qui tenemur universos in suis justis postulationibus exaudire, tanto tibi amplius videamur esse propitii, quanto te, & Ecclesiam tibi commissam habundantiori diligimus caritate. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, *Ecclesiam in Monte Bonizi*, a bone memorie *Rainerio Predecessore tuo in fundo videlicet, quod bone memorie quondam Comes Guido concessit beato Petro*, & venerande recordationis Predecessori nostro *Adriano Pape*, de ipsius Predecessoris nostri auctoritate & concessione constructam, de communi consilio Fratrum nostrorum, tibi & Successoribus tuis concedimus & confirmamus. Dantes vobis liberam facultatem, sicut idem Predecessor noster dedisse dignoscitur, eandem Ecclesiam sine contradictione qualibet consecrandi, & in ea Clericos juxta vestre voluntatis arbitrium ponendi, & libere ordinandi, non obstante retractatione, quam prefatus Predecessor noster super hoc levi & vano errore ductus, eâ consideratione fecisse dignoscitur, quod locus ille in Episcopatu Florentino consistit, cum in Privilegio ipsius Predecessoris nostri contineatur, fundum ipsum a memorato Comite sibi fuisse concessum, & ab eodem Predecessore nostro ad Ecclesiam ibi construendam *sub annuo Censu unius Bizantii*, tuo Predecessori collatum. Statuimus autem, sicut prefatus Predecessor noster noscitur statuisse, ut quicunque de tua Diocesi ad locum illum transierint, in omnibus spiritualibus tibi tantùm & Successoribus tuis debeant respondere, & vos eandem, quam prius, habeatis in eis omnimodam potestatem. *Ceterum ad hujus nostre concessionis & confirmationis inditium, unum Bizantium nobis, nostrisque Successoribus annis singulis persolvetis*. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, hanc paginam nostre concessionis & confirmationis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica Sæcularisve persona hanc nostre concessionis & confirmationis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo, tertiove commonita, nisi presumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se Divino judítio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sanctissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem Loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hìc fructum bone actionis percipiat, & apud districtum Judicem premia eterne pacis inveniat. Amen, Amen, Amen.



Ego *Alexander Catholice Ecclesie Episcopus* subscripsi.

BENE VALETE

† „ Ego Ubaldus Hostiensis Episcopus subscripsi.

✠ „ Ego Bernardus Portuensis, & Sancte Rufine Episcopus subscripsi.

✠ „ Ego Johannes Presbyter Cardinalis Sanctorum Johannis & Pauli, titulo Pammachii; subscripsi.

„ † Ego

† „ Ego Willelmus Presbyter Cardinalis titulo Sancti Petri ad Vincula „ subscripsi .
† „ Ego Boso Presbyter Cardinalis Sancte Pudentiane , titulo Pastoris, „ subscripsi .
† „ Ego Johannes Presbyter Cardinalis titulo Sancti Marci subscripsi .
† „ Ego Jacintus Diaconus Cardinalis Sancte Marie in Cosmedin sub- „ scipsi .
† „ Ego Cinthius Diaconus Cardinalis Sancti Eustachii juxta Templum „ Agrippe subscripsi .
✠ „ Ego Laborans Diaconus Cardinalis Sancte Marie in Porticu sub- „ scripsi .
† „ Ego Theodinus Presbyter Cardinalis Sancti Vitalis, titulo Vestene, „ subscripsi .
† „ Ego Manfredus Presbyter Cardinalis titulo Sancte Cecilie subscripsi.
✠ „ Ego Petrus Presbyter Cardinalis Sancte Susanne subscripsi .

„ Data Anagni per manum Gratiani sancte Romane Ecclesie Subdiaconi & Notarii , X. Kalendas „ Julii, Indictione VIII. Incarnationis Dominice Anno MCLXXVI. Pontificatus verò Domni „ Alexandri Pape Tertii Anno XVII.

Hisce adtexo Callisti II. Bullam , ex Archivo amplissimi viri Antonii Rambaldi Comitis de Collalto , intimi Consiliarii Cæsarei , depromtam , atque spectantem ad Monasterium de Nervesia , ab ejus olim Majoribus ædificatum , ac Sancto Petro oblatum .

Callisti II. Papa Bulla, confirmantis Monasterio S. Eustachii de Nervesia omnia illius jura & privilegia, Anno 1123.

CAlistus Episcopus , *servus servorum Dei, dilecto filio* Gerberto Abbati Sancti Eustachii , *ejusque Successoribus regulariter substituendis in perpetuum . Officii nostri auctoritate debitoque compellimur pro Ecclesiarum statu satagere , & quæ recte statuta sunt , stabilire*. Tuis *igitur* , *Gerberte dilecte in Christo fili , precibus annuentes , Beati Eustachii Monasterium , cui Deo auctore præsides* , quod ex dono Rambaldi Comitis , & Matris ejus Gislæ beato Petro Apostolo oblatum est , tamquam juris nostri Locum , *Romanæ Ecclesiæ patrocinio confovere , atque Apostolicæ Sedis Privilegio decernimus communire . Universa ergo , quæ ex ipsius Comitis & Matris ejus donatione , vel aliorum virorum largitione Locus idem juste possidet , auctore Domino , confirmamus, omniaque pertinentia in Ecclesiis, in mansis , fundis , casalibus , domibus , atque familiis, servis originalibus, simulque rebus, & possessionibus , & frugibus & actionibus , nec non aquis , molendinis , olivetis , vel quicquid in quibuscumque locis habere vel tenere videtur . Quæcumque præterea in futurum concessione Pontificum , liberalitate Principum , oblatione fidelium , prædictum Monasterium poterit adipisci , firma tibi , tuisque Successoribus , & illibata permaneant . Decernimus igitur , ut nulli omnino hominum liceat idem Monasterium temere perturbare, aut aliquas ipsius res auferre, & oblatas retinere , minuere , vel temerariis ausibus impugnare : sed integra omnia conserventur eorum , pro quorum regimine & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura . . . . Episcopalia a Tervisiensi accipietis Episcopo, siquidem gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habuerit , & ea gratis & sine pravitate exhibere voluerit . Alioquin, a quocumque malueritis , Catholico ea suscipiatis Episcopo . Obeunte te verò ejus loci Abbate , vel tuorum quolibet Successorum , nullus ibi qualibet subreptionis astutiâ seu violentiâ preponatur, nisi quem Fratres communi consensu , vel Fratrum pars consilii sanioris , secundùm Dei timorem , & beati Benedicti Regulam elegerit , a Romano Pontifice consecrandum . Laicos verò , sive Clericos , secundùm beati Benedicti constitutionem , ad conversionem suscipere licentiam habeatis . Decimas fructuum vestrorum , quos sumptibus propriis , laboribusve colligitis , vobis absque alicujus Episcopi contradictione habendas censemus*. Ad indicandum autem Romanæ Ecclesiæ jus proprietatis sex Solidos Denariorum Venetorum annis singulis Lateranensi Palatio persolvetis. *Si quis igitur in posterum Archiepiscopus, Episcopus , Imperator , aut Rex, Princeps, Dux, Comes , Vicecomes , Marchio, aut Castaldio, seu quælibet Ecclesiastica, Secularisve persona , hanc nostræ Constitutionis paginam sciens , contra eam temere venire tentaverit &c.*

Scriptum per manum Gervasii Scriniarii Regionarii , & Notarii sacri Palatii .

Ego Calistus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus .

Datum Laterani per manum Ugonis Romanæ Ecclesiæ Subdiaconi , X. Kalendas Decembris , Indictione Prima, Incarnationis Dominicæ Anno MCXXIII. Pontificatus autem Domni Calisti Secundi Papæ Anno Quarto .

Sed neque deerant Monasteria iis ipsis temporibus , quæ quamvis pleno jure ad Apostolicam Sedem pertinebant , nullum tamen ei Censum reddebant . In agro Aquilanæ Civitatis , atque in Castello Luculi , visitur adhuc Monasterium nunc Abbati Sæculari subjectum. Illustres Comites Marsorum , de quibus tam sæpe mentio occurrit in Chronico Farfensi , quod editum a me fuit Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. illud ædificarunt, atque ditarunt, jure patronatus sibi reservato . Tum illud Gregorio VII. Summo Pontifici , atque uni Romanæ Sedi , Oderisius Comes subjecit , nullâ tamen Census reddendi commemoratione factâ. Hanc in rem prodeat Charta , in Archivo Episcopii Aquilani adservata , quam ad me misit Antiquitatum Aquilanarum studiosissimus juvenis Antonius Antinorius Jurisconsultus .

Donatio

Donatio Castelli Collimontis facta Petro Abbati S. Johannis de Ranfonisse ab Oderisio Comite, Anno 1077.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi, ab Incarnatione ejusdem Domini nostri Jesu Christi Anno MLXXVII. Mense Madio, Indictione XV. Ego Oderisius Comes, filius Berardi Comitis *ex natione Francorum, qui sum habitator in Ducatu Spoletonio in territorio Furconensi in Castello Colomonti, divina inspirante clementia, bona & spontanea mea authoritate, pro amore Domini, & pro mercede & redemptione animæ meæ, & animæ Gallæ uxoris meæ, & filiorum meorum Rainaldi & Berardi & Oderisii, ut Dominus de peccatis nostris habeat indulgentiam & merear audire vocem Domini dicentis:* Venite, benedicti Patris mei: percipite Regnum, quod vobis paratum est ab origine Mundi; *propterea dono & trado atque concedo Monasterio Sancti Johannis, quod situm est in loco Ranfonisse nominatur, & prope Castellum de Colomonte, in manu* Domni Petri Abbatis, *& totius Congregationis, aliquid de rebus proprietatis meæ, quod habeo in pertinentia supradicta dicti Castelli: hoc est, terras, vineas, arbores, quæ circa ipsum Monasterium jacent ex integro, & quicquid intra istos fines pertinet; ex uno latere via de Castagneto, & ex alia Valle* Luparia, *de tertio latere terra de Furconinis, de quarto latere fonte Vicalporti: est, ut arbitror, mensura mille modiorum, & si plus, in ipsa Cartula permaneat in integro...... Et confirmamus homines ipsos, quos pro nunc ibidem dederamus, Alde filium Rainonis, & Johannem filium Gelarni, & filios Cartolsi. Et damus Actium filium Petri, & filios Ber...... & Dodozoppum, & Geophto filium Agonis, Loditeum filium Ardini, & nepotes ejus, cum casis, terris, & vineis, & arboribus tam in montibus, quàm in planibus, ubicumque eis pertinent, & omnia ipsa debita & servitia, sicut mihi & meis heredibus fecerimus, vel facere debuerimus, sic omnia absque ulla reservatione donavimus, ad habendum, & tenendum, & perpetualiter possidendum, & libero arbitrio perfruendum. Et hoc repromitto & obligo me, meosque heredes tibi Presbitero Abbati, tuisque Successoribus, quod si aliquocumque tempore de ipsis suprascriptis rebus aliquo modo causare, aut aliquid retollere aut minuere aut immutare, aut foras ejicere presumpserimus, aut ab homi-* A *ne antestare & defendere non potuerimus, aut si non voluerimus, de nostris propriis & melioribus rebus restaurabimus sub extimatione bonorum omnium, quales in illa die apparuerint, quando exinde causare videbitur. Similiter quod quidquid aliquis de fidelibus nostris de hæreditate sua, aut aliqua justa acquisitione pro elemosina sua ibi dedere, vel in alia dederit, nostra auctoritate firmum & stabile permaneat. Illud pariter addentes, ut* hoc Monasterium semper liberum sit, & absque aliquo tributo: *neque alicui personæ, potestati, & Ecclesiæ, vel Seculari, ibi deinceps aliquod jus ullo modo concedatur, sed semper sub regimine & evictione Romanorum Pontificum consistat.* Soli enim B Romanæ Ecclesiæ Pontifici hoc Monasterium, nostris propriis rebus donatum, ut dictum est, ad defendendum, regendum committimus. *Si quis verò aliquid de his omnibus quolibet modo sine voluntate Abbatum vel Monacorum, sibi usurpare præsumpserit, nec cum festinatione emendare studeret, iram Dei incurrat. Pro stabilitate autem & firmitate & securitate & memoria futurorum temporum, hæc omnia de Donatione Judicem & Notarium scribere rogavimus.*

Actum in Furcone, Mense & Indictione feliciter.

Ego Oderisius Comes *hanc Cartam scribere rogavi, manu mea signavi, & signum* ✠ *Cru-* C *cis feci.*

Ego Iirele de hac re rogatus testis manu mea signavi, & signum ✠ *Crucis feci.*

Damerius rogatus testis manu mea signavi, & signum ✠ *Crucis feci.*

Ego Cartone ibi fui testis, manu mea signavi, & signum ✠ *Crucis feci.*

Ego Dodo rogatus a prædicto Comite Odorisio scripsi, clausi, & reddidi ✠. *Omnes qui legitis, rogo, Dominum pro me oretis.*

Est & mihi Bulla Lucii II. Papæ, ex Archivo Estensi descripta, in qua Monasterium Sanctæ Mariæ de Castellione, ab Adalberto Estensi Marchione fundatum, ut ostendi Cap. 12. An- D tiquitat. Estensium, dicitur *Beati Petri juris existere*; & nullum tamen ibi indicium pensionis persolvendæ occurrit.

Lucii II.

Lucii II. Papæ Bulla confirmatoria omnium jurium ac Privilegiorum Monasterii Sanctæ Mariæ de Castellione, Anno 1144.

LUcius Episcopus, *servus servorum Dei*, *dilectis filiis* Alberto Abbati Monasterii Sancte Marie de Castellione, *ejusque Fratribus tam presentibus quam futuris, Regularem vitam professis in perpetuum. Desiderium, quod ad Religionis propositum, & animarum salutem pertinere cognoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prefatum* Monasterium, quod Beati Petri juris existit, *in quo divino mancipati estis obsequio, in ejusdem Apostolorum Principis jus, protectionemque suscipimus, & presentis scripti Privilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque bona idem Monasterium juste & canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, sive aliis justis modis, præstante Deo poterit adipisci, firma vobis, vestrisque Successoribus, & illibata permaneant. In quibus hec suis duximus exprimenda vocabulis*: Ecclesiam Sancti Salvatoris de Basilica Ducis, *cum omnibus suis pertinentiis*: Ecclesiam Sancti Remigii de Palude: Ecclesiam Sancti Eusebii de Gavi: *Cellam Sancti Benedicti de Guasto, cum omnibus suis pertinentiis*: Ecclesiam Sancte Marie de Karitate, *que in Mantuano suburbio sita est*: Ecclesiam de Castello . . . . . Ecclesiam de Tasajalo: *Quicquid possidetis in* Comitatu Lunensi, & Januensi, *in* Comitatu Mutinensi, *in loco scilicet, qui dicitur Solaria, & Herbaria, & in Abbatia Sanctæ Mariæ de Corsica, que appellatur Plaidelii, cum omnibus suis pertinentiis, & in Curte, que vocatur Marca Regia, in Curte de Rupta, Castello Novo, Casale Albini, & Sancto Andrea. Obeunte verò te nunc ejusdem Loci Abbate, vel tuorum quolibet Successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia preponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum pars consilii sanioris secundùm Dei timorem & beati Benedicti Regulam elegerint. Electus verò a Romano Pontifice benedicatur. Crisma, Oleum Sanctum, Consecrationes Altarium, sive Basilicarum, Ordinationes Monachorum, seu Canonicorum vestrorum, qui ad sacros Ordines fuerint promovendi, a quibus malueritis, Catholicis accipiatis Episcopis. Missas sane publicas in eodem Monasterio celebrari, aut Stationem, aut Synodum, vel Ordinationem aliquam, preter Abbatis voluntatem ab Episcopo quolibet fieri prohibemus; sicque ab omni jugo, seu ditione cujuscumque persone vestrum Cenobium liberum permanere sancimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum Monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare: sed omnia integra conserventur eorum prorsus, pro quorum regimine & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ in omnibus Apostolice Sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, Secularisve persona hanc nostre confirmationis paginam sciens, contra eam temerario ausu venire temptaverit, secundo tertiove commonita, non satisfactione congruâ emendaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque re divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem Loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, & hìc bone actionis fructum percipiat, & apud districtum Judicem premia eternæ pacis inveniat. Amen, Amen, Amen.*



Ego Lucius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus *subscripsi*.

BENE VALETE

✠ *Ego Conradus Sabinensis Episcopus subscripsi.*
✠ *Ego . . . .*
✠ *Ego Guido Presbyter Cardinalis titulo Sancti Grisogoni subscripsi.*
✠ *Ego Albericus Ostiensis Episcopus subscripsi.*
✠ *Ego Thomas Presbyter Cardinalis titulo Vestinæ subscripsi.*
✠ *Ego P. . . . . . . manus Tusculanus Episcopus subscripsi.*
✠ *Ego Manfredus Presbyter Cardinalis titulo Sanctæ Savinæ subscripsi.*
✠ *Ego Aribertus Presbyter Cardinalis Sanctæ Anastasiæ subscripsi.*
✠ *Ego Odo Diaconus Cardinalis Sancti Georgii ad Velum aureum subscripsi.*
✠ *Ego Wido Diaconus Cardinalis Sanctorum Cosmæ & Damiani subscripsi.*
✠ *Ego Johannes Diaconus Cardinalis Sancti Adriani subscripsi.*
✠ *Ego Johannes Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ Novæ subscripsi.*

Datum Laterani per manum Baronis Capellani & Scriptoris, VI. Idus Maji, Indictione VII. Incarnationis Dominicæ Anno MCXLIIII. Pontificatus Domni Pape Lucii Anno Primo.

Pendet chordula sine Sigillo plumbeo.

Ita

Ita Carpensis Civitatis, Serenissimis Atestinis Ducibus subjectæ, Ecclesia, quamquam a vetustis Sæculis propria Diœcesi donata, & adhuc ab una Apostolica Sede *jure proprietatis* A (salvo tamen jure patronatus eorumdem Principum) pendens, nullo pensionis onere gravata fuit, uti subsequens Bulla ostendet, ex ipso Estensi Archivo depromta.

Bulla Callisti II. Papæ, qua Frederico Archipresbytero & Canonicis Carpensibus jura omnia ac Privilegia illorum confirmat, Anno 1123.

CAlixtus Episcopus, *servus servorum Dei, dilecto Filio* Federico Archipresbytero, *& ceteris Canonicis Plebis* Sanctæ *Dei Genitricis* Virginis Mariæ, *que* in Pago Carpensi *sita est, eorumque Successoribus in perpetuum. Commissa nobis Apostolice Sedis auctoritate debitoque compellimur, pro universarum Ecclesiarum statu satagere, & earum maxime quieti, que specialius eidem Sedi adherent*, & tamquam jure proprio subjecte sunt, *auxiliante Domino providere*. Astulphus *siquidem* Longobardorum Rex *in Regni sui Pago, quod Carpum dicitur, Beate Marie semper Virginis Ecclesiam construxisse dignoscitur, quam ut a vicinorum Episcoporum, in quorum confiniis idem Pagus erat, contentionibus & molestiis omnino liberam redderet, quasdam de predicta Curte possessiones in locis convenientibus utrique dedit, & Mutine quidem juxta Ecclesiam Sancti Thome, Regino verò juxta Ecclesiam Sancti Apolinaris. Super hec* Ecclesiam illam in jure semper Sedis Apostolice permanere constituit, & libertatem ex Stephani Pape Privilegio acquisivit. *Quam videlicet libertatem Predecessores nostri supradicte Carpensi Ecclesie usque ad nostra tempora servaverunt. Et nos ergo eamdem libertatem predicte Ecclesie per Dei gratiam conservandam statuimus*, ut nulli Episcopo, *vel* nulli omnino Ecclesiastice Secularive persone eadem Ecclesia subjecta sit, nisi tantùm Apostolice Sedi, ad quam, *ut predictum est*, jure proprietatis, & tutela defensionis specialiter pertinere cognoscitur. *Decimas quoque Carpensis territorii absque ulla divisione sive diminutione, vobis, vestrisque Successoribus firmas perpetuo munere sancimus, sicut eas Prædecessorum nostrorum Apostolice memorie* Gregorii VII. *&* Urbani, *&* Pascalis II. *atque aliorum concessione hactenus habuistis, ita ut de predictis Decimis nulli alicui possidere, vel ab aliquo accipere, nisi de consensu & permissione Plebis, liceat. De Chrismate, & Oleo Sancto atque Ordinatione vestra, sive Consecrationibus Ecclesiarum, a quocumque velitis Episcopo Catholico, accipiendis licentiam vobis liberam indulgemus, sicut a prefatis Pontificibus constat fuisse concessam. Capellas autem, que ad jus vestre Ecclesie pertinere noscuntur, idest S. Martini, S. Laurentii, S. Nicolai, absque ullius molestia perpetuo vobis vestrisque Successoribus per omnia stabilitas esse censemus. Atque infra terminos vestre Parochie nullam Ecclesiam, nisi per vestram licentiam, & vobis subjectam, ædi-* B *ficari precipimus. Infra eosdem quoque terminos Preposito Plebis Clericos ordinare permittimus, ad cujus providentiam & dispositionem tam ordinationes & promotiones Clericorum, qui infra eamdem Parochiam ordinandi vel promovendi sunt, quam etiam prelationes eorum, qui in subditis Ecclesiis proficiendi sunt, pertinebunt. De criminalibus etiam intra supradictos terminos penitentias dare, & reconciliationem facere vobis concedimus. Preterea per presentis decreti paginam Apostolica auctoritate statuimus, ut quecumque predia sive possessiones eadem Ecclesia juste possidet, sive in futurum concessione Pontificum, liberalitate Principum, vel oblatione Fidelium, juste atque canonice poterit adipisci*, C *firma vobis, vestrisque Successoribus permaneant. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, eamdem Ecclesiam temere perturbare, aut a vestra Congregatione actiones, vel exennium aliquod exigere, vel res vestras in beneficium cuiquam dare, aut possessiones ejusdem Ecclesie auferre, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, vestris vestrorumque Successorum usibus omnimodis profutura. Sane si quis deinceps Archiepiscopus, aut Episcopus, Prepositus, vel Abbas, Imperator, aut Rex, Marchio, vel Dux, vel Comes, Vicecomes, Judex, aut Gastaldio, seu quelibet Ecclesiastica vel Secularis persona, hanc nostre Constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit*, D *secundo tertiove commonitus, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem ejusdem Ecclesie justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud districtum Judicem premia eterne pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.*

E *Ego* Callistus Catholice Ecclesie Episcopus *subscripsi.*

Datum Laterani per manum Hugonis Sancte Romane Ecclesie Subdiaconi, IV. Idus Februarii, Indictione Prima. Incarnationis Dominice Anno MCXXIII. Pontificatus autem Domni Callisti II. Pape Anno Quinto.

A Contra etsi celebre Pomposianum Monasterium protectionis Apostolicæ tantùm dono frueretur, tres argenteos Solidos persolvebat, uti ex archetypo existente in Archivo supra laudato nunc patebit.

Bulla Callisti II. Papæ, confirmantis omnia bona & Privilegia Monasterio Sanctæ Mariæ de Pomposia, Anno 1124.

CAlixtus *Episcopus*, servus servorum Dei, dilecto filio *Aurelio Abbati Monasterii Sancte Marie, quod in Insula Pomposia* situm est, ejusque Successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Equitatis & justitie ratio persuadet, nos Ecclesiis perpetuam rerum suarum firmitatem, & vigoris inconcussi munimenta conferre. Non enim convenit Christi servos, divino famulatui deditos perversis pravorum hominum molestiis agitari, & temerariis quorumlibet vexationibus fatigari. Similiter & predia usibus celestium secretorum dicata nullas potentium angarias, nichil debent extraordinarium sustinere. Cum ergo communis omnium Ecclesiarum cura nobis concessa sit, tuis, dilecte in Christo Aureli Abbas, postulationibus annuentes, & beatæ & gloriosæ semper Virginis Dei Genitricis Mariæ, Pomposianum Monasterium, cui Deo auctore præsides, protectione Sedis Apostolicæ munientes, possessiones & bona, quæ vel a sancta Romana Ecclesia, vel aliunde legitime possidet, confirmamus. Videlicet Massacellam integram, quæ vocatur Materaria: & Massam, quæ vocatur Maseuli, integram: Fundum integrum, qui vocatur Casale Publicum: Massam, quæ vocatur Nepoti: Et in Massa, quæ vocatur Caputbovis, terram & vineas, sicuti modò vos habetis & tenetis jure beati Petri Apostoli. Necnon & ripam fluminis Alemonis ex utrisque partibus juxta Massam, quæ vocatur Prata, extendente ipsa ripa ab Agaziolo usque ad Campum Bedulli. Terram & vineam juxta muros Civitatis Ravennæ, cum Turre Umbratica in integrum, a Posterula Augusti usque ad Portam Taurensem. Ortum unum integrum in loco Pontis Calciati in regione Sancti Andreæ, a duobus lateribus jure ipsius Sancti, a reliquis duobus Via publica. Lacum, qui vocatur Sanctus, cum omnibus rebus & pertinentiis suis, cum Plebe & Capellis ac Titulis ipsius, idest Sanctæ Mariæ, Sancti Martini, Sancti Petri, & Sancti Venantii, cum Decimis & Primitiis, cum Piscaria, quæ vocatur Tidini, & Fossa Archipresbyteri, & Piscaria, quæ vocatur Falci, cum loco, qui dicitur Monticellus Lacificus, cum ripis fluminis Padi & Gauri ex utrisque partibus usque ad mare; & a loco Concæ Agathæ ex una parte usque ad mare, cum loco integro, qui dicitur Masinzatica inter affines de toto loco ac territorio Massæ, quæ vocatur Lacus Sanctus; ab uno latere Fossa Molendini de Volta Latercli descendente in Aquiliolo, & a Fluvio Triba usque in Eliam, & per paludem usque in mediam Curbam, & ultra Curbam usque Padum, & ultra Padum usque ad Gazium Episcopi sanctæ Comaclensis Ecclesiæ, inde usque fluvium, qui vocatur Cesi; B ab alio latere Curlus descendens in Concam Agatulæ, & per ipsam in Gaurum; a tertio latere Palus, quæ pergit inter rivum Angeli & Masinzaticam usque Monticellum & Vedetosam currentem in Padum; a quarto latere Vaculinus & Ager Malus & Callis de Vincareto pergente in Laterclum. Insuper concedimus vobis Piscariam integram, quæ vocatur Volana, cum Rivo Badereno, & Gavelana Majore ad ipsam Piscariam pertinente, cum Porticellis ex utrisque partibus, sicut olim intraverunt in mare, eidem similiter pertinentes. Hæc nimirum omnia tibi, tuisque legitimis Successoribus & Fratribus religiose viventibus, C perpetuo habenda concedimus, ita sane, *ut a vobis singulis quibusque annis pensionis nomine tres argentei Solidi, difficultate postpositâ, sanctæ nostræ Romanæ Ecclesiæ Actionariis persolvantur.* Quæcumque autem Romanorum Pontificum, seu aliorum Episcoporum concessione, Principum liberalitate, vel fidelium oblatione, juste atque canonice poteris adipisci, firma tibi tuisque Successoribus & illibata permaneant. Ad hæc adjicientes decernimus, ut nulli Archiepiscopo, nulli Episcopo liceat Monasterio vestro gravamen inferre, nec in ipso, aut ejus rebus potestatem exercere. Nulli autem hominum facultas sit preter Abbatis & Fratrum D Monasterii voluntatem, colonos seu villanos, famulos aut famulas ad ipsum Monasterium pertinentes, aut de Cellis, Villis, Castris, aut Plebibus, fodrum extorquere, aut alias exactiones inferre: *sed semper Apostolicæ Sedis tuitione foveamini, & si necesse fuerit, audientiâ conservemini*, salvâ in omnibus ejusdem Apostolicæ Sedis auctoritate. Chrisma & Oleum Sanctum a Comacliensi accipietis Episcopo, si Catholicus fuerit, & sine pravitatis exactione gratis vobis dare voluerit. Sin autem pro eisdem Sacramentis accipiendis, ad quemcumque malueritis, Catholicum Episcopum recurratis. Benedictionem quoque Abbatis, Monachorum vestrorum ordinationes, & consecrationes Altarium Monasterii vestri, & eorum, qui in Massa Lacus-E sancti sunt, a quo volueritis, Catholico Episcopo suscipere licentiam habeatis, qui Apostolicæ Sedis fultus auctoritate, quod postulatur, indulgeat. Mansuro etiam decreto statuimus, ut neque tu, neque aliquis Successorum tuorum, ad cujuslibet Episcopi Synodum pergere compellatur, nisi a Romano Pontifice, vel Legato ejus fuerit invitatus. Si qua ergo in futurum Ecclesiastica vel Secularis persona, hanc nostræ Constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo, tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat,

„ ream-


„ reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo „ Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque „ in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem Loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, „ quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem premia „ æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.



Ego *Calixtus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus*. Bene Valete.

„ Datum Laterani per manum AIMERICI sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii, XVII. Kalendas Novembris, Indictione III. Incarnationis Dominicæ Anno MCXXIIII. Pontificatus verò Domni Calixti Secundi Papæ Anno VI.

Pendet hæc Bulla plumbea.



Sed & præter Monasteria simplices etiam Ecclesiæ, sive sacræ Ædes, olim numerabantur, & quidem non paucæ, quæ *salvâ Episcopi Catholici reverentiâ*, hoc est intacto jure Episcopi in consecratione Clericorum, Altarium, & Ecclesiarum, & Sacramentorum usu, in temporalibus subjiciebantur uni Apostolicæ Sedi, ac pro ejusmodi Privilegio ad annuum eidem Censum reddendum obligabantur. Vide Landulphum juniorem Cap. 8. Historiæ a me editæ Tom. V. Rer. Italicar. pag. 479. a quo Bulla Urbani II. Papæ refertur pro Ecclesia Sanctæ Trinitatis, quam Liprandus Presbyter intra Mediolanensem Urbem condidit *in proprio suo allodio, ipsamque beato Petro obtulit*. Ibi hæc verba leguntur: *Ad indicium autem hujus perceptæ libertatis a Romanâ Ecclesiâ, Mediolanensis monetæ nummos sex quatuor annis* (scribe *quotannis*) *Lateranensi Palatio persolvetis*. Hujusce Ecclesiæ mentionem infra habes in Regesto Cencii Camerarii mihi edendo. Neque heic stetit, ut alibi vidimus, diligentia Gregorii VII. Papæ, aliorumque Romanorum Pontificum ante ipsum, & post ipsum. Operam ii dedere, ut ipsi Christianorum Reges seu Regna Apostolicæ Sedi etiam in temporalibus subjicerent, atque inde tributum colligeretur, singulis annis Ecclesiæ Romanæ reddendum. At quandoquidem de hoc infra agam in Dissertatione LXXI. *de Episcoporum potentia*, heic multum non insistam. Clarissimus quidem Thomassinus Tom. III. Lib. I. Cap. 22. de Beneficiis, emollire nititur hasce Regnorum oblationes, Sancto Petro factas. Verùm antiqui Pontifices contendebant, Regna sic oblata in jure esse Sancti Petri, & *propria Romanæ Ecclesiæ*, usque adeo ut annuam pensionem, uti censum a fiduciariis debitum, exigerent. Non me fugit exempli gratiâ Anglos appellasse *Eleemosynam* Denarium, quem *Sancti Petri* nuncupabant. Eamque in rem ecce quæ scripta legi in antiquissimo MSto Regesto prælaudati Cencii Camerarii, de quo infra sermo erit.

De quadam Lege in Anglia vocata Donelaye, *& loquitur de Denario beati Petri.*

Hoc est scriptum, quod Magister Synitius Cameræ Domini Papæ Clericus, Nuntius Apostolicæ Sedis in Anglia, ad Curiam asportavit.

Incipit Lex, quæ Angliæ Danelaye vocata est, Latine verò Lex Dacorum est interpretata, ab invictissimo & glorioso Rege Anglorum, Dacorum, Noragenorum, Suenonum, Kennutio *instituta, & diligenter custodita consilio Principum suorum & Sapientum.*

Omnis, qui habet XXX. denariatas vivæ pecuniæ in domo sua, de suo proprio, Anglorum Lege dabit Denarium Sancti Petri, *& Lege Danorum dimidiam Marcatam.* Iste verò Denarius debet summoveri in solemnitate Apostolorum Petri & Pauli, & colligi ante festivitatem, quæ dicitur ad Vincula, ita ut ultra illum diem non detineatur. *Si quisquam detinuerit, ad justitiam Regis deferatur, quoniam* Denarius hic Eleemosina Regis est. *Justitia verò ejus faciet Denarium reddere, & forisfacturam Episcopi & Regis. Quod si plures domos habuerit, de illa, ubi residens fuerit,* in festo Apostolorum Petri & Pauli Denarium reddat.

Item alibi in eodem Libro.

Pecunia autem Sancti Petri, *quam Anglici* Romaschot *vocant*, sit persoluta in festo Sancti Petri in principio Augusti Mensis. *Et qui non eo die persolverit, etiamsi est unus Denarius, qui dare eum debuit, & non dedit, accipiat eumdem, & insuper XXX. Denarios & portet Romæ. Et quum dederit tale signum secum reportet, ut certum sit, quod Romæ fuerit, & beato Petro ibi triginta & unum Denarium, sicut statutum est, persolverit. Quum autem reversus fuerit domum, persolvat Regi sexaginta Solidos. Si verò idem secundò retinuerit, similiter omnino faciat. Tertiò autem si retinuerit, auferantur ei omnia bona sua.*

Annalista Saxo ab Eccardo editus originem ejusmodi Census ad Annum DCCCXC. refert. Alanus enim Rex, Nortmannis Britanniam infestantibus, *coadunatâ omni Britanniâ, vovensque, si per divinam virtutem vinceret, decimas bonorum omnium Britanniæ Deo & Sancto Petro Romam destinare, tantâ strage hostes prœlio fudit, ut ex quindecim millibus vix quadringenti ad classem refugerent.* Quare suspecta mihi est auctoritas Polydori Virgilii recentis plane Historici, utpote qui Anno Christi MDXXXIV. Historiam Anglicanam scribebat, licèt ejus testimonio Cardinalis Baronius utatur. Scribit ille, Inam Regem Anglorum circiter Annum DCCXL. *Regnum suum Romano Pontifici vectigale fecisse, singulis argenteis nummis, quos Denarios vocant, in singulas domos impositis.* Tum Offam, ac Athulphum Reges, ejus exemplum fuisse imitatos. Tam pium Inæ Regis facinus ignorarunt veteres Anglorum Historici. Unde, quæso, illud Polydorus Virgilius edidicit? Attamen titulo *debiti* ejusmodi Census a Britannis persolvebatur. Canutus Rex apud Malmesburiensem Lib. 2. Cap. 11. hæc ad suum Populum perscribebat Anno MXXVII. *Obtestor omnes Episcopos meos, & Regni mei Præpositos, quatenus faciatis, ut antequam in Angliam veniam, omnium debita, quæ secundùm Legem antiquam debemus, sint persoluta, scilicet eleemosyna pro aratris* &c. *& Denarii, quos Romam debetis sive ex Urbibus, sive ex Villis.* Eodem quoque Sæculo Literas Guillielmi I. habemus, ab Hickesio evulgatas, in queis sub gravi pœna mandat, *ut Denarii Sancti Petri solvantur a meis Vassallis.* Præterea perspectum habeo, vel ipsos Angliæ Reges olim sese agnovisse veluti clientes atque Vassallos Romanæ Ecclesiæ. Id Acta ipsa publica ejus Regni a Rymero collecta Tomo I. confirmant, ut alia monumenta prætercam. Non omittam tamen Literas Honorii III. Papæ Anno MCCXVIII. datas, & nondum luce donatas, quibus Privilegium Monetæ concessum a Johanne Angliæ Rege Savarico de Maloleone, Pontifex ipse confirmat; immo Marcam auri singulis annis ab eo Cameræ Pontificiæ persolvendam indicit, *ad indicium confirmationis a Sede Apostolica obtentæ.* Supremum dominium ista redolere mihi videntur. Hic autem titulus Chartæ præponebatur.

De

De Censu unius Marcæ auri debito a nobili viro Savarico de Maloleone, Anno 1218.

HOnorius Episcopus *&c. dilecto filio nobili viro* Savarico de Maloleone *Cruce signato &c. Invicta fides, & devotio indefessa, quam erga claræ memoriæ* I. Regem Anglorum *nosceris habuisse, te ac tua ponendo pro ipso, sicut illi materiam præstitit, te dignis muneribus honorandi, sic & nobis tuis remunerationibus præstandi favorem non immeritò persuadet, ut tua circa eum grata obsequia, & ipsius erga te retributivam gratiam approbantes, utriusque reddamus exinde honorificentiam clariorem. Quum igitur, sicut nobis tua exibita petitio continebat, idem Rex pensatis tuæ devotionis obsequiis, in terra tua cudendæ Monetæ tibi liberam de liberalitate Regia concesserit facultatem, sicut in ejus Literis plenius continetur, nos concessionem hujusmodi gratam habentes, eam tibi, sicut ipsam juste obtines & quietè, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus.* Ad indicium autem hujus a Sede Apostolica confirmationis obtentæ, unam Marcam auri annis singulis, quibus Moneta ipsa cudetur, nobis & Successoribus nostris exsolves. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.*

Datum Laterani XII. Kalendas Maji, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Quod si e Paganorum sive Saracenorum manibus eripiendæ erant Provinciæ, olim Christianis Principibus subjectæ: Romani Pontifices rem, quantis poterant, consiliis & conatibus juvantes, eâ conditione & pactione accedebant ad bellum urgendum, ut Principes victores ereptas Urbes in feudum a Romana Ecclesia exinde agnoscerent, eique Censum persolverent. Anno Chriti MLXXIII. Gregorius VII. Lib. I. Epistol. 7. literas ad universos Principes dedit, quibus patefecit, *Regnum Hispaniæ ab antiquo proprii juris Sancti Petri fuisse, & adhuc soli Apostolicæ Sedi ex equo* A *pertinere.* Eos proinde solicitat, ut se Comiti de Rocejo jungant, contra Paganos terræ illius usurpatores progressuro, *qui hanc concessionem ab Apostolica Sede obtinuit, ut partem illam, unde Paganos suo studio, & adjuncto sibi aliorum auxilio expellere posset, sub conditione inter nos factæ pactionis, ex parte Sancti Petri possideret.* Ita Berengarius Barchinonensis Comes ereptam Saracenis Tarraconensem Civitatem Anno MXC. vectigalem fore Romanæ Ecclesiæ decrevit. Perpendendum quoque esset, num ex simili pactione, eodem-ve titulo, potius quàm aliis antiquioribus contenderint olim Romani Pontifices, sui juris esse Apuliam, Calabriam, atque Siciliam. Nam vix B eas Northmanni, Saracenis & Græcis expulsis, in suam potestatem redegere, quum iidem Pontifices utroque gladio exerto illos compulerunt ad ea Regna beneficiario titulo a Romanâ Sede recipienda. Ad hæc alii fuerunt, qui ut validum patronum in Romano Pontifice haberent adversùs potentiores, & sub ejus protectione se ac sua facilius tuerentur, ultro Castra & Urbes Sancto Petro obtulere, eaque in feudum rursus ab Apostolica Sede recepere, annuum Censum eam ob caussam polliciti. Reginaldus Rex Insularum adjacentium Hiberniæ & Angliæ, qui etiam *Rex de Man* alibi appellatur, Anno MCCXII. *devenit homo ligius Johannis Angliæ Regis.* Testem habemus Char- C tam a Rymero evulgatam Tom. I. pag. 159. Actor. Publicorum. Ex aliis Actis ab eodem Rymero editis, idem Rex accersebatur *ad faciendum homagium, & ad emendandum excessus factos hominibus Domini Regis Angliæ ab hominibus terræ suæ.* Inter hosce turbines arbitratus est ille, e re sua futurum, si Insulam de Man Romanæ Ecclesiæ dono daret, atque ab ea iterum acciperet nomine Feudi, & pro Censu duodecim Marchas Sterlingorum pacisceretur. Acta res est Anno MCCXIX. Et quoniam Raynaldus in Annalib. Ecclesiastic. & ex eo Rymerus Chartam decurtatam attulit, integram ego Lectori statuam, qualis in Regesto MSto Cencii Camerarii legitur.

Literæ Raynaldi Regis Insularum ad Dominum Papam, quibus tradidit Ecclesiæ Romanæ Insulam de Man, & recepit ab eadem in Feudum sub annuo Censu duodecim Marcharum Sterlingorum, Anno 1219.

SAnctissimo Patri & Domino Honorio, *Dei gratiâ* Summo Pontifici Reginaldus Rex Insularum, *commendationem cum osculo pedum. Noverit sancta Paternitas vestra, quod nos, ut participes simus bonorum, quæ fiunt in Ecclesia Romana, ad monitionem & exhortationem dilecti patris nostri P. . . . . . Norwicensis Electi, Camerarii & Legati vestri*, dedimus & obtulimus ei nomine Ecclesiæ Romanæ, & vestro, & Catholicorum Successorum vestrorum, Insulam nostram de Man, *quæ ad nos jure hereditario pertinet, & de qua nulli tenemur aliquod servitium facere*. Et deinceps nos & heredes nostri in perpetuum tenebimus in Feodum dictam Insulam ab Ecclesia Romana, & faciemus ei, propter hoc, homagium & fidelitatem. Et in recognitionem dominii, nomine Census, nos & heredes nostri in perpetuum annuatim solvemus Ecclesiæ Romanæ duodecim Marcas Sterlingorum in Anglia, apud Abbatiam de Fura Cisterciensis Ordinis in festo Purificationis Beatæ Mariæ. *Et si non esset ibi aliquis ex parte vestra, vel Successorum vestrorum, deponentur dictæ duodecim Marchæ per nos & heredes nostros in dicto loco penes Abbatem, & Conventum, Ecclesiæ Romanæ nomine. Hanc donationem & oblationem dictus Dominus Legatus recepit ad voluntatem & beneplacitum vestrum; & post receptionem ab eo factam sic, ipse Dominus Legatus dictam Insulam dedit mihi & heredibus meis in Feodum perpetuo possidendam & tenendam nomine Ecclesiæ Romanæ*. Et me inde per annulum aureum investivit. *Sciat igitur Paternitas vestra, quod ad mandatum dicti Domini Legati juravi observare & tenere inviolabiliter prædicta pro me & heredibus meis perpetuò. Et juravi, quod super hoc securitatem faciam per me ipsum & heredes meos & homines Insulæ, quam dictus Dominus Legatus, vel alius de mandato vestro petierit a me bona fide & sine fraude. Et in hujus rei testimonium has Literas patentes fieri fecimus, his testibus, Domino C. Bagnorensi Episcopo de* Wallia, *Magistro M. Officiali de Man, Yvone filio Holbudi, Johanne Clerico, Magistro Yvone, Holavò Senescalco Domini Regis de Man. Supplicamus autem Sanctitati vestræ, quod Privilegium illud & protectionem, quam* aliis Regibus censualibus & Vassallis Romanæ Ecclesiæ *conceditis, nobis mittat Sanctitas vestra. Nos enim parati sumus omnia prædicta secundùm mandatum vestrum servare. Interfuerunt autem huic nostræ donationi de familia Domini Legati, Magister Petrus de Collemedio, Domini Papæ Capellanus; Magister Hardingus Papiensis, ejusdem Domini Subdiaconus; Magister Petrus de Babuto; Magister Jacobus Scriptor Domini Papæ; Presbyter Lucas de* Wytsand, *Domini Legati Capellanus; Pandulfus nepos ipsius Domini Legati; Thesaurarius Cicestrensis; Magister Johannes de Venafro; Stephanus nepos Domini Stephani, Basilicæ duodecim Apostolorum Presbyteri Cardinalis; Martinus de Cicestro, Senescalcus Domini Legati; Conradus Clericus Domini Gregorii de Crescentio, Sancti Theodori Diaconi Cardinalis; Rusticus & Johannes de Londono, Scriptores Domini Legati.*

Actum Londoni in Domo Militiæ Templi, X. Kalendas Octobris, Anno Domini Millesimo Ducentesimo Decimo Nono. Et ne super iis aliquando possit dubitari, has literas fieri fecimus, & Sigillo nostro muniri.

Infra additur hæc Nota.

Nota, quod Litera ista eodem modo scripta est in Regesto Domini Honorii Septimi, Anno . . . . . . in quo etiam est protectio ipsius Regis, concessa sibi ab eodem Domino Honorio.

Alterum exemplum suppeditabit Alexandrina Civitas, nuper condita, quæ non solùm ab Alexandro III. Summo Pontifice nomen desumsit, sed & eidem ac Romanæ Ecclesiæ sese obtulit, ac annuum Censum pollicita est. Hujus rei tabulas exerere juvat in rei testimonium. Fridericus quidem I. Augustus deinde Civitatem illam Imperio Romano vendicavit, & *Cæsaream* appellandam jussit. Sed primitivum nomen adhuc perdurat.

Instrumentum de Alexandria, & Censu, quæ debent Ecclesiæ Romanæ, Anno 1169.

IN *nomine Domini, Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Centesimo Sexagesimo Nono, &. Undecimo Anno Pontificatus Domini nostri* Alexandri III. summi Pontificis & universalis Papæ, *Mense Januarii, III. Indictione. Nos Rufinus Blancus, & Guilielmus de Bergamasce, Consules de Civitate Alexandriæ, notum facimus, quod in præsentia Dominorum* Bernardi Portuensis Episcopi, Hubaldi titulo Sanctæ Crucis, Johannis titulo Sanctorum Johannis & Pauli, Ildebrandi titulo Basilicæ duodecim Apostolorum, Johannis titulo Sanctæ Anastasiæ, Alberti titulo Sancti Laurentii in Lucina, Guilielmi titulo Sancti Petri ad Vincula, Boxii titulo Sanctæ Pudentianæ, Petri titulo Sancti Laurentii in Damaso, Johannis titulo Sancti Marci, Theodini titulo Sancti Vitalis, Presbyterorum Cardinalium, & Hiacynthi Sanctæ Mariæ in Cosmedim, Cencii Sancti Adriani, Manfredi Sancti Georgii, Hugonis Sancti Eustachii, & Petri Sanctæ Mariæ in Aquiro, Diaconorum Cardinalium, *& subscriptorum testium, qui ad hoc rogati venerunt, Petri videlicet Sarraceni Senescalchi, Johannis Ancillæ Dei Marescalchi, Petri Buticularii, Alberti & Albertinelli Ostiariorum, ex parte omnium Consulum & Populi prædictæ Civitatis,* per fustem offerimus Deo & beato Petro, & vobis præfato Domino nostro Papæ Alexandro, vestrisque Catholicis Successoribus, sanctæque Romanæ Ecclesiæ in perpetuum, Terram scilicet proprii juris nostri, quæ est infra prædictam Civitatem, quam Populus ipsius Civitatis ad construendam ibi Ecclesiam emit. Et per eamdem Investituram volumus, Terram ipsam omni tempore Romanæ Ecclesiæ jure proprietario pertinere. Præterea de communi Consulum consilio, & totius Populi mandato, Militum domus, & Mercatorum, & quorum A facultas videbitur sufficiens ad boves habendos, de singulis Domibus tres Denarios ejusdem Terræ in Festo beati Martini exsolvent singulis annis. Ceteri de singulis domibus unum Denarium. Et infra Octavas beati Martini solvent ei, cui Romanus Pontifex jusserit. *Consules verò, qui per tempora ibi constituentur, fidelitatem vobis, vestrisque Successoribus omni occasione & contradictione remotâ jurabunt. Nos quoque de mandato aliorum Consulum & Populi Civitatis, vobis fidelitatem fecimus, & nostras manus, licèt indignas, inter vestras sacratissimas manus mittentes, vobis hominium fecimus. Et Populus Terræ, quando communiter jurabunt Consulibus, singulis scilicet trien-* B *niis, sicut constitutum est, jurabunt pariter & Romano Pontifici.*

Ego Falco Notarius & Scriba sacri Beneventani Palatii, hoc scriptum, quia interfui, scripsi.

✠ *Ego Petrus Serracenus Senescalcus.*
✠ *Ego Guiscardus.*
✠ *Ego Petrus Buticularius.*
✠ *Ego Albertinus Ostiarius.*
✠ *Ego Albertus Ostiarius.*

Hisce accedat & altera Charta nondum edita, complectens donationem Castri Lavadiæ, quam fecit Otto de Rocca Princeps Athenarum sanctæ Romanæ Ecclesiæ ac pro ea Pela- C gio Albanensi Episcopo, & Sedis Apostolicæ Legato in Oriente, quod tamen Castrum e vestigio eidem collatum est titulo Feudi, constituto Censu duarum Marcarum argenti quotannis Ecclesiæ Romanæ persolvendo. Præferebat hunc titulum eadem Charta, sicuti & subsequens altera confirmatoria, quas e Regesto Cencii Camerarii depromsi.

Census duarum Marcarum argenti pro Castro Lavadiæ a Domino Athenarum, Anno 1214.

PElagius *miseratione divina* Albanensis Episcopus, *Apostolicæ Sedis Legatus, dilectis filiis* Clericis Ecclesiæ Castri Lavadiæ, *salutem in Domino. Quum nobilis vir* Otto de Rocca Dominus Athenarum, *zelo divinæ pietatis accensus*, Castrum Lavadiæ cum pertinentiis suis, nobis nomine Romanæ Ecclesiæ pie duxerit & misericorditer offerendum, & pariter conferendum: *nos devotionem & pium propositum ejusdem Nobilis attendentes*, in Feudum eidem Nobili Castrum concessimus supradictum, pro quo ligius & homo sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ & Apostolicæ Sedis est factus Nobilis sæpe dictus. Et ad ejusdem nostræ concessionis indicium duas Marchas argenti gratis solvet Sedi Apostolicæ annuatim. *Eapropter, dilecti in Domino filii, ejusdem Nobilis justis precibus inclinati, Castrum ipsum, & Ecclesiam ejusdem Castri in solo beati Petri fundatam, quæ tantùm ad jus & proprietatem beati Petri dinogscitur pertinere, sub beati Petri & Apostolicæ Sedis protectione, suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus; districtius inhibentes, ne quis Episcopus seu alia Ecclesiastica, Secularisve persona, in eadem* D *Ecclesia jurisdictionem aliquam ibi temere audeat usurpare. Chrisma verò, Oleum Sanctum, Consecrationes Altarium, Ordinationes Clericorum, qui ad sacros Ordines fuerint promovendi, a quocumque malueritis, suscipietis Antistite, si quidem Catholicus fuerit, & communionem sacrosanctæ Romanæ Sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Ad hæc vobis & per vos Ecclesiæ vestræ, hominum ejusdem Castri & Casalis, quod Lavadia vulgariter nuncupatur, Decimas duximus concedendas, & eas vobis legationis auctoritate, qua fungimur, confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ* E *concessionis, protectionis, inhibitionis, & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.*

Datum Scandabli XI. Kalendas Julii, Pontificatus Domni Innocentii Papæ III. Anno Septimodecimo.

Confirmatio

Confirmatio Domini Innocentii III. Papæ super concession. Castri Lavadiæ, factâ per Dominum Legatum Domino Athenarum, Anno 1215.

INnocentius Episcopus, *servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro* Ottoni de Rocca, Domino Athenarum, *salutem & Apostolicam benedictionem. Dignum est, ut qui Apostolicæ Sedis gratiæ devotionis meritis se coaptant, nos in suis precibus favorabiles inveniant & benignos, qui consuevimus, immeritos etiam nostrâ gratiâ prævenire. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis precibus inclinati*, Castrum, *quod* Lavadia *nuncupatur, cum pertinentiis suis*, quod Ecclesiæ Romanæ libere ac liberaliter contulisti, *ipsum venerabili fratri nostro* Pelagio Albanensi Episcopo, *tunc Apostolicæ Sedis Legato, nostro nomine, assignando, postmodum ab eodem Episcopo* tibi exinde ligio Vassallo Apostolicæ Sedis facto, in Feudum sub annuo Censu duarum Marcharum *concessum, sicut apparet ex ejusdem* A *Literis evidenter, auctoritate tibi Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.*

Datum Laterani *II. Idus Januarii, Pontificatus nostri Anno Octavodecimo.*

Immo ipsa una protectio Sæcularibus Magnatibus ab Apostolicâ Sede concessa, rependi consuevit Censu aliquo annuo. Id constabit ex Literis nondum editis Honorii III. Papæ, datis B ad Wodislavum Ducem Calisiensem in Polonia, quæ hunc titulum in MSto Codice præferebant.

De Censu decem Marcarum, quas de tertio in tertium annum Ecclesiæ Romanæ debet solvere Dux de Calis, Anno 1217.

HOnorius *&c. dilecto filio nobili viro* Wlodislavo Duci de Calis *salutem & Apostolicam benedictionem. Sacrosancta Romana Ecclesia &c. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis postulationibus inclinati*, personam tuam, Terram, homines, possessiones, & alia bona, *quæ in præsentiarum rationabiliter possides, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteris adipisci*, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, *& præsentis scripti patrocinio communimus, districtius inhibentes, ne venerabilis frater noster Gnesnensis Archiepiscopus in te, vel Terram tuam absque manifesta & rationabili causa, & monitione præmissâ, sententiam excommunicationis promulget.* Ad indicium autem hujus a nobis præceptæ protectionis, Censum Decem Marcarum auri, quas de tertio in tertium annum te promisisti liberaliter soluturum, nobis & Successoribus nostris persolvens. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ protectionis & inhibitionis paginam infringere &c. Si quis autem &c.* C *Datum Laterani V. Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Primo.*

Sed jam intelligo, me Lectoribus facile tœdio futurum, si in animum induxerim, singula persequi, & diutius immorari in hocce argumento. In hoc ipso Opere alia hujus generis monumenta occurrent, ac præcipue quæ ad Sardiniæ Judices spectant. Nunc satius duco, nonnulla adferre, collecta in hunc finem ante aliquot Sæcula, & a me ex antiquissimo Codice Cencii Camerarii descripta, cujus infra sermo erit. Hinc autem multa elucebant ad dignoscendos Census, quos olim variis ex locis exprimebat Apostolica Sedes, & loca etiam, D quæ ad illius ditionem pertinebant. Tempus certe pro ceterarum rerum vicissitudine quamplurima Romanæ Ecclesiæ eripuit. Sed pars eruditionis est, deperdita etiam novisse, & potissimum quando aliis progressibus reparata est veterum proventuum jactura.

De Civitatibus & Territoriis, quæ Rex Carolus Beato Petro concessit, & Papæ Adriano tradi spopondit. Nec non de Civitatibus, Castris, Terris & Monasteriis, per diversas Mundi provincias constitutis, & Censibus Ecclesiæ Romanæ debitis ab eisdem.

A „ ADrianus Papa* obtinuit à *Carolo Rege Francorum & Patricio Romanorum*, ut promissionem illam, quam ejus genitor *Pippinus* quondam *Rex*, & ipse præexcellentissimus Carolus cum suo germano *Carlomanno*, atque omnibus Judicibus Francorum fecerant beato Petro, & ejus Vicario sanctæ memoriæ *Domno Stephano juniori Papæ*, quando in Franciam perrexit, pro concedendis diversis Civitatibus ac territoriis istius Italicæ provinciæ, & contradendis beato Petro, ejusque omnibus Vicariis, in perpetuum possidendis, adimpleret in omnibus. Quumque ipsam promissionem in loco, qui vocatur Carisiacum, sibi relegi fecisset, complacuerunt illi & Judicibus ejus omnia, quæ ibidem erant annexa; & propria voluntate, bono ac libenti animo aliam donationis promissionem ad instar anterioris, ipse antedictus præexcellentissimus & revera Christianissimus *Carolus Francorum Rex* adscribi jussit per Etherium religiosum ac prudentissimum Capellanum & Notarium suum: ubi concessit easdem Civitates & territoria beato Petro, easque præfato Pontifici contradi spopondit per designatum confinium, sicut in eadem donatione contineri monstratur. *Inde a Lunis cum Insula Corsica: deinde in Suriano: deinde in Monte Bardone: inde in Verceto: deinde in Parma: deinde in Regio: exinde in Mantua, atque Monte Silice: simulque universum Exarchatum Ravennensium, sicut antiquitus erat, atque provincias Venetiarum, & Histriam*. Necnon & *cunctum Ducatum Spoletanum*, seu *Beneventanum*. Factâque eâdem donatione, & propriâ suâ manu ipse Christianissimus Francorum Rex eam corroborans, universos Episcopos, Abbates, Duces etiam, & Grafiones in ea adscribi fecit. Quam prius super Altare beati Petri, & postmodum intus in sancta ejus Confessione ponentes, tam ipse Francorum Rex, quàm ejus Judices, beato Petro, & ejus Vicario sanctissimo Adriano Papæ, sacramento sese omnia conservaturos, quæ in eadem donatione continentur, promittentes, tradiderunt. Apparem ipsius donationis eumdem Eutherium adscribi faciens ipse Christianissimus Francorum Rex intus super Corpus beati Petri subtus Euangelia, quæ ibidem osculantur, pro firmissima cautela, & æterna nominis sui, ac Regni Francorum memoria, propriis suis manibus posuit. Aliaque ejusdem donationis exempla per Scrinium hujus nostræ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ adscripta, ejus excellentia secum portavit. Sed in gestis Secundi Stephani Papæ leguntur, patrimonia esse beati Petri *Ravenna*, *Ariminum*, *Pensaurum*, *Conca*, *Fanum*, *Cæsena*, *Xenogallia*, *Esis*, *Forum Populi*, *Forum Livii*, & *Castrum Subsubium*, *Mons Feretri*, *Acereagio*, *Mons Lucati*, *Serra*, *Castellum Sancti Martini*, *Bobium*, *Orbinum*, *Callis*, *Luciolis*, *Egubium*, *Comiadum*, & *Civitas Narnia*, & *Faventia*, & *Castrum Tiberiacum*, & *Gabelum*, & *omnis Ducatus Ferrariæ*.

„ *Johannis VII. Papæ* temporibus, *Aripertus Rex Langobardorum* donationem Patrimonii Alpium Cotiarum, quæ longa per tempora a jure Ecclesiæ privata fuerat, ac ab eadem gente detinebatur, in literis aureis exaratam, juri proprio beati Apostolorum Principis Petri reformavit.

„ *Zacharias Pontifex* accepit a *Constantino Principe* donationem in scriptis perpetuo jure de duabus Massis, quæ Nymphas & Normias appellantur, quæ juris publici erant. [B] Hujus temporibus Theodorus filius Megisti Catacsci, dedit beato Petro Apostolo patrimonium suum, situm quinto milliario ab hac Romana Urbe, Viâ Tiburtinâ, quod Domus Culta Sanctæ Cæciliæ dicitur. Sic constituit aliam Domum cultam quartodecimo milliario ab Urbe Roma, patrimonio Tusciæ, obligans eamdem perpetuo usui Romanæ Ecclesiæ, & Domum cultam, Lauretum & Massam Fontismanam, quæ dicitur Paonaria, & Massas, quæ vocantur Ancius & Formias, beato Petro acquisivit.

„ Item Adrianus constituit Domos cultas quatuor, unam quæ dicitur Capracorum, territorio Vigentanu, milliario ab Urbe Roma plus vel minus quintodecimo, in usu [C] centum pauperum Lateranensis Palatii; & Galeriam in Via Aurelia, milliario plus minus decimo ab Urbe ad Sanctam Rufinam; & Calvisianum in Via Ardeatina, milliario ab Urbe plus minus quintodecimo; & aliam Galeriam, cum omnibus eis pertinentibus in usum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Idem acquisivit beato Petro Massam Aratianam sitam ab Urbe milliario sextodecimo Viâ Ardeatinâ, in qua Ecclesia beati Edisti esse dignoscitur, qualiter etiam & Massam Acutianam, quæ juxta eamdem esse videtur; nec non etiam Massam, in qua est Ecclesia Sancti Leuci, posita Viâ Flamineâ, milliario ab Urbe Roma plus minus quinto. Et quamvis [D] supra monstratum sit, & adhuc in sequentibus demonstretur, quosdam Ducatus & Marchias ex integro patrimonio beati Petri esse, placet tamen ostendere quædam loca intra præfatos Ducatus & Marchias & Principatus, immo etiam in diversis Regnis sita, veluti beati Petri patrimonia, diversis temporibus a diversis Pontificibus Romanis locata. Igitur *Casinense Monasterium* beati Patris Benedicti, nullius ditioni vel juri subditum, *habet tuitionem ab Apostolica Sede*, a cujus Pontifice Zacharia per Petronacem virum Dei restauratum est, eversionis suæ centesimo vigesimo anno, Dominicæ Incarnationis DCCXX. Habet privilegia suæ tuitionis a [E] Romanis Pontificibus, & Zacharia. Item *Monasteria Sublacense*, & *Salvatoris apud Rete*, & *Farfense*, *juris beati Petri sunt*, quoniam in ejus patrimonio & territorio,

„ ut in sequentibus legitur, sita sunt.
„ Hæc itaque, quæ sequuntur, sumta sunt „ ex Tomis Lateranensis Bibliothecæ. Et quoniam quædam propria nomina Patrimoniorum in eisdem Tomis, alia ex toto, alia ex parte, nimiâ vetustate corrupta sunt, in „ loco proprii nominis, quod ex toto vel ex „ parte nullatenus legi potuit, appositum est „ Theta, de quo Poëta dicit:

„ *O multum ante alias infelix litera Theta!*

„ Itaque in eo Tomo, ubi præscriptus est *Papa Johannes*, itemque in alio charticio Tomo invento in Chartulario juxta Palladium, „ in quo præscriptus est *Papa Gregorius*, leguntur *Patrimonia esse beati Petri Apostoli*, „ ab eodem locata. Idest *Monasterium beati Petri* in integro, cum mercato suo, situm „ *intra Civitatem Lucensem* in loco, qui vocatur Cortina, cum *Curte, quæ dicitur Valentina, vel Bientina*, seu ceteris Curtibus, „ cum casis, casalibus, vineis, terris, pratis, „ silvis, pascuis, cultis, & incultis, mobilibus vel immobilibus, seseque moventibus, „ servis, & ancillis, aldiis, aldionibus, angararibus, mandaritiis, colonis, & colonabus, „ ibidem residentibus, vel cum omnibus suprascripto Monasterio generaliter pertinentibus. „ Præstant *sub pensione XIII. auri Solidos Lucanos, una Denarios IX. & Vestita flamesirica IV. cum guindegis suis*. Nec non & „ *Curtem* in integro, *quæ dicitur Cartinianum*, „ positam territorio Lucensi & Wulternensi, „ cum omnibus ad eam pertinentibus, ut præmissum est de Monasterio Lucensi. *Præstat XVIII. auri Solidos Lucanos, ana Denarios IX.*
„ Item *Monasterium Salvatoris* cum Curte „ sua in eodem territorio positâ, in loco qui „ dicitur Vicoalais, cum omnibus suis pertinentibus, ut præmissum est de Monasterio „ Lucensi. *Præstat auri Solidos Lucanos L. ana Denarios IX.* Et cum Curte in integro, „ quæ dicitur Rapida, sita in territorio Pisano, „ loco qui dicitur Ecclesia Sancti Rufini, cum „ omnibus sibi pertinentibus, ut præmissum est „ de Monasterio Lucensi. Necnon & *Curtem* „ aliam, *quæ dicitur Cicerana*, cum Ecclesia „ Sancti Andreæ, cum omnibus ad eam pertinentibus, ut præmissum est de Monasterio „ Lucensi. *Præstat auri Solidos Lucanos V. ana Denarios IX.*
„ Itemque *Monasterium Pecuma* integre, & „ alia sita in *territorio Lucano*, & Silicano loco, qui dicitur Cordenne, & Castello Novo, „ cum omnibus eis pertinentibus, ut præmissum est de Monasterio Lucensi. *Præstat auri Solidos Lucanos II.* Item *Curtis*, *quæ dicitur Burrianum* in territorio Rosellano, cum „ omnibus sibi pertinentibus, ut prædictum „ est de Monasterio Lucensi. *Præstat auri Solidos Lucanos XV. ana Denarios IX.* Et duas „ *Curtes*, quæ vocantur *Piscaria & Flatianum* „ cum Cajo suo, qui dicitur Tertius, una cum „ *Monasterio Sanctæ Juliæ*. Necnon & *Villamagna*, & *Fossa*, quæ vocatur Flexu, cum „ omnibus sibi pertinentibus: positæ sunt in „ præfato territorio Rosellano. *Præstant auri Solidos Lucanos X.* Item *Curtis* in integrum „ *Campaniaticum*, cum Ecclesia Sancti Justi, „ Villa quæ dicitur Castellione, cum omnibus „ sibi pertinentibus. Positæ sunt in territorio „ Rosellano. *Præstat auri Solidos Lucanos X.*

A „ Item *Monasterium Sancti Petri in territorio Pisano*, in loco qui dicitur Vada, cum „ omnibus sibi pertinentibus. *Præstat auri Solidos Lucanos X ana Denarios IX.*
„ Item in alio Tomo, cui præscriptus est „ *Papa Benedictus*, leguntur, posita esse in „ Comitatu Lucensi, & in Comitatu Corvinio, „ & in Comitatu Rosellano. & in Comitatu „ Pisano, hæc Patrimonia beati Petri, & ab „ eodem locata: Idest Curtis, quæ dicitur Barrianum, & Saalma, & Carpanianum, cum „ Castello suo; & Curtis Vada juxta mare; „ & Punistellum; & Valentina; & Terra, „ quæ ponitur inter Arno & Armice; & Massa, quæ ponitur in Montecla, Terra, quæ „ ponitur in Policano, & Terra Alama; Terra in Bicentale, & Massæ; Terra in Salduclo; Massæ in Carara; Massæ & Terra a „ Saltopplo; Terra a Flexu; Terra a Vicosolaro; Terræ & Massæ in Strate; Terra „ in Sexto; Terra in Brancalo; Massæ & Terræ, quæ ponuntur in Θ; Terra in Dimizano; Terra in Fividaglio; Terra in Timpaniano; Terra in Decimo; Terra in Leojana; „ Terra in Pastino; Massæ in Avane; & Massæ in Rojo; & Massæ & Terra in Convalli; „ Terra & Massæ in Anclano; Terra & Massæ in Lacune; Massæ & Terra in Controni; „ sive in Casa Basciana, vel in Euliano, sive „ Ecclesia Sancti Petri in Cisarana, cum omnibus suis pertinentiis: Villamiliana & Villaariana: Villa in Bargano, seu Rosincluza: „ in Villamajore, in Bacano, in Foscana, & „ Curte in Castellione: Villa a Colle: Massæ „ Siliquano Rojana: Massæ in Caricino; Massæ in Rojo; Massæ in Casatico; Corte Cerasana cum Ecclesia Sancti Andreæ; & Curtis, quæ dicitur Vicus; & Ecclesia Sanctæ „ Rufinæ cum Curte sua; & Curtis in Piscaria in integrum; & Curtis de Campaniatico; „ Massæ & Terra in Cascania, seu in Corfine, „ seu in Petroniano; In Castello de Cursiniano; Curtis de Ursignano; Massæ, quæ dicuntur Grisomoletio, quæ ponuntur inter „ Paternum & Petrionium; in Capruniana; in „ Vipiliano; in Ba . . . . Θ; in Ceriliana; in „ Gragnio; in Ganiana; Canalia; & alia Graniana; in Icano Curtis Faloniana cum pertinentiis suis; Curtis in Coscuniana; Curtis „ in Θia; & Curtis in Lactaria, cum introitu „ & exitu earum, & cum omnibus ad omnes „ supradictas Curtes & Terras generaliter & „ in integro pertinentibus.
„ Item in quodam Tomo charticio, qui est „ in Chartulario juxta Palladium legitur, Papam Benedictum locasse *Civitatem & Comitatum Suanensem* cum Castellis & Villis, & „ cum omnibus pertinentiis suis, & *Civitatem & Comitatum Rosellensem* cum Villis & Castellis, & suis pertinentiis, & districto & „ placito, & cum omni datione, & reditu suo. „ *Præstat unaquæque Civitas LX. Solidos.*
„ Item in alio Tomo ejusdem Chartularii legitur, *Septimus Papa Bonifacius* locasse *Castellum Petram Pertusam* cum omnibus ejus „ pertinentibus, cum placito & districto eorum, & glandatico & herbatico tam de eodem Castello, quàm de Villis ad se pertinentibus. Situm est in territorio Silvæ Candidæ. *Præstat annue X. auri Solidos.*
„ Item in alio charticio Tomo Lateranensi „ legitur, *Burianum* situm in Aretino Comitatu juris Beati Petri esse, cum Castellis & „ Villis & Ecclesiis, silvis & terris, seu La-

„ cu,

„ eu , & omnibus ei pertinentibus .
„ Item in alio tomo invenitur Papa Benedi- „ ctus locasse cuidam Comiti *Ariminensem Co-* „ *mitatum* , cum omnibus pertinentiis suis , „ una cum Ecclesia Sanctæ Mariæ , quæ dici- „ tur in Turremuro : similiter Ecclesiam San- „ ctæ Mariæ in Argumino , cum Cella Sancti „ Theodori in integrum , cum omnibus suis : „ & Sanctum Georgium in integrum , qui est „ positus juxta Forum publicum , cum omni- „ bus suis : simul territorium integrum , quod „ est *Castri Conchæ* , cum suis publicaliis & „ armaniis suis infra Civitatem ipsam vel foris „ positis , quantum ad medietatem ipsius Co- „ mitatus pertinet , sicut dividitur a fluvio qui „ dicitur Folia , usque ad fluvium, qui dicitur „ Taulus , cum omnibus ad hunc pertinenti- „ bus in Comitatu Orbinensi . Plebem San- „ cti Petri , quæ dicitur in Arsicitio , & Ple- „ bem Sancti Gaudentii. *Est verò Pensio præ-* „ *dictarum Ecclesiarum LX. Solidorum* , *dena-* „ *riorum Papiensium* , exceptis Comitatibus , „ & eorum pertinentiis .

„ Item in quodam charticio Privilegio inve- „ nitur , *Nonus Leo Papa* locasse Comiti An- „ conitano præfatum *Comitatum Ariminensem*, „ & præfatas ejus Ecclesias , & *Castrum Con-* „ *cha* , & Fundum , qui dicitur Sala , qui est „ juxta Plebem Sancti Johannis , quæ dicitur „ in Rufio ,

„ Item in alio invenitur , juris beati Petri „ esse *Palatium Ariminense* , cum Capella „ Sancti Nicolai juxta posita , & Curtis de „ Campolongo cum Turri sua , & *Castrum* „ *Magnumlatum* , cum Curte & appendiciis „ suis , & Curte Aternano , & *Castrum Arci-* „ *nianum* cum Curte , & *Castrum Azma* cum „ Curte , & medietas *Castri Crucis* cum qua- „ tuor mansis , & Castrum Paternum, & quæ- „ cumque locata fuerunt a Romanis Pontifici- „ bus cuidam *Marociæ Comitissæ Ariminensi* , „ & matri eius *Sibillæ* , sicut legitur in tribus „ Chartis Armarii Lateranensis Palatii .

„ Item in alio Tomo sub *Johanne XV. Pa-* „ *pa* , Dagone Judex , & Ote Senatrix , & „ filii eorum Misica & Lambertus leguntur , „ beato Petro contulisse unam *Civitatem* in „ integrum , quæ est *Schinesghe* , cum omni- „ bus suis pertinentiis infra hos affines : sicuti „ incipit a primo latere longum mare fine Pruz- „ ze , usque in locum , qui dicitur Russe , & „ fines Russe extendente usque in Cracoa , & „ usque ad flumen Odere , recte in locum „ Alemuræ , & ab ipsa Alemura usque in Ter- „ ram Milzæ , & a fine Milzæ recte intra „ Odere , & exinde ducente juxta flumen „ Odera usque in prædictam *Civitatem Schi-* „ *nesghe* .

„ Item in alio Tomulo charticio leguntur , „ locata fuisse patrimonia Romanæ Ecclesiæ in „ *Comitatu Perusino* ; idest Massa de Fascano , „ Massa de Corgnolo, Massa de Filunci, Mas- „ sa de Puscolo , Massa Sanctæ Margaritæ , „ Massa de Agelione , Massa de Morgiania , „ Massa de Caliano , Massa Sancti Georgii , „ Massa juxta Lunam , Massa de Monte Teuzo, „ Massa sub Daano , Massa juxta Riam , Mas- „ sa Sanctæ Mariæ in Petrojo, Massa de Tau- „ lina , Massa Vinealonga , Massa Rancolfi , „ Massa de Arme , cum Castellis , Villis , sil- „ vis , Massa juxta Civitatem Perusinam , Mas- „ sa de Montealto , Massa de Mantugnana , „ Massa de Monte Passignano , Massa de An- „ cangianula ; Lacus integer cum tribus Insu- „ lis , majore, minore , Pulvensi ; Massa de „ Miliano .

„ Item in alio charticio Tomo legitur , „ *Septimus Gregorius Papa* locasse *Castrum Al-* „ *bininum* , situm *in Narniensi Comitatu* , cum „ terris , vineis , silvis , pratis , pascuis , mon- „ tibus , collibus , aquis , rivis , puteis , cum „ omnibus suis pertinentiis intus & foris , cul- „ tis , & incultis . Est autem situm inter hos „ fines : ab uno latere Rivus , qui dicitur La- „ ja : ab alio terra Peponis , suorumque con- „ sortum : a tertio latere Via Asinaria , quæ „ ducit ad Montem Mori : a quarto Criptulæ , „ & Via , quæ ducit ad Sanctum Silvestrum , „ & usque in Terram Carviseni . *Præstat an-* „ *nuatim Palatio Lateranensi in Calendis No-* „ *vembris de unaquaque domo Denarios majores* „ *quidem VI. mediocres IV. minores II.* Licet „ autem Romano Pontifici , si vult , domum „ vel Turrim in eodem Castro ædificare , & „ pro utilitate & servitio Sancti Petri ibidem „ milites ponere , quibus Oppidani debent pro „ amore Sancti Petri adjutorium in omnibus „ secundùm suum posse præbere , ita ut Oppi- „ danorum obsistentia suorum amissione mul- „ tetur . Nec licet cuiquam Romanorum Pon- „ tificum a jure beati Petri præfatum Castrum „ auferre , nec præfatum tenorem commuta- „ re . Debent verò præfati Oppidani Romano „ Pontifici omni tempore gratis expeditionem, „ colloquium , placitum , sicut mos est fide- „ lium militum .

„ Item Ecclesia sita in loco, qui dicitur Ca- „ sachis in Comitatu Θ. . . . . . in Episcopatu „ Θ , & silva & forestis , secus Duronem flu- „ vium , juris Romanæ Ecclesiæ est, data Ta- „ rentasiæ a quodam Guidone , & ejus uxore „ Adheleida , sicut legitur in alio charticio „ Tomo .

„ Item in alio charticio Tomo , cui præ- „ scriptus *Quartus Leo Papa*, *quarta pars Mo-* „ *nasterii Sancti Valeriani* , quod situm est *in* „ *Comitatu Olmello* , in Episcopatu Θ in Bur- „ go, quod dicitur in Rodicbio , & quinta „ pars de omnibus sibi pertinentibus . Debet „ præfatum Monasterium Domnum Papam su- „ scipere cum XXX. militibus , Nuntium ejus „ cum X. & totidem Caballis. *Præstat annua-* „ *tim in Pascha II. auri Solidos* .

„ Item in alio Tomo charticio , in quo scrip- „ tus est *II. Alexander Papa* , invenitur juris „ beati Petri *Monasterium Montis Magellæ* , „ cum omnibus sibi pertinentibus , idest *Mo-* „ *nasterium Sancti Pancratii* , & Sancti Cle- „ mentis , & Ecclesia Sancti Barbati , & He- „ remo Sancti Angeli & Sancti Nicolai , cum „ quarta portione de uno Portu integro , qui „ appellatur de Sancto Vito & Heremo in „ *Comitatu Pinnensi* ; & *Castra Kepalia* , & „ Ecclesia Sancti Martini , & Ecclesia Sanctæ „ Camianæ, & Ecclesia Sanctæ Justæ cum om- „ nibus suis , sita in pertinentia *Castri Casti-* „ *lionis* , & medietatem Ecclesiæ Sancti Nico- „ lai , sitæ in territorio *Castri Pharæ* , cum „ decem Massis intra dictum Castrum, seu Mo- „ lendinis , & Ecclesia Sanctæ Crucis cum „ omnibus suis . Item Ecclesia Sancti Blasii , „ & medietate Ecclesiæ Sanctæ Agathæ in „ Rocca , quæ dicitur Penna , & *Castro Fa-* „ *meclano* , & Ecclesia Sancti Angeli, & San- „ cti Petri , cum omnibus eorum pertinentiis ; „ & omnia præfata Monasterio Magellæ con- „ cessa vel concedenda .

„ Item in alio charticio Tomo legitur *San-*

„ ctus Papa *Leo IX.* subdidisse beato Petro *Monasterium* suum, situm *in Lotharingia in Episcopatu Tullensi*, consecratum in honore *Sanctæ Crucis*, & donum Abbatiæ ipsius, & consecrationem Abbatissæ. *Et posuit annuam pensionem persolvendam Sedi Apostolicæ, auream scilicet Rosam, penso duarum unciarum Romanarum*, aut factam, ut fieri solet, aut faciendam. Debet verò mitti consuetudinarie octavo die, antequam feratur a Summo Pontifice. Quæ pensio, si postposita fuerit, districte exigatur ab Abbatissa in consecratione ejus.

A

„ Item in alio charticio Tomo, & in Missali Lateranensis Palatii legitur, *Monasterium in Alamannia, quod Sinojezzes Augia dicitur*, cum omnibus sibi pertinentibus, ditioni & tuitioni Sedis Apostolicæ subditum esse. Et Abbas illius loci consecratur a Romano Pontifice cum Dalmatica & Sandaliis, interventu *Imperatoris Odonis*. *Debet pensionis nomine* in sui consecratione *Codicem Sacramentorum I. Epistolarum I. Euangeliorum I. Equos albos II.* Habet Privilegia a Romanis Pontificibus.

B

„ Item in alio legitur, *junior Agapitus* locasse *Waldum*, quod dicitur *Catillianum* cum *Castello* suo *Civitella* & Turre sua, & Ecclesia Sancti Laurentii, & vocabulo ejusdem Waldi, idest Colle Demanno, Silve de Longara, Colle de Griopta Filetri, & Terra, quæ dicitur Camisili, vel quibus aliis nominibus nuncupantur; & cum omnibus finibus eorum, & cunctis ejus adjacentiis, & Portum fluminis Tiberis, & aquam ejus usque ad dimidium Pelagi fluvii, sicut ipse Waldus designat, & omnibus ad eum pertinentibus. Positus est inter Sabinense & Utriculanum territorium inter affines ab uno latere Laja, quæ dicitur Botanu, a secundo Casale Servilianum & Paternum: a tertio confinium limitis Waldi Insulæ, a quarto per medium fluvium. *Sub pensione III. Solidorum auri*.

C

„ Item in alio *Johannes XII. Papa* locat fundum Fauriscum, situm in territorio *Utriculano* cum omnibus suis pertinentiis. *Præstat annue V. Solidos auri*.

D

„ Item in alio Tomo *Gregorius V.* locat in fundo Gabiniano, territorio *Sabinensi* terras, vineas, silvas inter affines hos: ab uno latere Silicem publicam, & pergit in Pontemfractum, inde in Stafilum antiquum, inde in Rivum de Silva Rosaria, inde in fluvium Tiberis, & Limen a Cantaro, inde in duos rivos, inde in Via, quæ est affinis de Bretiano, inde in rivum, qui decurrit inter Sporna Asina & Collem de Nigra, & dividit inter Paludem, & venit in Portum de Furella, & per ipsum alveum usque in Rivum Rosarium.

E

„ Hæc ex Tomis Patriarchii Lateranensis. *Honorius* verò *I.* in suo Registro ad Epiphanium Defensorem Tusciæ, legitur locasse *Massam Gracilianam apud Bleranam Civitatem*. Idem in eodem ad Dominicum, terras & vineas & prata foris *Portam Flamineam* usque ad Pontem Milvium, *sub annua pensione XXX. Solidorum auri*. Idem in eodem ad Valerianum, & Liberum Notarium, *Monasterium Sancti Archangeli in Clajano apud Firmanam Civitatem*. Juris beati Petri est. Idem in eodem ad Numerium Notarium, Fundum Paternum, & Gaianum, & Cepe-

„ ranum, & Paternum, & Arbatianum locasse invenitur. Idem in eodem, Gandisio Notario, & Anatolio *Magistro Militum Neapolitanam Civitatem* regendam commisit, cum omnibus sibi pertinentibus, positam *territorio Centumcellensi*.

„ Sed & *Gregorius junior* item in suo Registro locat in viginti octo annis Anatolio Tribuno fundum Meranula cum casis & vineis, & omnibus suis pertinentiis, & corpore Massæ Peltianæ, *territorio Anagnino* patrimonio. *Sub annua pensione præstat Bisant. Q. siliquas auri*. Idem in eodem, Exhilarato & Gaudioso locat, ut supra, Casale Ponderaa, Gevione, & Casale Pompejanum, Calejanum, & Fundum Fortunæ, positos territorio Foroclaudiensi, ex corpore Massæ Tusciæ. *Debet Bisant. V. auri Solid.* Idem in eodem, Constantinæ honestæ feminæ locat, ut supra, fundum Salianum cum omnibus suis pertinentiis, situm in *territorio Cæsenate* ad Montem, qui dicitur Lucati: ab uno latere situm juxta fundum Carbasianum, ab alio fundum Anianum, a tertio latere fundum, qui dicitur Gumaris, ex corpore Patrimonii Ravennatis, juris sanctæ Romanæ Ecclesiæ. *Præstat annuatim Q. L. auri Solid.* Idem in eodem, Lupicino Presbytero *duo Monasteria*, scilicet *Sancti Leonis Confessoris & Pontificis*, & *Sancti Severini*, sita intra *Castrum Montis Feretri*, cum omnibus eorum pertinentiis. Item in eodem locat Blando, ut supra, Massam Juniorum, patrimonio *Lavicano*, *sub annua pensione Bisant. auri Solid.* Idem in eodem, Eustachio Presbytero fundum Casa Cantari, & fundum Vivarium, ex corpore Massæ Silanis, & sex uncias fundi Lauretis, cum oliveto suo ex corpore præscriptæ Massæ, *præstantes pensionem Bisant. LII. auri Solid.* Sed & fundum Martianum, ex corpore Massæ Gallorum, patrimonio Lavicano, *sub annua pensione Bisant. Q. auri Solid.* In fundo Offiliano cum prato & saliceto suo, *præstantem Bisant. Q. auri siliquas*, ex corpore Massæ Nevianæ, patrimonio Appiæ. Idem in eodem, Leoni Notario, & Leontiæ jugalibus, eorumque filiis ac nepotibus, fundum Ripacæsarium, cum silvis, glandaretis, & terris sationalibus, situm Via Aurelia, milliario plus minus decimo, ex corpore suburbani patrimonii Tusciæ. *Præstat annuatim Bisant. auri siliquas*. Idem in eodem, Bonifacio Notario, seu Claudiæ jugalibus, eorumque filiis ac nepotibus Fundum Coccelanum, & Follianum ex corpore Massæ Fontejanæ, patrimonio Appiæ. *Præstant annuatim Bisant. LII. auri Solid.* Idem in eodem, eisdem fundum Gratinianum, & fundum Rosarium, cum domibus & vineis, sita ab Urbe milliario plus minus septimo, cohærente sibi ab uno latere fundo Canneolo, ab alio Casale Miliariolo, a tertio Casale Faustini, a quarto Faustini, juris Ecclesiæ Romanæ, ex corpore patrimonii suburbani Tusciæ. *Præstat annue Bisant. L. auri Solid.* Idem in eodem, Gennadio Tribuno & Luciæ, & ex eorum amplexibus filiis ac nepotibus, fundum Portianum & Leonianum, & fundum Græcorum, & Tuticianum, Viâ Clodiâ, milliario plus minus nono, ex corpore patrimonii Tusciæ. *Præstat annue Bisant. L. auri Solid.* Idem in eodem Studiosæ Tribunæ, seu Petro jugalibus, ejusdemque Petri filiis & nepotibus, fundum Serrulas, fundum Sisinia-

„ nianum, ex corpore Massæ Silanis, patrimo-
„ nio Lavicano. *Præstant annue Bisant. LI.*
„ *& dimidium auri Solid.* Idem in eodem, An-
„ næ Religiosæ, & aliis duabus personis fun-
„ dum Argenti, Verclanum, Lugeranum,
„ Collivercorum, Toleranum: *præstantes duos*
„ *auri Solidos*. Et fundum Tuci, Trasis, Se-
„ nanum, & Possessianum, *præstantes Bisant.*
„ *L. auri Solid.* ex corpore Massæ Sabinensis,
„ Viâ Tiburtinâ, milliario plus minus decimo
„ ex corpore patrimonii Tiburtini. Idem in
„ eodem, Eraclio Præposito Coquinæ Domi-
„ nicæ, fundum Casa Siri, ex corpore Massæ
„ Porculis, patrimonii Lavicani. *Præstat auri*
„ *Solidum*. Idem in eodem, Gemmulo Militi
„ fundum Manricis, fundum Maurini, fundum
„ Villanova, Viâ Prænestinâ, milliario plus
„ minus nono, ex corpore Massæ Varvarianæ,
„ patrimonii Lavicani. *Præstant Bisant. LII.*
„ *auri Solid.* Idem in eodem, Caræ Religiosæ
„ Coloniam, quæ dicitur Posinis, Viâ Latinâ,
„ milliario ab Urbe plus minus duodecimo,
„ post absidam Basilicæ Sancti Petri, intra
„ Massam Marulis. *Præstat Bisant. L. auri*
„ *Solid.* Idem in eodem, Eustachio Presbytero
„ *Monasterium Sancti Martini, situm in Sur-*
„ *rento*, cum omnibus ei pertinentibus. Idem
„ in eodem, Johanni Consuli Fossam, quæ di-
„ citur Valauicum, juxta Campum Veneris,
„ milliario ab Urbe Roma plus minus vigesi-
„ mo, ex corpore Massæ Fontejanæ, patrimo-
„ nii Appiæ. *Præstat Bisant. L. auri Solid.*
„ Idem, *Monasterium Sancti Silverii in Monte*
„ *Soracte* in perpetuum fundum Cancianum ex
„ corpore Massæ Castellianæ patrimonii Tu-
„ sciæ, *sub pensione Bisant. L. Q. siliquarum*
„ *auri*. Idem in eodem, Petro magnifico Tri-
„ buno Coloniam positam in Massa Pauli, ex
„ corpore patrimonii Appiæ. *Præstat annue*
„ *Bisant. L. Q. auri Solid.* Idem in eodem,
„ Basilio Θ. Coloniam Aluini, ex corpore
„ Massæ Ocris, patrimonio Appiæ in Aritia.
„ *Præstat annue Bisant. LI. auri Solid.* Idem
„ Georgio Presbytero fundum Crispinis & Am-
„ monetis, Viâ Lavicanâ, milliario plus mi-
„ nus XIII. ex corpore Massæ Fistis, patrimo-
„ nio Lavicano. *Præstat annue Bisant. L. auri*
„ *Solid.* Idem in eodem, Gemmulo Diacono
„ fundum Dometiorum, Viâ Ardeatinâ, mil-
„ liario plus minus nono ab Urbe Roma, ex
„ corpore suburbani patrimonii Appiæ. *Præ-*
„ *stat annue Bisant. auri siliquas*. Idem in
„ eodem, Sergiæ honestæ feminæ, fundum
„ Severianum, ex corpore Massæ Juniorum,
„ patrimonii Lavicani. *Præstat annue Bisant.*
„ *LI. auri Solid.*

„ Idem in eodem Diaconiæ Sancti Eustachii
„ in perpetuum fundum Clivis, fundum Quer-
„ quetum, & Placonianum, ex corpore Massæ
„ Calcianæ, patrimonii Lavicani. *Præstat an-*
„ *nue Bisant. LII. auri Solid.* Idem in eodem,
„ *Anastasio Comiti* fundum La Verna, ex cor-
„ pore Massæ Laurentianæ, præstantem *Bisant.*
„ *LI. Q. auri Solid.* & fundum Toranianum,
„ ex corpore Massæ Citrasensis, utraque patri-
„ monii Cajetani. *Præstant annue Bisant. V.*
„ *auri Solid.* Idem in eodem, *Theodoro Consuli*
„ in anno Vigesimo Nono *Insulam Capris*, cum
„ *Monasterio Sancti Stephani*, cum omnibus
„ sibi pertinentibus. *Præstat annue in auro qui-*
„ *dem CVIII. Vini Megaricos C.* Idem in eo-
„ dem, *Theodoro Consuli* Casale, quod dici-
„ tur Castro Malore, quod *præstat annue Bi-*
„ *sant. LII. auri Solid.*; & Casale, quod dici-

„ tur Nimfise, sita utraque infra Insulam Ca-
„ pris, patrimonii Neapolitani. *Præstat annue*
„ *QQ. auri Solid.* Idem in eodem, Matronæ
„ Religiosæ Diaconissæ, ejusque filiis ac ne-
„ potibus, *Lacum, qui dicitur Icaonia*, ex
„ corpore patrimonii Campaniæ Neapolis.
„ *Præstat annue . . . . . . auri Solid.* Idem in
„ eodem, Eustachio Presbytero fundum Lau-
„ retum, & fundum Maurorum extra Portam
„ Sancti Pancratii, Viâ Aureliâ, ex corpore
„ fundi Suburbani, patrimonii Tusciæ. *Præ-*
„ *stat annue QQ. auri Solid.* Idem in eodem,
„ Diaconiæ Sancti Eustachii in perpetuum,
„ fundum Cervinariola, fundum Cardariola:
„ *præstantes Bisant. L. auri Solid.* fundum
„ Pompilianum, fundum Paganum, fundum
„ Lamponianum, fundum Signioba, fundum
„ Pompejanum, fundum Gavianum, fundum
„ Caplanum, fundum Veranum, fundum Ca-
„ lecijanum, fundum Constantianum, fundum
„ Camareilis, cum Casalibus & appendiciis
„ suis. *Præstant Bisant. LII. auri Solid.* Fun-
„ dum Larincias, fundum Pavianum, fundum
„ Lamponianum, *Bisant. L. auri Solid. præ-*
„ *stantes*; fundum Constantianum, *præstans*
„ *Bisant. dimidium auri Siliquas*; fundum Ric-
„ cujanum, *præstantem Bisant. dimidium auri*
„ *Siliquas*. Et Casale Torianum, fundum Ser-
„ vilianum, fundum Natianum, fundum Ru-
„ scellis, fundum Silicella, fundum Gregoria-
„ num, fundum Casamontis, fundum Gaja-
„ num, *præstantes Bisant. LI. auri Solid.* Fun-
„ dum Saxonigro, *præstat Bisant. L. auri Si-*
„ *liquas*: omnes ex corpore Massæ Caltianæ.
„ Fundum Pigrinum, fundum Casanova, fun-
„ dum Turritanum, fundum Laganum, fun-
„ dum Calabruacanum, fundum Trivitanum,
„ *præstant Bisant. L. auri Solid.* posita in Af-
„ file, ex corpore Massæ Pontianæ, patrimo-
„ nii Lavicani. Et Massam Furianam, cum
„ fundo & Casalibus, & omnibus suis. Fun-
„ dum Pacurianum, fundum Ancurianum, fun-
„ dum Casagallorum, fundum Furanianum,
„ fundum Barbatianense, fundum Casanercia-
„ na, fundum Filianum, fundum Arcus, fun-
„ dum Patianum, fundum Scandilianum, fun-
„ dum Serenianum, fundum Casatuscis, fun-
„ dum Casalvicini, fundum Casnarellis, fun-
„ dum Casavini, fundum Casasimiana, fundum
„ Jussianum, fundum Cetinianum, fundum Ca-
„ savaleriana, fundum Pinianellum, *præstant*
„ *Bisant. V. auri Solid. & aureum unum*, ex
„ corpore Massæ Alianæ patrimonii Tiburtini
„ *præstat annue Bisant. XLII. Q. auri Solid.*
„ Idem in eodem, Theodosiæ honestæ feminæ
„ fundum Antianum cum omnibus suis, Viâ
„ Appiâ, milliario ab Urbe Roma plus minus
„ vigesimo ex corpore Massæ Nevianæ, patri-
„ monii Appiæ, *præstantem Bisant. L. auri*
„ *Solid.* Idem in eodem, *Theodosio Consuli Mo-*
„ *nasterium Sancti Pancratii*, situm extra *Ca-*
„ *strum Mesenate*, & Lacum in annis viginti
„ octo. Idem Genesiæ honestæ feminæ, fun-
„ dum Capitonianum, fundum Dostianum,
„ fundum Viricaria, fundum Tatianum, cum
„ omnibus suis etiam aquimolis, posita in Mas-
„ sa Camustis juxta campum Barbaricum, ex
„ corpore patrimonii Appiæ, *præstantes Bi-*
„ *sant. II. auri Solid. & Vini Decimatas nu-*
„ *mero LXXX.* in præsentia Missi Para-Cella-
„ rii. Idem in eodem, Cali . . Θ. honestæ fe-
„ minæ Coloniam Massæ Cilianæ, patrimonii
„ Appiæ, *præstantem Bisant. L. Q. auri So-*
„ *lid.* Idem Anualdo Tribuno fundum Casa-
„ majo-

„ majorem, & Longojejanum, ex corpore
„ patrimonii Lavicani, *territorio Prænestino*,
„ milliario ab Urbe Roma, plus minus vigesi-
„ mo uno, *præstantem Bisant. L. Q. auri So-*
„ *lid.* Idem in eodem, Mamalo fundum Funia-
„ num, Viâ Prænestinâ, milliario plus minus
„ decimoquinto, ex corpore Massæ Alianæ,
„ patrimonio Tiburtino, *præstat VIII. auri*
„ *Siliquas*. Idem in eodem, *Stephano Excon-*
„ *suli* fundum Flabis, & fundum Orrea, sita
„ quinto milliario ab Urbe Roma, Viâ Lati-
„ nâ; *præstat II. Solidos auri*. Idem in eo-
„ dem, Leontio Militi fundum Anivas, & fun-
„ dum Spatianum, sitos Viâ Numentanâ, mil-
„ liario ab Urbe Roma plus minus Undecimo:
„ *præstant Bisant. L. auri Solid.* Hæc Grego-
„ rius junior.
„ *Zacharias* verò in suo item Registro locat
„ *Philicario Comiti* Massam Pelagianam, patri-
„ monio Lavicano: *præstat Bisant. LI. auri*
„ *Solid.* Idem in eodem, Christophoro Militi
„ Massam Gallis, cum omnibus suis pertinen-
„ tiis, & fundum Digitorum, & fundum Ga-
„ biis cum Lacu, & fundum Metiorum, fun-
„ dum Barbulianum, qui & Sentianus; fun-
„ dum Lucretianum, qui & Musta; fundum
„ Lampadiorum, qui & Fornellus; fundum
„ Flavianum, qui & Casa Monachorum; fun-
„ dum Medianum, fundum Formicis, fundum
„ Aurefilis, sitos in Bursano, territorio Gabi-
„ nate, ex corpore patrimonii Lavicani. *Præ-*
„ *stant Bisant. LIII. auri Solid.* Idem in eo-
„ dem, Alphio Militi fundum Familicanum
„ in anno vigesimo nono, ex corpore Massæ
„ Appianæ, patrimonio Lavicano. *Præstat*
„ *Bisant. auri Siliquas*. Idem in eodem, Theo-
„ doro Notario Casale Casula, & Testianum:
„ *præstat Bisant. L. auri Solid.* & fundum Te-
„ ranellum; *præstat Bisant. QQ. auri Siliquas*;
„ & fundum Quadrantula; *præstat Bisant. Q.*
„ *auri Siliquas*, ex corpore Massæ Talassaro-
„ tis; & fundum Amphiteanorum, ex corpo-
„ re Massæ Piranæ, *præstat Bisant. L. auri*
„ *Solid.* Et campum positum in Scauriis, *præ-*
„ *stat Bisant. Q. auri Siliquas*: omnia ex cor-
„ pore patrimonii Cajetani: *præstant omnia*
„ *Bisant. LII. auri Solid.* Idem in eodem, Isi-
„ doro fundum Sororum, & fundum Virorum,
„ Viâ Lavicanâ, milliario plus minus XIV.
„ *Præstat Bisant. LI. auri Solid.* Idem in eo-
„ dem, Urso fundum Ananiulas, cum appen-
„ dice suo Cucunulo, qui est Corcorulum &
„ Tabernale, posita in *Civitate Tiburtina*, ex
„ corpore Massæ Intramuranæ, patrimonii Ti-
„ burtini. *Præstat Bisant. LI. auri Solid.* Hæc
„ Zacharias.
„ *Septimus* verò *Papa Gregorius* in sexto Li-
„ bro sui Registri dicit, *Castrum, quod dici-*
„ *tur Moriciccia*, beati Petri esse, situm in
„ *Ducatu Spoletano*, inter Muricem & Clari-
„ gnanum, in Plebe de Luzano, ex redditio-
„ ne Gisleri, sub usufructu vitæ suæ, & filii
„ sui, & legitimorum filiorum ejus. Item ex
„ primo Libro ejusdem, Cap. LXVI. *Croscien-*
„ *sis Ecclesia in Episcopatu Sistoricensi in Co-*
„ *mitatu Folcaterii*, beati Petri esse. Idem in
„ eodem, Cap. LXVII. legitur *Beatus Ægidius*
„ juri beati Petri subdidisse *Monasterium* suum,
„ & Abbatis ejus consecrationem. Item in eo-
„ dem, Libro secundo, Cap. XV. legitur,
„ *Monasterium Pultariense in Burgundia in*
„ *Episcopatu Lingonicensi*, juris beati Petri esse.
„ *Præstat XII. Denarios*. Item ex Libro Sep-
„ timo, Cap. LXX. legitur, *Beatus Giraldus*

A „ *Monasterium* suum situm in *Provincia* in
„ loco, qui dicitur *Aureliacus*, beato Petro
„ tradidisse, *sub annua pensione X. Solidorum*.
„ Item ex eodem, Cap. LXXV. *Monasterium*
„ *Salvatoris in Suevia*, in *Episcopatu Constan-*
„ *tiæ* in Villa, quæ dicitur Scaphusa, *solvit*
„ *annuatim Aureos XX.* quorum XX. unciam
„ faciunt. Item ex Octavo Libro, Cap. XXIX.
„ *Monasterium*, quod dicitur *Mons Major*, si-
„ tum in *Avernia*, & *Monasterium Sanctæ Ma-*
„ *riæ de Crassa*, in *Episcopatu Narbonæ*, juris
„ beati Petri leguntur, & commissa sub tutela
„ Abbatis Massiliæ, qui regulariter promove-
„ tur. Item ex eodem, Cap. XXX. Ecclesia
„ Sancti Petri in *Episcopatu Pictaviensi* in Vil-
B „ la Mascarans, a suis conditoribus Romanæ
„ Ecclesiæ tradita est; *& unaquæque domus*
„ *ejusdem Villæ solvit annuatim VII. Dena-*
„ *rios Pictavienses*.
„ *Alexander Episcopus servus servorum Dei,*
„ *Suevi Regi Danorum*. Inter cetera. *Quapro-*
„ *pter prudentiam tuam admonemus, ut Censum*
„ *Regni tui, quem antecessores tui sanctæ Apo-*
„ *stolicæ Ecclesiæ persolvere soliti sunt, nobis*
„ *& Successoribus nostris transmittere studeat,*
„ *ita tamen, ut non sicut oblatio super Altare*
„ *ponatur, sed ut supra diximus, tam nobis,*
„ *quàm Successoribus nostris, ut certius appro-*
„ *betur, præsentialiter offeratur*. Idem *Guil-*
„ *lelmo Regi Anglorum* inter cetera: *Novit*
C „ *prudentia tua, Anglorum Regnum, ex quo*
„ *nomen Christi ibi clarificatum est, sub Apo-*
„ *stolorum Principis manu & tutela extitisse,*
„ *donec quidam membra mali capitis effecti, ze-*
„ *lantes superbiam patris sui Sathanæ, pactum*
„ *Dei abjecerunt, & Anglorum Populum a via*
„ *veritatis averterunt*. Et paulo post: *Nam*
„ *ut bene nosti, donec Angli fideles erant, piæ*
„ *devotionis respectu, ad cognitionem Religio-*
„ *nis, annualem Pensionem Apostolicæ Sedi ex-*
„ *hibebant, ex qua pars Romano Pontifici, pars*
„ *Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, quæ vocatur Schola*
„ *Anglorum, in usum fratrum deferebatur*.
„ Gregorius VII. eidem Willelmo inter cetera:
„ *Rebus verò Sancti Petri, quæ in Anglia col-*
D „ *liguntur, sicut tuis, invigilare monemus, sic*
„ *liberalitati tuæ, ut tua committimus, ut piam*
„ *ac propitium debitorem Petrum reperias, &*
„ *eum tibi ex debito subvenire admoneas*. In
„ eodem Registro Alexandri, *Raimundus Wil-*
„ *lielmi Comes Urgellensis* obtulit Beato Petro
„ in præfato Comitatu duo *Castra*. Unum di-
„ citur *Laboriola*, & alterum *Saltewol*, *sub*
„ *pensione IV. unciarum auri*, eâ conditione,
„ ut posteri ejusdem Comitis accipiant de ma-
„ nu Pontificis præfata Castella, & ab eodem
„ anathemate feriantur, quicumque ab eisdem
„ eadem auferre tentaverint. Hujus autem an-
„ nuæ Pensionis exactor & Beati Petri actiona-
„ rius est *Abbas Monasterii Sancti Pontii*, quod
E „ est juris Beati Petri, situm in *Diœcesi Nar-*
„ *bonensi*.
„ Ex Registro Gregorii VII. Papæ Lib. 8.
„ Cap. 23. *Gregorius Episcopus*, servus servo-
„ rum Dei, dilectis filiis nostris *Petro Alba-*
„ *nensi Episcopo*, & *Gisulpho Principi Salerni-*
„ *tano*, *Legatis nostræ Sedis Apostolicæ in Gal-*
„ *lias*. Inter cetera: *Dicendum est omnibus Gal-*
„ *lis, & per veram obedientiam præcipiendum,*
„ *ut unaquæque domus saltem unum Denarium*
„ *annuatim solvat Beato Petro, si eum reco-*
„ *gnoscunt patrem & pastorem suum more an-*
„ *tiquo. Nam Karolus Imperator, sicut legi-*
„ *tur in Tomo ejus, qui in Archivo Ecclesiæ*
„ *Beati*

„ *Beati Petri habetur, in tribus locis annuatim colligebat mille & ducentas Libras ad servitium Apostolicæ Sedis: idest Aquisgrani, apud Podium Sanctæ Mariæ, & apud Sanctum Ægidium, excepto hoc, quod unusquisque propriâ devotione offerebat. Idem verò magnus Imperator Saxoniam obtulit Beato Petro, cujus eam devicit adjutorio, & posuit signum devotionis & libertatis, sicut ipsi Saxones habent scriptum, & prudentes illorum satis sciunt.* Item ex Registro eodem, Lib. 2. Cap. 13. *Gregorius Episcopus Salomoni Regi Hungarorum.* Inter cetera: *Sicut a majoribus patriæ tuæ cognoscere potes, Regnum Hungariæ, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ proprium est, a Rege Stephano olim Beato Petro cum omni jure & potestate sua oblatum, & devote traditum. Præterea Henricus piæ memoriæ Imperator, ad honorem Sancti Petri illud expugnans; victoriâ adeptâ, ad Corpus Beati Petri, Lanceam & Coronam Regis transmisit, & pro gloria triumphi sui illuc Regis direxit insignia, quo principatum ejus dignitatis attinere cognovit. Quæ quum ita sint, tu tamen jus & honorem Sancti Petri, quantum in te est, minuisti, dum ejus Regnum a Rege Theutonicorum in beneficium, sicut audivimus, accepisti. Quod si verum est, qualiter gratiam Beati Petri, aut nostram benivolentiam habere debeas, tu ipse justitiam attendis. Non ignoras videlicet, te non eam habiturum, nec sine Apostolica animadversione diu regnaturum, nisi sceptrum Regni, quod tenes, correcto errore tuo, Apostolicæ, non autem Regiæ, majestatis beneficium recognoscas. Neque enim nos timore, vel amore, vel aliqua personali acceptione, quantum Deo adjuvante poterimus, debitum honorem ejus, cujus servi sumus, irrequisitum relinquemus. Verùm si hoc emendare, & vitam tuam, ut Regem decet, instituere Deo miserante volueris, procul dubio dilectionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sicut dilectus filius, & nostram in Christo amicitiam plene habebis.* Idem in eodem, ad Geusam Hungariæ Regem, Cap. 63. inter cetera: *Notum verò tibi esse credimus, Regnum Hungariæ, sicut & alia nobilissima Regna, in propriæ libertatis statu debere esse, & nulli Regi alterius Regni subjici, nisi sanctæ & universali matri Romanæ Ecclesiæ, quæ subjectos non habet ut servos, sed ut filios. Quod quia consanguineus tuus a Rege Theutonico, non a Romano Pontifice usurpative obtinuit, dominium ejus, ut credimus, divinum judicium impedivit.* Idem in eodem ad eumdem, Cap. 70. inter cetera: *Verùm ubi contemto nobili dominio Beati Petri Apostolorum Principis, cujus Regnum esse, prudentiam tuam non latet, Rex subdidit se Theutonico Regi, & Reguli nomen obtinuit. Dominus autem injuriam suo illatam Principi Petro videns, potestatem Regni suo ad te judicio transtulit. Et ita consanguineus tuus sicut in obediendo Regno juris . . . . . habuit, a se sacrilegâ usurpatione privavit. Petrus enim a firma petra dicitur, quæ portas Inferi confringit, atque adamantino rigore destruit & dissipat, quidquid obsistit.*

„ Idem in eodem, *Demetrio Regi Russorum, & Reginæ uxori ejus* inter cetera Cap. 75. *Filius vester, Limina Apostolorum visitans, ad nos venit. Et quod Regnum illud dono Sancti Petri per manus nostras vellet obti-* A *nere, eidem Beato Petro Apostolorum Principi debita fidelitate exhibita, devotis precibus postulavit: indubitanter asserens, illam suam petitionem vestro consensu ratam fore ac stabilem, si Apostolicæ auctoritatis gratiâ ac munimine donaretur. Cujus petitionibus, quia justæ videbantur, tum ex vestro consensu, tunc ex donatione poscentis, tamdem assensum præbuimus, & Regni vestri gubernacula ex parte Beati Petri illi tradidimus, eâ videlicet intentione caritatis, ut Beatus Petrus vos & Regnum vestrum sua apud Dominum intercessione custodiat.*

„ Item *quod Regnum Hispaniæ juris Beati Petri sit*, cognoscitur ex Registro ejusdem B VII. Gregorii, Primo Libro, Cap. 7. & item ex Quarto Libro Cap. 28. quod ita se habet: *Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, Regibus, Comitibus, ceterisque Principibus Hispaniæ.* Inter cetera: *Præterea notum vobis fieri volumus, quod nobis quidem tacere non est liberum, vobis autem ad præsentem & ad futuram gloriam valde necessarium; videlicet Regnum Hispaniæ ex antiquis constitutionibus Beato Petro, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ in jus & proprietatem traditum esse: quod nimium hactenus & præteritorum temporum incommoda, & Antecessorum nostrorum tacuit negligentia. Nam postquam Regnum illud a Saracenis pervasum est, & servitium,* C *quod Beato Petro inde solebat fieri, propter infidelitatem eorum & tyrannidem detentum, ab usu nostrorum tot annis interceptum est, pariter etiam rerum & proprietatis memoria dilabi cœpit. Verùm quia divina Clementia, concessâ vobis in hostes illos, semperque concedendâ victoriâ, Terram in manus vestras tradidit, ulterius vos causam hanc ignorare nolumus, ne quod supernus Arbiter legum, ac justitiæ conditor, de recuperanda justitia, & honore Beati Petri, ejusque sanctæ & Apostolicæ Sedis gloriæ vestræ ad benemerendum contulit, aut nobis ex taciturnitate in negligentiæ culpam, aut vobis ex ignorantia, quod absit, ad detrimentum propositæ & di-* D *vinitus oblatæ retributionis obveniat* &c.

„ Ex Synodo habita in Dalmatia a Legatis VII. Papæ Gregorii, scilicet a *Gebizone tunc Monasterii Sanctorum Bonifacii & Alexii Abbate, nunc verò Cæsenate Episcopo*, nec non & a *Folcuino Forosempronii Episcopo*, quæ Synodus habetur in Archivo sacri Palatii Lateranensis, in qua de Regno & de Rege Dalmatiæ ita inter cetera legitur: *De Censibus, sive tributo CC. Bisantiorum, quos debet Rex Croatiæ atque Dalmatiæ*, & fidelitate Ecclesiæ Romanæ præstita ab eodem. *In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Anno Dominicæ Incarnationis MLXXVI. Indictione XIV. Mense Octobri. Ego Demetrius* E *qui & Sumimir nuncupor, Dei gratiâ Croatiæ Dalmatiæque Dux, a te Domne Gebizo ex Apostolicæ Sedis legatione, Domni nostri Papæ Gregorii potestatem obtinens, in Salonitana Basilica Sancti Petri, Synodali & concordi totius Cleri & Populi electione, de Croatorum, Dalmatinorumque Regni regimine per vexillum, ensem, sceptrum, & Coronam investitus atque constitutus Rex, tibi devoveo, spondeo, & polliceor, me incommutabiliter completurum omnia, quæ mihi tua reverenda injungit sanctitas. Videlicet, ut in omnibus & per omnia Apostolicæ Sedi fidem observem, & quidquid hoc in Regno*

A „ *tam Apostolica Sedes, quàm sui Legati sanxerunt, aut sanxerint, irrevincibiliter custodiam, justitiam excolam, Ecclesias defendam; primitiæ, decimæ, omniumque ad Ecclesias pertinentium, procurator existam; vitæ Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorumque, ut caste, & regulariter vivant, provideam: pauperes, viduas, atque pupillos protegam; parentelæ illicitam copulam destruens, legitimam dotem anulo, Sacerdotisque benedictione constituam, & constitutam corrumpi non permittam; hominum venditionem contradicam; atque in omnibus, quæ ad rectitudinis statum congruunt, Deo auctore, me æquum exhibeam. Ducentorum quoque Bizantiorum Tributum, meorum omnium consultu Primatuum, Sancto Petro per*

B „ *singulos annos in Resurrectione Domini, de mihi concesso Regno persolvendos statuo; & ut post me regnaturi, hoc idem perpetuò servent, censeo, corroboro, atque sancio. Dono insuper, concedo, atque confirmo Apostolicæ Sedi, Sancti Gregorii Monasterium, cui Urana est vocabulum, cum omni suo thesauro, scilicet cum capsa argentea, reliquias sacri Corporis ejusdem Beati Gregorii continente, cum duabus Crucibus, cum Calice & Patena, cum duabus coronis aureis, gemmis ornatis, cum Euangeliorum textu de argento, cumque omnibus suis mobilibus & immobilibus bonis: ut Sancti Petri Legatis semper sit ad hospi-*

C „ *tium, & omnino in potestate eorum. Hoc tamen interposito tenore, ut nulli alii potestati detur, sed omni tempore Sancti Petri sit proprium, & a me, meisque Successoribus defensum, atque ab omni homine liberum & securum. Cujuscumque autem audacia temerario ausu præfatum Monasterium ex assignato thesauro privaverit, terribilem illam Judicis vocem, quam Diabolus cum suis Angelis auditurus est, audiat. Præterea, quum Deo servire regnare sit, vice Beati Petri, & Domni nostri Papæ Gregorii, atque post se sessurorum in Apostolica Sede, me tuis manibus committo, & committendo, hanc fidelitatem sacramento stabilio. Ego, inquam, Deme-*

D „ *trius, qui & Sumimir, Dei gratiâ & Apostolicæ Sedis dono Rex, ab hac hora in antea Sancto Petro, & Domno meo Gregorio Papæ, suisque Successoribus canonice intrantibus ero fidelis; & ut ipse, sive post eum futuri Pontifices, sive Legati eorum vitam aut membra perdant, aut capiantur, neque in consilio, neque in facto ero; & consilium, quod mihi crediderint, ad illorum damnum scienter nulli intimabo. Regnum autem, quod mihi per manum tuam, Donne Gebizo, traditur, fideliter retinebo, & illud, suumque jus Apostolicæ Sedi aliquo ingenio aliquando non subtraham. Domnum meum Papam Gregorium,*

E „ *& suos Successores, atque Legatos, si in meam potestatem venerint, honorifice suscipiam, & honeste tractabo, & remittam, & undecumque me invitaverint, pro ut potero, eis simpliciterque serviam.*

„ Item in quodam Tomulo Lateranensi inter cetera *Spicionerus Dux Bœmiæ* accepit licentiam *a Papa Nicolao*, sibi portandi mithram, *& promisit se daturum omni anno C. Libras argenti de Terra sua, nomine Census.* „ Ex Regesto Gregorii Papæ VII. Lib. 8. Cap. 27. legitur, quod *de singulis domibus Regni Francorum unus Denarius pro Censu Beati Petri persolvebatur antiquitus. Gregorius, servus servorum Dei, dilectis filiis nostris P. Albanensi Episcopo, & G. Principi Salernitano Legatis nostræ Apostolicæque Sedis in Gallias, salutem & Apostolicam benedictionem. Vobis commissa negotia non latent; etiam vos ita ac si nos, quia nostra in vobis præsentia est, cuncta digne peragite. Dicendum est autem omnibus Gallis, & per veram obedientiam præcipiendum, ut unaquæque Domus saltem unum Denarium annuatim solvant Beato Petro, si eum recognoscunt patrem & pastorem suum, more antiquo. Nam Imperator Carolus* &c. ut supra jam descriptum fuit.

Nihil tamen uberius indicare possit, qui olim forent *Census* Romanæ Ecclesiæ debiti, quàm Liber a *Cencio Camerario* hac ipsa de re scriptus. Hunc manu exaratum adservari in Vaticana Bibliotheca, antea indicarunt Annalium Ecclesiasticorum Scriptores Baronius & Raynaldus, qui etiam in usum suum ejus Codicis monumenta sæpe verterunt. Ibi verò præcipue curavit Cencius, ut describerentur quicumque Census tempestate suâ deberentur Lateranensi Palatio, spatiis quoque vacuis identidem relictis, ne posteris locus deesset adjiciendi, quos tempus adferre posset: id quod reapse factum est. In eumdem autem Codicem conjecta fuere ab ipso atque a successoribus varia Instrumenta, ad res potissimùm Cameræ Pontificiæ pertinentia, & Sæculo XII. & XIII. fere omnia scripta. Quis autem *Cencius* fuerit, & quando floruerit, nunc aperiendum. Monuit jampridem prælaudatus Cardinalis Baronius, Scriptorem hunc Anno Christi MCXCI. in vivis fuisse, & quæ sub oculis suis contigerant de coronatione Henrici Regis VI. Imperatoris V. literis consignasse. Et sane ita ille se inscribit in Præfatione ad Librum Censuum: *Ego Cencius quondam felicis recordationis Clementis Papæ III. NUNC verò Domini Cælestini Papæ III. Camerarius, Sanctæ Mariæ Majoris Urbis Canonicus.* Heic nulla dignitatis Cardinalitiæ mentio: ac proinde intelligere possumus, Censuum Librum jussu ipsius Cencii, tunc tantummodo Camerarii (hoc est, ut vulgo ajunt, *Camerlengo*) Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, scriptum fuisse Anno MCXCI. aut MCXCII. Nam subsequente Anno MCXCIII. Cencium ipsum albo sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium additum invenio. Testem profero Chartam ex illius Codice excerptam, in qua is appellatur *Centius Dei gratia Sanctæ Luciæ in Silice Diaconus Cardinalis, & Domini Papæ Camerarius.*

Chartula

Chartula refutationis Petri Latronis, atque Nepotis Domno Cælestino Papæ III. factæ, Anno 1193.

IN nomine Domini. *Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Centesimo Nonagesimo Tertio, & Anno III. Pontificatus* Domini Cælestini III. Papæ, *Indictione XI. Mense Julii. Nos quidem Petrus Latro filius quondam Petri Latronis, pro medietate subscriptæ rei, & ego Johannes Nicolai Mariæ Johannis, adjunctus Curator Oddoni filio dudum Oddonis Petri Latronis, cujus Domina Lucina avia & tutrix est, a manibus Johannis Donadei Judicis datus ad agendum, & solutionem debitorum faciendum, & ad credita recipienda, sicut per Instrumentum Inventarii, manu Leonis Scriniarii conscriptum, apparet; pro ipso Minore, & pro altera medietate inferioris rei, ambo simul & pariter in præsentia Dominorum Judicum, Johannis Saxonis Archarii, & Henrici Dativi, & per eorum auctoritatem atque decretum, quantum ad dictum Minorem pertinet, propriâ nostra voluntate renuntiamus, & jure transactionis in omnibus & per omnia generaliter refutamus vobis* Domino Centio, *Dei gratiâ*, Sanctæ Luciæ in Silice Diacono Cardinali, & Domini Papæ Camerario, *mandato quoque, & procuratori in hac causa specialiter constituto præfati Domini Cælestini, Dei gratiâ summi & universalis III. Papæ, & ad opus & utilitatem ejusque Successorum perpetuo: idest omnes illas ducentas Libras Denariorum Papiensium, quas quondam* Dominus Innocentius Papa *Petro Latroni, avo mei Petri Latronis, & proavo dicti Minoris debuisse dignoscitur; pro quibus &* Castrum Saxi, Civitatem Veterem, Gobitam, & Casale, quod dicitur Vulgare, *in pignus concessit, & in beneficium dedit, sicut per Privilegium prædicti Domini Papæ Innocentii apparet; quod etiam pariter per Privilegium, quod mihi Petro & Oddoni fratri meo, patri olim dicti Minoris*, Dominus Papa Alexander III. *ad ejus instar, & in eumdem modum, innovandi animo fecit, nihilominus comparet: in quo nobis pro eisdem ducentis Libris Denariorum Papiensium dicta Castra obligavit, & in beneficium dedit, præter* Civitatem Veterem, *quam tunc refutavimus. Quæ verò Privilegia amodo in omnibus infringimus & cassamus, ita quod nullius penitus momenti habeantur. Necnon refutamus vobis, ut dictum est, omnes illas quinquaginta Libras Proveniensium, quas in alia manu prælibatus Dominus Papa Alexander nobis debuit, prout in suo Privilegio nunc usque comparuit, quod pariter infringimus & cassamus, & prædictum beneficium Castrorum penitus refutamus. Quodcumque itaque jus, & quamcumque actionem personalem & in rem, sive hypothecariam adversùs prælibatum Dominum Papam Cœlestinum, & in ejus possessionibus & bonis, & specialiter in dictis Castris & Casali nobis obligatis, & in beneficiis datis tam jure vel occasione beneficii, quàm etiam respectu obligationis, & totius præfixæ pecuniæ & ejus fructuum vel accessionum habemus, vel habere quoquo modo possemus, etiam undecumque & quomodocumque usque modo cujuslibet causa vel rei occasione, adversùs Dominum Papam Cælestinum, & in dictis Castris, & aliis bonis suis quærere vel litigare possemus, vobis pro eo, & suis Successoribus, ut dictum est, procuratorio nomine, in omnibus & per omnia generaliter jure transactionis refutamus. Pro eo quod vos pro dicto Domino Papa, cujus Procurator estis, & ex ejus pecunia pro omni jure nostro mihi Petro Latroni centum Uncias boni auri de Rege solvitis causâ transactionis, & mihi Johanni Nicolai pro dicto Minore prædicto jure transactionis, & decreto prædictorum Judicum alias centum auri uncias datis & solvitis, quas omnes pro ipso Minore, & eorumdem Judicum decreto, pro paterno debito ipsius Minoris solvo filiis quondam Domini Stephani Normanni, qui partem ejusdem Minoris* Castri Cereris *intus & de foris nunc usque sub usuris pignori habuerunt, sicut per instrumentum, manu Johannis Kalo Scriniarii scriptum, usque modo apparuit, quod mihi incisum reddiderunt. Propterea ego Johannes Nicolai pro dicto Minore, & ego Petrus Latro, ex ipsis ducentis auri unciis, & ex omni jure nostro, & ipsius Minoris, quietos bene vocamus, & non solutæ pecuniæ exceptionem refutamus. Et quia diu inter nos, & dictum Dominum Papam Cælestinum & prædecessores ejus non solùm ex prædicto beneficio Castrorum, verùm etiam ex universa prælibata pecunia nomine impensarum concessa lis vel altercatio exstitit nonnullis quæstionibus innodata, talem nobis dictus Dominus Papa exceptionem proponebat, dicens, beneficium dantis vel accipientis morte finiri, & dictam pecuniam totam vel partem esse nobis solutam, multis allegationibus asserentes; nos tamen non aliis probationibus, sed per prædicta Privilegia nostram intentionem fundare nitebamur. Tamdem Dominorum Cardinalium, & aliorum prudentum virorum partibus intervenientibus, placabili pacto ad hanc transactionem pervenimus, quum tam majori quàm minori de re dubia & lite incerta posse transigere a legibus permittatur. Ideoque amodo prædictus Dominus Papa & Successores ejus ex hac causa quieti semper & pacifici maneant. Insuper etiam promittimus, hoc nostrum jus, scilicet mei Petri, & dicti Minoris, totum vel partem nemini concessum, vel aliter alienatum habere. Et specialiter ego Petrus promitto, si prædictus impubes vel alter ejus respectu, vel pro eo aliquo in tempore contra hanc refutationem venire præsumserit, eum quiescere faciam. Si noluero, vel non potuero, & damnum aliquod ejus occasione dictus Dominus Papa & ejus Successores passi fuerint, tam ex hoc quàm ex concessione vel alienatione prædicti juris nostri facta, si apparuerit, quod absit, quanti utriusque causæ damni exstiterit, tantum auctoritate propria, & sine offensa juris, & alicujus Curiæ proclamatione, in meis rebus & possessionibus rusticis & urbanis eis placentibus jure pignoris vendicent, & eis plenarie satisfaciant. Et si contradicere voluero, a jure, quod in eisdem bonis habeo, cadam, & tantumdem pro pœna præstare tenear. Et huic promissioni sciens me legibus adjuvari, eo quod pro Minore intercedo, illud scilicet juris vel legum auxilium, &* omne

omne aliud , quod pro me in hac causa omnino introductum est , omnino refuto . Præterea ego dictus Petrus Latro , & Præfatus Johannes Nicolai pro dicto Minore in omnibus prædictis Capitulis refutamus omne jus & omnem exceptionem , qua uti possemus quoquo modo ad infringenda , quæ dicta sunt omnia . Novissime autem ego Petrus Latro pro me & meis heredibus & successoribus , & ego Johannes Nicolai pro dicto Minore , & ejus heredibus & successoribus , officio , quo fungor, vobis pro dicto Domino Papa , & ejus Successoribus , ut dictum est , procuratorio nomine , hanc refutationem , & omnia , quæ denotantur , superius observare , defendere , & adimplere promittimus , sub pœna supradictarum ducentarum unciarum auri duplarum , & solutâ pœnâ hæc Chartula nihilominus in sua maneat firmitate . Quam scribere rogavi Johannem Leonis Scriniarium in Mense & Indictione supradicta .

Dominus Johannes Guidonis de Papa , testis,
Dominus Tostus Petri Desvossalvet , testis.
Petrus de Centio , Domini Papæ Uscerius , testis .
Paulus Malagromus , Domini Papæ Uscerius , testis .
Petrus Roberti , similiter Uscerius , testis .
Clemens Uscerius , testis .
Ego Johannes Leonis , sanctæ Romanæ Ecclesiæ Scriniarius , habens potestatem dandi tutores , & curatores , emancipandi etiam , decretum interponendi , & alimenta decernendi , complevi & absolvi .

A Anno quoque MCXCV. iisdem muneribus fungebatur Cencius: cujus rei fidem nobis faciet Inscriptio in æreis Portis Basilicæ Lateranensis existens , a Torrigio memorata in Lib. *Le Grotte Vaticane*, Part 2. Cap. 2. videlicet.

INCARNATIONIS DOMINICÆ
ANNO MCXCV.
PONTIFICATVS VERO (*) VI.
CENCIO CAMERARIO
MINISTRANTE
HOC OPVS FACTVM EST.

Alteram Inscriptionem Romæ positam

B ANNO V. CELESTINI III. PP.
CENCIO CARDIN. S. LVCIE
EJVSDEM DNI PAPE CAMERARIO
JVBENTE .

refert Johannes Severanus in Lib. Memor. Sacr. pag. 535 Spectat illa ad Annum Christi MCXCIV. Hisce monumentis addo alia duo Instrumenta ad Civitatem Castellanam pertinentia , quam Hadrianus IV. Papa pignori olim dederat Johanni Caparroni . Ibi quoque Cencii ipsius mentio occurrit . Hæc accipe , qualia leguntur in eodem Cencii Codice MSto.

Chartula refutationis filiæ Johannis Caparronis super Civitate Castellana, Anno 1195.

IN nomine Domini . Amen . Anno ejusdem Incarnationis Millesimo Centesimo Nonagesimo Quincto , Indictione XIII. Mensis Januarii die XX. temporibus Domini Cælestini summi Pontificis , & universalis Papæ III. *Ego quidem Sophia filia olim Johannis Caparronis , hac die præsenti , propria mea bona voluntate , nulla fraude , vel dolo inducta , nec vi etiam coacta , refuto , renuntio atque remitto sanctæ Romanæ Ecclesiæ , & Domno Cælestino summo Pontifici , & tibi Domno Presbytero Simeoni , constituto a Cardinalibus , scilicet* Domno Centhio Camerario Domini Papæ , & Diacono Cardinali Sanctæ Luciæ , & Domno Cencio Cardinali Sancti Laurentii in Lucina , Domno & Magistro Fidancio Cardinali Sancti Marcelli , *super hac causa Procuratori, omne jus , & omnem actionem sive rationem vel etiam petitionem, quamcumque usque modo habui, vel habere potui , sive putavi quocumque modo adversùs Romanam Ecclesiam , vel etiam in pignoribus , a dicta Ecclesia patri meo Johanni Caparronis constitutis, scilicet in* Civitate Castellana *intus & foris , & in ejus Comitatu , & in Julianello , & Montalto , & generaliter ubicumque de ipsis pignoribus aliquid esse invenitur , nullâ mihi amplius in toto illo pignore reservatâ conditione , propterea quia fratribus meis bene solutum esse profiteor totum debitum , propter quod prædicta bona patri meo fuerunt obligata . Et de omnibus , quæ ex illa pecunia , vel ex illo debito ad me pervenire debuerunt , sive ex successione paterna , sive ex patris testamento , vel*

C *quocumque alio modo , me bene quietam voco, & exceptioni non numeratæ pecuniæ inde renuntio. Præterea promitto tibi Domno Presbytero Simeoni legitime stipulanti coram subscriptis testibus, me dictum jus , scilicet de jam dicto pignore , nulli personæ vendidisse , neque donasse , vel ullo etiam alio modo alienasse . Et hoc ita verum esse , & dictam refutationem seu remissionem semper ratam habere , & nullo modo contra venire vel per me , vel per ullam submissam personam , firmiter promitto , & per sancta Dei Euangelia corporaliter manu propriâ juro, renuntiatis super jam dictis omnibus, omni juris seu consuetudinis beneficio. Quæ omnia si plene firmiterque non observarem , vel si in*
D *aliquo contra hujus paginæ tenorem aliquando venire tentarem , tunc post reatum perjurii , una cum meis heredibus , tibi Presbytero Simeoni procuratorio nomine pro Ecclesia Romana , & omnibus , quibus pro ipsa Ecclesia quocumque modo petitio competeret, ante omne litis initium, quatuor Libras optimi auri solvere nomine pœnæ promitto , & pœnâ solutâ hæc Chartula firma & incorrupta permaneat . Quam scribere rogavimus Fulconem Judicem , in Mense & Indictione suprascripta .*

✠✠ *Signum manus dictorum Presbyteri Simeonis , & Dominæ Sophiæ , hujus Chartulæ rogatum .*

✠ *Domnus Johannes Petri, Romanæ Curiæ*
E *Subdiaconus .*

✠ *Domnus* R. Electus Civitatis Castellanæ.

✠ *Presbyter Benencasa :*

✠ *Ma-*

(*) Adde *Cælestini III. PP. Quarto*, aut *Quinto*.

✠ *Magister Guido:*
✠ *Magister Orrigo majoris Ecclesiæ Canonici dictæ Civitatis.*
✠ *Rainerius Petri Radulfi:*
✠ *Johannes Malavolta:*

A

✠ *Johannes Landulfi:*
✠ *Anastasius, Castellanæ Civitatis Milites.*
Fulco divinâ gratiâ Romanæ Ecclesiæ Judex & Notarius, hanc paginam scripsit, & absolvit.

Chartula refutationis factæ a filiis Johannis Caparronis super facto Civitatis Castellanæ, Anno 1195.

IN *nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Centesimo Nonagesimo Quinto, & Anno IV. Pontificatus* Domini Cælestini III. Papæ, *Indictione X:II. Mense Junio, die XI.; Nos quidem Milo & Rainuccius germani fratres, filii quondam Johannis Caparronis, scilicet ego Rainuccius una cum dicto Milone fratre & Curatore meo, in hoc mihi a manibus Dominorum Judicum dato, videlicet Saffonis Primicherii, Oddonis Johannis Pazzi Secundicherii, & Johannis Saissonis Arcarii, atque Petri Romani de Scriniario, & Petri Pauli Rubei, Dativorum, in eorumdem præsentia, & per eorum auctoritatem atque decretum quantùm ad me Rainuccium pertinet, in præsentia etiam Advocatorum Domni Petri de Judice & Pauli Consulini, ac testium subscriptorum; in præsentia quoque Dominorum Cardinalium, videlicet* Domni Cencii titulo Sancti Laurentii in Lucina Presbyteri Cardinalis, *& Domni Fidancii Presbyteri Cardinalis titulo Sancti Marcelli; propria nostra voluntate renuntiamus, & generaliter refutamus vobis* Domno Centhio *Dei gratiâ* Ecclesiæ Sanctæ Luciæ in Silice Diacono Cardinali, & Domini Papæ Camerario, *mandato quoque & procuratori prædicti Domini Cælestini, ad opus & utilitatem ejus, ejusque Successorum, ac totius Romanæ Ecclesiæ perpetuo; idest omnes illas Centum viginti quinque Marcas boni argenti, quas nobis nunc usque Romana Ecclesia, & specialiter prædictus Dominus Papa debuit, pro quibus prælibato olim patri nostro, & aliis suis consortibus quondam* Dominus Papa Adrianus IV. *obligavit, & jure pignoris tradidit* Civitatem Castellanam *& universum Comitatum ejus, atque Montemaltum, sicut per Privilegium ipsius Domini Papæ Adriani apparet, quod, quantùm ad nos pertinet, cassum amodo & inutile sit, & nullius momenti penitus habeatur. Quodcumque itaque jus, & quamcumque actionem personalem & in rem, sive hypothecariam, adversùs Romanam Ecclesiam, & specialiter adversùs dictum Dominum Papam Cælestinum, & in omni patrimonio Ecclesiæ Romanæ, & specialiter in prædictis pignoribus nobis hactenus obligatis tam jure vel occasione præfixæ sortis nobis competentis, quàm etiam lucri, usurarum, fructuum, vel accessionum ejus, & pœnæ & omnis caussæ habemus, vel habere quoquo modo possemus, vobis, ut dictum est, pro dicto Domino Papa, & suis Successoribus, procuratorio nomine generaliter in omnibus & per omnia refutamus. Et dicta pignora, quantùm ad nos pertinet, & specialiter Civitatem Castellanam, & quidquid in ea intus & foris habemus prædicto jure pignoris, deliberamus, & ab omni jugo obligationis absolvimus & relaxamus. Et restitutionem domorum, terrarum, & vinearum, aliarumque causarum, quas in dicta Civitate Castellana intus & de foris usque modò tam in corporibus quàm in actionibus constitutas tenuimus, quam etiam restitutionem ipsi Domino Papæ per ejus subditos jam fecimus, in omnibus & per* A *omnia confirmamus. Præterea cedimus & mandamus vobis pro dicto Domino Papa & suis Successoribus, ut dictum est, procuratorio nomine, omne jus & omnem actionem personalem & in rem, tam etiam ad agendum, quàm excipiendum, quod, quamve in omnibus prædictis pignoribus habemus, & adversùs quamcumque personam eorumdem respectu habere quoquo modo possemus. Ita ut quidquid usque modo nostro jure & nomine agere vel excipere possemus, vos amodo nomine & jure prædicti Domini Papæ agatis, & excipiatis, & ut utili & directa possitis actione intendere, vos in re prædicti Domini Papæ procuratorem facimus. Hanc autem refutationem, & quæ dicta sunt omnia vobis, ut dictum est, facimus pro eo, quod vos* B *pro ipso Domino Papa, & ex suo argento, ut dictum est, procuratorio nomine, mihi Miloni pro medietate, & mihi Rainuccio, & dicto fratri & curatori meo pro me pro altera medietate, decreto prædictorum Judicum, quantum ad portionem mei Rainuccii pertinet, redditis, datis, atque persolvitis prælibatas Centum viginti quinque Marcas argenti. De quibus omnibus, & de omni nostro jure sortis, fructuum & usurarum, & omnis caussæ, nos bene quietos vocamus, & non solutæ pecuniæ vel argenti exceptionem omnino refutamus. De quibus etiam Viginti Libras Lucensium Sophiæ Sorori nostræ solvimus, quas ex hoc argento Pater* C *olim noster in suo testamento dudum dari præcepit. Ideoque amodo dictus Dominus Papa & tota Romana Ecclesia quiete semper & pacifice ex hac causa permaneat. Ad hæc autem promittimus vobis, ut dictum est, procuratorio nomine, si aliquo in tempore per dictam Sororem nostram, vel per ejus successores vel heredes, vel per aliam quamlibet personam, seu etiam per obligationem, concessionem, vel alienationem a dicto olim Patre nostro, vel a nobis factam, ex hac causa prædictus Dominus Papa, & Successores ejus, vel Ecclesia Romana damnum aliquod patiatur, quanti erit damnum, tantum in nostris bonis eis placentibus sine juris offensa & alicujus Curiæ proclamatione, jure* D *pignoris auctoritate propria vendicent. Et si contradicere voluerimus, a jure, quod in eisdem bonis habebimus, cadamus, & ipsum damnum duplum emendare teneamur. Pro quo damno si acciderit, & subscripta pœna, si inciderimus, omnia nostra bona, quæ habemus ubilibet, & habebimus, vobis pro dicto Domino Papa & suis Successoribus obligamus, & pro nobis & nostris heredibus & successoribus precario possidemus a dicto Domino Papa & Successoribus. Item tactis sacrosanctis Evangeliis juramus & promittimus, nullo umquam in tempore plus vel majorem summam petere ipsi Domino Papæ & suis successoribus, vel Ecclesiæ Romanæ; & hanc refutationem, & quæ dicta sunt omnia observa-* E *re, & contra ea neque ratione deceptionis, neque minoris ætatis, quantùm ad me Rainuccium pertinet, nec aliter ullo modo venire. Et specialiter ego Rainuccius juro, ex quo legitimam vigin-*

vigintiquinque annorum ætatem habuero, confirmare, si a dicto Domino Papa, & suis Successoribus excitatus ero. Novissime autem tam pro nobis, quàn pro nostris heredibus & Successoribus, vobis pro dicto Domino Papa & suis successoribus & tota Romana Ecclesia hanc refutationem, & quæ dicta sunt, omnia observare & adimplere promittimus sub dicto juramento, & sub pœna supradicti argenti summæ duplá: & solutá pœná hæc Chartula firma permaneat. Quam scribere rogamus Johannem Leonis Scriniarium in Mense & Indictione suprascripta XIII.

Petrus Sarracenus Domini Papæ Senescalcus, testis.

Petrus Sarracenus Johannis Scriniarii, testis.

Bartholomæus de Verulis, testis.

Johannes Gregorii, testis.

Bellushomo, testis.

Ego Johannes Leonis, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Scriniarius, habens potestatem dandi tutores & curatores, emancipandi, decretum interponendi, & alimeta decernendi, complevi & absolvi.

A Ex his autem Chartis elucet, eodem quoque tempore floruisse alterum *Cencium Cardinalem S. Laurentii in Lucina*, qui heic a Cencio nostro diversitate nominis distinguitur. Anno autem MCXCVIII. sub Innocentio III. occurrit mihi *Frater Richardus Domini Papæ Camerarius*. Tum Anno MCCIV. *Octavianus Dei gratiâ Domini Papæ Innocentii III. consobrinus & Camerarius*. Ac deinde Anno MCCVIII. & MCCXV. *Stephanus Domini Papæ Camerarius*. Ergo Cencius noster Camerarii munus ante Annum MCXCVIII. deposuerat. Et ille quidem Anno MCCVIII. ad gradum Presbyterorum Cardinalium ascendisse deprehenditur, atque assumsisse titulum *Sanctorum Johannis &* B *Pauli*. Tabulas in promtu habeo, in quibus mentio occurrit *Cinthii titulo Sancti Laurentii in Lucina, & Cinthii titulo Sanctorum Johannis & Pauli*. Postremus hic idem mihi creditur, atque is, cui *Librum Censuum* debemus. Chartam ipsam prodere juvat nondum editam, ex ejusdem Cencii Codice depromtam, utpote profuturam ad illustrandam Cardinalium seriem, atque ipsam eorum temporum Historiam.

Instrumentum de fidelitate præstita Domino Papæ a Comite Riccardo de Sora, Anno 1208.

IN *nomine Domini. Anno Incarnationis ejusdem Millesimo Ducentesimo Octavo, Pontificatus verò* Domini Innocentii III. Papæ *Anno XI. Indictione XI. mense Octobri, die VI. Acta publica, si literarum memoriæ tradita fuerint, nube oblivionis remotá, prosperâ inspectione clarescunt. Quapropter ego Johannes de Sancto Laurentio, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Scriniarius, mandato & præcepto Domini Innocentii III. Papæ, juramentum præstitum eidem Domino Papæ, Successoribus suis, & Ecclesiæ Romanæ, in Palatio Episcopi Ferentini, a* Comite Riccardo de Sora, *sicut vidi, audivi & interfui, publicis literis scribere curavi.* Comes Riccardus de Sora *juravit fidelitatem, & fecit ligium homagium Domino Papæ Innocentio, Successoribus suis, & Ecclesiæ Romanæ, in præsentia* Dominorum Johannis Albanensis, Johannis Sabinensis, Nicolai Tusculani, Hugonis Ostiensis, Episcoporum, Cinthii titulo Sancti Laurentii in Lucina, Cinthii titulo Sanctorum Johannis & Pauli, Benedicti titulo Sanctæ Susannæ, Rogerii titulo Sanctæ Anastasiæ, Petri titulo Sanctæ Pudentianæ, Presbyterorum Cardinalium, & Johannis Sancte Mariæ in Cosmedin, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cancellarii, Johannis Sanctæ Mariæ in Vialata, Pelagii Sanctæ Luciæ in Septem Solis, Diaconorum Cardinalium, *Raynaldi Domini Papæ Acolythi, & Laicorum subscriptorum: Pro Polo, & alia Terra, quæ olim fuit Oddonis de Polo, quam ipse tenet; eo salvo, quod si aliqua persona pro dicta Terra Comiti præfato movere voluerit quæstionem, ipse Comes teneatur ei in Curia Ecclesiæ Romanæ justitiæ plenitudinem exhibere. Ceterum de* Castro Vallis Montonis, *de* Sacco, *de* Plumbinaria, *juravit facere guerram & pacem contra omnes homines ad mandatum eorum, & ad hoc hæredes & successores suos in perpetuum obligavit. De* Comitatu *verò* Sorano *juravit similiter facere guerram & pacem de mandato ipsorum, salva fidelitate, & salvo mandato Regis Siciliæ. Et*

C *idem Dominus Papa investivit dictum Comitem per cuppam argenteam deauratam. Præsentibus & consentientibus & approbantibus omnibus præscriptis Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Cardinalibus, & injungentibus mihi Scriniario, ut hujusmodi juramentum publicis literis exararem.*

Hi interfuerunt in Palatio Ferentini, coram Domino Papa, Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Cardinalibus: Dominus Loterius, Dominus Stephanus Tobaldi, Dominus Romanus de Baroncho, nobiles Cives Romani, Dominus Lando de Montelongo, Dominus Lando de Colle de Mende, Dominus Guido de Colle de Mendo, Benedictus de Aversa, & alii.

D *Ego Johannes de Sancto Laurentio, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Scriniarius, sicut vidi, audivi & interfui, scripsi, complevi & absolvi.*

Atque hactenus *Cencium* seu *Centhium*, seu etiam *Cinthium* Cardinalem sanctæ Romanæ Ecclesiæ vidimus. Nunc addendum est, eumdem Anno MCCXVI. Romanum Pontificem fuisse renuntiatum, atque Ecclesiæ Dei præfuisse sub nomine *Honorii Tertii*. Id Abbas Urspergensis Auctor synchronus testatur, atque aliis monumentis evincit Raynaldus in Annalibus Ecclesiasticis. En ergo quàm egregius, summeque venerandus vir fuerit *Cencius*, seu *Centius*, aut *Cintius*, Auctor Libri Censuum, E nunc a me evulgandi. Et eum quidem lubentissime ab Eruditis excipiendum spero. Ibi enim *Episcopatus* omnes descriptos habemus, quos Sæculo XIII. Occidentalis Ecclesia numerabat. Ibi *Monasteriorum* & *Ecclesiarum* ingens copia occurrit, ibi diversa pecuniæ genera; ibi quæ Cœnobia & Ecclesiæ immunitate olim fruerentur, unique Apostolicæ Sedi subessent. Exciderunt ex his multa; desiere quoque Census non pauci, quorum omnium complexio non tenuem Romanæ Ecclesiæ proventum olim pariebat. Sed & hæc omnia nosse, ad Eruditionis Ecclesiasticæ augmentum spectat. Cum

hisce

hisce componere poteris Bullam Nicolai IV. Papæ, editam a Clariss. Monachis Benedictinis Martene & Durand, in Tom. 2. pag. 1301. Veter. Scriptor. Collect. ubi recensentur Census Romanæ Ecclesiæ persolvendi Anno MCCXC. ab Ecclesiis & Monasteriis Gallicis. Unum tantummodo dissimulandum non est, scilicet A Cencii Libro addita quædam subinde fuisse a Successoribus Camerariis; ac propterea minime mirere si in pauca Monasteria occurras, Sæculo dumtaxat XIII. fundata. Horum additamentum nihil officit fidei Codicis, quo sum usus, neque dubium facit primum ac germanum hujus Catalogi Auctorem.

Incipit Liber Censuum Romanæ Ecclesiæ, a Centio Camerario compositus, secundùm antiquorum patrum (*) Regesta & memorialia diversa, Anno Incarnationis Dominicæ MCXCII. Pontificatus Cælestini Papæ III. Anno II.

Ecclesiæ Romanæ Censuum Opus jam retroacto tempore a quibusdam aliis ordinatum, cur reordinare opus fuerit & necesse, ego Centius, quond. *felicis recordationis* Clementis Papæ III. nunc *verò* Domini Cælestini Papæ III. Camerarius, Sanctæ Mariæ Majoris Urbis Canonicus, *breviter & aperte respondeo. Quum felicis memoriæ* Eugenius *primo, &* Adrianus Papa *Successor ipsius, & quidam alii deinde quædam memorialia, semiplena tamen, nec authentice scripta, seu ordinata in scriptis de Censibus redegissent, & posteri sive Successores eorum per memorialia ipsa, quæ Ecclesiæ, vel Monasteria, Hospitalia, seu Domus Eleemosynariæ (quod ferme idem esse dignoscitur) quæ etiam Civitates, Castella, Villæ, vel Domus speciales, seu qui Reges, aut Principes in jus & proprietatem Beati Petri & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ persistentes, Censuales essent, vel quantum deberent persolvere, instrui plenarie non valerent: eadem Romana Ecclesia detrimentum incurrebat non medicum & jacturam. Id utique comperiens & videns, me de facili posse remedium huic damno præstare, recognoscens etiam personam meam, a Sancta Romana Ecclesia primis a cunabulis educatam, promotam in omnibus & creatam, vigilanti atque vehementi meditatione motus, Census ipsos, sicut in Tomis chartiсiniis, & voluminibus Regestorum antiquorum Pontificum Romanæ Ecclesiæ & modernorum, & aliorum Librorum quorumdam, seu memorialium veracium inveni, etsi non omnes producens in medium, certis Regnis, Provinciis, Episcopatibus, atque Locis a præmissis tamen Patribus sanctis primitus constitutos, in quantum facultas permisit, ut inferius annotabitur, insignivi. Novos Census, qui meo tempore in Romana fuerunt Ecclesia constituti, vel amodo statuentur, in hoc Volumine studiose depingens, ex hoc Successoribus meis præstans materiam universis, qualiter de cetero usque ad exitum Mundi Census illos, qui suis de novo temporibus statuentur, in eodem Volumine, sufficientibus, ut æstimo, spatiis adaptato, sicut ego per dilectissimum meum Willelmum Rofio Sancti Johannis Angeliacensis de Pictavia Clericum, ejusdem Cameræ, ac Cancellariæ Domini Papæ Scriptorem feci conscribi, & ipsi faciant adnotari. Ut si quandoque (quod sæpe contingit) a quibus debentur Census ipsi, per proprios Nuntios ad Apostolicam Sedem non fuerint destinati, ille qui Romanæ Ecclesiæ tunc* B *temporis Pontifex præerit, postquam per Camerarium suum, qui Census recipit, ipsi innotuerit, quod a talibus Censum habuit, & a talibus non recepit, propriis nominibus computatis, ab illis, qui non persolverunt, sine dubitationis scrupulo per suum Legatum, vel Nuntium Census ipsos repetere valeat, seu per quemlibet alium ad hoc specialiter destinatum. Quædam enim in tantum a Sancta Romana Ecclesia sunt remotæ, quod eandem annis singulis possunt nullatenus visitare. Ab Urbe igitur, tamquam a capite Mundi, exordium assumamus, & septem Episcopatibus adjacentibus ipsi.*

In Civitate Romana. *Ecclesia Sancti Ægidii juxta Portam Auream*, unam Unciam Ma- C lequinorum *singulis annis*.

Ecclesia Sancti Michaëlis juxta Palatiolum, duos Solidos Lucensis monetæ, *sicut apparet ex Privilegio* Domini Cœlestini Papæ III. *Anno ejus I.*

Ecclesia S. Basilii, duas Saumas Piscium. *Una in Quadragesimali tempore, alia in quolibet alio tempore.*

Quicumque tenebant Turrim, quæ est in capite Pontis Judæorum, secundùm antiquitatem, unum Marabotinum *solvebant Ecclesiæ Romanæ.*

Ecclesia Sancti Abba Ciri, unum Marabotinum.

Ecclesia Lateranensis, pro terris, vineis, D *& molendinis de Lacu, debet* octo rubba grani, *&* octo de hordeo, *&* tres Saumas musti.

In Episcopatu Ostiensi. *Homines ejusdem Civitatis in festo Nativitatis Domini & Paschæ*, duas plactatas lignorum.

Ecclesia Sancti Andreæ in Silice pro Ecclesia Sancti Jacobi de Teto, unum Marabotinum.

In Episcopatu Portuensi *Petrus Latro* duos Marabotinos *pro Castro Chere.*

Sciendum est, quod Episcopus Portuensis debet habere in die Lunæ post Pascha par Chirothecarum, *cum quibus cantat Missam: & nullus in Transtiberim, nisi Summus Pontifex,* E *consecrare Ecclesias, aut benedicere potest.*

In Episcopatu Albanensi. *Ecclesia Sancti Donati de maritimis* unum Marabotinum.

Hospitale de Cantaro, unam Libram ceræ.

In Episcopatu Prænestino.

In

(*) *antiquorum Patrum*. Ex iis fuit, ut opinor, *Anastasius in Dei nomine Consul, & Magister Censi Urbis Romæ*. Is enim ita subscriptionem suam apposuit actui commutationis Fundi Pionis, quam Nicolaus Episcopus & Abbas Monasterii Sancti Erasini fecit cum Tiberio Primicerio Sedis Apostolicæ sub Pontificatu Leonis III. Papæ, & Lotharii Magni Imperatoris, hoc est Sæculo Christi Nono, quemadmodum legitur in Catalogo documentorum Sublacensis Monasterii, quem in hoc Opere evulgavi.

In Episcopatu Sabinensi. *Oratorium Sancti Petri in territorio Campagnano*, unam Libram ceræ.

In Tusculano *Episcopatu*. *Oddo de Columna pro Castro Sancti Cæsarii*, XV. Solidos Lucenses.

In Tiburtino Episcopatu. *Ecclesia Sancti Thomæ de Monticello*, unam Libram ceræ.

Ecclesia Sancti Cosmæ de Vicovario, duas Libras ceræ.

In Reatino *Episcopatu*.

Campania, *Terra Domini Papæ*. *In* Signino *Episcopatu*. (*) *Monasterium de Rossillo*, unum Obulum Massemutinum *pro Ecclesia Sancti Simeonis*, *quam ei concessit* Dominus Honorius III. Papa, *Pontificatus ejus Anno V*.

In Episcopatu Anagnino. *Episcopus ipse in unoquoque festo Coronationis Domini Papæ debet* LX. brachia panni, & CC Scutellas.

Homines de Antialo, L. Scapulas porcinas, & Solidos XX. & L. Placentas *in festo Nativitatis*.

Dominus Raynaldus Maximi de. . . . . *Nepos Domini Alexandri Papæ IV. pro omnibus reditibus & proventibus*, *ceterisque juribus & bonis*, *quæ a Romana Ecclesia obtinet in Castro de Trebis*, *debet* unum Obulum aureum *in festo omnium Sanctorum prædictæ Romanæ Ecclesiæ annuatim*.

In Episcopatu Ferentinate. *Episcopus ipse* CC. Scutellas, & LX. brachia panni.

In Episcopatu Alatrino. *Episcopus ipse* CC. Scutellas, & LX. brachia panni.

In Episcopatu Verulano. *Ipse Episcopus debet* LX brachia panni, & CC. Scutellas, & XX. Solidos *per annum*.

Ecclesia Sancti Petri de Caneto, C. Scutellas, & C. brachia panni.

In Terracinensi Episcopatu. *Magister*, & *Fratres Domus Leprosorum S. Mariæ Magdalenæ de Terracina*, XII. Denarios Senatus, *pro medietate cujusdam molendini*.

In Episcopatu Sorano.

In Episcopatu Fundano.

In Episcopatu Gajetano.

In Episcopatu Marsicano.

In Episcopatu Reatino.

Sicilia. *Tempore*, *quo* Robertus Viscardus *ultramontanus cepit Regnum Siciliæ*, *juravit dare*, *tactis sacrosanctis Euangeliis*, *pro se & suis heredibus*, Domino Nicolao Papæ, & *suis Successoribus*, *pro unoquoque jugo boum*, XII. Denarios Papiensis monetæ. *Processu verò temporis*, *dum* Papa Innocentius *iret Gallutium*, Rogerius *tunc* Rex Siciliæ *constituit ipsi dare annualiter pro Apulia & Calabria*, DC. Squifatos. *Postmodum verò* Willielmus Rex *ejus filius*, *pro Marsia*, *quam occupaverat tempore ipsius Innocentii Papæ*, *superaddidit* CCCC. Squifatos *tempore* Adriani, *quando ipsi fecit hominium*, & *fidelitatem apud Beneventum*.

Willielmus Secundus Rex Siciliæ *constituit Monasterium Beatæ Mariæ juxta Panormum*, *Anno XVII. Pontificatus* Alexandri Papæ III. & *subjecit illud Romanæ Ecclesiæ*, sub annua pensione C. Tarenorum.

In Archiepiscopatu Panormitano.

In Episcopatu Agrigentino.

In Mazerensi *Episcopatu*.

In Episcopatu Milevitano.

In Archiepiscopatu Montis Regalis.

In Episcopatu Syracusano. *Domus Hospitalis Sancti Raynerii*, unum Bizantium.

In Episcopatu Cataniensi.

In Archiepiscopatu Messanensi.

In Episcopatu Cephalonensi.

In Episcopatu Patensi.

In Episcopatu Sancti Marci, *qui est Domini Papæ*. *Monasterium Sanctæ Mariæ de Mattina*, unam unciam auri.

Episcopus ipse unam unciam auri *pro Ecclesia Sancti Marci*.

Hi sunt Episcopatus Domini Papæ inter Siciliam & Calabriam.

In Episcopatu Miletensi, *qui est Domini Papæ*; *Monasterium Sanctæ Trinitatis*, unam unciam auri.

Ecclesia Sanctæ Mariæ de Mileto unam unciam auri.

In Calabria. *In Archiepiscopatu* Regino. *Ecclesia Sanctæ Mariæ de Balnearia*, II. uncias auri.

In Episcopatu Cassanensi. *Ecclesia Sanctæ Mariæ de Camillano*, II. Squifatos.

Ecclesia Sanctæ Mariæ de Sanctalejo, *vel de Aquaformosa*, unum Massemutinum.

In Episcopatu Neucastrensi. *Monasterium Sanctæ Euphemiæ*, unam unciam auri. *Item idem Monasterium Sanctæ Euphemiæ Ordinis Sancti Benedicti pro Casali Nuceriæ*, *posito in Diœcesi Tropiensi*, *annuatim in festo Assumtionis Beatæ Virginis*, duas uncias auri *ad pondus Regni*. *Et dictum Casale concessum fuit dicto Monasterio pro dicto Censu*, *tempore* Domini Papæ Alexandri IV. Anno I.

In Episcopatu Catacensi. *Monasterium Sancti Juliani* unam unciam auri.

In Episcopatu Crotoniensi.

In Episcopatu Tropiensi.

In Episcopatu Opiensi.

In Episcopatu Bovensi.

In Episcopatu Geratino. *Monasterium Sancti Petri de Cavea*, II. Squifatos.

In Episcopatu Squillacensi. *Monasterium de Carra* unum Marabutinum.

In Archiepiscopatu Cusentino. *Ecclesia Sancti Joannis sita in loco*, *qui dicitur Flos*, *infra terminos Sile*, unum Marabutinum.

In Episcopatu Marturanensi.

In Archiepiscopatu Rosano, *qui nullum habet Suffraganeum*.

In Episcopatu Bisignianensi, *qui est Domini Papæ*.

(*) Unum ex additamentis a recentiori quopiam alio Camerario seu Scriptore adjunctum.

Papæ. *Monasterium Sanctæ Mariæ de Sambucino*, unum Squifatum.
Ipse Episcopus unum Squifatum.
In Archiepiscopatu Sancti Severini.

In Episcopatu Ebriacensi.

In Episcopatu Stroniensi.

In Episcopatu Geneocastrensi.

In Apulia. *In Archiepiscopatu* Consano. *Monasterium Sanctæ Mariæ de Ilice*, unam unciam auri.
In Episcopatu Moranensi. *Monasterium Sancti Salvatoris de Guilieto Sancti Angeli de Lombard. Diœcess.* unum obulum aureum, *pro Ecclesia Sancti Thomæ de Plano Rubi*, *Romanæ Ecclesiæ Censuali*, *posita in Episcopatu Moranensi*.
In Episcopatu Satrianensi.

In Episcopatu Montis Viridensis.

In Episcopatu Laquedonensi.

In Archiepiscopatu Agerontino. *Hospitale ejusdem Civitatis cum Capella Sancti Lazari*, tres Solidos parvenses.
Monasterium, quod dicitur de Bonconverso, sex Solidos auri.
In Episcopatu Potentino.

In Episcopatu Tricaricensi. *Ecclesia Sanctæ Trinitatis*, unam unciam auri.
In Episcopatu Venusino. *Ecclesia Sanctæ Trinitatis*, unam unciam auri.
Ecclesia Sancti Nicolai de Morbano unum Squifatum.
In Episcopatu Gravinensi.

In Episcopatu Anglonensi. *Monasterium de Banza*, unam unciam auri.
In Archiepiscopatu Tarentino. *Ipse Archiepiscopus pro Ecclesia Sanctæ Mariæ*, duas uncias auri.
Monasterium Sanctæ Mariæ de Gualesio, unam Libram ceræ, & unam libram thuris.
In Episcopatu Mutulensi.

In Episcopatu Castellano.

In Archiepiscopatu Brundusino, & Oritano. *Ipse Archiepiscopus*, II. uncias auri.
Ecclesia Sanctæ Mariæ de Parvo Ponte, unam unciam auri.
Ecclesia Sancti Thomæ, *cum Hospitale a Logotheto ædificato*, unum Marabutinum.
Ecclesia Sanctæ Margaritæ de Penna de Buchio, unam unciam auri.
In Episcopatu Astunensi.

In Archiepiscopatu Idrontino. *Ecclesia Sanctæ Mariæ de Neto*, unam unciam auri.
Monasterium S. Nicolai de Casulis, unum Michalatum auri, *quod valet quinque Tarenis Regis*.
In Episcopatu Castrensi.

In Episcopatu Gallipotano. *Græcus est*.

In Episcopatu Litiensi. *Ecclesia Sancti Johannis*, dimidiam unciam auri.

(*) idest *Bitectino*.

In Episcopatu Ugentino.

In Episcopatu Leucensi.

In Archiepiscopatu Barensi. *Ecclesia Sancti Benedicti*, II. Melequinos.
In Episcopatu Bituntino. *Ecclesia S. Georgii Bituntini*, III. Solidos parvenses.
In Episcopatu Melphetano.

In Episcopatu Juvenacensi.

In Episcopatu Rubetino.

In Episcopatu Salpensi.

In Episcopatu Cantiensi.

In Episcopatu Betentino. (*)

In Episcopatu Conversano. *Abbas ejusdem Terræ*, unam unciam auri.
In Episcopatu Menervinensi.

In Episcopatu Polignanensi.

In Episcopatu Caterinensi.

In Episcopatu Lavellino.

In Episcopatu Tranensi. *Ecclesia Sanctæ Mariæ in Baroli Villa*, unum Obulum Massemutinum.
In Episcopatu Vigiliensi.

In Episcopatu Andrensi. *Monasterium Sancti Thomæ de Andria*, quartam unciam auri *ad pondus Baroli*.
Monasterium Sanctæ Mariæ de Monte, mediam unciam auri.
In Archiepiscopatu Sipontino. *Monasterium Montis Sacri*, dimidiam unciam auri.
Ecclesia Sancti Leonardi, unam unciam auri.
Ecclesia Sancti Thomæ, unam Libram olibani.
Monasterium Sancti Johannis in Lama, unam unciam auri.
Monasterium Sanctæ Mariæ de Pulzano, II. Bisancios.
Ecclesia Sanctæ Mariæ Magdalenæ, II. Libras ceræ.
Ecclesia Sanctæ Mariæ de Saxorubeo, II. Libras ceræ.
Hospitale S. Jacobi Casalis Novi, unum obulum Massemutinum.
In Episcopatu Vestano. *Monasterium de Calena*, unam unciam auri.
Ecclesia Sancti Petri de Cripta Nova, unum Aureum.
In Episcopatu Trojano, *qui est Domini Papæ*. *Monasterium Sancti Marci de Foja*, IV. Libras olibani.
Domus Misericordiæ apud Fogiam sita, unam Libram olibani.
Monasterium de Ursara, unam unciam auri.
Ecclesia Sancti Salvatoris, unam Libram ceræ, & unam de olibano,
In Episcopatu Melphiensi, *Domini Papæ similiter*; *Monasterium Vulturnense*, unam unciam auri.

Mona-

A *Monasterium S. Angeli de Bandi*, unam unciam auri.

In Episcopatu Monopolitano, *Domini Papæ similiter; Monasterium Sancti Stephani*, unam unciam auri.

In Episcopatu Rapollensi, *Domini Papæ similiter*.

In Archiepiscopatu Beneventano. *Sancta Maria de Sambuco*, II. uncias auri.

Ecclesia Sanctæ Mariæ de Monte Drogi, unum Squifatum.

Ecclesia Sancti Thomæ, III. Romanatos, & III. paria de oblatis cum candelis.

Domus Templi, IV. Romanatos.

B *Ecclesia Sancti Leonis*, III. Romanatos.

Monasterium Turris Majoris, unam unciam auri.

Monasterium Sanctæ Mariæ de Gualdo, IV. Tarenos, & unam Libram olibani.

In Episcopatu Telesino. *Monasterium Sancti Siri, situm in ipsa Civitate*, unam unciam auri.

In Episcopatu Sanctæ Agathæ. *Ipse Episcopus pro Ecclesia Sanctæ Agathæ*, unam unciam auri.

In Episcopatu Aliphiensi.

In Episcopatu Montis Marani.

C *In Episcopatu* Montis Corvini.

Monasterium Sancti Petri. Canonica Regularis Sanctæ Agathæ. Monasterium Sancti Salvatoris. Monasterium Sancti Thomæ. Monasterium Sancti Johannis in Pipia. Ecclesia Sancti Martini. Extra verò Ecclesia de Ulmineto. Canonica de Ripa Alta.

IN PLACENTIA.

Monasterium Sancti Sixti.

IN EPISCOPATU TERDONENSI.

Monasterium Sanctæ Mariæ, & Sanctæ Saraphiæ, exemtum.

IN EPISCOPATU PAPIENSI.

Monasterium Sancti Petri in Cœlo aureo. Sancti Salvatoris. Aquæ Nigræ.

IN MEDIOLANENSI DIOECESI.

Ecclesia Sancti Johannis in Modoetia. Ecclesia Sancti Ambrosii, in qua Corpus ejus jacet.

IN ITALIA NOVALIA.

Sancti Petri. Sancti Laurentii. Ultiensis. Caramania. Bremma. Sancti Benigni de Fructeriis. Ecclesia Mortariensis.

IN EPISCOPATU SEDUNENSI.

Ecclesia Mauritii cum Agaunensi.

ITEM IN LONGOBARDIA.

Bobium.

IN CIVITATE JANUENSI.

Ecclesia Sanctæ Fidis.

IN EPISCOPATU ALBIGANENSI.

Monasterium de Insula Gallinaria. Sancti Honorati Lirinensis. Massiliensis. Psalmodiensis. Montis Majoris. Sancti Ægidii. Sancti Salvatoris de Agnana. Sancti Willelmi. Sancti Petri de Mart. Monasterium Crassense. Sancti Johannis Rimpollensis. Sancti Petri Moysiacensis. Sancti Tiberii. Sancti Petri de Cordoma. Sancti Petri de Generesio.

IN EPISCOPATU RUTHENENSI.

Ecclesia Sancti Antonii solvit Censum X. Solidorum Margulienfium. *Abrense Monasterium solvit* aureum unum, *& pro Cella Sanctæ Mariæ de Condrubiat, quæ a Beato Petro ei commissa est,* X. Solidos. *Item Cella S. Petri de Monte* X. Solidos.

IN EPISCOPATU PICTAVIENSI.

Monasterium Sancti Johannis Angeliacensis. Sancti Johannis Novi. Monasterium Sancti

cti Petri Malleacensis. Fontis Eurardi. Cartosiensis.

A

IN EPISCOPATU VIENNENSI.

Ecclesia Romariensis

IN LUGDUNENSI.

Ymniacensis. Ambroniacensis.

IM MATISCONENSI.

Cluniacensis; Trenorejensis

IN LINGONENSI.

B

Pultanensis.

IN ARUENNA.

Ecclesia Sancti Juliani. Brinamensis. Sancti Flori. Celsimacensis. Altisiodorensis. Sancti Sebastiani. Moysiacensis. Casa Dei. Sancti Gildardi. Aureliatensis. Montis Ferrandi. Prioratus Silviajacensis.

IN BITURICENSI.

Monasterium Dolense, quod solvit annuatim unciam auri. *In eadem provincia Albiensis Ecclesia, solvit annuatim* II. Bisantios. *In eodem Episcopatu Castrense Monasterium, & Scuriense Castrum, quod solvit Censum* X. Solidorum.

C

IN LEMOVICENSI EPISCOPATU.

Ecclesia Sancti Martialis.

IN HISPANIA.

Monasterium Sancti Facundi. Sancti Servandi Toletani.

IN BISUNTINO EPISCOPATU.

D

Monasterium Luxoviense. Monasterium Litturense, quod solvit X. Solidos Basiliensis monetæ.

IN EDUENSI.

Monasterium Verzeliacense. Sancti Leonardi.

IN ANTISIODORENSI.

Monasterium Sancti Germani, & S. Petri.

IN NIVERNENSI.

E

Prioratus de Caritate.

IN AURELIANENSI.

Monasterium Sancti Benedicti supra Ligerim.

IN FLANDRIA.

Sanctæ Mariæ in Valentiana. Sancti Bertini, & Sancti Petri in Gant.

IN AMBIANENSI.

Monasterium Corbiense. Sancti Ricarii, & Sancti Valerici. Abbatis Villa.

IN TORNACENSI.

Sancti Amandi.

IN CARNOTENSI.

Monasterium Vindocireinense.

IN TURONENSI.

Majus Monasterium. Sancti Martini; Belluslocus. Canonica Sancti Martini, in qua Corpus ejus quiescit.

IN ANDEGAVENSI.

Sancti Florentii. Salmuriensis.

IN REDONENSI.

Sancti Melanii.

IN SUESSIONENSI.

Sancti Medardi.

IN REMENSI.

Sancti Nicolai de Silva Luitz......

IN PARISIENSI.

Sancti Dionysii. Sanctæ Genovefæ. Sanctæ Mariæ in Chela.

IN NORMANNIA.

Beccense. Fiscanense. Monasterium Sancti Michaëlis. Sancti W*andresilii.*

IN ANGLIA.

Sancti Petri de W*estmonasterio. Sancti Albani. Sancti Augustini.*

IN LEODIENSI.

Ecclesia Sancti Petri de Foron, quæ solvit Bisantium unum.

IN TULLENSI EPISCOPATU.

Monasterium Romaricense.

IN EPISCOPATU BASILIENSI.

W*hfernebeim, & Sancta Crux, quod solvit* Rosam auream duarum unciarum Romanarum. *Ocmareseu. Murbæ.*

IN ALEMANNIA.

Vuldense Monasterium. Sancti Galli. Ysauricense. Augense. Quintilinburgense. Corbajeuse. Eristein. Rothenesbeim.

IN

IN BREMENSI PAROCHIA.

Monasterium Sanctæ Mariæ Rosevaldensis quod dat Bisantium unum. *Monasterium Sanctæ Mariæ de Villa Radestat, quod dat* II. uncias auri *in Septembri*.

IN ALBESTATENSI.

Abbatia Sancti Servatii in Quintiliburg. Abbatia Sancti Cyriaci de Guerinthot. Sancti Laurentii Ildeslerio.

IN HILDENEISEMENSI.

Abbatia de Gandersein.

IN MAGDEBURGENSI.

Abbatia Sancti Cypriani de Neimborg.

IN MESEMBURGENSI.

Abbatia de Pigou.

IN PATAVIENSI.

Gerondense Monasterium solvit Domino Papæ annuatim Marcam argenti. *Medelicense* aureos duos. *Monasterium Sanctæ Mariæ de Lecelemburg* aureum unum.

IN SALESBURGENSI.

Ecclesia Sanctæ Mariæ & Sancti Petri de Ponbergo.

IN CURIENSI.

Fabariense. Disertinum.

A

B

C

IN BAZOCENSI EPISCOPATU.
IN PROVINCIA SALESBURGENSI.

Ecclesia Sancti Augustini, quæ dat aureum unum.

IN CONSTANTIENSI.

Godense Monasterium. Sanctæ Mariæ in Insula. Ecclesia, quæ dicitur Pertescadinum, solvit annualiter XL. Denarios Ratisponensis monetæ. *Monasterium Sancti Blasii. Monasterium Rotense. Sancti Georgii. Sancti Petri, & Viveldæ. Alpersbach. Wibelingense. Cella Sanctæ Mariæ. Burren Canonicorum. Scafusen. Burren Monachorum. Rode. Bregenza. Augia Insula. Sancti Galli. Bucebo. Welindowe. Monasterium in loco, qui dicitur Quivilda, solvit* aureum unum.

IN NENBURGENSI EPISCOPATU.

Monasterium Austunense dat aureum unum.

IN SPIRENSI.

Hirsaugia. Oddenehim.

IN ARGENTINENSI.

Saltensis. Hugonis Curtis. Sancti Walburgis. Andelach.

IN MAGUNTINENSI.

Monasterium in loco, qui dicitur Flaneim, in honore Sanctæ Mariæ solvit aureum unum.

F I N I S.

DE CLERI
ET ECCLESIARUM
IMMUNITATIBUS,
PRIVILEGIIS, AC ONERIBUS,
POST INVECTAS IN ITALIAM BARBARAS GENTES.

DISSERTATIO
SEPTUAGESIMA.

DISSERTATIO SEPTUAGESIMA.

INtegrum Librum facile impleret argumentum nunc mihi tractandum, si exspatiari animus foret. Sed mihi stat ante oculos Dissertationum modus, ac præterea non desunt de hoc ipso argumento adnotata ab aliis: quo munere in primis est functus Clariss. Vir Ludovicus Thomassinus, qui Part. 3. Libri Primi de Beneficiis, multus est in investiganda antiqua immunitate Clericorum. Ego pauca e penu meo in hanc rem adferam, ut Lectori minus docto aliquid præsto sit, quoties occasio loquendi ferat, sitque instituenda comparatio recentiorum temporum cum antiquis. Veniat-ne Ecclesiasticorum hominum ac bonorum immunitas a Deo, an a Legibus humanis, Theologis & Canonum Interpretibus disputandum relinquo. Mihi tantummodo propositum est, cursim innuere potius, quàm ostendere, quid factum, non quid faciendum nunc sit, aut olim fuerit. Immunitas ergo aut respicit personas quasque militiæ Ecclesiasticæ addictas, viros & feminas, Clericos Sæculares & Monachos, aut eorum agros & reliqua bona temporalia, aut sacra Loca Deo dicata. De singulis istis nonnulla proferam, inter barbaricorum Sæculorum fines oratione conclusa. Illud autem ante omnia statuendum est, in Christiano orbe diversos semper ritus ac mores fuisse pro varietate regionum, pro majori minorive religiositate Regum

A & Principum, denique prò inæquali constitutione temporum. Piissimos Reges ea quoque ferrea Sæcula profectò ostentare possunt. Sed neque defuere violenti atque humanarum divinarumque Legum contemtores. Quare nil mirum, si tunc aspicias, quæ commendes, & rursus plura quæ vituperes. Nostra ipsa tempora, quamquam pacatissima sint, & Principes Catholici, quamvis in Romano Pontifice auctoritatem in universum Clerum agnoscant ac venerentur: diversum tamen ordinem disciplinæ servant, atque interdum istas ob caussas discordiam inter utrumque forum fervere conspicimus. Profectò Cleri Judices legitimi a primis Ecclesiæ Sæculis Episcopi fuere. Episcoporum verò Romanus Pontifex, Concilia, Metropolitani. B Num sese Imperatores ac Reges hisce negotiis immiscuerint, antequam Langobardi sedem in Italia statuerunt, Romana, Græca, & Gothica Historia Lectorem docebit. Sub Langobardis interim video, auctoritatem quoque Principis imploratam fuisse, quum controversiæ inter Episcopos insurgerent. Illustre hujus rei exemplum mihi ministrat insigne Archivum Lucensis Archiepiscopii, in lite ante mille annos inter duos Episcopos agitata, Lucensem videlicet ac Pistoriensem, ut constat ex antiquissimo apographo, cujus hæc sunt verba,

Judicatum Ultiani Notarii ac Missi Liutprandi Langobardorum Regis, Spetiosi Episcopi, & Walperti Ducis Lucensis, in controversia agitata inter Talisperianum Episcopum Lucensem, & Johannem Episcopum Pistoriensem, Anno 716.

DUm ex jussione Domni *preeccellentissimi* Liutprand Regis *conjunxisse ego* Ultianus Notarius & Missus Domni Regi, *ad Baselica Sancti Petri locus, ubi dicitur Neure, ad intentionem, quam vertebatur inter ab* Talisperiano Episcopo, *necnon &* Johanne *idest* Episcopo Pistori, *esset deliverandum: & jam inibi conjunxisse ego, qui supra, Ultianus una cum* Spetioso Episcopo, *&* Walpert Duci, *Alahis Gastaldio, & aliis singoli circum stantibus. Unde nos inquirentes per Vitaliano Presbitero, a cujus ipsas Diocesis a tempore Romanorum & Langobardorum fuissent, qui nobis professus est, quod ipsas Adocias semper ad parte Lucense fuessent, & qualiter Dei per Euangelium firmavit. Postea verò dicto & suprascriptus Johannes Episcopus & Ansollo Presbiter ipsius Johanni*, quoda Eglesias Sancti Andrea, ubi est baptesimum, una cum Eglesia Sancti Hierusalem nostra devenisse. *Ad hec respondebat jam dictus Vitalianus Presbiter*: Non est veretas, nisi dum menime potera concurrere ad tantas Eglesiam baptismum facere. Sic ipsas Eglesias Sancti Andree cum baptisterio suo, & Sancti Hierusalem tibi presentamus, ut inivi

C Missa & Baptismum facere deveris, dum usque nobis placitum fuerit, nec per lege ipsas Aeglesias vobis dimittere deveo. *Unde nos supra scripti Judices degrevimus, ut Presbiter Vitalianus dicere juratus*, quod ipsas Aeglesias Sancti Andree cum baptisterio suo & Sancti Hierusalem, a tempore Romanorum usque & modo semper sub jura Aeglesie Sancti Petri fuerunt, nec per lege eas vobis dimittere deveo. *Quidem & ipse sagramentas in nostris presentia deductus est, ut in eadem deliverationem deveant permanere. Unde hanc notitia judegati Ebregausus Notarius Regi ..... scrivere conmonuemus.*

D *Facta notitia judegati, Mense Februarii, regnante Domno Liutprand Regi Anno Quarto, Indictione XIIII. feliciter.* (Judicum subscriptiones desiderantur.)

Talisperianus Episcopatum Lucensem regebat: *Spetiosus*, cujus nomen Florentinius, & Cosmus de Arena deformarunt, Florentinæ Civitati præerat. Heic autem vides, habitum fuisse judicium illud *ex jussione Liutprandi Regis*, eique præfuisse *Ultianum Notarium ac Missum*

Missum ipsius *Regis*, *una cum Specioso Florentino Episcopo*, & *Walperto Duce* Lucensi. Nemini eruditorum ignotum est, quæ simultates ac bella diutissime viguerint inter Langobardos atque Romanos, dum Græci Imperatores Romæ, numquam a Langobardis subactæ, imperarunt. Propterea opinari licet, multos obices A in Langobardico Regno fuisse positos legitimæ Romanorum Pontificum & Episcoporum auctoritati in Ecclesiasticis negotiis. Proinde quum adversus Episcopos querelæ Clericorum erant, ad ipsos etiam Reges deferebantur, ut rursus ex altera Charta constabit, quam archetypam in laudato nuper Tabulario Lucensi vidi.

Judicatum Peredei Episcopi Lucensis in caussa Clerici, e regimine cujusdam Ecclesiæ expulsi, Anno 771.

IN *Dei nomine*. *Regnante* Domno *nostro* Desiderio Rege, *Anno Regni ejus Quinto decimo*, & *filio ejus idem* Domno *nostro* Adelchis Rege, *Anno Regni eorum Duodecimo*, *VI. Calendas Julias*, *per Indictionem IX. feliciter*. *Notitiam judicati*, *qualiter venit ante me* Peredeo *in Dei nomine* Episcopo, *Alitruda mulier cum filium suum*, *nomine Atripertum*, *simul & Petrus Clericus* cum sacram jussionem excellentissimi Domini nostri Regis, *in qua continebatur* . . . . . . *ipsi interpellassent excellentiam Regni ejus*, *ut nos dedissemus Ecclesiam Monasterii* . . . . . . *per cartulam eidem Atriperto infantulo*, *ut ipse inivi custos esse debuisset*. *Similiter & per aliam cartulam confirmassimus ipsum Petrum Clericum in Casa jam dicte Ecclesiam*, *una cum Deusdedit Presbiterum Rectoris*, *ita ut gubernarent ipsum infantulum*, *usquedum ad legitimam venirent etatem* . . . . . *modo eos exinde foris expellissimus propter premium contra rationem*, & *eos blutassimus*, & *de* . . . . . . *eorum eos foris expellissimus*, & *omnia eis tollissimus*, *quantumcumque abuissent*, & *non aberet predictus Atripertus Tutore*, *qui causa ejus perageret usque ad legem*. Proinde nobis demandavit, *ut deberemus*, *talem hominem previdere Deum timentem*, *qui causa ejus peragere deberet*, *ut damnietate non haberet contra legem*, & *deberemus causa ipsa inquirere* & *judicare*, *qualiter lex*, & *qualiter judicaremus inter nos & ipsi*, *nostrum erit* . . . . . *judicatum*. Nos verò talem exinde ipsam jussionem cognoscentes, *in constituto posito dedimus ad ipsum infantulum Tutorem* Warinpertum *Clericum nostrum*, & secundùm ipsam jussionem *cepimus ipsis dicere*, *ut quidquid vellent*, *nobiscum agere deberent*. *Et in primis interrogavimus eos*, *si aliquid nos eis violento ordine tollessimus*; *Qui de presenti professi sunt*, *ut nullam rem eorum tollere fecissimus*, *nisi dictum est nobis* . . . . . Cino ambulassimus, ut nos deblutare fecissetis, & *pro hoc ita suggessisset*. Ecce cartulam firmitatis, per quam iste infantulus debet resedere in Casa Sancti Savini. *Nos autem ita audientes*, *legi fecimus ipsam Cartulam*. *Contenebatur in eam*, *quomodo quondam Adualdus Presbiter*, *qui fuit Custus ipsius Ecclesie nostre*, *per consilium nostrum prendendi ipsum Atriperti in cura Ecclesie Sancti Savini confirmaverat*. *Et dum taliter cognovissimus*, *judicavimus*, *ut infantulus secundùm etiam cartulas in eandem Casam Ecclesie resideret*. *Iterum pars ipsius infantuli dicebat*: Si placet vobis, volumus istum Petrum Clericum, ut nobiscum abitet in ipsa Casa Ecclesie nos regendum. *Qu* . . . . . *dictis quamquamvis ipse Petrus Clericus ante nos cartula sua*, *quam in ipsam jussionem commemoravit*, *ante nos noluisset aducere*. *Et hinc decrevimus*, *ut qualiter rationabilem cartulam de ipsam Ecclesiam aberet in eum modum*, & *ipse ividem persisteret*. B *Et de presentia direximus Johannem Clericum nostrum*, *qui ipsos Clericos in Casa ipsius Ecclesie intromisit*; *nisi tantùm eis amplius pronuntiavimus*, *ut ipsa Alitruda mulier in predicta Casa Ecclesie nullatenus permaneret*, *pro eo quod nobis per eorum proximi & vicini dictum est*, *ut id pre Petrus Clericus cum ipsa cognata sua malam vitam penetrarent*; & *Presbiter ille*, *qui a nobis ividem est ordinatus*, *cum ipsis in Casa supradicte Ecclesie resedere deberet*, *officium Dei faciendo & adinplendo*. *Nam nec lex nec ratio convenit*, *ut ipsa femina cum Custodis Ecclesie simul inabitet*. *Replicans se pars ejusdem infantuli*: nos jam vobis petivimus Deusdedit Presbiterum, qui nobiscum C habitaret, & eum nobis dedisti, & ipsum modò habere volumus. *Ad contra respondebat pars nostra*: Presbiter ille, quem queris, quando vobiscum erat, nobis proclamavit, ut vobiscum non vellet habitare propter malitia & vitium ipsius Alitrude mulieris, quem ea cognoscebat facere: & pro ipsa muliere vos eum de foris expellistis, quod multorum hominum cognitum est, & nos caussa ista bene iscimus. Et dum nos supradicta Ecclesia de Presbitero destituta cognovissimus, pro hoc decrevimus, ut ividem Presbiter vobiscum inhabitet, qui officium Dei die noctuque peragere debeat. *Et hinc eis renunciavimus*, *ut ita persistat*, *sicut supra recte nobis apparuit*. *Unde hanc notitiam* D *judicati*, secundùm vestra jussio continet, *emitti previdimus*, *ut amplius de hac causa nulla oriatur intentio*, *sed cunctis diebus in suprascripta deliberatione debeat permanere*. *Et pro confirmatione Filippum Clericum nostrum scribere communuimus*.

Actum Luca.

Ego Peredeus *exiguus* Episcupus *in hunc judicatum manu mea subscripsi*.

Animadverte, quantâ animi constantiâ *Peredeus Episcopus* vel ipsis Sæculis barbaricis disciplinam Ecclesiasticam tueretur. Quippe innumeris Conciliorum decretis cohabitatio feminarum cum Clericis interdicebatur. Simul E etiam vide, *jussionem* quidem *Regis* vocantibus se læsis concessam. Nihil tamen exinde Episcopalis juris plerumque deperibat; atque heic reapse habemus, judicium proprio Judici, idest Episcopo, relictum fuisse. Neque secus actum est sub Augustis, & Regibus Francis. Namquoties persuadebat sibi aliquis e Clero, injuriam sibi in judicio illatam ab Episcopo, erat mos, tunc nemini, ut videtur, improbatus, subsidium implorare ab Imperatore, vel Rege, sive ab ejus Missis. Rursus verò iidem ab Episcopo revisionem, ut nunc appellamus, caussæ petebant. Negare nolim, quin *jussio* Regis ad id Antistites impelleret: quæ vox Canonistis Italicis nostrorum temporum asperi aliquid sonare videatur; sed ea ævi illius consuetudo fuit,

fuit, neque Episcopale forum propterea suo jure fraudabatur. Rem duobus aliis caussæ unius exemplis firmabo, quæ ex eodem Lucensi Archivo excerpsi, ubi authentica adservantur. E gradu suo dejectus fuerat, sacroque ministerio interdictus, Alpulus quidam Presbyter Lucensis, quod Sanctimonialem ex Parthenone Sancti Petri per murum demissam, nocturnis tenebris fretus, suscepisset, secumque adductam habuisset. Patuerat in judicio illius crimen. Is tamen audacter *Pippinum Italiæ Regem* adiens, seque a *Jacobo Lucensi Episcopo* inique damnatum clamans, opem ab eo flagitavit, atque impetravit. Itaque *jussionem clementissimi Domni nostri Pippini magni Regis* ad Episcopum deferens, novum judicium obtinuit, in quo rursus cecidit.

Judicatum Jacobi Episcopi Lucensis in caussa Presbyteri ob crimina, ut ajunt, degradati, Anno 803.

IN *nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Carolus *serenissimus* Augustus, *& a Deo coronatus magnus & pacificus* Imperator, *Romanum gubernans Imperium* . . . . . . *misericordiam Dei* Rex Francorum & Langubardorum, *Anno Regni ejus, quo Langubardiam cœpit, Trigesimo: & filio ejus* Domno nostro Pippino Rege, *Anno Regni ejus* Vigesimo Tertio . . . . *Julio, Indictio XI. In Christi nomine. Notitia judicati, resedente me* Jacobo *in Dei nomine* Episcopo *in domo sancte Ecclesie, adveniens ibi Alpulus Presbiter detulit nobiscum* jussionem clementissimi Domni nostri Pippini magni Regis, *in qua contenebatur, ut nos eum expulissemus sine omni judicio de Ecclesia Sancti Justi, sicut petierat, ubi Sacratus fuit & Custus*. Et præceperat nobis, *ut judicaremus inter nos & ipsum per veram legem & justitiam; & qualiter judicaremus, nostrum illi emitteremus judicatum*. Relectâ ipsâ jussione, *fecimus ei dare vuadiam Handipertum Presbiterum nostrum, ut ei in placito die consignatione facere, qualiter ipse ab honore suo remotus fuisset. Qui veniens in die constituta, ubi nobiscum aderant Sacerdotes & filii sancte Ecclesie, idest Agiprandus Archidiaconus, Gumpertus Presbiter, Aliprandus Presbiter, Stavili Presbiter, Cristofori Presbiter, Alpulus Presbiter, Teddulus Presbiter, Boni Presbiter, Teudo Presbiter, David Presbiter, Ardiprandus Presbiter, Tobias Presbiter, Alpertus Clericus, Agiprandus Clericus, Rotpaldus Gastaldius, Wiliperto, Arochis, Vassi Domni Regis, Lopo, Perisundus, Suimprandus, Sumualdus, Petrus, David, Lamfridus, Benedictus, Andreas, Supo, Fraiprandus, Rachiprandus Clericus, Ghiselpertus Notarius* . . . . . . *Ghiso Subdiaconus, Aliteus Subdiaconus, Christianus Subdiaconus, & Alipulu. Cœpit dicere ipse Alpulus Presbiter*: Ecce paratus sum: judica inter me ed te, sicut Dominus noster . . . . . . ult. *Nos autem ei diximus*: Tu quomodo potes Ecclesiam tenere, qui honorem tuum pro tuis nequitiis amisisti? Et ecce Brevis scriptum, quam nobis venerabilis Rachi . . . . . . Ecclesie Episcopus direxit. *Quam cum legi fecissemus, contenebatur in ea, qualiter Brunuri Advocatus Monasterii Sancti Petri venerat ad presentia* B *Rachi* . . . . . . *Episcopi interpellandum, quod ipse Alpulus Presbiter tulisset Monacha Sancti Petri, & secum in casa abuisset. Et ipse Rachinardus preceperat Harnolfo Vice* . . . . . . *faceret venire Alpulum Presbiterum, ut si veritas ipsa Monacha tulisset de illo Monasterio, eam reddere, & paululum post infra. Igitur Rachinardus* . . . . . . *adcusationem hanc interrogaverat eumdem Alpulum, si postea Monacha ipsa de prefato Monasterio tulisset, si eam abuisset, postquam per Judicum* . . . . . . *reddidit, aut si veritas eam obsculasset, & super cavallum levasset, & arram dedisset, sicut Brunuri dixerat. Sic professus est Alpulus, quod postea* . . . . . . *Monacha nomen Gumperga noctis tem-* C *pore absconse de ipso Monasterio per muri deposuisset, & suis manibus super cavallum levasset* . . . . (Reliqua desiderantur.)

Manca erat membrana illa, si bene memini: aut potius quòd repetitum viderim idem judicium in altera Charta, quam heic adtexam, reliquis describendis abstinui. Utcumque sit, *Rachinardum Episcopum Pisanum* pergamena hæc nobis prodit, quem Ughellius in Italia Sacra ignoravit. Non quievit Alpulus, quamquam bis in judicio victus, & præterquamquod post damnationem ausus est cantare Missam, non erubuit querimoniis novis aures pulsare *Adalardi* celeberrimi *Abbatis Corbejensis*, D quem post Pippini Regis interitum Carolus Magnus Augustus Missum seu Legatum suum in Italiam direxerat *ad justitias faciendas*. Adalardus ergo hominem *commendavit Bonifacio inlustrissimo Comiti nostro*, idest Lucensi, de quo mihi sermo fuit in Antiquitat. Estens. Par. I. Cap. 22. Comes verò curavit, ut novum de eodem Alpulo exauctorato judicium institueretur, per quod temerario homini tamdem spes erepta est ulterius reclamandi. En Chartam ipsam, ad illustrandos eorum temporum mores apprimè aptam, & cum Epistola 54 Codicis Carolini consonam, in qua Hadrianus I. Papa conqueritur apud Carolum Magnum, quod Sanctimoniales, abjectâ Monasticâ veste, E illicitis nuptiis dent operam in Langobardico Regno.

Alterum ejuſdem Jacobi Epiſcopi Lucenſis judicium in cauſsâ ipſius Alpuli Presbyteri, ob Sanctimonialem raptam damnati, Anno 813.

N*Otitia Canonice auctoritatis, ſicut continere videtur de his que degradati preſumuntur ſacroſanctum agere* . . . . . . *qui fuerat Presbiter*. Ego Jacobus *Dei gratiâ ſancte* Lucane Eccleſie Epiſcopus. *Manifeſta cauſa eſt, quia poſtquam ipſa* . . . . . *memorie* Johannes Epiſcopo, & Rachinardo Piſane Eccleſie Epiſcopo, *canonico ordine judicatus fuit, ſicut textus Brevis inferius* . . . . . *interpellavit virum venerabilem* Adalardum Abbatem Miſſum Domni noſtri Caroli Magni Imperatoris, *ut nos ei* . . . . . . *judicio tuliſſemus. Ipſe autem* Adalardus eum commendavit Bonifacio Inluſtriſſimo Comite noſtro, *& per eum nobis* . . . . . . *Epiſcopo, ſimul & cum Sacerdotibus conjungere deberent, & ſic eum canonico ordine judicare deberemus, ſicut & factum* . . . . *ſancte matris Eccleſie una cum* Petronio Epiſcopo Inſule Corſice, *& cum Sacerdotibus noſtris & filiis ſancte Eccleſie, quorum nomina* . . . . . . *& Teutprando Diacono Legato ſancte Lunenſis Eccleſie, ſeu & Alais Scafino Piſane Civitatis, Miſſus ipſius Bonifacii* . . . . *ante nos memoratus Alpulus. Interrogavimus eum*, pro qua cauſa ſuper me ipſum Miſſum Domni Imperatoris interpellaſſet. *Qui dixit*: Pro eo quod . . . . . . foras expuliſti. *Cui diximus*: Tu Eccleſiam quomodo potes tenere, qui honorem tuum pro tuis nequitiis amiſiſti? Et ecce Brevis ſcriptus . . . . *inquiſitio jam nuper facta eſt, quam relegi coram omnibus fecimus. Contenebatur in ea*: In Chriſti nomine. Notitia judicati reſedente . . . . . . Epiſcopo in domo ſancte Eccleſie: adveniens ibi Alpulus detulit nobis ſacram juſſionem Domni noſtri magni Regis, in qua contenebatur . . . . . fine omni judicio de Eccleſia Sancti Juſti, ſicut petierat, ubi Sacratus fuit & Cuſtos; & preceperat nobis ut judicaremus inter nos & ipſum . . . . . judicatum relectum. Ipſa juſſionem fecimus ei dare Landipertum Presbiterum vuadiam, ut . . . . . . facere qualiter ipſe ab honore ſuo remotus fuiſſet, qui veniet in die conſtituta, ubi nobiſcum aderant Sacerdotes & filii ſancte Eccleſie, ideſt Agiprandus Arcidiaconus, Gumbertus Presbiter, Aliprandus Presbiter, Stabilis Presbiter, Criſtoſaris Presbiter &c. (*ut in ſupra deſcripto Judicato Anni DCCCIII.*) Cœpit dicere ipſe Alpulus: Ecce paratus ſum. Judica inter me & te, ſicut Domnus Rex demandavit. Nos autem ei diximus: Tu quomodo potes Eccleſiam tenere, qui honorem tuum pro tuis nequitiis amiſiſſet? Et ecce Brevis ſcriptum, quam nobis venerabilem Rachinardus Piſane Eccleſie Epiſcopus direxit; quam cum legi feciſſemus, contenebatur in ea. qualiter Brunus Advocatus Monaſterii Sancti Petri venerat ad præſentia Rachinardi vocati Epiſcopi interpellandum &c. (*uti in prælaudato Judicato*) Rachinardus audiens adcuſationem hanc, interrogaverat eundem Alpulum, ſi poſtea Monacha ipſa de prefacta Monaſterio tuliſſet, ſi eam abuiſſet, poſtquam per judicium Arnolfi eum reddidit, aut ſi veritas &c. & ſuis manibus ſuper cavallum levaſſet & eam obſcuraſſet, & duo Solidos & in . . . . . . dediſſet,

A & per ſe ipſum ad loca per noctem duxiſſet ſolus; *Et quando hanc profeſſionem fecerat, cum ipſo Rachinardo fuerant plurimis ſuis Sacerdotes. Iterum poſt ipſa infra Brevem de neglegentiis ipſius Alpuli memoratus Rachinardus non antea in eum judicium inferre preſumpſit, donec ad preſentia* Johannis *ſancte* Lucenſis Eccleſie Epiſcopi, *qui per auctoritate Domni Apoſtolici ad conſacrandam Baſſilicam inter* . . . . . *Piſenſe cum ſuis Sacerdotibus adveniſſet, ipſe Rachinardus ibi Alpulum preſentare juſſit, & Brevem, cujus tenoris omnia contenet, quorum ipſis fecit relegi: videlicet; ipſe Alpulus interrogatus a* Johanne Epiſcopo *confeſſus erat de ſuis reatibus omnia, ſic eſſet veritas, ſicut co-* B *ram ipſis relecta ſunt. Et dum nos ipſum Brevem coram ſupraſcriptis Sacerdotibus & filiis ſancte Eccleſie ante ipſum Alpulum relegi feciſſemus, dicebat prefatus Alpulus*: Brevem iſtum mihi non inpedit, quia veritas non fuit. *Tunc nos Sacerdotes noſtros, qui cum ipſo bone memorie* Johanne Epiſcopo *ibidem fuerunt, ideſt Deuſdona Arcipresbiter, Raſpertus Presbiter, Gudiprandus Presbiter, Rachiprandus Presbiter &c. ut quid de cauſa iſta ſciret, nobis certam dicerent veritatem. Qui omnes unanimiter recordati ſunt, dicentes*: Ibidem fuimus cum bone memorie Johanne Epiſcopo in Papianula, quando ipſa Baſilica Rachinardi Epiſcopi dedicavit: ibidem ante Rachinardo & Domnum C Johannem Epiſcopum & nos, veniens Alpulus pro ſuis reatibus, quas ipſe manifeſtaverat, unde Brevem ſcriptam ante nos legebatur, tulit ſuis manibus ſibi orarium a collo, & jactavit illum ad pedes ſuos, & juratus dixit per Chriſti Euangelia & ſanctam Crucem Domini, ut diebus vite ſue eſſet Monacus in Monaſterio de Gorgana. *Et dum prefati Sacerdotes taliter teſtificati fuiſſent, interrogavimus ipſum Alpulum, ſi voleret eos in ſacramentum mittere. Qui dixit*: Volo. *Tunc nos deduci fecimus ſanctum Euangelium coram omnibus & ipſo Alpulo; prenominati Sacerdotes, qualiter recordati ſunt, jurandi dixerunt, ut veritatem fuiſſet. Et dum hec omnia diligenti curam* ſecun- D dùm juſſionem Domni noſtri Regis *inquiſiſſemus ſecundùm canonicam auctoritatem de his, qui degradati preſumuntur Sacroſanctum agere.* Si quis Presbiter aut Diaconus a proprio Epiſcopo excommunicatus preſumpſerit aliquid Miniſterii agere, ipſe in ſe damnatione firmavit. *Nos autem pro univerſis ſupraſcriptis nequitiis Alpuli eum canonicum ordinem excommunicavimus, ut etiam Miſſus precare non auderet. Relecta ipſa Brevem coram nobis & ipſum Alpulum, interrogavimus eum, ſi fuiſſet omnia ſic veritas, ſicut ipſi Sacerdotes noſtri de ipſo jurando teſtati fuerunt. Qui dixit*: Non fuit veritas, quia Domnus Imperator & Domnum Apoſtolicum ipſum Brevem Rachinardi Epi- E ſcopi non receperunt. *Et dum taliter diceret, nos interrogavimus eum*, ſi aberet aliqua auctoritate Domni Imperatoris aut Domni Apoſtolici, *quomodo ſuum honore abere poteret. Qui dixit*: Nulla eorum auctoritate nec ſcriptum eorum abeo de his, que me interrogatis. *Poſtquam*

quam ille taliter professus est, & dixerat, ut sic veritas non fuisset, interrogavimus suprascriptos Sacerdotes nostros, qui nuper juraverant, & nobiscum adherant, si fuisset sic veritas, sicut supra testificati fuerunt. Qui unanimiter dixerunt: Certe omnia sic veritas fuit, sicut nos testificati sumus. *Iterum diximus eidem Alpulo*: Tu quomodo fuisti ausus Missas cantare, postquam excommunicatus fuisti? Insuper jurasti, ut in Monasterio in Gorguna Monachus esse deberis. *Qui dixit*: Missa postea non cantavi. *Tunc ibidem nobiscum adherant idonei homines, qui dixerunt*: Et quare negas, ut Missa non cantasses? quia nos te vidimus Missas cantare. *Et dum hec omnia diligenti cura canonico ordine inquisissemus, & ille* B *nulla auctoritate nobis potuisset ostendere, per quam suum honorem abere valeret, secundùm memoratum Capitulum Canonum continere videtur*, ut si Presbiter aut Diaconus a proprio Episcopo *&c. secundùm morem consuetudinis numquam eis liceret in alio Sinodo spem ad restituendum aberet, & cetera. Nos eum una cum suprascripto* Petronio Episcopo *excommunicavimus, ut Missas cantare non deberet, nec aliquid Ministerii agere presumeret. Hanc inquisitionem*, sicut nobis demandatum est, *fecimus, ut scilicet ipse Alpulus juxta Canonica rationem non abeat spem proclamandi se restituendi, sed semper in eodem ordine omni tempore permaneat firmiter. Et Richiprandum Subdiaconum Notarium sancte Ecclesie nostre scribere commonuimus.* C

Actum Luca.

Factum est hoc Anno Domni *nostri* Caroli Magni Imperatoris, *quo Langubardiam cœpit, Trigesimonono, &* Domni *nostri* Bernardi *magni* Regis, *Anno Regni ejus in Dei nomine ..... Mense Aprilis, Indictione Sextâ.*

Ego Jacobus *humilis* Episcopus, *sicut supra legitur, in his actis resedi, manu mea subscripsi.*

Ego Petronius Episcopus *ibi fui, & manu mea subscripsi.*

Ego Walprando Diaconus Lunense ibi fui, & manum mea subscripsi.

Ego Godiprandus Presbiter ibi fui.

D *Ego Danihel Presbiter ibi fui, &c.* (Quamplurium aliorum Sacerdotum & Clericorum subscriptiones, quas omissas volo, ibi leguntur.)

Atque heic potissimùm consideratione digna sunt verba illa Alpuli Presbyteri, cui Rachinardi Episcopi sententia contra ipsum lata objiciebatur. Ajebat enim: *Non fuit veritas, quia Dominus Imperator, & Domnus Apostolicus ipsum Brevem Rachinardi Episcopi non receperunt. Et dum taliter diceret, nos interrogavimus eum, si haberet aliquam auctoritatem Domni Imperatoris, aut Domni Apostolici, quomodo suum honorem habere posset. Qui dixit. Nullam eorum auctoritatem, nec scriptum eorum habeo* &c. Quanta in his foret auctoritas E Apostolicæ Sedis, ea quoque Sæcula, ut vides, agnoscebant. Simul tamen ex his elucere videtur, etiam Imperatores ac Reges sibi tribuisse aut arrogasse jus corrigendi aut delendi judicio, sive decreto subsidiario, sacrorum Præsulum sententias in foro contentioso, ubi nimirum nihil erat ad Fidei orthodoxæ controversias spectans. In præcedenti quoque Charta Pippinus Rex (sunt verba Jacobi Episcopi) *præceperat nobis, ut judicaremus inter nos & ipsum* (scilicet Alpulum) *per veram legem & justitiam; & qualiter judicaremus, nostrum illi emitteremus Judicatum*. Non inquit, stabile futurum, quidquid Episcopus erat judicaturus, sed tantummodo sententiam ab eo proferendam, & continuò ad Regem mittendam, quasi is quodammodo postremam sibi reservaret caussæ cognitionem. Quod certum est, ut dixi, confirmatum heic habes jus antiquissimum *Apostolici*, idest Romani Pontificis, ad quem licebat omnibus confugere, appellatione interpositâ. Atque hinc patet, Alpulo bene omnia in eo judicio cessura fuisse, si pro se habuisset *aliquam auctoritatem Domini Imperatoris, aut Domni Apostolici*. Progredior. Si quando Ecclesiastici viri contra honorem Regium, eique juratam fidem moliri aliquid, aut perpetrasse deprehendebantur: tunc in more fuit eos advocare ad audiendum verbum Regis, eisque indicere, ut accusationes diluerent. Quod si manifestus erat illorum reatus, carceris in Monasterio, aut exsilii pœna plectebantur. Neque Episcopis hac in re immunitas concedebatur. Carolo Magno Francorum Regi post Langobardicum Regnum sibi conquisitum, suspectæ fidei visi sunt, ut opinor, Episcopi *Civitatis Pisanæ, seu Lucanæ*. Quare eos, in Franciam accitos, adduci nesciebat ut liberos dimitteret. Vide Epistolam Quinquagesimam quinctam Codicis Carolini, ubi Hadrianus I. Papa pro eis intercedit. Pothonem quoque Vulturnensis Cœnobii Abbatem accusatum infidelitatis, Carolus *per suam præfulgidam jussionem exinde ablatum*, ad se ducendum curavit, ut est in Epistola 79. ejusdem Codicis: in qua idem Hadrianus eum Regi commendat veluti innocentem. Tunc Rex eam caussam Hadriano ipsi Papæ discutiendam direxit, ut habet Epistola 72. prælaudati Codicis. Parum dixi. Carolus ipse Anastasio Misso Hadriani, quod de se *importabilia verba, quæ non expediebat, loquutus fuisset*, iratus, facultatem abeundi negabat. Qua de re conquestus est Hadrianus ad Carolum scribens, Epistolâ Quinquagesimâ Codicis Carolini. Inter cetera ait: *Sed neque ab ipsis Mundi exordiis* (dicendi formam erunt qui mirentur) *cognoscitur evenisse, ut Missus protectoris tui beati Petri, magnus vel parvus, a quacumque Gente detentus fuisset. Sed jubeat nobis eum vestra solicitudo dirigere: & severissime eum sciscitantes, juxta noxam ei repertam eum corripiemus*. Recte hæc Papa, & secundùm regulas juris gentium, & congrue ad honorem Apostolicæ Sedis, quam Catholici omnes ab exordio Ecclesiæ semper sunt venerati. Præterea Ludovici Pii Augusti jussu *Ermoldus Nigellus Abbas* in exsilium actus fuit, quam ob culpam ignoro, & Argentorati relegatus, ut ipse testatur in Carmine de Rebus gestis ejusdem Augusti, quod evulgavi Part. II. Tomi II. Rer. Italicarum. Exsilio quoque idem Augustus castigavit, & in Monasteriis pœnitentiam agere coëgit quosdam Episcopos, reos Anno DCCCXVIII. deprehensos in conjuratione Bernardi Regis Italiæ: inter quos numerati sunt *Anselmus Mediolanensis Archiepiscopus, Wolfoldus Cremonensis, & Theodulphus Aurelianensis*. Sed rite hæc eis pœna inflicta fuit. Nam ut habent Annales Bertiniani ad eumdem Annum DCCCXVIII. *Episcopos conjurationis auctores, Synodali decreto depositos, Monasteriis mancipari jussit*. Præcessit ergo Synodi decretum. Eamque judicii rationem laudandam tenuit idem Ludovicus erga Episcopos, qui contra se in teterrima Filiorum seditione conspirarunt. Lotharius verò Imperator ejus filius, iræ tantummodo suæ consilia auscultans, Præsules

ſules Italicos patri fideles, Sedem ſuam, Beneficia, ac res proprias recuperare minime ſinebat, ut habent Francorum Annales. Gravius etiam egere Hugo & Berengarius Italiæ Reges, qui *Ratherium Veronenſem Epiſcopum* celebrem, inquietum tamen virum, cuſtodiæ traditum, diutiſſime ibi macerarunt, & pane tribulationis paverunt.

Multus eſſem, ſi ſingula exempla vellem percurrere, quæ Hiſtoria ſuppeditat de actis ab Imperatoribus ac Regibus in Epiſcopos, Abbates & reliquum Clerum. Nam in iis omnibus recurrit ſemper quæſtio, illane auctoritate legitimâ, an potius per vim atque uſurpationem peracta fuerint. Plurima verò monumenta veterum perierunt; quæ tamen pauca injuriam temporum evaſere, ſatis produnt, Romanos Pontifices, quibus cura & protectio omnium Eccleſiarum incumbebant, occurriſſe quantum potuerunt, ne ſacris hominibus vis inferretur. Et ſi qui criminum rei forent, eorum cauſſæ a legitimis Eccleſiæ Miniſtris dijudicarentur. Quod verò per multa Sæcula minime negatum Regibus video, minimeque improbatum arbitror: ad Principum & Regum judicium, nemine contra clamante, deducebantur lites civiles, inter Eccleſiaſticos viros, aut a Sæcularibus contra eos excitatæ. Nunc juvat exemplis confirmare ejuſmodi temporum illorum conſuetudinem. Infra in Diſſertatione LXXIV. *de Parochiis*, compluribus antiquitatis monumentis a me producendis, illuſtrabitur celebris controverſia Præſulum Arretinorum contra Senenſes, contendentibus utriſque ad ſe ſpectare quaſdam Parochias inter utramque Urbem ſitas. Nunc Lector accipiat inſigne Judicatum in ſimili cauſſa, cujus archetypum vidi in Tabulario Collegii Canonicorum Arretii. Emerſerat lis inter *Petrum* (*Petronem* etiam pro elegantia illius Sæculi acta appellant) *Epiſcopum Arretinum*, & *Vigilium Abbatem Monaſterii Sancti Antemii*, ſive Anthymi, Cluſini agri, cui Privilegium a Ludovico Pio Auguſto conceſſum Anno DCCCXIV. Thomaſius in Hiſtor. Senenſ. Lib. 4. evulgavit, & rurſus Ughellius in Ital. Sacr. Tom. III. exhibuit. Utrobique Ludovicus dicitur *Procis Caroli Magni*, ſed ſcribendum *Prolis*. Sunt & alii errores ibi, quos attingere in præſentia non vacat. En monumentum nobile, quod modò pollicebar.

Acta controverſiæ inter Petrum Epiſcopum Arretinum & Vigilium Abbatem Monaſterii S. Anthemii pro Monaſterio S. Petri de Axo, coram Agiprando Florentino aliiſque Epiſcopis & Miſſis Lotharii I. Imperatoris, cum ſententia pro Epiſcopo Arretino, Anno 833.

IN *Dei nomine per excellentiſſimo* Donno *&* *piiſſimi*, *&* *a Deo coronato* Hlotario Auguſto *magno* Imperatore, *directi fuiſſemus nos* Agiprandus *Sanctæ* Florentine Eccleſie Epiſcopus, *ſeo* Petrus *ſancte* Voloterrenſis Eccleſie Epiſcopus, *pro cauſa beati Donati Aretine Ecclrſie*, *&* Petroni Epiſcopi ejuſdem Eccleſie, *inquirendum inter ipſum* Petronem Epiſcopum, *nec non &* Vigilius Abbas ex Monaſterio Sancti Antemi territorio Cluſino. *Et dum conjunxiſſemus Sena Civitate*, *&* *reſederemus nos in judicio Domni Sena & Eccleſia*, *una cum venerabilis* Anaſtaſius Epiſcopus ejuſdem Civitati, *ſeo* Adelricus Comes . . . . Walchari *&* . . . . . *Scavinus predicte Civitatis*, *atque Dato*, *Criſtiano*, *Alexandro*, *Odelfrido Scavinis Aretine Civitatis*, *ſimulque Ringo*, *Rodolfo Scavinis Vulterrunenſis*: *hubi & nobiſcum aderant* Wilerus, *& Anſerum de Sena*, *Anſeprand*, *Camarino*, *Vaſſi Domni Imperatoris*, *Anſiprand*, *& Theudici germanis*, *Periſindo*, *& Lundifredi germanis*, *Angelo*, *Franciconus*, *Al* . . . . . *Cives Aritini*, *Guiprandus*, *vel reliquos plures homines habiles tam Franciſcos quàm & Langobardicos de ſingulis predicte Civitatibus*. *Ibique ante nos omnes veniens* Petronem Epiſcopum Aretine Eeclefie *una cum* Wileriud, *& Agimundo filio bone memorie Tachiprandi de Sena*, *ſeo Agimundo filio bone memorie Ariprandi de Aritio*, *Advocati ſui*, *cauſationem habentes contra predictum* Vigilius Abbas ex Monaſterio Sancti Antemi, *ſito Valle St.* . . . . *terretorio Cluſino*; *ſeo Furvo* . . . . . . *Senenſe*, *& Urſo de Cluſio*, *Advocati predicti Monaſterii & Abbati*: *ceperunt his ipſi* Willeriud *& Agimundo dicere contra predicti Advocati Sancti Antemi*: Parte Monaſterii Sancti Antemi . . . . . Abbati, contra lege & malo hordine invaſerunt, & detinuerunt Monaſterio Sancti Petri de Axſo cum pertinentia ſua: unde querimus, ut inter nos exinde judicium detis, & juſtitiam fieri faciatis ad parte Sancti Donati, quia legibus Sancti Donati pertinuit. *Ad contra reſponderunt ipſe Vigilius Abbas una cum Furvo*, *& Urſo Advocatis ſuos*: Veritas eſt, quia habemus & tenemus predicto Monaſterio Sancti Petri de Axſo cum pertinentia ſua, ſed non contra lege, nec malo hordine, pro eo quod ecce Preceptum ſancte recordationis *Domni Caroli Regi* pre manibus habemus, qualiter pro ſua mercis per locas deſignatas conceſſit Cugio illo, qui vocatur Ciciliano, ad parte Sancti Antemi, *&* infra ipſas locas deſignatas ipſo Monaſterio eſt conſtructum. *Et dum nobis ſupraſcripti Miſſi ipſo Precepto relegi feciſſemus* . . . . *in eum*, *qualiter* Domnus Carolus Rex *conceſſerat ſupraſcripto Cugio ad parte Sancti Antemi*, *per locas denominative deſignatas*, *& infra locas deſignatas quodquod conceſſerat denominatim conceſſerat*. *Sed minime ibidem continebat de ſupradicto Monaſterio Sancti Petri ad Axſo*, *quod eum conceſſiſſet*, *ſicut & reliquas*, *quod in eodem legebatur Precepto*. *Et dum Preceptum ipſum relectum fuiſſet*, *tunc ipſe* Wileriud *& Agimundo Advocati dixerunt*. Certe Precepto iſto nec nobis, necque ad parte Sancti Donati nulla impedit, quia quod conceſſit, nominative conceſſit. Et ſi tunc ipſo Monaſterio Domnus Carolus Rex concedere voluiſſet, nominative eum conceſſiſſet, ſicuti & reliquas res & cauſas conceſſit. *Dictum eſt hoc*. *Tunc nos ſupraſcripti Miſſi & Judices interrogavimus ipſo Vigilio Abbas*, *& ſupraſcripto*

scripto Advocato ejus , & dixerunt : . . . . . . eorum ecce postquam Precepto isto ad ista ratio nulla inpedit . . . . tione , pro qua ratio aut ad parte Sancti Antemi teneat, aut istius Abbati. *Tunc ipse Abbas interrogatus dixit* : Certe *Domnus Carolus Rex* eum concessit in beneficio per suum Preceptum Tanimundi quondam Abbati, simulque & bone memorie Apollenaris Abbati. Deinde eum postmodum mihi concessit in beneficio *Domnus Hludowichus, & Hlotarius Imperatores* nec non pro parte Sancti Antemi. *Et dum taliter dixisset , interrogavimus eum , si Precepta ipsorum Imperatorum fuisset aut in successores eorum aut in parte Sancti Antemi* ; *&* certe minime in successores eorum fuerunt . . . . . . nisi solus in ambobus eorum personis, & mihi solus per beneficio est concessum , & nullum alio Precepto exinde non habeo . . . . de ipso Cugio .

Hoc dicto & refutato , tunc ipse Petrus Episcopus sepe dicte Ecclesie ostendit Indiculum Piissimi Domni Hlotharii Imperatoris . *Qui dum nobis relectum fuisset , continebat in ea* , qualiter ipse Domnus Augusto nobis Agiprandi *&* Petroni Episcopi injunxerat adque inoruerat , *quod* Petrus Episcopus de Aritio *eidem innotuerat , qualiter Vigilius Abbas , quando Cellulam , que est constructa in onore Sancti Petri super fluvi Axso , pertineret ad suum Episcopatum , & ob nullam aliam occasionem eum teneret , nisi quod Apollenaris Abba per beneficium regule habuisset . Ita ec fatentes ipse jam dictus Episcopus , Precepta & monimina se dixisset habere , pro quibus* nobis per eundem Indiculum precepit , ut eos pariter simulque cum eorum Advocatis venire fecissemus, & subtiliter investigassemus , *si Vigilius Abbas inde aliquam poterat hostendere firmitatem , per qua ad Monasterium sibi commissum pertineret : sin autem hoc non invenissemus , & se beneficii auctoritate reclamasset , tunc* suum decretum & voluntas jussioni , *ut jam dicta monimina de ipso Petrone Episcopo nobis presentare fecissemus. Et si invenissemus , quod ad predictum Episcopatum pertinuisset , tunc absque aliqua dilatatione eum revestire fecissemus cum omnia ad jam dicta Cellulam aspicientem ; sicuti & fecimus nobis ipse monimina hostendere . Tunc ipse Petrus Episcopus una cum predictis Advocatis suis ostendit Precepta & monimina . Primo judicato ostenso & relecto continebatur , qualiter tempore* Liudprandi Regis Luparcianus Episcopus *ante Misso ipsius Liudprandi Regi adviquerat da* Deodato Episcopus *Monasterio Sancti Petri ad Axso ad parte Sancti Donati cum reliquas Parrochias Ecclesias baptismalis, sicut in ipso judicato legetur . Post hoc hostendit Preceptum predicti* Liudprandi Regi , *quod cum relectum fuisset , continebatur , quod ipso judicato de ipso Monasterio & Parrochias confirmaverat per suum Preceptum ad parte Aritine Ecclesie . Alium quidem ostendit judicato, qui significante declarabat , qualiter jam dictum* Liudprandi Rex *direxerat quattuor Episcopos Missos suos, pro predicta causa & Monasterio atque Parrochias determinandum ; in eorum presentia & per eorum judicio ipse* Luparcianus Episcopus *conviquerat da parte Senensis Ecclesie ad parte sue Aretine Ecclesie predicto Monasterio Sancti Petri ad Axso cum reliquas Parrochias , sicut in ipso legebatur judicato : ita & per Preceptum simili modo ipse* Liudprando Rex *ipsum judicatum & Monasterium cum ipse Parrochias confirmaverat ad parte Aritine Ecclesie . Id circo*

A *& ostendit Brevilegium bone memorie* Stefani Pape *Urbis Rome , qualiter ad petitione* Stavili *quondam* Episcopi Aritine Ecclesie *per suum Preceptum Brevilegium confirmaverat ad partem Aritine Ecclesie tam predictas judicatas de tempore Liutprandi Regis , quam & predictas preceptora ejusdem Liudprandi Regi , sive de jam memorato Monasterio Sancti Petri ad Axso , quam & de predictas Parrochias , sicut in ipsas continebatur judicatas & preceptoras . Quamobrem & ostendit Brevilegium quod* Leoni Pape, *qualiter & ipse per suum Brevilegium & Preceptum per petitionem quod* Areperti *sancte* Aretine Ecclesie , *& per consenso* Domni *& piissimi* Caroli Imperatoris *in suum Sinodum pacificum , inter quod* Andrea *sancte* Senensis Ecclesie Episcopus , *& ipsum* Arepertum Aretine Ecclesie Episcopum , *& per suum confirmaverat Preceptum ad parte Aretine Ecclesie tam predictas Parrochias , quàm & supradicto Monasterio Sancti Petri ad Axso , sicut in ipsas continebatur judicatas & preceptora a tempore* Langobardorum *emissas ad jam memorato* Liudprando Rex . *Denique & ipse piissimus sancte & gloriose memorie* Domnus Carolus Rex *per suum Preceptum confirmavit ipso Precepto quod* Leoni Pape , *& omnia , sicut superius adnotatum est , ad parte Aretine Ecclesie , sicut . . . . dictas judicatas , preceptora , & brevilegia continetur . . . . . . memoratas Parrochias & Monasterio , sicut a priscis temporibus convicte . . . . Ecclesie . Ideoque & ostendit nobis Preceptum* Domni Hludovici Imperatoris Augusti , *qualiter & ipse per suum Preceptum confirmaverat tam ipsum Preceptum gloriose memorie* Caroli genitore suo , *quàm & ipsum* Leoni *quondam* Pape , *sicut & reliquas judicatas & preceptoras sepe memoratas . . . . . . ad parte Aretine Ecclesie , sive de Parrochias quàm & predicto Monasterio cum reliquas Monasterias , sicut ad priscis temporibus convictas , adque possessas fuerunt .*

Judicatas & preceptoras ostensas & relectas , sicut ab ordine superius declaravimus , tunc nos suprascripti Missi & Episcopi interrogavimus ipso Vigilius Abbas , & Furvo , & Urso Advocati ejusdem , ut si aberent aut Preceptum vel Judicatum aut Testem , vel qualibed fictionem, quod ipse Monasterio Sancti Petri pertineret ad parte Sancti Antemi , ita ostendere . Qui & ipsi partem una cum ipso Abbate refutaverunt & dixerunt : Certe nec Judicato nec Precepto , nec nulla factionem , necque per nulla rationem non habemus , per quos ipso Monasterio Sancti Petri vel rebus ad eum pertinentibus contendamus , aut ad parte Sancti Antemi defendere possumus , nisi , ut prius diximus , quod per beneficio Domni Hludovvici & Hlottarii Imperatorum eum habuimus . *Et cum taliter refutasserunt , diximus nos suprascripti Missi ipsius Abbati* : Certe per ista ratio eum tenere amplius non valebis , quia Domnus Imperator nobis per jam dicto Indiculum precepit , ut si tu firmitatem talem non ostendissit , quod ad parte Monasterii tibi commissum pertenuisset, & nos per ipsas moniminas istius Petroni Episcopi invenissemus , quod ad Episcopatum Aretine Ecclesie pertinuisset, absque ulla dilatione revestiri fecissemus. Post hoc dictum, ideoque & pro satisfactione diligenter investigassemus Lege pro dictis causis ipsius Abbati quod dicebam, quod post preceptora ipse parte Sancti Donati & Aretine Ecclesie vestitura de ipso Monasterio non fuisset . *Tunc nos suprascripti*

scripti Missi fecimus venire veraces , quas ipse Petrus Episcopus nobis denominavit . Ita & ipsi Laici omnes ad Dei Euangelia . . . . . . prefecimus . . . . . . interrogassemus de ipsa vestitura, & illi scirent , nobis certum dicerent veritatem. Ita & ipsi Sacerdotes conjuravimus eos in suum Sacerdotium & fidelitatem, quas ad parte Domni Imperatoris juratum habebant, ut quid vera exinde scirent , veritatem ut & ipsi declararent de predicta vestitura. Qui & in primis omnium veniens Gumprandus Arcidiaconus Aretine Eclesie , interrogatus a nobis dixsit : Bene scio & recordo, & ibidem fui, quando Anghelbertus Misso Domni Caroli Regi revestivit Aripertum Episcopum de Monasterio Sancti Petri sito Axso post confirmatione Domni Leoni Pape . Ita tempore Preceptum hemissum ejusdem Domni Caroli Regi , & ipse Aripertus Episcopus hordinavi in ipso Monasterio Abbates nomine Augustino , Arnicauso, Johannis , Landoari . *Arcipresbiteri similiter dixserunt Vanipert , Lucius senes homo , Romaldus, Lampertus omnes unanimiter una singulatim similiter testificati sunt , & dixserunt , sicut & Gumprandus Arcidiaconus superius dixsit . Testimonias inquisitas , & judicatas, adque preceptoras relectas , & omnia ab ordine , qualiter superius declaravimus , & per veram Legem inquisita , & cognoscentem dum per veram Legem invenissemus ita, &* juxta Jussione & Indiculum piissimi Domni Imperatoris , *quod ipse Monasterio Sancti Petri ad Axso , cum rebus ad eum pertinentibus pertineret a parte Aretine Ecclesie* , juxta ipsum Indiculum & jussio Domni Imperatoris, *fecimus nos ipsi Missi ad . . . . . . revestire ipsi Advocati Petronem* , Willeradum, & *Agimundo de ipso Monasterio Sancti Petri cum pertinentia sua ad parte Aretine Ecclesie . Proinde hanc notitiam fieri fecimus . . . .*

. . . . Domnorum *nostrorum* Hludovici & Hlottarii Imperatorum *Vigesimo & Quartodecimo, Mense Octobris, Indictione Duodecima* .

✠ *Ego* Agiprandus Episcopus ex jussione Domni Imperatoris *hanc inquisitio feci & interfui* .

✠ *Ego* Petrus Episcopus ex jussione Domni Imperatoris *hanc inquisitio feci & subscripsi* .

✠ *Ego* Anastasius Episcopus *ibi fui* .

✠ *Ego* Adelrat Comes *ibi fui* .

✠ *Ego Ansprandus Vassus Domni Imperatoris ibidem fui* .

✠ *Ego Camarino Vassu Domni Imperatoris ibi fui* .

✠ *Ego Ringo ibi fui* .

✠ *Ego Peririndo ibi fui* .

✠ *Ego Gundifridi ibi fui* .

✠ *Ego Aliprandus ibi fui* .

✠ *Ego Urso Scavino & Vasso Domni Imperatoris ibi fuit* .

✠ *Ego . . . . . . Scavino . . . . . .*

✠ *Ego Tato Scavino ibi fui* .

✠ *Ego . . . . . . Vassus Domni Imperatori interfui* .

✠ *Ego Rodulfo ivi fui* .

Ughellius nuper memoratus ad hæc tempora Episcopum Florentinum profert *Aliprandum* , sive *Rambaldum* . Germanum nomen illius ex ista Charta edifcimus , videlicet *Agiprandum* . Præterea *Anastasius Senensis Episcopus* , eidem Ughellio ignotus , adjungendus erit in posterum Catalogo Præsulum illius Urbis , & fortassis inde expungendus erit *Thomas* ad Annum DCCCXXX. Episcopus ei Civitati datus . Itaque, ut vidimus, controversia illa, quamquam inter duas Ecclesiasticas personas agitata, Judices habuit Missos sive Legatos Lotharii I. Augusti . Neque enim reponas , ambos eos Judices Episcopali dignitate ornatos ; judicium enim illud non propriâ, sed delegatâ ipsius Lotharii Imperatoris auctoritate ii instituerunt , & sententiam tulerunt . Id quippe aperte constat ex sæpe repetitâ formulâ illâ : *juxta jussionem , & Indiculum Domni Imperatoris* . Segnis verò non fuit *Petrus Episcopus Arretinus* in sibi procuranda illius decreti confirmatione ab ipso Lothario Augusto , uti nos docebit ejusdem Imperatoris Diploma, quod autographum vidi in supra laudato Tabulario Arretino , publicique juris facio .

Lotharius I. Imperator Petro Episcopo Arretino confirmat Ecclesiam Sancti Amsani , & Monasterium S. Petri de Axo, Anno 833.

IN *nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni*. Hlotharius *divina ordinante providentia* Imperator Augustus. *Dum justis petitionibus Sacerdotum ac servorum Dei , quas nostris auribus insinuaverint, libenter annuimus, & eas cum Dei auxiliis ad effectum pervenire fecerimus , non solùm Regiam & Imperialem consuetudinem exercemus , verùm etiam hoc nobis procul dubio . . . . . . rum Regni terreni corroborandum , quàm ad æternæ vitæ beatitudinem capessendam profuturum esse confidimus . Id circo notum fieri volumus omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ , & nostris , presentibus scilicet & futuris, quia vir venerabilis* Petrus *sancte* Aretinæ Ecclesiæ Episcopus *direxit ad serenitatem nostram Missos suos* Winigildum *Clericum & Theodizium Vassallum , qui manibus gestabant* Preceptum Domni & Genitoris nostri, *in quas continebatur , qualiter Ecclesiam Sancti Amsani , ubi ipse in Corpore requiescit , cum reliquas Ecclesias , jam olim de sibi commissa Sede fuisset subtracta , & iterum temporibus* Domni Leonis Papæ , & *prestantissimi* Imperatoris Avi nostri Caroli *tempore per suum Preceptum restituta . Detulerunt etiam Judicatum manibus bonorum virorum roboratum , in quas continebatur qualiter secundùm legem & justitiam in presentia Missorum nostrorum* Agibrandi *sancte* Florentine Ecclesie Episcopi , & Petroni *sancte* Vulterrensis Ecclesie Episcopi *Monasterium Sancti Petri , quod vocatur ad Axo, cum omnia pertinentia sua de* Vigilio Abbati & *Advocatibus suis recepisset , & ad sibi commissæ Ecclesiæ per ipsum Judicatum , suæque potestati revocasset . Petiit obnixe per eosdem Missos suos nostram excellentiam predictus vir venerabilis* Petrus Episcopus , *ut paternum morem sequeremus, nostram confirmationem superaddere juberemus, per quam predictas Ecclesias cum omnia pertinentia eorum ipse , successoresque*

que sui absque inquietudine aut contrarietate tenere & possidere viderent. Cujus petitionem denegare noluimus, sed ut in auctoritate Domni & Genitoris nostri *invenimus, & sicut prestantissimus* Imperator Karolus, Avus *scilicet* noster, *per suam confirmavit auctoritatem, ita hanc nostram decrevimus superaddere auctoritatem. Precipientes nunc atque statuentes, ut predicta sancta Aretina Ecclesia jam nominata loca, idest Ecclesiam Sancti Amsani cum ceteris Ecclesiis, seu Ecclesiam Sancti Petri in Axo, cum omnia pertinentia sua ita teneat atque possideat, sicuti in Precepto Avi nostri bonae memoriae Karoli prestantissimi Imperatoris, seu in Domni & Genitoris nostri, videlicet predecessorum Re-*A *gum Langobardorum continetur, & sicuti in predicto Judicato in presentia predictorum Missorum nostrorum facto exaratum invenimus. Et quicquid deinceps secundum Dei voluntatem facere & disponere voluerit, liberam in omnibus habeat potestatem faciendi absque alicujus inquietudine aut inlicita contrarietate. Eo videlicet modo, ut sub potestate Sancti Donati nostris futurisque temporibus inviolabiliter atque inconvulse per hanc nostram auctoritatem maneant. Et ut haec auctoritas ab omnibus melius credatur & diligentius conservetur, manu propria subter firmavimus, & anuli nostri impressione adsignari jussimus.*

Signum *Hlotharii gloriosissimi Augusti.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Liuthardus Notarius recognovi & subscripsi.
Data VI. Die Kalendas Decembris, Anno Christo propitio Domni Hlotharii Imperii in Francia Primo, in Italia XIII. Indictione XII.
Actum Aquisgrani Palatio Regio in Dei nomine feliciter. Amen.

Accedat & alterum exemplum, quod ex insigni Archivo Monachorum Cistercienſium Sancti Ambrosii Majoris Mediolani descripsi. Quorumdam causâ fundorum contentio fervebat inter duo celeberrima Monasteria Ambrosianum B videlicet Mediolanense, & Augiense in Suevia situm. Acta est controversia & disceptatio coram Missis Caroli Crassi Italiae Regis: *jussit* enim *ipse Domnus Rex*, ut judicium illud Legati sui susciperent.

Inquisitio Johannis Episcopi, & Hildeberti, atque Alberici Comitum Regiorum in controversia Monasterii Mediolanensis S. Ambrosii contra Monasterium Augiense in Alamannia de quibusdam terris, Anno 880.

D*Um* Domnus Karulus *serenissimus* Rex *sue pietatis in Regnum Italicum suos constituisset Missos* Johannes *humilis* Episcopus, Idelbertus, *&* Albericus Comitibus, *ut irent de loco in loco; quicquid ibi injuste invenissent, legali ordine ad finem perducerent; & dum venisset presentia ipsi Missi, sicut eorum interventum erat*, Civitati Comani Comitato Mediolanense, *& ibi eos in Domum ejusdem nostre Ecclesie Comensis, pariter &* Heribertus Episcopus ejusdem *Sedis, per datam licentiam ejusdem Presuli, in judicio residentes singulorum hominum justitias faciendas, hac deliberandas: Sed & residentibus cum eis Leo.... Johannes, Redimbertus, idem Leo, & Natalis Judices sacri Palatii, Angilbertus, Rigipertus, Ambrosius, & Rigifredus Judices Mediolanenses, Herenbertus Gastaldio Comensis ...... Comense, Atto de Lanimalo, Liado ex genere Francorum, Sigiprando de Cisiano, & filio ejus, & Ariprandus, Halpertus .... de Cermenate, Ariprandus de Majormi, Johannes de Mausonaco, Liberdus qui Antherio vocatur, Teopertus, Aribertus de Besana, Guncius &* Wido *de Arliaco, Andreberdus de Curte, Leo de Lemoniano, Petrus de Anone, Paulus Scavino de Caxate, Avertusius & Theodoro Vassalli nostri* Alberici Comiti, *Petrus de Cabbonate, Gasipertus de Blassono, Marino, Ingilbertus, Andreas de Civitate Como, & reliqui multi. Ibique retulit predictus* Albericus Comes *& Misso Regalis...... intentio inter Monasterii Augia situm Alamannia, & Monasterium Sancti Ambrosii situm Mediolanium*, C *presentia Domno Regis, de quibusdam rebus in finibus Mediolanensis consistentis. Nominative de mansos sex in loco, qui dicitur Lemonta, juxta Laco hujus Comense, ita ut pars Monasterii Augiensis diceret, Mansos ipsos in Lemonta tenuisse de Curte Tremecia, que Curte pars Augiensis tenere videtur. Et pars Monasterii Sancti Ambrosii diceret, quod Mansos ipsos pertenissent de Curte illa Lemonte, quam* Domnus Lotharius Imperator *in eodem Monasterio Sancti Ambrosii per situm scriptum confirmavit*. Tunc jussit mihi ipse Domnus Rex, ut ego comanentes homines loci ipsius nostri presentia venire fecissemus, & diligenter per eos inquisissemus, *ipsos Mansos utrum perti-*D *nuissent de Curte de Lemonta, an Tremetia. Hecce hic presentes sunt homines commanentes loci ipsius, quos volo, ut diligenter inquiramus, fortasse per eos inde veritatem inveniri possimus. Cum ipse Comes taliter retulisset, tunc predicti Missi & Auditores, advocantes homines, quod inde veritatem scirent, dicebant. Id sunt Conibertus & Silvester germani de Villa Bellaxio, Bonus de Masenet filius quondam Andrei, Celsus de Pescallo filius quondam Martini, Antonini de Auregi, Johannes de Lapia, Ado de Visiniola. Ipsi Conibertus & Silvester testificati sunt pro Teoderico de Pescallo ..... Bonus testificatus est pro Andreas de Masianese. Predictus Celsus testificatus est per Lupone de*E *Bellasio filius quondam Boni fuit. Jam dictus Antoninus testificatus per Andreas filius quondam Andrei de Masianese, & nostro Johannes testificatus est per Leone filius quondam Deusdei de*

de Villa Bellaxio . Cum hi omnes taliter testificati , & inventi essent retractabiles , tunc apposita sancta Dei Euangelia unus ad unus jurare fecerunt , ut quod de predictis Mansos in Lemonta , unde intentio esset , in partes predictis Monasteriis scirent , veritatem dicerent . Qui predictus Conibertus inquisitus dixit : Scio, Mansos illos sex in Lemonta pertinuisse de Curte illa Lemonta, quod pars Monasterii Sancti Ambrosii tenere videtur . Et quando Domnus Lotharius Imperator Curtem ipsam in Lemonta a parte Sancti Ambrosii per Preceptum confirmavit abendum , Mansos ipsos sex cum omni integritate suorum de Curte ipsa Lemonta pertinebant & aspiciebant . *Predictos Silvester , Bonus , Celsus , Antoninus , Johannes , Ado omnia similiter dixerunt , sicut noster Conibertus . Et qualiter ex hac causa inquisitio facta sit , presentem notitiam pro causa memorationis ego Ambrosius Notarius ex jussione predictorum Missi scripsi , & in istis interfui .*

A

Anno Domno Karoli piissimi Regis in Ytalia Primo , bone memorie Domno Laudoici Regis *filius , septimadecima die Mensis Magio , Indictione Tertiadecima , feliciter .*

Ego Johannes *humilis* Episcopus *& Missus subscripsi & interfui .*

✠ *Signum manibus nostri* Alberici Comitis, *qui interfuit .* ✠

Ariperdus Judex sacri Palatii interfui .

Angilbertus Judex Domni Regis interfui & subscripsi .

Johannes Judex Domni Imperatoris interfui & subscripsi .

Johannes Poto Judex Domni Regis interfui & subscripsi .

Leo Judex sacri Palatii interfui & subscripsi.

Natalis Judex Domni Regis interfui & subscripsi .

Regifredus Judex interfui .

Johannes Episcopus heic memoratus Ticinensi Ecclesiæ , ut opinor , præfuit . Heic autem emendandus Ughellius Tom. V. Ital. Sacr. in Episcop. Comensibus : is enim ab Anno DCCCLXV. usque ad DCCCXCI. Novocomensem Episcopum nobis propinat *Agilbertum, sive Aglibertum, natione Gallum*. Ex hoc germano antiquitatis monumento certum habemus , Anno DCCCLXXX. *Heribertum* Sedem illam implesse . Animadverte etiam discrimen

B

inter *Judices* sententiæ subscribentes . Alii enim dicuntur *Judices sacri Palatii :* alii *Judices Domni Regis* , hoc est a Carolo Crasso creati : alii *Judices Domni Imperatoris*, idest a Carolo Calvo antea Augusto eo munere insigniti : alii denique nudo tantùm nomine *Judices* appellantur , idest Juris periti . Vide Dissertationem X. *de minoribus Justitiæ Ministris* . Habitum fuit Placitum istud Novocomi, sive ut heic dicitur , *Civitati Comani Comitato Mediolanense*, quod uti singulare in Dissertatione VIII. *de Comitibus* perpendi . Consuetudinem hanc judicandi de civilibus Ecclesiasticorum hominum controversiis subinde verò amplexos fuisse eos etiam Principes , quibus summa pietas laudem

C

conquisivit omnium bonorum , pluribus confirmare possem : Duo tantùm in hanc rem exempla adjiciam . Alterum debeo nuper memorato Tabulario Sancti Ambrosii Majoris, ubi autographum illustris Placiti adservatum vidi .

Gotifredus Abbas Monasterii Mediolanensis Sancti Ambrosii coram Anselmo Misso Henrici I Imperatoris in Placito, Belaxii habito , litem de quibusdam terris vincit contra Archiepiscopum Mediolanensem , & Episcopum Comensem , & Abbatem Sancti Kaloceri , Anno 1019.

D*Um in Dei nomine , loco , qui dicitur Belaxio , non longe da Ecclesia Sancti Andrei , in terra propria Monasterii Sancti Kaloceri scita , loco Clavate , per data licencia* Domni Andrei Abbatis ejusdem *Monasterii , & eo presente in judicio adesset* Domnus Anselmus Missus Domni Enrici Imperatoris , ex ac causa ab eo constitutus ; *adessent cum eo Arioaldus , Ingelramus , Azo , Mauricius , Giselbertus qui & Bonizo , Johannes qui & Amizo , Primo , Richardus, Andreas , Arnaldus Judices , & reliqui plures . Ibique eorum veniens presencia* Domnus Gotefredus *venerabilis* Abbas Monasterii beati Christi Confessoris Ambrosii , ubi ejus sanctum quiescit Corpus humatum , *fundatum foris & non longe de Civitate Mediolani , una cum Adam Notarius , Advocato suo , & da parte ejusdem Monasterii Advocatus , & retulerunt :* Habemus & detinemus ad proprietatem ad partem ejusdem Monasterii Sancti Ambrosii , pecia una de terra , que est Alpe & Monte , cum pratas & buscalias , cum areas , in qua extant querciace , & pertinet de Corte Lemunta & Civenna juxta Laco Comacino , que Corte ipsa de Lemunta & Civenna proprias ipsius Monasterii Sancti Ambrosii esse videntur : & nominatur ipsa

D

Muntedella & Quadrone . Coëret ei da mane terra Munte & Culma de predicta Curte Lemunta , & de ipsa Villa Civenna : da meridie Culma de Munte de Quadrone ; & est ipsa petia de terra, que est Alpe & munte & areas ex ipsas buscalias cum ipsas pratas insimul per mensura justa jugera treginta . Et si quislibet homo adversùs nos , & adversùs eumdem Monasterium exinde aliquid dicere vult , parati sumus cum eo inde ad rationem standum , & legiptime finiendum . Et quod plus est, querimus , ut dicant isti *Domnus Aribertus sancte Mediolanensis Ecclesie Archiepiscopus* , una cum Adam de loco Cropello suo , & da parte eidem Domui & Archiepiscopati Sancti Ambrosii Advocatus, & *Albericus sancte Cumensis Ecclesie Episcopus* , una cum Ariberto suo , & da parte ejusdem sancte Ecclesie Cumensis Advocatus, seu jam dictus *Andreas Abbas prefati Monasterii Sancti Kaloceri* , & Arioaldus suo , & da parte ejusdem Monasterii Advocatus, qui hic presens sunt : si predicta pecia de terra , que est alpe & munte, seu pratas & buscalias, cum areas suas , que hic denominavimus, propria ejusdem Monasterii Sancti Ambrosii est ; vel si de ipsa Curte Lemunta, & de ipsa Villa Civenna pertinet ; vel si ipsis *Domnus Aribertus*

E

tus Archiepiscopus , & Adam suo Advocato , & *Albericus Episcopus* , & Aribertus suo Advocato , seu *Andreas Abbas*, & Arioaldus Advocato suo , & da parte eorumdem Archiepiscopati sancte Mediolanensis Ecclesie , & Episcopati sancte Cumensis Ecclesie , seu da parte ejusdem Monasterii Sancti Kaloceri , contradicere aut subtrahere querunt, an'non . *Ad hec responderunt ipsis Domnus Aribertus Archiepiscopus una cum Adam Advocato suo , & ipse Albericus Episcopus una cum Ariberto Advocato suo , & predictus Andreas Abbas cum ipso Arioaldo Advocato suo* : Verè pecia ipsa de terra , que est alpe & monte , seu pratas & buscalias cum areas, in qua extant , quam vos *Domnus Gotefredus venerabilis Abbas*, & Adam Notarius vester , & ipsius Monasterii Sancti Ambrosii Advocatus , hìc denominastis , propria ipsius Monasterii Sancti Ambrosii est , & esse debet cum Lege , & ad partem ejusdem Curtis de Lemunta , & de ipsa Villa Civenna pertinet . & nobis ad partem ipsius sancte Mediolanensis Domui & Ecclesie , & sancte Cumensis Ecclesie , seu ipsius Monasterii Sancti Kaloceri nihil pertinet ad habendum nec requirendum . *Cum ita hoc peractum fuisset, rectum paruit supradictis Auditoribus esse, & judicaverunt , ut justa eorum Domni Gotefredi venerabilis Abbatis & Adammi Notarius suo , & da parte ejusdem Monasterii Advocatus altercatione , & jam dictorum Domni Ariberti Archiepiscopi & Adami suo Advocato, & Alberici Episcopi & ejusdem Ariberti Advocato suo , seu ipsius Andree Abbatis & Arioaldi suo Advocato , professione & manifestacione , amodo in antea ipse Domnus Gotefredus venerabilis Abbas cum eodem Adam Notarius Advocato suo predicta pecia de terra , que est alpe & munte, seu pratas & buscalias cum areas , in qua extant , que superius legitur , ad proprietatem ejusdem Monasterii Sancti Ambrosii, seu ad partem ejusdem Curtis Lemunta , & de Villa Civenna , abere & detinere deberent . Et ipsis Domnus Aribertus Archiepiscopus cum eodem Adam suo Advocato , seu pars ejusdem Archiepiscopati sancte Mediolanensis Ecclesie , & Albericus Episcopus & Aribertus suo & ejusdem Episcopati Advocato , seu pars ejusdem sancte Cumensis Ecclesie , atque predictus Andreas Abbas & Arioaldus suo & ipsius Monasterii Sancti Caloceri Advocato , seu pars ejusdem Monasterii Sancti Kaloceri, amodo in antea manerent exinde omni tempore taciti & cuntempti . Et sic finita est causa . Et qualiter ac causa acta est , presente noticia ad futuram tenendam memoriam & securitatem ejusdem Monasterii Sancti Ambrosii : quidem & ego , qui supra Adam Notarius scripsi & interfui .*

Anno Imperii Domni Henrici Imperatoris *Quinto, Mense November, Indictione Secunda.*
Anselmus Missus fui & subscripsi .
Arioaldus Judex Domni Imperatoris interfui.
Johannes Judex sacri Palacii interfui .
Giselbertus Judex interfui .
Ego Andreas Judex sacri Palacii interfui.
Ego Ingelramus Judex interfui .
Auderisius Judex sacri Palacii interfui.
Ego Primus Judex sacri Palacii interfui .

Quæ morum sanctitas effulserit in Henrico inter Augustos hujus nominis Primo , nemini ignotum puto . Atqui *ab eo constitutus* fuit Judex *ad caussam hanc* Anselmus Legatus suus , vir Sæcularis , ita ut jam intelligas , temporibus iis Ecclesiasticos viros in caussis civilibus aliis moribus ac Judicibus usos , quàm nunc in Italia , & quidem rectius , utamur ; neque id tunc nefas visum fuisse . Accedat altera Charta ad Mathildem celebrem Comitissam pertinens , cujus pervetustum , sed corrosum apographum ex membrana descripsi , adservatâ in Tabulario Estensi .

Mathildis Comitissæ & Ducissæ Tusciæ decretum super controversia de Ecclesia S. Michaëlis de Soleria in Comitatu Mutinensi, vertente inter Episcopum Mutinensem , & Abbatem Pomposianum, circiter Annum 1106.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis* . Matildis *Dei gratia si quid est* , filia Bonifacii Marchionis . . . . *Dei nomine olim apud Bajoariam essemus, & de negotiis nostris cum pluribus nostris fidelibus tractaremus, contigit* Domnum M . . . . . . Pomposia *cum quibusdam suis confratribus Monachis ad nos venisse , conquerendo videlicet , quod Clerici Ecclesiæ Sancti Michaëlis de Soleria da parte ejusdem Ecclesiæ Monasterio Sanctæ Mariæ de Pomposia injuriam fecerant , & injuste ac violenter eam sibi ab . . . . . . aut collatis eorum dictis credentes, querimoniam illorum justam & rationabilem esse putavimus, & predictum Ceno . . . . . in possessionem terciæ partis prefate Ecclesie mittere fecimus . Ignorantes quidem , hanc litem & controversiam ad noticiam* Domni Bernardi *sanctæ Romanæ Ecclesiæ tunc temporis* Presbyteri Cardinalis , *& per partes Longobardiæ & adjacentium fines* Vicarii Apostolicæ Sedis *pervenisse ; & post disceptatam & ventilatam justitiam , rei veritate compertâ, talem detisionem promulgasse . Statuit namque , ut Abbas prenominati Cenobii cum consilio & consensu Mutinensis Episcopi , nisi per eum remanserit , suos Clericos ordinet in Ecclesia de Solario communiter & canonice ibi viventes, in omnibus tamen salvâ Mutinensis Ecclesiæ reverentiâ atque canonicâ obedientiâ . Ipsi verò de Mutinensis Diocesis territorio eligantur , si jam dictus Abbas eos ibi poterit reperire , & dignos & congruos prelibatæ Ecclesiæ de Soleria habere . Quod si tales inde reperire & habere non poterit , tunc de alia Ecclesia eos accipiat . . . . Mutinensi Episcopo representeniur. Et sic modo, quo supradictum est in prefata Capella canonice & communiter . . . . . . Nos itaque dum apud Castellum de Carpo fueramus , & ab auctoritate tanti viri eodem ibi presente . . . . . . Mutinensium Episcopo, predictam litem , qualiter supra legitur , decisam esse pro veritate cognovimus : Notum fieri . . . . . nostrisque fidelibus tam presentibus quàm futuris , sicuti Domnus predictus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis atque . . . . . . diffinierat atque statuerat , Nos similiter in presentia Ubaldi de Carpineto, & Alberti de Adegerio . . . . . Guidonis Refutati , Aginulfi & Sigefredi de Candaceto , & aliorum plu-*

plurium , collaudasse , approbasse , & exinde hoc scriptum ad memoriam posterorum fieri precepisse . Hoc tamen una cum predictis venerabilibus Episcopis insuper statuimus , ut si quando Abbas vel Prior , aut eorum Confratres vel legati prefati Cenobii per terram illam transierit, in sæpe nominata Ecclesia de Soleria hospitium & caritativam atque competentem receptionem habeant , neque aliud nisi , quod supra legitur definitum atque statutum . . . . . . ea requirere audeant . Quod si quis presumptor , hujus decisionis & definitionis statutum , nostra auctoritate suffultum , aliquando infringere temptaverit , nostram malam voluntatem incurrat , & pœnam centum Librarum Lucensium componat . . . . . . eidem fiscali juditio , medietatem verò supradictæ Ecclesiæ de Soleria ; hoc tamen scripto nostræ corroboracionis & comprobacionis in suo robore . . . . . .

Ego Bernardus *Dei gratiâ sanctæ* Parmensis Ecclesiæ Episcopus , *quia , sicuti supra legitur cum* Domno Petro *venerabili* Pistor . . . . *quampluribus aliis diffinivi , in hac carta comprobacionis subscripsi .*

✠ *Ego* Dodo *Dei gratiâ* Mutinensis Episcopus *manu mea subscripsi .*

MA | TIL
DA | DEI
GRA | SI
QID | EST
-S-S-

Bernardus Anno tantùm MCVI. Episcopatum Parmensem iniit : quare aut eo Anno, aut aliquo ex subsequutis, sententiam hanc pronuntiavit Comitissa Mathildis ; ac proinde ad eum usque Annum deducenda est vita *Petri Pistoriensis Episcopi*, qui hisce actibus interfuit , ac subscripsit . Hinc autem rursus constat , Mathildim Principissam Sæcularem, & multis profectò virtutibus illustrem , minime sibi religioni duxisse , judicium assumere de sacrorum hominum civilibus controversiis . Et quamquam substiterit ipsa, dum cognovit, intercessisse jam in eadem caussa decretum *Bernardi Cardinalis & Vicarii Apostolicæ Sedis* , nihilo tamen secius ipsa sibi tribuit auctoritatem confirmandi illius sententiam , aliaque statuendi atque addendi, multâ etiam indicatâ contra facientibus. Neque hæc stupore ullo excipienda sunt . Nemo enim nescit , quantâ olim auctoritate Reges , etiam pii , in Ecclesiasticam ipsam disciplinam inquirerent , & Episcoporum , Canonicorum , Monachorum , sacrarumque Virginum mores corrigerent , eorumque labantem œconomiam, ubi opus esset, vi adhibitâ erigerent. Vide quæ attuli in Dissertatione IX. *de Missis Regiis* , uti & in LXV. *de Monaster. erection.*, atque in subsequenti *de Monasteriis Monialium.* Interim non pigeat audire Ludovicum Pium Augustum , quem ita loquentem inducit Ermoldus Nigellus Lib. 2. de Reb. gestis ejusdem. Illius Carmen editum a me habes Part. II. Tomi II. Rer. Italicarum .

Nunc nunc , o Missi , certis insistite rebus ,
Atque per Imperium currite rite meum .
Canonicumque gregem, sexumque probate virilem,
Femineum necnon , quæ pia castra colunt .
A *Qualis vita , decor , qualis doctrina , modusque ,*
Quantaque relligio , quod pietatis opus .
Pastorique gregem quæ convenientia jungat ;
Ut grex Pastorem diligat , ipse ut oves .
Si sibi claustra, domos, potum, tegimenq; cibumq;
Prælati tribuant tempore , sive loco , &c.

Reliqua pete e Capitularibus Regum Francorum , atque a Legibus Langobardicis Part. II. Tomi I. Rer. Italicarum . Illud ergo inconcussum est , pios etiam Reges nequaquam a suo munere alienum putasse, Ecclesiarum , atque Ecclesiasticorum emendationi ac regimini sese interdum immiscere , atque arbitratos id sibi licere , quodam veluti protectionis jure in nobilissimam hanc Populi sui portionem . Neque (B) profectò contra hiscebant , aut id moleste tulere Episcopi, aut ipsi Maximi Pontifices, quod perspicerent, eorum curam ac studium in ædificationem , non in destructionem Ecclesiæ vergere : ac tum solùm conqueri ac obsistere cœperunt, quum in exuberantem licentiam, atque in nimiam Ecclesiarum perniciem animadverterunt converti consuetudinem istam . Sed ex personis Christo militantibus ad eorum bona jam transeat oratio .

Nihil opus est , ut me ac Lectorem fatigem in ostendendo , quam multis immunitatibus olim Ecclesiarum agri fruerentur . Innumera prope est ut dicam monumenta , quæ in hoc (C) ipso Opere a me producta leguntur , luculenti testes sunt , quanta liberalitate olim Imperatores ac Reges certarint in amplificandis non minus Ecclesiasticorum hominum , quàm Ecclesiastici patrimonii privilegiis. Attamen jejunum prorsus argumentum dimittere nolo. Et primò excogitandum minime est, sine ullo discrimine olim immunes omnino a tributis publicisque oneribus fuisse quaslibet sacras personas , ac universas Cleri & Ecclesiarum fortunas, ex quo Constantinus Magnus Ecclesiæ pacem reddidit. Serius indulgentiam Principum hac in re Ecclesiastica militia sensit. Sed ne iis quidem temporibus una eademque donorum mensura erga omnes Clericos adhibita fuit . Majores nimi- (D) rum in Ecclesia Principes majoribus Privilegiis frui consueverunt , quales fuere Episcopi, Capitula Canonicorum , & Monasteria insignia sexus utriusque . At pusillis Ecclesiis par neutiquam fortuna favebat . Deinde immunitas quidem Ecclesiarum fundis concedebatur , sed patrimonialibus Clericorum bonis indulgentia eadem aliquando negata est . Denique vix ulla umquam tam ampla immunitas ab oneribus publicis ac tributis concessa est alicui Ecclesiæ, ut nulli vel ordinariæ vel extraordinariæ functioni sacra loca obnoxia relinquerentur . In his omnibus ingens vicissitudo legum & consuetudinum occurrit , neque tempora nostra carent ejusmodi exemplis. Eruditissimus autem (E) Thomassinus Part. 3. Lib. prim. Cap. 26. nonnulla Francorum Regum Capitularia laudat , quæ satis indicare videntur , a publicis oneribus ac servitiis exsolutos fuisse non solùm Clericos universos , quod est ad eorum personas , sed & omnium Ecclesiarum bona. Idem ante eum ostenderat doctissimus Bignonius in Notis ad Lib. prim. Cap. 3. Marculphi . Idque in Italia fuisse observatum , & ego evincere mihi posse videor ex Lege promulgatâ a Ludovico II. Augusto, Anno Christi DCCCLV. in Ticinensibus Comitiis, quam Langobardicis addidi Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 158. Sunt hæc illius verba : *Statuimus autem , ut Eccle-*

siæ

siæ Dei per totius Regni nostri fundatæ terminos, sub nostræ inmunitatis tuitione securæ cum rebus & familiis permaneant, ceu Prædecessorum nostrorum, piissimorum videlicet Augustorum, temporibus fuisse probantur. Earumque Rectores propriis utantur Privilegiis. Heic nullam Imperator Ecclesiam excipit: omnes immunes fore decernit. Neque novum aliquid se largiri testatur, sed se illud dumtaxat confirmare, quod piissimi Augusti majores sui antea concesserant. Heic tamen aliquis insurgens contendere possit, verba illa *sub nostræ inmu-* A *nitatis tuitione* dubia esse, ac per ea significari etiam posse nudam Ecclesiarum protectionem, quam *Mundiburdium* interdum appellabant. Moris quippe olim fuit, literas ejusmodi tutelæ, sive Mundiburdii, non solùm sacris hominibus, sed & Sæcularibus concedere. Earum verò exempla præcipuè se mihi offerunt sub Hugone Italiæ Rege, ex quibus nonnulla producere juvat. Primum debeo Archivo Monachorum Veronensium Montis Oliveti Sanctæ Mariæ ad Organum, ubi authenticas illius tabulas sub oculis habui.

Hugonis Italiæ Regis Diploma, quo Luponem de Nugarini cum filiis sub suo Mundiburdio recipit, Anno 928.

IN *nomine Domini Dei æterni*. Hugo *gratia Dei* Rex. *Noverit omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque, presencium scilicet ac futurorum noverit industria*, Luponem de Nugarini cum filio suo, *nomine* Gisemperto, & altero filio suo, *nomine* Audivertus, *nostram humiliter adiisse clemenciam, quatenus pro Dei omnipotentis amore eum cum predictis suis filiis & rebus, illi juste & legaliter pertinentibus*, sub nostræ tuitionis Mundburdo *recipere dignaremur. Cujus peticionibus annuentes, eum cum predictis filiis suis, & cum omnibus mobilibus & inmobilibus rebus, illi juste & legaliter pertinentibus vel advenientibus*, sub no- B stræ tuitionis Mundburdo *recepimus. Precipientes, ut nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Locopositus, Decanus, Saltarius, Vicarius, vel alia quelibet magna parvaque persona, ei, neque jam dictis filiis suis aliquam sine legali juditio audeat inferre molestiam, neque occasionibus alicujus injustæ rei illos fatigare presumat, neque per Placita ventilare audeat. Sed liceat eum cum predictis filiis suis, & cum omnibus suis mobilibus & inmobilibus rebus illi juste & legaliter pertinentibus quiete & pacifice vivere, omnium hominum injusta remota contradictione. Si quis igitur &c.*

Non adest signum Regis.

Petrus Notarius jussu Regio recognovi & subscripsi.

Data XVIII. Kalendas Martii, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXVIII. Regni verò Domni Hugonis piissimi Regis Secundo, Indictione Prima.

Actum Veronæ feliciter. Amen.



Non dissimilem Chartam eodem Anno exaratam suppeditavit mihi Estense Archivum. C Erat apographum pervetustum, sed injuriâ temporum corrosum.

Literæ protectionis, seu Mundiburdi, concessæ ab Hugone Italiæ Rege, Amelrico, qui & Amizo, habitatori Ferrariæ, ejusque uxori Theopergæ, Anno 928.

IN *nomine Domini Dei æterni*. Hugo *gratiâ Dei* Rex. *Noverit omnium fidelium sancte Dei Ecclesie, nostrorumque, presentium scilicet ac futurorum industria*, Amelricum, qui & Amizo vocatur, *habitator Ferrarie*, cum conjuge sua *nomine* Theoperga, *nostram humiliter adiisse clementiam, quatenus eos cum omnibus illorum mobilibus & inmobilibus rebus, illis quocumque scriptionis titulo juste & legaliter pertinentibus, vel hereditario jure advenientibus.... servis & ancillis utriusque sexus, cum Castris & cum Villis, & cum omnibus, que dicto nomine.... juste & legaliter pertinentibus, vel que in antea Deo propitio, eodem ordine..... potuerint*, sub nostre tuitionis Mundiburdo recipere dignaremur. *Quod & fecimus. Precipientes igitur jubemus, ut nullus Dux, Marchio, Co-* D *mes, Judex...... Locopositus, Decanus, Saltarius, Vicarius, vel alia quelibet magna, parvaque persona aliquam eis absque legali judicio audeat inferre molestiam. Nullus etiam..... rietatibus, de quibus juste & legaliter investiti sunt, neque de illorum libellariis injuste & sine legali judicio disvestire presumat. Nullus etiam in illorum Castris neque Villis Placita....., neque potestative ingredi temtet. Nemo quoque eorum liberos homines neque servos inquietare presumat injuste, sed liceat eundem Amelricum cum conjuge sua nomine Teoperga, quiete & pacifice vivere & sua omnia sibi juste & legaliter pertinentia tenere & possidere, omnium hominum remota contradictione. Si quis igitur* hujus nostri Mundiburdi *violator extiterit, sciat se compositurum auri optimi Libras viginti, me-*

dietatem Cameræ nostræ, & medietatem predictis jugalibus, eorumque heredibus. Quod ut verius credatur, de anulo nostro subtus annotari jussimus.

Non legitur appositum Monogramma Regium.

Petrus Notarius jussu Regis recognovi & subscripsi.

A

Data VI. Idus Martii, Anno Dominice Incarnationis DCCCCXXVIII. Regni verò Domni Hugonis piissimi Regis . . . . . Primâ.

Actum in Domo Sancti Georgii in Ferraria: feliciter.


Tertium denique exemplum sumsi ex Arretinorum Canonicorum Tabulario. Membrana faciem præferebat archetypi Diplomatis.

Hugonis & Lotharii Regum Italiæ Diploma, quo confirmant cuidam Bernardo omnia illius jura, Anno 943.

IN *nomine Domini Dei æterni*. Hugo & Lotharius *divina providente clementia* Reges. *Regalem decet excellentiam, justis fidelium petitionibus assensum præbere. Quocirca omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque, præsentium ac futurorum devotio noverit, qualiter interventu ac petitione* Ilderici Comitis *dilecti fidelis nostri, pro ut juste & legaliter possumus, per hoc nostræ confirmationis Præceptum confirmamus ac corroboramus* Bernardo *nostro fideli omnes res proprietatis suæ, juste & legaliter adquisitas & adquirendas, sive familias, emptionis, commutationis, vel quolibet titulo legalis scriptionis sibi pertinentes, res in Casale Manditiano, in Campriano, & Blationo, vel per singula loca & vocabula Regni nostri adjacentes. Recipientes eumdem Bernardum & filios*

B

suos sub nostræ tuitionis Munburdum, *una cum omnibus rebus mobilibus & immobilibus, sibi juste & legaliter pertinentibus, servis & ancillis. Præcipientes itaque jubemus, ut nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, seu qualibet Regni nostri magna parvaque persona prædictum Bernardum molestare, vel de suis rebus desvestire audeat absque legali judicio. Si quis igitur hujus nostri Præcepti confirmationem seu* Munburdi tuitionem *aliquando infringere conatus fuerit, sciat se compositurum auri optimi Libras quinquaginta, medietatem Kameræ nostræ, & medietatem præfato Bernardo suisque heredibus. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, manibus propriis roborantes, anulo nostro insigniri jussimus.*

Signa serenissimorum  *Hugonis & Lotharii Regum.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Giseprandus Cancellarius ad vicem Bosonis Episcopi & Archicancellarii recognovi & subscripsi.
Data XII. Kalendas Novembris, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXLIII. Regni verò Domni Hugonis XVIII. Lotharii XIII. Indictione Secunda.
Actum Papiæ feliciter. Amen.

Animadverte, haberi heic Regum Signum, sive Monogramma, quod a præcedentibus abest: fortasse quod præter Mundiburdium ii Reges confirmationem omnium bonorum Bernardo petenti largiuntur Simile etiam Diploma emissum pro quodam Grippone a Ludovico II. sive III. Imperatore produxi in Dissertatione XVII *de Fisco*. En ergo ut Laicis quoque hominibus tutelares tabulæ conscribebantur, quarum vis erat, ut si quispiam injuste vexaret hujusmodi

C

homines sub Regia tutela positos, præter pœnam a communibus Legibus impositam, multam quoque in Mundiburdio, sive Privilegio constitutam persolvere cogeretur. Pares autem literas interdum video ab Ecclesiis & Monasteriis sibi conquisitas. In laudato nuper Cœnobio Veronensi Sanctæ Mariæ ad Organum, alterum hoc Præceptum, illudque authenticum, inspexi.


Hugo Italiæ Rex Monasterio Sanctæ Mariæ de Gazo Mundiburdium concedit, Anno 928.

IN *nomine Domini Dei æterni*. Hugo *gratia* Dei Rex. *Si peticionibus servorum Dei aurem nostre serenitatis accomodaverimus, non solùm regalem exercemus consuetudinem, verùm etiam & salutem animæ nostræ futuro tempore liquidò promerebimur. Idcirco noverit omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorum, presentium scilicet & futurorum industria,* Ursum venerabilem Patriarcham *nostram humiliter adiisse clementiam, quatenus pro Dei amore, animæque nostræ remedium, Monasterium ejus de Gazo, quod ad honorem beatissimæ Mariæ semperque Virginis dicatum est, cui nunc* Petrus Abba *præsidet, cum omnibus ad se perti-*

D

nentibus, sub nostræ tuicionis Munburgum *obtegere debuissemus. Cujus peticionibus animum nostræ benivolentiæ de more flectentes, eumdem Monasterium de Gazo, cum Ecclesia Sanctæ Mariæ de Organo, sive cum Castello de Saregada, sive cum famulis & famulabus, sive cum aldionibus & aldianis, seu cum omnibus, quæ dici vel nominari possunt ad eundem Monasterium pertinentibus vel aspicientibus, pro Dei amore, animæque nostræ remedium*, sub nostræ tuicionis Munburgum *defendimus & custodimus. Præcipientes, ut nullus Marchio, nullus Dux, nullus Comes, nullus Vicecomes, nullusque Gastaldius, aut cuilibet rei publice exactor, in eundem Mo-*

nasterium de Gazo aliquas contrarietates facere præsumat, aut aliquas inusitatas & inportunas exhactiones sive exhibiciones inponere temptet, aut aliqua freda exigat: *sed liceat prefatum Monasterium cum omnibus ad se pertinentibus vel aspicientibus nostra . . . . . sinu taliter vivere, qualiter permanserunt in temporibus antecessorum nostrorum Imperatorum,* sub nostræ tuicionis Munburgum. *Si quis autem super hoc judicare voluerit rei minister, veniat ante presentiam nostram, & ibi justo terminetur examine. Si quis autem, quod non credimus, contra hanc nostram &c. Et ut hoc verius credatur, & diligentius &c.*

Signum Domni  *Hugonis gloriosissimi Regis.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Petrus Notarius ad vicem Beati Episcopi & Archicancellarii recognovi & subscripsi.

Data Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXVIII. Pridie Idus Februarii, Indictione Prima, Regni verò Domni Hugonis gloriosissimi Regis Secundo.

Actum Veronâ feliciter. Amen.

Quæ Privilegia Hugo Rex Monasterio Sanctæ Mariæ de Gazo impertitur, dum illud *sub suæ tuitionis Mundiburdio* statuit, nihil aliud esse videntur, nisi ita ipsum suâ protectione munire, ut ei nemo audeat *aliquas contrarietates facere, aut aliquas inusitatas & importunas exactiones imponere*, pœnâ inobedientibus propositâ: quo Privilegio excludi minime videntur justa atque ordinaria onera, quibus fortassis & ipsi Clerici obnoxii fuere. Porro heic rursus Regium intuere Monogramma, quo prima duo Diplomata carebant. Vide etiam Mundiburdium Anno DCCCLXXX. concessum Leoni Clerico a Carolo Crasso Italiæ Rege in eadem Dissertatione XVII. *de Fisco*, evulgatum. Sed jam respondendum est, in hisce quidem tabulis protectionis ac *Mundiburdii* mentionem occurrere; at in Lege Ludovici II. modò memoratâ præter *tuitionem* concedi etiam *Immunitatem*: qua voce revera significatur liberatio a publicis oneribus atque tributis. Ad illustrandam ergo formulam istam ab eodem Ludovico Augusto usurpatam, nempe *sub nostræ Immunitatis tuitione securæ cum rebus & familiis permaneant*: consule Diplomata aliquot a me edita in eâdem Dissertatione *de Fisco*. Sed iis uberius lumen accedet ex geminis authenticis tabulis, quas in Chartophylacio suo adservatas a Canonicis Arretinis vidi.

Diploma Lotharii I. Imperatoris Petro Arretino Episcopo concessum, quo illius Ecclesiæ bona & immunitates confirmat, Anno 843.

IN *nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni*. Hlotharius *divina procurante providentia* Imperator Augustus. *Si petitionibus Sacerdotum Dei justis & rationabilibus, in quibuscumque indiguerint, adnuimus, & ad effectum perducimus, id nobis procul dubio ad æternam beatitudinem capessendam pertinere confidimus. Quapropter comperiat omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostrorum, presentium videlicet & futurorum, magnitudo, quia vir venerabilis* Petrus Aricienfis Urbis Episcopus *nostris detulit obtutibus* immunitatum Præcepta *prestantissimi Avi nostri* Karoli, *atque pie recordationis Genitoris nostri* Hludovvici Imperatorum, *in quibus continebatur, qualiter ipsi prenominatam Ecclesiam cum omnibus rebus ad se juste & legaliter pertinentibus* sub tuitionis atque immunitatis suæ defensione *susceperint, ut denuo in suorum Successorum defensione persistere debeat, modis omnibus statuerint: deprecans nos*, ut simili sanctione eam sub nostro Mundeburdo reciperemus. *Cujus petitioni ob divinum amorem, & beati Martyris Donati venerationem, cujus illic sacratissimum Corpus quiescit, adsensum prebentes, hos excellentiæ nostræ apices decrevimus fieri, quibus memoratam Sedem cum omnibus ad se juste & legaliter pertinentibus* sub nostræ immunitatis tuitione suscepimus, *& ut per tempora labentia simili fulciatur auctoritate constituimus. Videlicet ut* nullus Judex publicus, vel quislibet ex judiciaria potestate, seu Missus noster discurrens in Ecclesias & Loca & agros seu reliquas possessiones predictæ Ecclesiæ, quas moderno tempore juste & legaliter possidere dinoscitur, vel quas deinceps divina pietas ibi augeri voluerit, ad causas judiciario more audiendas, aut freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius Sedis tam servos quàm ingenuos, super terram illius commanentes, injuste distringendos, nec ullas redibitiones, vel inlicitas occasiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumat. *Sed liceat prefato Antistiti, suisque Successoribus, res & familias ejusdem Sedis sub ea integritate, qua a nobis illam adipisci meruit, & quemadmodum nunc tenere dinoscitur, quiete ac pacifice dominari, & prout utilitas dictaverit, absque alicujus infestatione gubernare atque disponere. Integrum verò predium quoddam ipsius Ecclesiæ, quod nuncupatur Campus Fugianus, cum pertinentiis suis, simili conditione, sicut superius est promulgatum*, sub nostræ immunitatis ponimus Mundeburdo, *ac confirmamus mansurum in dominatione Sedis ipsius. Et quicquid in his, quæ predicta sunt, Fiscus noster sperare poterat, totum nos eidem Ecclesiæ in luminaribus concinnandis pro mercedis nostræ augmento conferimus, quatenus illum cum omni sibi subjecto Clero adtentius pro nobis, Conjuge, & prole nostra, Domini*

mini misericordiam exorare delectat. Et ut hæc nostræ immunitatis atque tuitionis auctoritas inviolabilem & inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, & anuli nostri ...... adsignari jussimus.

Signum  *Hlotharii serenissimi Augusti.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.


Hrodmundus Notarius ad vicem Agilmari recognovi & subscripsi.

Data V. Kalendas Septembris, Anno Christo propitio Imperii Domni Imperatoris in Italia XXIIII. & in Francia IIII. Indictione ....

Actum Romarici in Monte, in Dei nomine feliciter. Amen.

Confirmatio omnium bonorum & jurium Ecclesiæ Arretinæ facta a Carolo Crasso Italiæ Rege Johanni Episcopo Arretino, Anno 879.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.* Kar-lus *divina favente clementia* Rex. *Omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque, præsentium scilicet ac futurorum noverit industria, quia* Johannes *venerabilis* Aretinæ Ecclesiæ Episcopus *nostram adiens magnificentiam petiit, quatenus Ecclesiam beati Donati, in qua ejus sacratissimum Corpus humatum habetur, more parentum nostrorum gloriosissimorum Imperatorum cum rebus & familiis* sub nostra reciperemus tuitione: *ostendens nobis* immunitatum Præcepta *præstantissimi* Atavi nostri Caroli, *& piæ recordationis* Avii nostri Hludowici, & Patrui nostri Hlotharii Imperatorum. *In quibus continebatur, qualiter ipsi eandem Ecclesiam cum suis omnibus rebus & familiis* sub immunitatis suæ defensione *recepe rint; & ut in suorum Successorum defensione persistere perpetuo deberet, statuerunt. Nos igitur eorum morem sequentes, ob amorem beati Donati Martyris libenter ejus petitionibus aurem accommodantes, hos excellentiæ nostræ apices fieri decrevimus, quibus eandem Sedem cum omnibus Ecclesiis baptismalibus ac titulis, Monasteriis & Curtibus, casalibus & sortibus, servis, aldionibus, libellariis & censualibus utriusque sexus, mobilibus etiam & inmobilibus, sub nostra defensione recepimus, firmissime statuentes*, ut nullus Judex publicus, vel quislibet ex judiciaria potestate, seu Missus noster discurrens, in Ecclesias, casas, vel agros seu reliquas possessiones prædictæ Ecclesiæ, quas juste & legaliter possidere dinoscitur, vel quas divina pietas sibi augere voluerit, ad causas judiciario more audiendas, aut freda exigenda, aut mansiones, vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines tam servos quàm ingenuos super terram ipsius Sedis commanentes jnjuste distringendos, nec ullus redibitiones vel illicitas occasiones requirendas, ullo umquam in tempore ingredi audeat, vel per aliquod ingenium exigere præsumat. *Simulque confirmamus eidem Ecclesiæ omnia nostrorum Prædecessorum tam gloriosissimorum Imperatorum quamque & diversorum Regum Præcepta, quæ ejusdem Ecclesiæ venerabiles olim Episcopi adquisiverunt, nec non & offersiones, venditionesque fidelium adquisitas vel Deo favente adquirendas; & specialiter præcepta Romanorum Pontificum de Plebibus in Senensi Comitatu, quas maliciose quidam infestare videntur, perpetuum robur obtinere sancimus. Illas etiam, quas iniquitatum fauctores inquietare conati sunt, idest Ecclesiam Dei Genitricis in Monte Girato, & Ecclesiam cum Curticella in Malisiano, & Ecclesiam Sancti Petri in loco, qui dicitur Castellum, cum Curtibus & omnibus ad eas pertinentibus, eidem Ecclesiæ confirmamus. Sanctionem etiam* fratris nostri Hludowici *quondam* Imperatoris, *quæ nocivas eidem Ecclesiæ Episcoporum evacuat scripturas roboramus. Monasterium etiam Sancti Angeli cum Colonaria ...... & Agialta, quæ æquivocus noster beato Donato optulit, cum omnibus ad se pertinentibus, & nos perpetuo stabilimus. Hæc autem supra memorata & promulgata*, sub nostra immunitatis ponimus ac confirmamus Mundeburdo, *in ipsius Sedis ditione mansura: & quicquid in his noster Fiscus sperare poterat, eidem Ecclesiæ in luminaribus concinnandis, pro nostræ mercedis conferimus augmento, quatenus nostrum memoriale perpetuo beatus Martyr Donatus Christi conspectu studeat repræsentare. Hanc autem nostram constitutionem si quis in aliquo violare præsumpserit, tres auri cocti Libras distringente Fisco eidem Ecclesiæ, &* immunitatem *pro temeritate persolvat. Hæc verò nostra constitutio ut perpetuum vigorem Christo auctore optineat, manu propria subter firmantes, annuli nostri impressione insigniri jussimus.*

Signum  *Domni Karoli serenissimi Regis.*

Locus Sigilli cerei ✠ sed admodum mutili.

Inquirinus Notarius ad vicem Liutuvardi Archicancellarii recognovi & subscripsi.

Data XVII. Kalendas Decembris, Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi DCCCLXXVIIII. Indictione XIII. Anno verò Regni Regis Karoli Tercio.

Postremum

Postremum hoc Diploma crucem mihi fixit. Præferebat nempe membrana signa quælibet archetypo convenientia, si locum dati Privilegii excipias, qui nullus ibidem occurrebat, quum tamen apponi soleret. *Tertius* autem *Annus Regni Karoli*, decurrente Anno Christi DCCCLXXXIIII. indicare videbatur potius *Carlomannum* quàm *Carolum Crassum* ejus fratrem. Verùm quod Carlomanno tribui non possit Diploma, hæc mihi persuadent. Primo habemus heic nomen *Karoli*, non autem *Karlomanni*, quod in aliis Diplomatis occurrit. Secundo Monogramma diversum est a reliquis *Carlomanni* ipsius. Tertio cessisse Italiâ videtur Carlomannus Rex ante Novembrem Anni DCCCLXXIX. & locum dedisse Carolo Crasso Regi fratri suo. Itaque ad eumdem Crassum censui omnino referendas esse hasce tabulas, Nomine videlicet, Monogrammate, Notario, & Archicancellario in ipsum concurrentibus. Certe tempore dati Diplomatis Carolus iste in Italia versabatur, & Principum saltem vota colligebat, ut Rex Italiæ salutaretur; immo renuntiatus fuisse antea mihi creditur. Sed cur ne gry quidem de Regno Italico in Diplomate occurrit? Quod si ille hæc dedit tamquam Rex Alamanniæ, sciscitari succurrit, cur Annus dumtaxat Tertius Alamannici Regni ei decurreret die XV. Novembris Anni DCCCLXXIX. quum V. Kalendas Septembris Anni DCCCLXXVI. Ludovicus Rex ejus pater vivere desierit, atque illi Crassus e vestigio in Alamanniæ Regno successerit? Sed tricis hisce

A dimissis, quod pluris interest, perpendamus. Arretinum Episcopum Lotharius I. Augustus *sub suæ immunitatis tuitione* suscipit. Quid hæc verba importent, mox ille explicat, inquiens: *videlicet ut nullus Judex publicus, vel quislibet ex judiciaria potestate, seu Missus noster discurrens, in Ecclesias, Casas, vel Agros, seu reliquas Possessiones prædictæ Ecclesiæ, quas juste & legaliter possidere dinoscitur, vel quas divina pietas sibi augere voluerit, ad causas judiciario more audiendas, aut freda exigenda, aut mansiones, vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines tam servos quàm ingenuos, super terram ipsius Sedis commanentes injuste distringendos, nec ullas redibitiones vel illicitas occasiones requirendas, ullo umquam*

B *in tempore ingredi audeat, vel per aliquod ingenium exigere præsumat*. Non dissimili verborum vi in altero Privilegio heic nunc edito Lotharius I. Augustus utitur. Quamobrem jam vides, *Immunitatis Regiæ tuitione* frui, idem fuisse, atque nullis amplius subdi Magistratibus Regiis, nullisque tributis, oneribusve Reipublicæ obnoxium esse, & præsertim additâ eâ clausulâ: *Et quidquid in his noster Fiscus sperare poterat, eidem Ecclesiæ conferimus*. Propterea ejusmodi Privilegia appellata quoque fuerunt *Immunitatis Præcepta*, uti constat ex nuper descripto Caroli Crassi Diplomate, ac etiam ex altero prælaudati Carlomanni Regis Privilegio, quod archetypum legi in Urbe Ticinensi, adservatum a sacris Virginibus Monasterii de Posterula, sive Sanctæ Mariæ Theodotæ.

Carlomanni Italiæ Regis Præceptum, quo confirmat omnia bona & jura Ticinensi Parthenoni Sanctæ Mariæ Theodotæ, Anno 877.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis*. Karlomannus *divina favente gratia* Rex. *Si circa servos & ancillas Dei munificentiam nostræ benignitatis intulerimus, credimus hoc ad animæ nostræ salutem efficaciter pertinere. Quapropter cognoscat industria omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet & futurorum, quia quidam venerabilis vir* Heimo Episcopus Bellonensis Ecclesiæ *adiit celsitudinem nostram, postulans, ut quoddam* Immunitatis Preceptum *sorori suæ* Rihsvindæ Abbatissæ Monasterii Sanctæ Mariæ Dei Genitricis, *quod dicitur* Theodotæ, *situm in Urbe Ticinensi, pro diversis utilitatibus ejusdem Monasterii fieri juberemus. Nos verò ejus petitiones rationabiles fieri conspicientes*, hoc Immunitatis Preceptum *prefatæ sorori suæ conscribere jussimus. Per quod omnino determinantes jubemus, ut eadem Abbatissa prænominata, soror videlicet jamdicti Episcopi, & dilecti fidelis nostri, degens sub Regula Sancti Benedicti, id Monasterium cum omnibus adjacentiis, jure ac legaliter adquisitis, usque in finem vitæ suæ teneat atque possideat. Insuper ergo omnes res quascumque Monasterium idem longo tempore possedit, aut postea juste ac legaliter tam emptione, donatione quàm fidelium oblatione adquisivit, ac deinceps juste & legaliter adquirere potuerit, tranquillo jure per hoc nostræ auctoritatis Præcep-*

C *tum teneat. Et ut liceat eidem Cenobio secundùm Regulam Sancti Benedicti de propria Congregatione Abbatissam eligere*: sintque cunctas res ejusdem Monasterii tam homines quàm cetera pertinentia sub Regali seu Imperiali Immunitate defensæ. *Et si necessitas fuerit, de rebus & familiis ipsius per inquisitionem Regalem rei veritas approbatur. Hæc verò omnia, quæ prelibavimus, & quæcumque antecessores nostri felicissimi* Imperatores Hlutharius *videlicet* Patruus noster, & Hludovicus Consobrinus noster, *per* Precepta Immunitatis, *atque illorum confirmationis eidem Sancto loco contulerunt, pleniter atque securiter, salvâ omni justitiâ ejusdem Monasterii, per presentem auctoritatem*

D *nostram ob amorem Dei, Deique genitricis Mariæ, nec non & venerabilem petitionem dilecti fidelis nostri* Heimonis, *concedimus atque confirmamus. Liceatque eidem sanctæ Congregationi perpetualiter quiete & securiter sine ulla molestia & inquietudine pro nobis ac Conjuge nostra, divinam exorare clementiam. Si quis verò, quod absit, infra dicionem Regni nobis a Deo dati consistens contra* hoc Immunitatis *ac confirmationis* nostræ Preceptum *insurgere vel irrumpere ausus fuerit, sciat se centum Libras auri probatissimi solvendum, medietatem eidem Ecclesiæ & medietatem Palatio nostro. Et ut hæc auctoritas nostræ confirmationis atque conc essio-*

cessionis inviolabilis permaneat, & per futura tempora verius credatur, manu propria subter A *firmavimus, & annuli nostri impressione jussimus sigillari.*

Signum KAROLMANNUS *Karlomanni invictissimi Regis.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Baldo Cancellarius ad vicem Theotmari Archicapellani recognovi & subscripsi.
Data XII. Kalendas Decembris, Anno Christo propitio I. Regni Domni Karlomanni serenissimi Regis Italiæ.
Actum Civitate Verona, Indictione XI. in Dei nomine feliciter. Amen.

Habemus heic *Heimonem Episcopum Bellunensem*, quem Pilonus in ejus Urbis Historia, & Ughellius Tom. V. Ital. Sacræ, *Almonum* appellant. Hæc autem dum scribo, mihi semper in mente recurrunt, non ejusdem vigoris fuisse *Mundiburdia*, seu *Precepta Immunitatis*. B Alia enim importasse tantummodo Protectionem videntur, alia Protectionem simul ac Privilegia. Quibus verbis conceptum fuerit Conradi Augusti Diploma, depromtum ex Archivo Monachorum Benedictinorum Sancti Sixti Placentiæ, tu, si lubebit, intelliges.

Literæ protectionis, seu Mundiburdii, concessæ a Conrado I. Imperatore Monasterio Monialium Sancti Xysti Placentini, Anno 1036.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.* Chuonradus *divina providente clementia* Romanorum Imperator Augustus. *Omnium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrique fidelium universitati notum esse volumus, qualiter nos per interventum & petitionem nostræ dilectissimæ contectalis*, Gislæ *scilicet* Imperatricis, *& amantissimæ nostræ prolis* Heinrici Regis, *nec non* Pilegrini *venerabilis nostri* Coloniensis Archiepiscopi, *atque* Herimanni nostri Cancellarii, *ac* Bonifacii *nostri dilecti* Marchionis, *Monasterium ad honorem Dominicæ Resurrectionis, & beati Apostoli Bartholomæi, Sanctorumque Martyrum Xysti & Fabiani, in Placentina Urbe constructum, cum omnibus juste & legaliter ad id pertinentibus* sub Mundiburdii nostri tuitione suscepimus: *eâ videlicet ratione*, ut nullus Archiepiscopus, Episcopus, Dux Marchio, Comes, Vicecomes, Sculdascio, seu aliqua nostri Regni magna parvaque persona prædictum Monasterium, & Abbatissam, inibi pro tempore constitutam, de omnibus juste & legaliter ad se pertinentibus molestari, inquietare, vel disvestire præsumat sine legali judicio. *Si quis verò* hujus nostri Mundiburdii *temerarius violator extiterit, sciat se compositurum auri optimi Libras centum, medietatem Kameræ nostræ & medietatem prælibato Monasterio, ac Abbatissæ inibi pro tempore constitutæ. Et ut hoc nostrum Decretum omni tempore maneat inconvulsum, hanc Kartam inde conscribi, & Sigilli nostri impressione jussimus insigniri.*

Herimannus Cancellarius vice Pilligrini Archiepiscopi & Archicancellarii recognovit.

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.


Datum III. Nonas Julii Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Trigesimo Sexto Indictione IIII. Anno autem Domni Chuonradi Secundi Regnantis XII. Imperatoris verò X.
Actum Noviomago.

Heic nuda verba; heic *Protectionis*, seu *tuitionis* rerum ac bonorum ejusdem Monasterii, ac Abbatissæ, tantummodo fit mentio, nulla verò Immunitatis tributorum onerumve publi- C corum. Ad hæc si *Ecclesiæ Dei per totius Regni Italici fundatæ terminos*, ut Ludovici II. Augusti Lex habet, *sub Regiæ Immunitatis tuitione* erant, idest universali lege a Fisci jurisdictione abstractæ, & a quibuscumque factionibus, angariis, ac oneribus publicis immunes: cur, inquam, tam anxie quælibet Ecclesia Privilegium sibi ab Impeeatoribus ac Regibus conquirebat? Parum dixi: cur ipsorum Privilegiorum confirmationem a singulis novis Augustis Regibusve certatim quisque exposcere atque impetrare consuevit? Certe usum hunc minime contemnebat, cui cordi esset sua, sive Ecclesiæ suæ utilitas, ita ut suboriri suspicio possit, non ex vi universalis alicujus Le- D gis plenam Immunitatem cuicumque Ecclesiæ, cunctisque hominibus Deo sacris, eorumque fundis tributam; sed in eos tantùm indulgentiam hanc effusam fuisse, qui Privilegio a quocumque novo Principe impetrato ipsam consequuti fuissent. Conjecturam meam, qualiscumque sit, propono. Scilicet, generali quidem Lege Ecclesiis collata fuerat *Immunitas*, sed ea conditione, ut novos quosque Reges, uti Privilegii auctores, Episcopi, Abbates, ceterique Clerici agnoscerent, non secus atque fiat a Vassallis secundùm Leges Feudales. Nam etsi Feudum aliquod deferatur non primo tantùm acquirenti, sed & omnibus ejus descendentibus: singuli tamen descendentes E novam a novo Principe, sive Seniore, investituram petere jubentur. Ceterum heic aliquid subobscuri est, saltem oculis meis. Nam Ludovicus II. in Lege supra laudatâ ab *Immunitatis tuitione* distinguere videtur *Privilegia*, addens: *earumque Ecclesiarum Rectores propriis utantur Privilegiis*, quasi præter commune Immunitatis Privilegium, Ecclesiarum Rectores propria sibi Privilegia ab Augustis ac Regibus procurarent. Et profectò non omnia Privilegia eamdem præferebant Regiæ liberalitatis mensuram. Quàm effusus olim fuerit Henricus I. Italiæ Rex in celebre Monasterium sacrarum Virginum, nunc Monachorum Benedictinorum, Cœnobium Sancti Sixti, aliis monumentis in hoc ipso Opere ostendi. Nunc in isto, quod mox sum editurus, acceptum ex Archi-

Archivo ejusdem Monasterii, animadvertat Lector, concessam fuisse *omnem etiam Districtionem & redditionem* (sive *redhibitionem*, ut habent alia Diplomata) *per singula loca, & Comitatus, de omnibus rebus & possessionibus ejusdem Monasterii, quæ ad Partem Publicam pertinere videntur*. Præcipit etiam, ne *ab hominibus liberis, in potestate ejusdem Monasterii residentibus, aut a familiis ipsius loci, aliquis Reipublicæ Minister ullum portonaticum, telonium, aut ripaticum, vel quælibet vectigalia requirat*, nec *exigat*. Sed ipsum Præceptum accipe.

Confirmatio Privilegiorum Monasterii Sancti Xysti Placentini, facta ab Henrico I. Italiæ Rege, Anno 1008.

In *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis*. Heinricus *divinæ dispositionis providentiâ* Rex. *Si sacris ac venerabilibus Locis temporalia atque transitoria concedimus, magnam apud Deum remunerationem habere confidimus. Quocirca omnium fidelium, præsentium scilicet ac futurorum, noverit universitas; quod nostram adiit celsitudinem* Cunigunda Regina *dilectissima* Conjux nostra, *quatenus pro amore supernæ remunerationis per nostri Præcepti paginam quoddam Monasterium infra Civitatem Placentiam a beatæ scilicet memoriæ* Angelberga Imperatrice *constructum, & in honore sanctæ Resurrectionis, & beati Xysti Martyris Christi dedicatum*, Itæ Abbatissæ *cum omnibus suis pertinentis confirmare atque corroborare dignaremur. Cujus petitionibus, ut justum est, annuentes, per hanc nostri Præcepti paginam eidem* Itæ Abbatissæ *confirmamus omnes res & possessiones tam mobiles quàm immobiles, quæ ad partem ipsius Monasterii donatione, vel Cartarum inscriptione legibus adquæsitæ vel contraditæ sunt, seu quicquid per Regum vel Imperatorum antecessorum nostrorum Præcepta ad eumdem sacrum Locum collatum est: familias quoque utriusque sexus cum Cortibus & Cappellis, eorumque appendiciis cum omnibus Castellis, casis, vineis, campis, pascuis, pratis, sylvis, salectis, paludibus, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus*: omnem etiam districtionem, & redditionem per singula loca & Comitatus de omnibus rebus & possessionibus ejusdem Monasterii, quæ ad Partem Publicam pertinere videntur; *& cum omnibus rebus ad prædictum Monasterium juste & legaliter respicientibus, in integrum confirmamus & corroboramus. Præter hæc etiam decernimus atque sancimus*, ut nullus Dux, Comes, vel aliquis Reipublicæ Minister, aut aliqua Regni nostri magna parvaque persona in præscripto Monasterio, & in possessionibus ejus aliquam contrarietatem vel inquietudinem facere presumat, nec non ab omnibus hominibus liberis in potestate ejusdem Monasterii residentibus, aut familiis ipsius Loci, ullum portonaticum, telonium, aut ripaticum, vel quælibet vectigalia requirat, exigat: *sed sit tantùm Placitum de rebus ejusdem Loci in præsentia Advocati, vel nostri Missi. Si quis verò hæc non observaverit, sciat se compositurum auri optimi Libras centum, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem prædicto Monasterio. Et ut hoc certius credatur, manu propria roborantes sigillari jussimus*.

Signum Domni Heinrici  *Regis invictissimi*.

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Eberardus Cancellarius vice Willigisi Archicapellani recognovi.
Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Octavo, Indictione V. Anno verò Domni Heinrici Secundi Regis Regnantis VI.
Actum in Ingilheim, feliciter.

Lectorem quoque rogatum heic volo, ut mecum Pistoriensem ad Urbem accedat, ubi in scrinio Canonicorum Regularium Lateranensium Sancti Bartholomæi apographum ante sexcentos annos confectum, ac mihi visum, illius Monasterii fundationem vetustissimam exhibet.

Dotatio Monasterii Sancti Bartholomæi Pistoriensis a Gaidualdo Medico Regum Langobardorum, & ipsius Monasterii fundatore facta, Anno 767.

In *nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi, die V. mense Februario, regnante* Domno Desiderio, *&* Adelghis Regibus, *Anno Regni eorum in Dei nomine Decimo & Octavo, per Indictione Quinta*. Gaidoaldus Medicus Regum, *cogitante me de omnipotenti Misericordia, & remissione anime mee, quam vice temporum & mortis exitum omnipotens Dominus sua tantumodo reservavit notitia, ob oc antequam repentinus superveniat interitus, nihil omnia nostra deveniat disponere, atque cum venerimus ante tribunal Christi, non nos de negligentia judicet, set de bonis operibus gratuletur, ut pius: qua de re ego, qui supra, Gaidoaldus Medicus, dum me previdissem in oc exilio Mundi permanentem, previdi de rebus meis per decreta loca offerre & condonare pro anima mea, vel de parentibus meis, ut in perpetuum firmum permaneat, ad Ecclesiam & Monasterium Sancti Bartholomei, quam foras muro Civitatis Pistoriensis in propriis rebus meis à fundamentis construxi, vel ejus sancte Congregationi Domenico Abbati & Monachorum, qui inibi congregati esse videntur, aut in antea Deo adjuvante fuerint, qui pro nostris facinoribus die noctuque operibus elemosinam tri-*

tribuere, & Dominum deprecari non cessent, & nobis indignis perveniat ad salutem & remedium anime. Primum omnium Curte in loco, qui vocatur Neure cum omni adjacentia & pertinentia ad ipsam Curtem pertinenti in integrum. Simul & aliam Curtem, quæ dicitur Adosare, finibus Lucensis, cum ea, que ad ipsam Curtem pertinent in integrum. Quàm etiam & Curtem in Antiniana Lainisiana, ubi & Oratorium beatissimi Sancti Angeli dedicavimus, necnon & Curtem in Barbiano, finibus Greti, cum omnia ad ipsam Curtem pertinentia, excepto Casas duas massaritie ad Rivo, que regere visse fuerunt per Baronacculum & Godisteum, que nobis da Aolfo evenerunt cum familiis vel omnia ad ipsam pertinentia, nam & alia omnia ad ipsam Curtem pertinentia in integrum, seu & Curtem in Lucando cum omnia & omnibus quicquid ad ipsam Curtem pertinent, & ad ipsum venerandum Locum dilectissima Rotperga Conjuge *mea de suis rebus cum ea voluntate inibi offerri & condonare previdi tam ipsa, quàm & suprascripte Curti, quas superius decrevi cum omni adjacentia vel pertinentia sua seu Casas massarithias, & de aldionibus, vineis, terris, pratis, pascuis, silvis, salectis, sactionibus, paludibus, cultum atque incultum, mobilia atque immobilia, resque semoventia omnia & in omnibus quicquid ad suprascriptas Curtes vel Casas pertinet, ad ipsum venerabilem Locum vel ejus sancte Congregationi pro anime mee remedio dono meo trado & offero possidendum. Simul etiam & Curtem meam, quam habere visus sum finibus Maretima in loco, qui nuccupatur Cormino cum adjacentia vel omnia ad eam pertinentia, ad eumdem sanctum convivium offerri & condonare previdi in eo modo, ut Prepositus vel Rector, qui in Senodochio meo hic foras Civitate Pistoriensi, propinquo ipso Monasterio positus vel ordinatus fuerit, comuniter sua nutrimina cum ipsius Monasterii in eodem loco Cornino pascerint, si me ponere debeant.*

Hec autem omni in tempore ea, que superius decrevi, ad ipsum sanctum & venerabilem Locum sit traditum & confirmatum, ut ipsi Abbates vel Monachi in ipso Monasterio secundùm Deum & sanctam Regulam vivere & deservire debeant omni in tempore sanctum Cenobium confirmandum, ut numquam destruatur, set in perpetuo stabilitum permaneat sub nullius hominibus vel matris Ecclesiæ potestati subjacente, nisi in suo jure permanente inibi spiritualiter & regulariter serviente, & deinde se ipsa Congregatione eligente Abbatem, qui in ipso Monasterio vel sancta Congregatione secundùm Deum & sancta Regula continet regere & ordinare debeant, licentiam habeat, quem de ipsius Monasterii Congregatione de inter se Abbatem eligerent, stabilitum permaneat. Nam non de aliis hominibus vel Monasterio inibi possent ordinationem facere, aut Abbatem ponere, nisi qui de ipsa Congregatione fuerint, sicut sancta Regula continet, & inibi Abbate fieri debeat, si forsitans aliqua necessitate evenerit causa in ipsum sanctum Monasterium, vel ejus Congregationem, volo atque decerno, ut si à parte Monasterii utilitas fuerit, & filio meo Gaiprando advivere meruerit, ipse vel heres meus in ipso Monasterio adjutorium prebeat, & causam defendat. Nam non amplius ullam inperationem aut qualibet re subtraëndum nullo modo facere possent. Et dum ego, qui supra Gaidoaldus Medicus advivere meruero, in mea sit potestate, sicut usque nunc, defensandum, curam impendendum pro eorum defensione, nam nulla de ea, que inibi à me sunt collata, aut unquam advenerint, aliquo subtraëndum post obitum meum omnia, sicut superius decrevi, stabilitum permaneat. Et nullus de heredibus meis circa hanc cartulam donationis, seu dispositionis offertionis mee ire quandoque presummat, aut aliquam amplius in ipso Monasterio imperationem facere possit, nisi eorum utilitas fuisset cause adjutorium prestandum. Et hoc volo atque confirmo, ut omnia quicquid superius legitur, ad ipsam Ecclesiam Sancti Bartholomei confirmavi vel ipso Monasterio usque nunc possessum fuerit, ut omni tempore firmum & stabilitum permaneat. De autem reliquis Monasteriis vel Senodochiis hic Pistoria, vel Ticinensi Civitate, quàm & Cassio, & reliqua alia loca, que per me ordinata vel constructa sunt, ita decrevimus, ut per ipsum Monasterium Sancti Barthelomei fiant ordinata & disposita, sic ita ut nullus Abbas, qui modò est, aut postmodum fuerit, minuandum de ipsa alimonia, aut quamlibet rem inde subtraëndum, nisi quale prescriptum instituemus, omni tempore stabilitum permaneat in alimoniis pauperum. Et si aliquis de ipsis Abbatibus, Prepositis, Custodibus, de ipsa alimonia minuare aut subtraëre voluerint, pecuniam, aut quamlibet rem, non abeat licentiam. Et si factum aut subtractum fuerit, & ad veram causam apparuerit, filius vel heres meus non permittat exinde minuare, aut aliqua subtractione fieri: simulque & si filius vel heres meus exinde minuare vel ipsa alimonia, sicut à me institutum est, aut exinde aliquam rem subtraëre voluerit, simili modo non permittat Abbas de ipso Monasterio fieri Sancti Bartholomei, qui modò est, aut postmodum fuerit, nisi ambe partes defensandum curam exinde peragendum, ut neque minuata, neque subtracta nullo modo sint ipsa alimonia pauperum. Set sicut perscriptum firmavi, in ipsa stabilitate defendatur, nulla exinde subripiendum. Et quis ille immemor contra hanc meam dispositionem & ordinationis cartulam rerum sanctorum dotalium ire quandoque presumpserit, aut eam inrumpere voluerit, in primis Dei & omnium virtutum Celorum, Archangelorum, Angelorum, Profetarum, Apostolorum, Martirum, & Confessorum incurrat . . . in super socius sit Juda Scariothis, qui per amarum osculum Dominum ac Redemptorem omnium tradidit, & in tartarum sit consumptus. Ecce ut meis fuerunt desideriis implevi. Et si quodlibet aliud judicatum apparuerit, nullum in se habeat robur, nisi istud, quod modò confirmavi, & Gaubertum Notarium scribere rogavi.

Actum Pistoria, & Indictione suprascripta feliciter.

Signum Domni Gaidualdi Medici, qui hanc Cartulam fieri rogavit, & ei omnia relecta, ut sunt, complacuit.

Signum Domni Bautonis de Umbrone testis.

Signum Domni Amati de Alatiano testis.

Ego Ghisilari rogatus ad Gaidoaldus Medicus, testis subscripsi.

Signum Domni Stmechis de Materno testis.

Signum Domni Ansuloni filio quondam Rinfredi testis.

Ego Johannes rogatus ad Gaidoaldus Medicus barbanus, testis subscripsi.

Ego qui supra Gaubertus scriptor hujus Cartule, post testibus roborata, tradita, complevi & dedi.

Ego quidem Gerardus Notarius autenticum illud

illud vidi & legi, quantum legere & discernere potui, unum hoc exemplar exemplavi.

Ego quidem Ildibrandus Notarius & Judex, autenticum illud exemplar vidi & legi, unum hoc similiter exemplar, quod est secundum, fideliter exemplavi.

Quo tempore conditum fuerit Pistoriense Monasterium Sancti Bartholomæi, Clarifs. Mabillonio ignotum, modò vidimus. Atqui Francis Italico Regno potitis, & Caroli Magni filio Pippino, apud Italos regnante, pro iniquo eorum temporum more Cœnobium ipsum concessum fuit *in beneficio* cuidam *Nebulungo Baviario*, sive Bajoario. At eo postmodum à

A Missis Caroli Magni abjecto, ac restituto legitimo *Abbate Ildeperto*, quum onera multa in perniciem sacri Loci, & contra ejus Immunitatem sub usurpatore invecta, adhuc perdurarent: Ildepertus idem in Placito Pistorii habito coram *Adhalhardo Abbate*, Misso Caroli ejusdem Augusti, suis querelis expositis, demum impetravit liberationem ab ejusmodi angariis. Egregii Placiti apographum pervetustum, Pistorii in eodem Monasterio religiose adservatum, atque à me descriptum, non sine voluptate eruditus quisque leget atque perpendet. Illud autem me editurum fore pollicitus jamdiu fueram Par. I. Cap. 22. Antiquitat. Estensium.

Judicatum Adalardi Abbatis Missi Imperialis & aliorum, in quo Abbas Monasterii Sancti Bartholomæi Pistoriensis a publicis oneribus immunis decernitur, factum Anno 812.

D*Um in Dei nomine ego* Adalardus Abbas, Vassus Domni Caroli Imperatoris *residissem in Civitate Pistoria, singulorum hominum causas audiendum vel deliberandum, sedentes ilic insimul* Willeradus Episcopus, Bonifatius Ducx, *Poto & Leo Judices, & Bonifredus Notarius Domni Regis*, Adaprant, & Christianus Abatibus, *Fredo, Mauro, &* Petrus Ducx, Missi Domni Leoni Pape, *Ermenfridus & Audo Scabinus de Camarino, vel reliqui plures ilic adstantibus. Veniens ibi* Ildepertus Abbas ex Monasterio Sancti Bartholomei, *fundato à quodam* Gaidualdo Medico *prope muro ipsius Civitatis Pistoriensi: & detulit nobis* ad relegendum monimen & missum ab ipso quondam Gaidualdo Medico, *qui continebatur, qualiter manifestaverat suprascripto Monasterio in suo propria edificasse, & res nominative ibi contulisset. Et statuit eam, ut sub nullius hominis potestatem vel ordinationem, nec matris Ecclesie, ipsum Monasterium subjaceret, nisi semper de ipsa Congregationa ibi inter se Abbatem elegerent; nam non de extranei, neque de alia Monasteria; & filio aut heredes ejus nullam ibi à se dominatione nec potestatem, nisi se oporteret esse causas defensandas. Et dum relectum fuisset munimen ipsum, affatus est ipse Abbas, quod tempore* Domini Pipini Regis, *dum adhuc* Rotcheldo *viveret, pervasionem malorum hominum ab eodem Rotchildo de ipso Monasterio ejectus fuisset, & in exilio missus sine ulla culpa, & absque judicio, & ipso* Monasterio tunc datus fuisset in beneficio Nebulunko genere Bavario. *Et dum per Monachis ipsius Monasterii reclamatio exinde facta fuisset ad* Paulinum Patriarcham, Arnone Archiepiscopo, Fardulfo Abbate, & Echerigus Comes Palatii, *vel reliqui locu eorum, qui tunc hic in Italia Missi fuerunt, duodecim insimul sic ipsi causa inquisierant, quod suprascriptum munimen in suis relegi fecerunt presentia, quod illos cognoscerint*, quod injuste mihi ipsum Monasterium ablatum fuisset, & non ibi aliunde debet fieri ordinatione, nisi de ipssa Congregatione, sicut ipsse Gaidualdo Medico statuere. Tunc fecerunt me de ipsso exilio revocare, & prefato Nebulungo de heodem Monasterio foris ejecerunt, & me inibi in antea intromiserunt. Postea per illa mala consuetudine, que per eodem Nebulungo facto est, ab illo die, faciunt me ire in hoste, & omnes paratas & conjectos facere ad Missos,

B ac donatione ad Palatio, que cum lege facere non debeo, quia quod Gaidualdo, qui in ipso Monasterio construcxit, heredes reliquid, qui hostem faciunt. *Hec nos audientes atque cognoscentes, quomodo ipse Abbas inuste de ipso Monasterio fuerat ejectus, & per judicium de suprascripti Missi inibi fuerat vocatus, paruit nobis ut justa statuta ipsius, quod Gaidualdo Medico*, dum ipse heredes reliquid, qui hostem facerent, *ut Abbas ipsius Monasterii hostes faceret nondum bene, nec nulla paratam ad Missos Dominico, nec conjecto, nec aliqua dationem per conditione ad Palatio. Ideoque ego, cui supra Adalardus Missus Domni Imperatoris comendavi*, & ipsius Domni nostri auctorita-

C te, & de sua jussione, *ut admodo liceat ipso Abbate vel posteris ejus ad ipsum Monasterium cum supra scripta Congregatione servorum Dei ibi degentibus, Domino famulari, & pro salute Domnis nostris Domini misericordiam exorare*, & ab hoste, & paratâ, seo conjecta, aut dationes per contradictionem à Palatio solutos manerent, ante posito, si aliter fuerit, jussio Regalis. *Unde quale actum est pro securitatem ipsius Ildiperti Abbati, & ad ejus Successores fieri jussimus.*

Quidem & ego Paulus Notarius ex dictato Bonifridi scripsi, Anno Regni Domni Caroli in Italia Tricesimo octavo, Mense Martio, Indictio Quinta.

D *Ego* Adalardus.

Signum ✠ *manum suprascripto* Bonifatius Ducx *in is actis interfui.*

Ego Willerado Episcopo *in is actis interfui.*

✠ *Leo Vasso Domni Regi concordans subscripsi.*

✠ *Ego Poto Causindo Regi in is actis interfui.*

✠ *Bonifridus Notarius in is actis interfuit.*

Quidem ego Petrus Notarius autenticum illud vidi & legi & hoc exemplar exemplavi & manu mea scripsi.

Adalbardus, qui judicio huic præfuit, celeberrimus ille est Corbejæ Abbas, sanctitate

E vitæ, rerumque gestarum famâ notus in Annalibus Ordinis Sancti Benedicti, & non semel Italici Regni administer. In Chronico Farfensi Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 361. alterum ejus Placitum habes, ubi is appellatur *Adalhard Abbas, Missus Domni Imperatoris Caroli*. Heic raro, aut etiam inusitato exem-

plo

A plo dicitur *Abbas*, *Vassus Domni Caroli Imperatoris*. Num fortè antiqui Librarii culpâ *Vassus* pro *Missus* scriptum fuerit? Vide tamen, quæ de Vassis Regum alibi disserui, atque infra Privilegium concessum Abbati Sancti Galli à Ludovico Augusto. *Willeradus Episcopus* heic memoratus Pistoriensem Ecclesiam rexit. Eum corrupte Ughellius Tom. III. Ital Sacr. *Wiltretradum* appellat. Interfuit eidem quoque Placito *Bonifacius Dux*. Hic ille ipse est, qui supra se nobis obtulit in Charta Lucensi Anni DCCCXIII. appellatus ibi *Bonifacius Inlustrissimus Comes noster*, scilicet Lucensis Urbis Comes. Cosmus de Arena in serie Ducum & Marchionum Tusciæ pag. 90. *Bonifacium* hunc in regimine Tusciæ Wicheramo Duci successisse Anno DCCCXIII arbitratus est. Neque secus senserat Florentinius in Vita Mathildis Comitissæ Lib. III. Uterque verò in ea opinione fuit, Bonifacium uno *Comitis* titulo insignitum fuisse En ut ille Anno etiam DCCCXII. spectandum se præbet, *Ducisque* præterea appellationem ac dignitatem retinet: quo nomine disputari potest, fuerit ne ille Dux universæ Tusciæ, an Comes tantùm Civitatis Lucensis. Tempore autem *Pippini Regis* Pistoriense Monasterium dicitur beneficii loco traditum *Nebulungo genere Baviario*. Hæc mihi in memoriam revocant *Nebulungum Comitem*, eâdem tempestate florentem, de quo multa habent Bouchetus in Lib de vera origine Regiæ Familiæ Francicæ, & Johannes Jacobus Chifletius in Lumin. Genealog ad Vindic. Hispan. & Blondellus in Genealog Francic. pleniori Assert. Tom. II. contendentibus nonnullis, negantibus aliis, ex ipso *Nebulungo* descendere gloriosissimos Francorum Reges tertiæ regnantis adhuc stirpis. Nescio, annon Comiti illi quidquam rei sit cum Bavaro isto. Titulus *Comitis* heic certe non legitur; sed neque ullo titulo donatur *Rotchildus* in hac ipsa Charta memoratus, quamquam tantæ auctoritatis vir, ut Ildepertum Abbatem *in exsilium* egerit. Moris nempe tunc erat Magnatum Sæcularium, venari ejusmodi Abbatias; ut infra in Dissertatione LXXIII. *de Monasteriis in beneficium datis* monebo. Mentio heic est alterius Placiti, longe antea habiti, cui præfuere *Paulinus Patriarcha*, (scilicet Aquilejensis, qui circiter Annum DCCCII. vitâ cessisse putatur) *Arno Archiepiscopus*, videlicet Saltzburgensis, *Fardulfus Abbas* Sancti Dionysii Parisiensis, qui Anno DCCCVI. aut insequenti diem postremum obiit, & *Echerigus Comes Palatii*, Missi Caroli Magni.

Interruptum iter nunc repeto. Adalhardo in hoc Placito Ildepertus Abbas obtulit *ad relegendum Monimen & Missum ab ipso quondam Gaidualdo Medico*. Vocabulo *Muniminis* sæpe in aliis Chartis Diplomata ac Privilegia Principum designantur: verùm heic nulla Regis mentio est, & Instrumentum sive Chartam dumtaxat offendimus à fundatore Monasterii confectam. Immo si quidquam video, scribendum heic est *Monimen emissum ab ipso quondam Gaidualdo Medico*. Hæc autem dicendi formula in usu fuit. Attamen vel nullo Privilegio educto, atque unâ Chartâ fundationis inspectâ, decernunt Imperatoris Legati, ut nullum publicum onus Monasterio Pistoriensi imponatur. Qua ex re sublucere videtur, etiamsi Cœnobio illi Privilegia Regalia, sive Cæsarea nondum collata fuissent, nihilominus, B ex quo sacer is Locus erat, & sacratorum hominum cœtus ibi alebatur, in posterum fore immunem Imperiales Missos statuisse. Verùm hæc dubitantis specie ajo. Si enim intime rem perspiciamus, ideo deprehenditur Pistoriensis Abbas ereptus incommodis *hostis, paratæ, conjecti, & donationis*, quia Gaidualdus Monasterii fundator, *heredes reliquit, qui hostem faciebant*, & reliqua, ut puto, onera subibant. Consequens igitur est, Monasterio nullam indulgentiam fuisse futuram, si nemo relictus fuisset, qui Abbatis loco ea servitia præstitisset. Accedit, quod Adalhardus ait, se judicium illud assumsisse *auctoritate & jussione Domni Imperatoris*, à quo justitiam implo- C rasse Abbas existimandus est. Tum subdit, se in eam sententiam descendere, *antepósito* (idest excepto) *si aliter fuerit jussio Regalis*: quibus verbis prodit fieri posse, ut Imperatori aliter decernendum videatur, atque adeo ab arbitrio Cæsaris, non à Lege quapiam statâ, pendere Cœnobii illius Immunitatem. Atque hæc, quando aliud non evincant, illud mehercle persuadere possunt, quod primo statuebam: videlicet, non adeo plenam absolutamque Immunitatem sacris hominibus ac locis collatam fuisse, ut omni onere, & functione publicâ levarentur. Jam *hostem facere*, ut vidimus, Abbates ipsi cogebantur, hoc est, in militiam proficisci, quoties opus erat: de quo incom- D modo egi supra in Dissertatione XXVI. *de Militia*. Quum verò ibi commemorata à me fuerit Caroli Magni Lex, quæ finem facere visa est impiæ huic consuetudini, heic addendum est, Baluzio promulgatam videri eam Legem Anno DCCCIII. Sed, ecce Pistoriensem Chartam restantem, Ildebertum Abbatem usque ad Annum DCCCXII. ad expeditiones bellicas, non secus ac Laici, accitum atque adactum fuisse. Addo nunc alteram, quam authenticam vidi in Tabulario Capituli Canonicorum Mutinensium.

Ghiso Episcopus Mutinensis terras quasdam in emphyteusim concedit Scholastico, ejusque fratribus, Anno 811.

IN nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi. Regnante Domno Karolo *viro excellentissimo* Rex Francorum & Longobardorum *in Italia, anni pietatis Regni ejus in Dei nomine Tregisimo octavo, die prima mensis Novembris, Indictione V. Petimus à vobis* Domno Ghisone Episcopo *sancte* Motinensis Ecclesie, *seo & à cuncto Presbiterio ejusdem Ecclesie, uti nobis Scolastici, Johanni, & Petroni germanis, filiis quondam Faroaldi, nec non Stavelini filio quondam Asteri, & Ursuni filio* E *quondam Armati, & universorum heredum nostrorum masculini tantumodo, per ensiteotecario jure concedere dignetis de casa Florentiaca, & de fundo Adventiaticus, sorte nobis conpitente in integro, quas nobis de inter fratres & consortes nostros pertinent, una cum locis, terris, campis, pratis, vineis, silvis, salictis, stalariis, vel cum omni jure super se abente; simul etiam & concedere nobis dignetis in fundo Macinario de uncias octo, sorte nobis compitente in integro, quas nobis de inter fratres & consortes*

fortes nostros pertinent , una cum casis , terris, campis , pratis , vineis , silvis , salectis , stalariis , vel cum omnibus super se habente. Quas constitutas casalias in Salicto Massa Salariensi terreturio Motinensis jure suprascripte sancte vestre Motinensis Ecclesie, quod est inter adfinis ab uno latere de Casa Florentiatica , & de fundo Aventiatico da mane parte casalium Meleto, & da sera casali Quinquagenario , da meridie & de subtus Palude Cussente , & inter adfines de fundo Macinario ad duobus lateribus casale Capriliano & Tientolas, & à tertio latere loco, qui dicitur Salario , ad quarto verò latere ad fine fluvio Muclena , ut supra diximus , inter istas designatas fines , fortes nobis compitente in integro , dum nos suprascriptis Scolastico , Johanni , & Petro germanis , Stavelis , & Urso, & universorum heredum nostrorum masculini tantumodo divina gratia in hac luce jusserit conservare vita , concedere nobis dignetis abendum , tenendum , cultandum , pastenandum , & fines defensandum , & in omnibus meliorandum ex nostris propriis expensis seo laboribus , & nichil nobis , actoribusque sancte vestre Motinensis Ecclesie inferius adfixa pensione reportare debeamus , prestante quoque nobis suprascriptis indesinenter secundum pagina petitionis nostre , pensione omni Martio Mense inferre debeamus in Archivo sancte vestre Motinensis Ecclesie pro suprascripta portiones in integro , qualiter superius legitur in auro vel argento , Mancuso uno tantùm, nullamque tardietate aut neclectum tam ad inferenda suprascripta pensione , quàmque & meliorare & fines defensare superius dictas portiones , facere debeamus; sed & nec aliquando adversus sanctam vestram benefactricem nostram Motinensem Ecclesiam , contra justitia tractare aut agere , nisi causa nostra contigerit pro justitia tantumodo ventilare debeamus . Et vobis Domno Ghisoni Episcopo , tuisque Successoribus , si Regalis jussio advenerit de oste, vel de ponte , nos vobiscum , vel cum Missis vestris ad ejus servitio faciendo parati esse debeamus . Et si menime fecerimus tam nos suprascriptis , vel universis heredibus nostris de hec omnia , qualiter superius legitur, tunc licencia fit vobis Domno Ghisoni Episcopo , tuisque Successoribus , adque Missis vestris , per vos ipsos nos distringere & pignerare sine publica auctoritate . *Quod si in aliqua tardietate aut neclectu vel controversia inventi fuerimus extra agere de ea , que superius adfixis conditionibus , tunc non solum de hoc Preceptum recadere , verùm etiam exacta à nobis pena , que in nostra petitione adfixa est . Et si non persolverimus multotiens dicta pena infra biennium , ut Leges censeunt , tunc licentia sit actoribus sancte vestre Motinensis Ecclesie , nos exinde expellere , & qualiter previderit , ordinare . Set & post transitum nostrum, cui supra Scholastici , Johannis , Petroni germanis , seo & Staveleni & Ursuni , & universorum heredum nostrorum masculini , quando Domino placuerit , ipsas nostras portiones cum omnibus ad se pertinentibus cultas , defensatas , restauratas , melioratas , & quidquid in ibidem ad nos addetum , melioratumque fuerit , ad jus dominiumque sancte vestre Motinensis Ecclesie revertatur , cujus est proprietas . Promittens preterea , nullis temporibus vite nostre suprascriptis Scolastici , Johanni , Petroni germanis , seo Stavelini & Ursuni, vel universorum heredum nostrorum , textis hujus Cartule petitionis nostre violare , set inviolabiliter modis omnibus*

A *conservare nos in hujus convenientie petitionis nostre Cartula , ut superius promisimus, minus nemdaturi nos promitimus pene nomine in auro uncias duas: set & post pene solutionis manente in hanc cartula petitionis in sua nihilominus firmitate , sicut superius legitur , absque ullum dolum , vim , metum , circumscriptionem censante . Raginaldus Clericus & Notarius sancte Motinensis Ecclesie scrivere rogavimus , in qua & nos suprascripti Scolastico , Johanne , & Petro germanis, seo Stavile & Urso subter manibus nostris subscripsimus , & signum sancte Crucis fecimus , & testibus ad nos rogitis obtulimus roborando .*

Acto Die, Regni , & Indictione suprascripta
B *feliciter .*

Signum ✠ manus Scolastici , qui hanc Cartula petitionis fieri rogavit .

Ego qui supra Johannes in ach Cartula peticionis ad me facta manus mea subscripsit .

Signum ✠ manus Petroni germano suprascripti Scolastici & Johannis , qui hanc Cartula petitionis fieri rogavit .

Signum ✠ manus suprascripti Stavelini, qui hanc cartulam petitionis fieri rogavit .

Signum ✠ manus Ursuni , qui hanc cartulam petitionis fieri rogavit .

Animadverte, Carolum Magnum Augustum titulo Imperatoris minime donari : quod & in
C aliis nonnullis tabulis factum invenies . En igitur quid Anno Christi DCCCXI. polliciti sint ii emphyteutæ : *Si Regalis jussio advenerit de oste , vel de ponte , nos vobiscum* (ergo Episcopus , nisi justâ excusatione sese subtrahebat, cogebatur & ipse exercitum sequi) *vel cum Missis vestris , ad ejus servitio faciendo parati esse debeamus* . Reliquum ergo est, ut aut Lex illa Caroli inter commenta sit referenda , aut paucos dies viguerit . Et præcipue quum ejusmodi immunitatem à militia Clero minime observatam fuisse, in eadem Dissertatione XXVI. animadverterim . Præterea , uti erudite Thomassinus jamdiu ostendit , Part. III. Lib. prim. Cap. 38. de Beneficiis , Episcopi & Abbates
D fere omnes, immo & Clerici reliqui *Dona annualia* , ac præsertim necessitatibus Regni poscentibus , Regi offerebant . *Dona* , inquies : at ego adjicio *Dona* imperata, & quæ omittere piaculum fuit , & quæ Hincmarus *tributis* ac *vectigalibus* comparare non dubitat . Eorumque usus ex Gallia numquam postea excidit . Vide etiam Du-Cangium ad vocem *Donum* . Ejusmodi verò Dona duplicis , ut arbitror , generis fuere . Reges enim, prout temporum felicitas aut infelicitas exigebat, majora minorave tributa sub *Doni* appellatione à Clero quoque extorquebant . Rursus & alia fuere, quæ quotannis obsequii caussâ Regi offerebantur . Voluntaria videbantur , sed ita ta-
E men , ut ab eis offerendis abstinere nemo sibi liberum tutumque duceret . Hæc præcipue peragebantur oblatione unius aut plurium *Equorum*, *Lanceæ* , *Scuti* &c. atque annis singulis eadem præstare consuetudo fuit : quare *Dona annualia* appellata sunt . Ludovicus II. Augustus in Capitulari à me addito Legibus Langobardicis Part. I. Tomi I. pag. 159. Rer. Italicarum , inquirendum jubet , unde , *vel quæ Dona annualia, aut Tributa publica exigi debeant* . In Capitulari V. Caroli Magni Anni DCCCIII. Cap. 20. apud Baluzium legimus : *Ut quicumque in Dona Regia Caballos præsentaverit , in unumquemque suum nomen scriptum habeat.*

habeat. Ita in Privilegio Aldrici Archiepiscopi Senonensis pro Cella Sancti Remigii, ut est apud Du-Cangium, hæc habentur: *Episcopus quoque exigendis muneribus Abbatem ejusdem loci non gravet. Sed sufficiat ei ad annua Dona Equus unus, & Scutum cum Lancea.* Non Regi, sed Archiepiscopo *Dona* illa *annua* erant offerenda. Regibus tamen ab ipso Clero persolutum fuisse ejusmodi tributarium Donum, A Diploma ostendet, quod ad me misit nobilis olim vir Octavius Angelus de Abramo, Primatialis Pisanæ Canonicus. An editum hactenus fuerit, nondum deprehendere potui. Spectat ad celeberrimum Sancti Galli Monasterium in Alamannia situm. Mabillonius sane Privilegii hujus nullam mentionem reliquit in Annalibus Benedictinis.

Privilegium immunitatis & libertatis à Ludovico I. Germaniæ Rege concessum Monasterio Sancti Galli, ejusque Abbati Grimaldo, Archicapellano suo, Anno Christi 854.

In *nomine Sancte & individue Trinitatis*. Ludovicus *divina favente gratia* Rex. *Si erga loca divinis cultibus mancipata, propter amorem Dei, eorumque in eisdem locis sibi famulantibus, beneficia opportuna largimur, propter ea nos apud Deum in eterna beatitudine pervenire confidimus. Quapropter utilitas atque industria comperiat omnium fidelium nostrorum, presentium scilicet & futurorum, quia vir venerabilis* Grimaldus Archicapellanus noster, ac Abba Monasterii Sancti Galli *Confessoris Christi, quod est situm in Pago Turgange super fluvium, qui dicitur Stamath, detulit excellentie nostre quoddam Preceptum prestantissimi* Imperatoris & genitoris nostri Ludovici, *in quo continebatur insertum, quod idem Genitor cum predictum Monasterium beati Galli cum Monachis ibidem Deo militantibus, & cum rebus atque hominibus ad se juste & legaliter aspicientibus vel pertinentibus, sub sua constituisset defensione*, atque immunitatis tuitione; *& quando divina vocatione Abbas ipsius Monasterii ab hac luce migrasset, licentiam haberent, secundùm Regulam Sancti Benedicti, inter se eligere Abbatem, sicut supra nominata constitutio & confirmatio predicti Augusti & genitoris nostri Ludovici perpetuis temporibus inconvulsa manet: prefatus Abbas precibus, quibus valuit, nostram obsecravit clementiam, ut super eamdem confirmationem, nostram etiam jungeremus auctoritatem. Idcirco pro Dei amore, communi consilio cum nostris fidelibus, Episcopis scilicet, Abbatibus, atque Comitibus habito, comperimus, quod ibidem status Monachorum sit Deo omnipotenti famulantium, Regulamque Sancti Benedicti custodientium. Ideoque ejusdem Abbatis atque Archicapellani nostri Grimaldi petitionibus aurem accommodavimus, & hanc auctoritatem confirmationis nostre circa ipsum Monasterium ejusque Rectores fieri jussimus. Quapropter decernimus atque jubemus, ut deinceps omni tempore absque alicujus infestatione aut contrarietate, Domino annuente, perpetuo inconvulsum permaneat*. Et ut nullus Judex publicus, aut quilibet superioris aut inferioris Reipublice Procurator, *in Ecclesias aut loca, Villas vel agros, seu reliquas possessiones memorati Monasterii, quas moderno tempore infra Regnum divinitus nobis collatum juste & rationabiliter possidet, vel que deinceps divina pietas ibidem augere voluerit*, ad causas judiciario more agendas, vel Freda exigenda, aut Mansiones vel Paratas faciendas, ant Fidejussores tollen- B dos, aut homines ipsius Monasterii tàm Ingenuos quàm & Servos, super terram ipsius commanentes, irrationabiliter distringendos, nec ullas redibitiones, aut illicitas occasiones requirendas, nostris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt, penitus exigere presumat. *Et liceat memorato Abbati, suisque Successoribus, res predicti Monasterii cum omnibus sibi subjectis, & rebus vel hominibus ad se juste aspicientibus vel pertinentibus*, sub tuitionis atque immunitatis nostre defensione, *remotâ totius judiciarie potestatis inquietudine, quieto ordine possidere, & nostro fideliter obedire imperio: Et quandoquidem divina vocatione supradictus Abbas, vel* C *Successores ejus obierunt, quandiu ipsi Monachi inter se tales invenire potuerint, qui in ipsam Congregationem, secundùm Regulam Sancti Benedicti regere valeant, per hanc nostram auctoritatem atque consensum, & secundùm quod in auctoritate Genitoris nostri continetur, licentiam habeant eligendi Abbatem, quatenus Monachi ibidem Deo famulantes, pro nobis & stabilitate Regni nostri, Domini misericordiam jugiter exorare valeant*. Statuimus etiam, ut annuatim inde Dona nostre Serenitati veniant, sicut de ceteris Monasteriis; idest Caballi duo cum Scutis & Lanceis. *Hec verò auctoritas ut per diuturna tempora inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria nostra subter eam fir-* D *mavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus*.

Actum XI. Kalendas Augusti, Anno Christo propitio XXI. Regni Domini Ludovici gloriosissimi Regis in Orientali Francia, Indictione II.

Actum Ulma, Palatio Regiò, in Dei nomine feliciter. Amen.

Animadverte verba illa: *Statuimus etiam, ut annuatim inde Dona nostræ Serenitati veniant, Sicut de Ceteris Monasteriis, idest Caballi duo cum Scutis & Lanceis*. Inquit ille: *sicut de ceteris Monasteriis*. Ergo usitatum fuit, ut quisque Abbas quotannis Regi *Dona* offerret, eaque erant *Equi duo cùm Scutis &* E *Lanceis*. Adtexere heic juvat alia duo Diplomata ad idem nobilissimum Monasterium Sancti Galli pertinentia, ut si forte luce careant (quod mihi ignotum est) eam curâ meâ accipiant. Ne horum quidem vestigium deprehendi in Annalib. Benedictinis Mabillonii, neque apud Goldastum.

Privile-

Privilegium Immunitatis & Libertatis conceſſum Monaſterio Sancti Galli à Ludovico Imperatore, Anno........

IN *nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni* Ludovicus *gratia Dei* Imperator Auguſtus. *Omnibus fidelibus Sancte Dei Ecclesie, noſtris, preſentibus ſcilicet & futuris, notum ſit, quia* Salamanus *dilectus* Vaſſus noſter, Abbas Monaſterii Sancti Galli, *quod eſt conſtructum in honore Sancte Marie Dei Genitricis, petiit clementiam noſtram, quatenus eamdem Abbatiam pro amore Dei omnipotentis cum omnibus pertinentiis ſuis & adjacentiis*, ſub noſtre emunitatis defenſione *dignaremur ſuſcipere. Cui petitioni libenter aſſenſum prebuimus, & noſtre auctoritatis Preceptum erga prefatam Abbatiam ejuſque Rectores fieri decrevimus. Per quod precipimus atque jubemus*, ut nullus Judex publicus, vel quelibet ex judiciaria poteſtate in Eccleſias, aut Villas, Loca, vel agros, & in reliquas poſſeſſiones, quas moderno tempore in ditione Imperii noſtri juſte & legaliter poſſidet, vel que deinceps in jure ipſius Eccleſie voluerit divina pietas augeri, ad cauſas agendas, vel freda exigenda, aut manſiones, vel paratas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines ipſius Eccleſie diſtringendos, nec ullas redibitiones, aut illicitas occaſiones requirendas, noſtris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea, que memorata ſunt, penitus exigere preſumat. *Sed liceat memorato Abbati, ſuiſque Succeſſoribus vel predicte Eccleſie*, cum omnibus fredis conceſſis, *ſicut in Precepto Domini & Genitoris noſtri continetur, quieto ordine poſſidere, & noſtro ſervitio fideliter parere in perpetuo.* Et quidquid exinde Fiſcus noſter eximere poterit, totum in utilitatem ipſius Eccleſie ut ſubſidium pauperum & ſtipendia ſuorum, ibidem Deo famulantium conceſſimus, ut in perpetuum ibidem proficiat in aucmentum. *Cunctos verò Ebutarios vel Conſules, qui res ſuas tradiderunt eidem Eccleſie, vel antea tradituri ſunt in perpetuo ſuo defenſione ejuſdem Eccleſie per hanc noſtram auctoritatem conſiſtant. Sanctimonie Comes, vel juniores ſui nullam habeant poteſtatem, qua diſtringere ſe liceat predicto Abbati, quatenus predictus Abbas cum Congregatione, de rebus vel hominibus Eccleſie ſue ſubjectis, quiete vitam degens una cum Clero & Populo ſibi ſubjecto, preſens vel . . . . conjuge . . . . . noſtra vel pro ſtabilitate totius Imperii a Deo nobis collati, & ejus clementiſſimâ miſeratione perimmensâ conſervandi, jugiter Domini miſericordiam exorare delectat. Si quis autem hanc noſtram auctoritatem violare preſumpſerit, noverit ſe pena damnandum ad partem predicte Eccleſie* immunitatem, quam ceteris Eccleſiis concceſſam habemus: *hoc eſt triginta Libris argenti. Ut autem hec noſtra auctoritas ab omnibus verius credatur, de annulo noſtro ſubtus juſſimus ſigillari.*

Datum Pridie Nonas Martii, Anno Chriſto propitio Imperii Domni Ludovici ſereniſſimi Auguſti XI. Indictione XIV.

Actum Mantua Civitate, Palatio Regio, in Dei nomine, Amen.

Multa huc ex Librariorum incuriâ irrepſerunt, quæ mihi tenebras nimias offundunt. Cui ex Ludovicis Auguſtis tribuendum ſit Diploma, equidem decernere non auſim. In antiquis Sangallenſis Monaſterii Hiſtoriis a Goldaſto editis, unus *Salomon* ejus Cœnobii *Abbas* mihi occurrit, qui poſtea Epiſcopatum Conſtantiæ cum Abbatia conjuxit. Quamquam heic *Salamanus* dicatur, non alium tamen, quam *Salomonem* illum, deſignatum cenſeo. At ille poſt Ludovicum Pium, & Ludovicum Lotharii filium Auguſtos floruit. Neque Ludovico III. Arelatenſi Regi & Auguſto locus eſſe poſſe videtur: neque enim in ejus ditione Cœnobium Sancti Galli ſitum fuiſſe puto. Ad hæc *Mantuæ actum* Diploma perſpicue dicitur. Ludovicus Pius, poſtquam Imperiali dignitate ornatus eſt, in Italiam minime deſcendit; atque is, uti & Secundus, formulâ uſus eſt: *Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator*, non autem *Dei gratiâ*. Ludovicus quidem II. Imperator, Mantuæ Diploma dediſſe potuit, utpote qui fere ſemper in Italia verſatus eſt. Sed iſti Auguſto neſcio an jus umquam fuerit in Monaſterium Sancti Galli, niſi Privilegium reſpiciat bona, quæ fortaſſis & in Italia fuerint Sangallenſibus. Ac præterea nullus eo vivente Salomon eidem Cœnobio præfuit. Rurſus Ludovico III. Imperatori, recurrente Indictione XIV. & ejus imperii Anno XI. nulla in Italia neque mora, neq; dominatio fuit. Pro *Mantuâ* erit fortaſſe legendum *Nantuâ*. Sed quocumque ex latere volvam & revolvam monumentum iſtud, aut de ejus veritate dubitare, aut illius tenebras, quas ſuperare mihi non licet, aliorum feliciori examini dimittere cogor. Id unum animadverte, *Salamanum* Abbatem heic dici *Vaſſum Imperatoris*: quæ verba Laicum hominem forſitan indicant, cui loco Beneficii Abbatia Sangallenſis tradita fuerit. Ille tamen non diu tantâ prædâ gaviſus eſt; que cauſſa videri poſſit, cur is inter Abbates ſacri ejus loci non recenſeatur; & tot ambages in Diplomate iſto occurrant. Vide infra Diſſertationem LXXIII. *de Monaſteriis in beneficium datis*. Accedat nunc tertium Diploma.

Privilegium confirmationis Immunitatis & Libertatis conceſſum Monaſterio Sancti Galli à Carolo Craſſo Rege Alamanniæ, Anno 878. ſeu potius 877.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis:* Karolus *divina favente clementia* Rex. *Si Cenobiorum Monaſteriis & ſuis, & in eiſdem divino cultu integra mente famulantibus, anteceſſorum noſtrorum, Regum videlicet ſive Imperatorum conceſſa Privilegia noſtrâ auctoritate roboramus, nobis ad eternam remunerationem, Regniquc noſtri ſtabilitatem prodeſſe confidimus. Ideoque noverit omnium fidelium noſtrorum, preſentium ſcilicet & futurorum induſtria, quod venerabilis vir* Karmottus Abbas Monaſterii Sancti Galli, *detulit obtutibus noſtris*

stris antecessorum nostrorum Precepta, Avi *videlicet* nostri Ludovici Imperatoris, *nec non & gloriosissimi* Genitoris nostri Ludovici Regis, *in quibus continebatur, qualiter iidem supradicti Francorum Principes eidem Monasterio Sancti Galli, Fratribusque ibidem Domino famulantibus, auctoritatis illorum largitate concesserant*, ut nullus publicus Judex, aut quelibet superioris aut inferioris ordinis persona, in Ecclesiis, sive Villis, aut locis, vel agris ejusdem Monasterii, ad causas audiendas, vel Freda exigenda, aut mansiones, sive paratas faciendas, exigere presumat: nec homines tam ingenuos quàm & servos, super terram ejusdem Monasterii commanentes per vim distringere, aut irrationabiliter audeant inquietare. *Et quicumque Abbas illius Monasterii divina vocatione ex hac luce migrarit, habeant potestatem inter se eligendi Abbatem, quandiu inter illos tunc inveniri poterit, qui illud propositum secundùm Regulam Sancti Benedicti bene regere & ordinare prevaleat. Nos quoque ejusdem Abbatis postulatione provocati, hec omnia nostrâ auctoritate firmissime roboramus, ut deinceps quidquid huic comprehensum est nostro firmitatis Precepto, quod propria manu firmavimus, & anulo nostro constat esse sigillatum, firmum & stabile permaneat, nostrâ firmissimâ auctoritate absolutum.*

Datum XII. Kalendas Septembris, Anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi DCCCLXXVIII. Indictione X. Anno verò Regis Caroli I. Regni illius ....

A

Et heic quidem errores aliquot offendimus, sed facile detergendos. Qui *Karmottus* in Charta appellatur, *Harmotus* ab aliis dicitur, ac revera floruit iisdem temporibus. Corrigendus quoque Annus, & scribendum *Anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi DCCCLXXVII.*, quo *Annus Primus* Caroli Crassi Regis numerabatur; uti & *Indictio Decima*. Verùm è diverticulo tamdem in viam regrediamur. Præter onera, quæ hactenus memoravi, Episcopi, & Abbates, Regibus, eorumque Missis, atque Officialibus hospitium & victum conferre jubebantur, quoties ad eorum ædes ac Monasteria divertebant. Ejusmodi onus *paratam* nuper vidimus appellari. *Mansionem* quoque *Mansionaticum*, & *Metatum* &c. vocare mos fuit. Propterea diligentissime

B

in Italia curabant Episcopi & Abbates, ut quum Privilegia exposcebant, gravissimo isto incommodo exonerarentur, disertisque verbis immunitatem ab eo Diplomata Regum atque Augustorum sonarent. Innumera sunt, quæ ejusmodi Immunitatis mentionem faciunt. Ego duo tantùm adferam. Primum ex antiquissimo Ticinensi Cœnobio sacrarum Virginum Senatoris, ubi pervetustum apographum oculis meis oblatum est. Alterum in insigni Tabulario Capituli Canonicorum Regiensium archetypum adservatur.

Berengarii II. & Adelberti Italiæ Regum Diploma, quo omnia jura ac Privilegia confirmantur Monasterio Monialium Ticinensium Sanctæ Mariæ, cui cognomentum Senatoris, Anno 951.

IN *nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni.* Berengarius & Adalbertus *gratiâ Dei* Reges. *Regali convenit excellentiæ, ut Ecclesia Sanctimonialium feminarum utilitatibus benignitatis nostræ munere fruatur, quia si talibus semper studeat negotiis, procul dubio & temporalem exigit mercedem, & æternam vitam felicius obtinebit. Idcirco omnium fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque, præsentium scilicet & futurorum providentia noverit, quod* Mengarda *venerabilis* Abbatissa de Cenobio Senatoris, *quod est constitutum in honore beatissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ, una cum ipsa Congregatione ibidem Deo famulante, per Legatos suos obtutibus nostris obtulerit recolendæ memoriæ* Lotharii Augusti, Ludovici *quoque* ...... Imperatoris, *seu &* Caroli Magni Regis, & Berengarii *excellentissimi* Imperatoris, Hugonis *quoque atque* Lotharii *sacratissimorum* Regum *Præcepta, in quibus continebatur, qualiter prædictum Monasterium constructum infra mœnia Civitatis Papiæ, cum omnibus rebus mobilibus & immobilibus, ac familiis ibidem pertinentibus,* sub sua receperunt immunitatis tuitione, *atque omni remota inquietudine semper secure manere concesserunt, petentes humili prece, ut quod ipsi à longe positi pie fecerunt, nos præsentialiter pro æterna remuneratione ad ipsum Cœnobium augmentare studeremus. Quorum precibus ob divini cultus amorem, & virtutem Congregationis, sanctimoniæ augmentum & quietudinem, libentissime annuentes, prædictum Monasterium cum omnibus hominibus & rebus ad se pertinentibus vel aspicientibus, sub nostra suscepimus defen-*

C

sione, & immunitatis tuitione. *Præcipientes ergo jubemus, ut nullus Judex publicus, vel quipiam ex judiciaria potestate, vel alia quælibet persona in præfato Monasterio, seu in rebus vel possessionibus, quas moderno vel prisco tempore tam per donationes Regum Reginarumque, vel ceterorum sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, quamque per judicia legaliter advindicata, in quolibet territorio infra ditionem Regni nostri possidet, vel etiam deinceps in jure ipsius Sancti Loci voluerit divina pietas augeri,* ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut

D

in Mansiones ejusdem Monasterii introëundum, vel Paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, vel alia volentes, aut ripaticum exigendum, seu homines ipsius Cœnobii tam ingenuos quàm servos distrahendos, vel ullas publicas querimonias aut compositiones ullatenus requirendas, nostris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea, quæ supra memorata sunt, penitus exigere presumat. *Sed liceat jam dictæ Dei famulæ Mengardæ Abbatissæ una cum suis successoribus præfatum Monasterium cum omnibus rebus ibidem aspicientibus*,

E

sub tuitionis atque immunitatis nostræ defensione, *remota totius potestatis inquietudine, convicto ordine possidere; simulque Romanæ Urbis Pontificum Privilegia inconcusso jure persistere; scilicet ut in prædicto Cœnobio nullus quoquam tempore Præsul nec Missarum celebrare solemnia, nec qualibet sibi in eo vendicare, nisi ab ejusdem Loci Abbatissa invitatus advenerit, temere audeat, nunc & futuris temporibus dictione Regia sancimus.*

Insuper etiam confirmamus eidem sancto Loco,

co, quietissimo jure possidere sub eadem immunitate in primis Ecclesias & casas & hortos infra Ticinensem Civitatem, & de foris; reliquas quoque res inde pertinentes, infra Regnum nostrum conjacentes, videlicet Curtem, quæ vocatur Prolectia cum Alpedella Musca, & cum omni reliqua integritate sua cum Pischeria & Portu; Curtem . . . . nesci, quæ est super Lacum Cumacinum cum omni sua integritate: Curtem Madina cum omni sua integritate & suo obsequio, quod numquam ad partem publicam facere consuevit, vel ibi facere visa est: Curtem Canavese cum Castro, quod dicitur Ripa Rupata, & cum omni sua pertinentia, ita ut de ipso Castro teloneum nullus exigat, nec disticam aliqua publica potestas ibi faciat, sed tantùm Ministrialis, vel Missi ipsius Abbatissæ, quæ ibi modò est, vel pro tempore fuerit: Curtes Casale & Sale cum Sanctuario & Castro, quod dicitur Viqueria, cum omnibus illarum pertinentiis, teloneis etiam vel districtis: Curtem Sarmundas cum Semenia & Puteosalso, & cum omnibus eorum integritatibus: Cortem Romeli, quæ dicitur Massa Damiani, cum omnibus suis pertinentiis: Curtem Villæ, quæ dicitur Pampaniana, cum omni sua pertinentia, aldionibus & aldiabus: Curtem Cadenna in finibus Veronensis cum omni sua pertinentia; adeo ut præscriptas res cum omnibus suis integritatibus & pertinentiis præscripta Abbatissa, Successoresque ejus, quæ per tempora fuerint, teneant, & secundùm loci utilitatem spectet, & specialiter naves & porta & quæ necessaria sunt, per Lacum Lumnas potestative, & absque ulla inquietudine vel detentione, vel ulla publica exactione vel nabullo, discurrere vel exigere liceat, & ubicumque utilitas dictaverit in Portu Cumacio, vel ipsius Laci ripariis, ubicumque necessitas fuerit, figere absque abdictu ac consistere quopiam tempore. Confirmamus etiam & concedimus in prædicto Cœnobio sub

A eadem nostræ immunitatis tuitione, ad incidendum omnia ligna in Silva nostra Carbonaria, & in Gajo nostro similiter ad tollendas arbores, ubicumque illis aliqua opportunitas aut necessitas fuerit. Nec non etiam confirmamus ad ipsum Monasterium duo Vada ad piscandum in flumine Padi, unum ibi dicitur Acceri de fine Caputlactis usque in fluvium Corionæ, simul cum ripariis, alterum verò in Callendasce de fine Caput-staridis, usque in Caput-homines de subtus, una cum ripariis, ex quibus pars ejusdem Monasterii Antecessorum nostrorum firmitatem habere videtur. Si quis verò nostris aut futuris temporibus contra hoc nostræ firmitatis Præceptum ire, & in rebus jam dicti Monasterii aliquas violentias quolibet modo inferre

B præsumpserit, noverit, se compositurum auri optimi Libras centum, medietatem Palatio nostro, & medietatem ad partem jam dicti Monasterii. De eligendis quoque in eodem Monasterio Abbatissis juxta normam sanctæ Regulæ, vel quemadmodum à Prædecessoribus nostris inibi concessum est, ita sancimus, ut omni tempore absque ullius controversia ex proprio suæ Congregationis sinu, cum necessitas postulaverit, eam quam dignam repererint, licentiam eligendi ac ordinandi habeant Abbatissam. Et ut hæc nostræ largitatis concessio pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatem hoc idem Præceptum propriis manibus confirmavimus, & annuli nostri impressione jussimus sigillari.

C Signum Domnorum . . . . (*) . . . . Berengarii & Adalberti serenissimorum Regum.

Hubertus Cancellarius ad vicem Brunici Episcopi & Archicancellarii cognovi.

Data X. Kalendas Octobris, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLI. Regni verò Domnorum Berengarii & Adalberti Regum Primo, Indictione X.

Actum Papiæ feliciter in Dei nomine. Amen.

Ottonis I. Imperatoris Diploma, quo Canonicis Regiensis Ecclesiæ omnia illorum jura ac bona confirmat, Anno 963.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Imperator Augustus. Omnibus fidelibus, sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrisque, presentibus scilicet ac futuris, notum fiat, qualiter Hermenaldus venerabilis sanctæ Regiensis Ecclesiæ Episcopus optulit nobis Precepta divæ memoriæ nostrorum Antecessorum Regum seu Imperatorum, in quibus continebatur, qualiter illorum roboratione Canonicam ejusdem Ecclesiæ, quam Sigefredus loci Antistes ad usum Canonicorum ibidem Deo militantium divina inspiratione reformasset; postulans, ut & nos pro divinæ remunerationis premio, plenius id confirmaremus. Cujus petitioni libenter adsencientes, per hoc nostræ renovationis Preceptum fieri jussimus, per quod decernimus atque sancimus, ut omnes res, quas prefatus Sigefredus de suis usibus ad utiliorem servorum Dei usum transtulit, & parti Canonicæ, quam ipse a fundamentis construxit cum plenissima integritate; nec non & reliquas ab Azone, Petro, & Adalardo ipsius sanctæ Sedis Episcopis, a ceterisque Presulibus per aliquam conscriptionis paginam eidem Canonicæ jure concessa esse videntur; verùm etiam ceteras res, quas a bonus hominibus prenominatæ Cano-


D nicæ inlata fore noscuntur. Hæc sunt Prinianum, Massa, Campilia, Villa cum suis pertinentiis, Octabiano, Casalicto, Casale qui vocatur Augusti, Verniano, & Cadriniano, Ripalta quoque, & Plebe Nuvelare, & Canole, Mandrie, in ipsoque loco campum, qui dicitur Centum Juges cum suis pertinentiis: in Argene Mansos duos, Rivum Frigidum; & omnes res, quas a Bertoldo Comite, & a Ratberto filio ejus, & a Bertila genitrice ipsius, & ab Amemperto Presbitero, idest Petrum unum, qui dicitur Fossato, cum theloneo & piscacionibus: in Corviatico Massariciam unam: in Nuvelare Massariciam unam: in Canole modia tres: in Villa Fontana Massariciam unam: in loco,

E qui dicitur Sancti Dalmacii Massariciam unam: in Sustiliore Massariciam unam: in Villa, quæ dicitur Fazano, Massariciam unam: in Villa Sableta modia tres: in Campo, qui nominatur Galliani, juges sexaginta: Pradetidulo, seu in Magreda, & in Montirone Castellum unum cum aliquanta terra, & in Tossedunde, vel ubicumque per loca: seu illis res, quas a Litgarda Comitissa, & a Wifredo Comite filio ejus, idest domno (**) cultille & Massariciis in Comitatu Motinensis, in locis, qui nuncupatur

(*) Monogrammata Regia in apographo desiderantur.

(**) scribendum domo cultile

tur Insula, Pulianello, *Serra Apuliana*, *Monte Pasarario*, *altero Monte*, *qui dicitur Calvo*, *& in loco*, *qui dicitur Sancta Maria*, *seu Buida & in Foliano eidem Canonice admissæ sunt*. *Et cuncta*, *quæcumque a devotis largitoribus inibi Deo favente oblata fuerint per hanc nostram Imperialem institutionem*, *& inviolabilem corroborationem in eadem Canonica absque alicujus retractione stabilita permaneant*, *sed juste & legaliter secundùm hoc nostrum Preceptum & renovationis edictum*, *atque predicti venerabilis* Pontificis Ermenaldi, *Successorumque suorum ordinationem*, *ab ipsis Canonicis potestative sint possessa*, *perpetuisque temporibus maneant inconvulsa*. *Nullusque* . . . . . . *Comes*, *aut Vicecomes*, *vel Vicarius*, *aut Sculdassio*, *vel Missus discurrens*, *neque Minister Reipublicæ*, *aut quislibet homo*, *magna parvaque persona in Clericis ejusdem Canonicæ*, *aut in ipsa Canonica*, *vel rebus ipsius Canonicæ*, *seu in proprietatibus vel domibus aut familiis utriusque sexus*, *seu commenditis*, *vel sedaneis ipsorum Canonicorum*, *aliquam violenciam*, *aut contrarietatem*, *aut rerum diminutionem*, *vel rerum invasionem*, *aut familiarum subtractionem inferre presumat*; *nullusque eos*, *eorumque homines liberos*, *aut servos per publica Placita ventilet*. Et nullus ab eis, aut ab eorum hominibus liberis aut servis teloneum, neque ripaticum, aut Donaria, aut ullas publicas redibitiones exquirat, aut Mansionatica in omnibus eorum terminis accipiat . . . . . publicâ exactione immunes tam ipsi, quàm omnes eorum homines liberi & servi, libellarii atque felcarii: *sed liceat jam dictis Canonicis*, *eorumque Successoribus imperpetuum* . . . . . *massariciis omni tempore sub tuicionis nostræ munimine quietè & pacifice*, *remotâ tocius potestatis inquietudine*, *permanere ac pro nobis*, *nostrisque* . . . . . . *jugiter deprecare*. *Si quis autem temerarius contra hoc nostræ confirmationis*, *concessionis*, *ac tuicionis Preceptum quandoque insurgere temptaverit* . . . . . *sciat se compositurum auri optimi Libras centum*, *medietatem Cameræ nostræ*, *& medietatem parti ejusdem Canonice*. *Et ut hæc nostræ auctoritatis* . . . . *credatur*, *diligentiusque observetur*, *manu propria subter confirmavimus*, *& de anulo nostro subter insigniri jussimus*.

Signum Domini Ottonis Magni  *& invictissimi Imperatoris Augusti*.

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Liutgerius Cancellarius ad vicem Domni Widonis Episcopi & Archicancellarii subscripsi.
Data V. Kalendas Julii, *Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXIII. Indictione VI. Anno verò Imperii Magni Ottonis Imperatoris Augusti II.*
Actum in Monte Feretri ad Petram Sancti Leonis.

Ad hæc vulgatissimum est in vetustis Imperatorum & Regum tabulis, interdictum fuisse Comitibus, & aliis Reipublicæ Ministris, ditionem suam exercere in Cleri utriusque agros & homines. Exemplo tamen erit hoc in loco Charta, ad antiquissimum Novaliciense Monasterium spectans, cujus me compotem fecit Excellentissimus Taurinensis Senatus Præses Comes Ludovicus Caissottus.

Immunitatum confirmatio facta Frodoëno Abbati Novalíciensi à Carolo Magno Francorum Rege, Anno Chr. 773.

CArolus *gratia Dei* Rex Francorum, *Vir illustris*, *hominibus fidelibus nostris*. *Cognoscatis*: *maximum Regni nostri augere credimus monumentum*, *si beneficia opportuna locis sanctorum ad quietem Monachorum benivola deliberatione concedimus*, *ac Domino protegente stabilitatem nostri in Dei nomen pertinere confidimus*. *Igitur noverit solertia vestra*, *quia venerabilis vir* Frodoënus Abba *nobis suggessit*, *eo quod* Monasteriolo *in honore beatorum germanorum Apostolorum Petri & Andrei*, *vel ceterorum Sanctorum*, *quem* Abbo *quondam visus fuit ædificasse in loco nuncupante* Novalicis in Valle Sigosina, *& ibidem congregatione Monachorum sub sancta Regula Sancti Benedicti*, *seu ceterorum Sanctorum Patrum degentibus sub Cinobitali ordine conlocasset*, *ubi presenti tempore venerabilis vir* Frodoënus Abba *præesse videtur*: *& nos totidem pro æternam retributionem beneficium ad ipso sancto loco visi fuimus indulsisse*, *ut in loca vel Curtis ipsius Monasterii*, *quem jam dictus Abbo quondam*, *vel à quibuslibet hominibus Deo timentibus ibidem fuit conlatum*, *aut in antea ad ipsum sanctum locum voluerit pietas divina amplificare*; *nullus Judex publicus ad causas audiendum*, *aut freda undique exactandum*, *quoquo tempore non præsumat ingredere*: *sed hoc Abba de ipso Monasterio una cum Congregatione propter nomen Domini & reverentia Sanctorum sub integra emunitate valeat dominare*. *Statuentes ergo*, *ut neque vos*, *neque Juniores*, *aut Successoresque vestri*, *nec nulla publica Judiciaria Potestas quoquo tempore in loco vel Curtis tam in ipsa Valle Sigusina*, *quàm Brientina*, *Aquense*, *seu Aquinari*, *Mannate*, *uti in Burgundia*, *aut ubicumque in Regno nostro ipsius Monasterii*, *aut nostris*, *seu & privatorum largitatis munere*, *aut quod in antea de cujuscumque hominibus fuerit additum vel conlatum*, *ad audiendas altercationes ingredere*, *aut freda de quacumque libet causa vel hominibus*, *qui ad ipsa Casa aspicere videtur*, *exigere*, *nec mansiones*, *aut paratas*, *nec fidejussores tollendum*; *sed quidquid exinde aut de ingenuis vel de servitutibus publicis*, *ceterisquecumque rationibus*, *quæ sunt infra locis*, *vel Curtis*, *seu terminis ipsorum prædicti Monachi commanentes*, *vel ibidem aspicientes*, *vel in antea*, *auxiliante Domino*, *augmentare*, *aut atrahere potuerat Fiscus*, *aut de freda*, *vel functionibus undiquecumque potuerat sperare*, *ex nostra indulgentia pro futura salute in luminaribus ipsius Monasterii per manus agentium ipsorum proficiat in perpetuum*: *& quod*

nos propter sanctum nomen Domini, & reverentiâ ipsius sancti loci, vel pro animæ nostræ remedium, seu nostra subsequenti progenie, plenâ devotione indulsisse, nec Regalis sublimitas, nec cujuslibet Judicibus cupiditas refragare tenet. Et ut præsens auctoritas tam præsentibus quàm futuris temporibus inviolata, adjuvante Domino, permaneat, manus nostræ propriæ signavimus, & de annulo nostro sigillavimus.

Signum (✠) *Caroli gloriosissimi Regis.*

Tesius recognovi & subscripsi.

Data VIII. Kalendas Aprilis, Anno Quinto Regni nostri.

Actum Carisiaco, Palatio publico, in Dei nomine.

Attamen prætereundum non est, ut ut in- A Diplomatis sæpenumero eximantur Deo militantes, immo & eorum Servi & Coloni, à jurisdictione Comitum, aliorumque Reipublicæ Ministrorum, attamen à judicio Regiorum Missorum, ipsorumque Regum & Augustorum non fuisse reipsa immunes. Quum tot tabulas hujus moris testes in hoc ipso Opere evulgarim, & res confirmatione indigere neutiquam videatur, id unum ostendam, diu perdurasse ejusmodi consuetudinem. Doctissimus vir Hubertus Benvoglientus Senensis, quum vivebat, ad me misit Diploma Henrici VI. Regis, & inter Imperatores Quincti, in quo præcipitur, ne quis Monachos Sancti Salvatoris de Insula, *præsumat ad Placita trahere, vel distringere,* B *aut judicare, nisi in nostra Imperiali præsentia.* En Diploma ipsum.

Henricus VI. Rex, Imperator V. Monasterio Sancti Salvatoris de Insula, ejusque Abbati Hugoni Privilegia confirmat, Anno 1191.

I*N nomine Sancte & individue Trinitatis.* Henricus Sextus Romanorum Imperator & semper Augustus. *Noverit omnium sancte Dei Ecclesie, nostrorumque, presentium scilicet ac futurorum fidelium sagacitatis industria, qualiter nos pro Dei amore & remedio anime nostre, nostrique Imperii stabilitate,* Abbatiam Sancti Salvatoris *in loco, qui vocatur* Insula, *&* Abbatem illius loci, qui vocatur Hugo, *cum Fratribus ibi Deo servientibus, tam presentibus quàm futuris, cum omnibus suis pertinentiis & rebus, quas nunc legitime possident, vel in antea juste acquirere potuerint, sub nostra Imperiali munitione suscepimus. Et nostra Imperiali auctoritate quecumque Divi Predecessores nostri prefatæ Abbatiæ contulerunt, sive in Castellis, sive in Villis, mancipiis, terris cultis & incultis, mobilibus & immobilibus confirmamus. Precipientes,* ut nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Episcopus, nullus Consul alicujus Civitatis vel loci, aut aliqua persona nostri Imperii magna vel parva, prenominatam Abbatiam & Monachos, qui ibidem sunt vel fuerint, cum omnibus suis fidelibus hominibus, servis vel ancillis præsumat ad Placita trahere, vel distringere, aut judicare, nisi in nostra Imperiali presentia. *Concedimus etiam prefato Abbati & Successoribus suis & confirmamus Paludem, que nuncupatur Cannetum; Podium de Monte Magio, & Podium de Monte Castello, cum omnibus pertinentiis, appenditiis & confinibus predictorum locorum. Si quis vero hoc nostrum statutum* C *Privilegii &c. Ad cujus rei memoriam infrascriptos testes fecimus annotari,* Bonifacium Novariensem Episcopum, *& Comitem Bono de Wenthem, Robertum de Durne, Arnoldum de Honenbec, Manentem de Sartiano, & alios quamplures.*

Signum manus Domni Henrici Romanorum Imperatoris invictissimi.

Ego Henricus Imperialis Aulæ Protonotarius, precepto Domini Imperatoris recognovi, & ejus signo signavi.

Datum Senis in Palatio Episcopi Anno MCXCI. Indictione Decima, Regnante Domino Henrico glorioso Romanorum Imperatore & semper Augusto, Anno Regni ejus XXII. Im- D *perii verò Primo.*

Ita ejus filius & successor Fridericus II. Privilegia confirmans Monasterio Vangadiciensi ad Athesim parvum sito, Monachis indulget, *ut nulli inde respondere teneantur, nisi nobis, aut certo Misso nostro, ad hoc specialiter destinato.* Accipe Diploma ex ejus Cœnobii Chartario descriptum.

Friderici II. Romanorum Regis tabulæ, quibus omnia bona & jura confirmat Monasterio Sanctæ Mariæ de Vangadicia, ejusque Abbati Johanni Ordinis Camaldulensis, Anno 1219.

I*N nomine Sancte & individue Trinitatis.* Fredericus *divina favente clementia* Romanorum Rex Augustus, & Rex Siciliæ. *Regie majestatis a Deo nobis creditum postulat & recquirit officium, ut unicuique quod suum est, equitatis jure conservemus, precipue autem Ecclesiis & Monasteriis ad serviendum Deo continua devotione deputatis, favorem & opem gratie nostre eo magis familiaribus studiis impendimus, quo certius ad remissionem peccatorum in eterna bonorum retributione nobis quidem id profuturum esse speramus. Eapropter cognoscat tam presens etas, quàm successura posteritas,* E *quod nos ob remedium anime nostre piam & pronam aurem gratanter accommodantes rationabilibus & justis petitionibus* Johannis *venerabilis* Abbatis de Vangaditia Camaldulensis Ordinis, *religiosi quidem & sanæ opinionis viri, clementer annuentes, & felicis memorie gloriosissimi* Federici Avi nostri Romanorum Imperatoris *vestigiis inherentes, sicut in ejus Privilegio continetur; Monasterium Sancte Dei Genitricis Marie Ordinis Camaldulensis constructum super Athesis fluminis ripam ad locum, qui quondam Petra dicebatur, nunc autem Vangadicia vocatur, una cum Abbate, Fratribus divino inibi*

obsequio mancipatis, & cum omnibus possessionibus & rebus mobilibus & immobilibus, & eaque hactenus possedit, & in futurum Deo favente justæ acquisitionis titulo possidebit, sub nostra Regali tuitione ac deffensione gratanter suscipimus, omnesque res & possessiones ejus mobiles & immobiles, seseque moventes, quas Abbas & Fratres ejusdem Monasterii vel ipsi vel per alios possident, vel de cetero acquisierint, eidem Ecclesiæ perpetua stabilitate per nostre auctoritatis robur & munimen confirmamus. E quibus quedam duximus exprimenda vocabulis, videlicet possessiones, quas habent in predicto loco, qui Vangadicia dicitur, & in Abbatia, & in aliis quibuscumque locis, in Episcopatu Verone infra Civitatem Ecclesiam Sancti Salvatoris cum omnibus suis pertinentiis, & in Bardulino, in Illasio, in Albareto, in Porto, in Curia Leniaci, terram scilicet arabilem, prata, silvas, saliceta, sationes, venationes, paludes, piscationes, cum omnibus suis pertinentiis & adjacentiis, que ad Curiam Leniaci pertinent: cujus terminum cernit Capud Silice ipsius Monasterii usque in Tartarum, que Silva vocatur Gazolo, & est ea alia parte Athesis Salvaterra, Ramo de Pallo, Braxeda, Turicla, Incontra, in Arquada, in Rudigo, in Pontimno, in Cento, in Squinacio, in Donnico, Bonifago, in Martegio, in Sarzano, in Mardimago, Veneze, cum omnibus suis pertinentiis, in Longula, Clusurella, Cavazano, Saguedo, in Merlaria, in Scudasia, in Palso, in Vigizolo, in Corrigia, in Villa, in Este, Vallis Amalrici, in Monte Silicis, in Padua, in Curte de Provio, in Villa Cornede, in Davanedo. Hec igitur suprascripta, & cetera omnia, que in aliquo Regni nostri loco prefata possidet Ecclesia in Castris, Capellis, Decimis, Placitis, Mercatis, Theloneis, ripis, ripaticis, molendinis, collectis, viis & inviis, vineis, agris, terris cultis & incultis, Sylvis, pascuis, montibus, planitiebus, venationibus, aquis, aquarumque decursibus, stalariis, paludibus, piscationibus, Aremannis, tansis, bannis, & olivetis, universis exhibitionibus, atque cujuslibet functionibus cum omni honore & districtu (salvâ tamen Regali justitiâ) *confirmamus. Tamen id Abbati, & Ecclesie & suis successoribus, & eorum hominibus indulgemus,* ut nulli inde respondere teneantur, nisi Nobis, aut certo Misso nostro, ad hoc specialiter destinato. *Precipientes igitur Regalis nostre auctoritatis edicto, quatenus nullus Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Consul, vel Potestas, vel ullum Commune alicujus vel loci, nec ulla omnino persona magna vel parva, secularis vel Ecclesiastica, supradictum Monasterium, & ejus Abbatem, & Fratres, & homines in cunctis predictis, vel in ullis rebus, aut functionibus sibi pertinentibus inquietare, disvestire, vel quocumque modo molestare presumat. Quod si quis contra hec precepta nostra venire presumpserit, centum Libris auri penâ feriatur, quarum medietas Physco nostro, residua Abbati præfactæ Ecclesiæ persolvatur. Pro quorum omnium certa & inviolabili observatione & memoria presentem paginam Majestatis nostre sigillo communivimus, testibus subscriptis, qui sunt* Girardus Archiepiscopus, Enricus Basiliensis Episcopus, Rodigerius . . . . . . Episcopus . . . . *ad . . . . . . Marchio Montisferrati, Hermannus Marchio de Baden, Egno Comes de Ura, Ebberardus & Ulricus fratres ejus Comites de Essten, Anselmus Curie nostre Mareschalcus, Fridericus Camerarius, Eberardus Dapifer, & alii quamplures.*

Signum Domini Friderici Romanorum Regis invictissimi & semper Augusti, & Regis Siciliæ.



Ego Chunradus Metensis Episcopus, Imperialis Aule Cancellarius, vice Domini Sifridi Magontini Archiepiscopi, & totius Alemanie Archicancellarii, recognovi.

Datum apud Agno, Anno Dominice Incarnationis Millesimo Ducentesimo Decimo Nono, V. Kalendas Aprilis, Indictione VII. Regnante Domino Federico Romanorum Rege glorioso, semper Augusto, & Rex Sicilie, Anno VII. feliciter, Amen.

Fuerunt etiam tempora, quibus Imperatores & Reges causas criminales sibi reservarunt in sacrorum hominum Castellis & agris. Item accipe Diploma Lotharii I. Augusti, a prælaudato Præside Senatus Taurinensis ad me missum.

Confirmatio immunitatum, & jurium, facta Monasterio Novaliciensi, ejusque Abbati Commendatario Josepho Episcopo Eporediensi à Lothario I. Augusto. Anno Chr. 845.

IN *nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni.* Lotharius *divina ordinante providentia* Imperator Augustus. *Constat nos divina dispensante gratia cæteris mortalibus super eminere, unde oportet, ut cujus præcellimus munere, ejus studeamus modis omnibus parere voluntati, ut videlicet nostro fideliter parentes obsequio, nostram sibi sentiant usquequaque suffragari clementiam. Proinde comperiat omnium fidelium nostrorum tam præsentium quàm & futurorum industria, quia vir venerabilis* Joseph Heporediæ Urbis Episcopus & Abbas ex Monasterio Sancti Petri & Sancti Andreæ, *quod est situm in loco, qui dicitur* Novalicius, *adiens præsentiam culminis nostri, detulit nobis quasdam auctoritates beatæ memoriæ* Caroli

Avi

Avi nostri, *seu & Domini* Genitoris nostri Ludovici Augusti; *in quibus continebatur insertum, qualiter illi Vallem Bardiniscam cum Castello ibidem sito, cujus vocabulum est Diobia, sive cuncta, quæ ibi justo tramite pertinebant tam de intus quàm & de foris, suisque apendiciis Diobiasca, & Armeasca, sive Alonica, sicut in publicum, vel ad Palatium priscis temporibus visum est pertinuisse; sic tamen ut homines liberi, qui in ipsa Valle commanere videbantur, in eorum libertate permanerent, sicut in eorum continetur Præcepto: Censa etiam & tributa, vel omni Datione, sicut anteactis temporibus ipsi, vel antecessores eorum persolvere visi fuerunt, hoc cum omni integritate in elemosina sua ad jam dictum Monasterium venire debuisset: Homines verò in eadem Valle ac locis commanentes, sicut ipsi statuerunt, in propria libertate resideant, & itinera exercitalia cum Comite illius loci, quando necessitas exegerit, peragerent; pro criminalibus culpis, de quibus Sacerdotibus & Monachis non est licitum judicare, ante Comitem illius loci & justitias reddant, & ab aliis recipiant: Censa verò & tributa quemadmodum à longo tempore ad Publicum, vel ad Palatium pertinebant, ita omnibus modis in ipsum Monasterium in sua elemosina contulerunt. Insuper etiam ad Excellentiam nostram detulit emunitates à Domino Carolo Avo, atque à Genitore nostro prolatas, per quas instituerunt, ut nullus quislibet ex Judiciaria Potestate in Ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones prædicti Monasterii, quas juste & rationabiliter possidet, ingredi audeat, aut aliquid exigere, quod inde sperare Fisci jus poterat. Pro firmitatis namque studio deprecatus est celsitudinem culminis nostri, ut Avi nostri Caroli, & paternæ auctoritati, nostram quoque superadderemus auctoritatem.*

Nos itaque inspectis eisdem auctoritatibus, hanc præceptionem nostram fieri jussimus, per quam præcipimus atque jubemus, ut nullus quislibet ex Judiciaria potestate præfatum Joseph Episcopum, vel Successores suos, de suprascripta Valle vel locis reliquis inquietare, aut aliquam calumniam generare, vel inde abstrahere aliquid, aut minuere, ullo unquam tempore præsumat, nec homines commanentes in præfatis Vallibus, quæ à Decessoribus nostris eidem Monasterio per Præcepta delegatæ sunt, & sub emunitate confirmatæ, sub aliqua occasione Missus Rei publicæ, vel Comitis, inquietare vel distringere infra ipsas Valles præsumat; sed omnem districtionem vel judicium præ-

A *fato venerabili Episcopo Joseph, ejusque Successoribus concedimus providendum & ordinandum, exceptis illis culpis criminalibus, de quibus Sacerdotibus & Monachis non est dijudicandum. Unde volumus, ut præsentata omni occasione de Vallibus supradictis, ac sicuti in Præceptis Prædecessorum nostrorum continetur, veniant ante Comitem in Civitate Taurinis, acti videlicet atque compulsi per Abbates atque Monachos ipsius Monasterii, & justitiam faciant, & ab aliis recipiant: reliquæ verò causæ in ipsis locis per Ministros & Ordines ipsius Monasterii deliberatæ & difinite fiant absque impedimento, vel solatii occasione cujuslibet Comitis, aut Reipublicæ Missi: salvâ illorum hominam libertate, qui ibidem commanent.* B *Eundem namque locum cum omnibus suis pertinentiis sub nostra tuitione ac immunitatis defensione perenniter mansurum constituimus, ita ut nemo fidelium nostrorum quidpiam contrarietatis inferre præsumat, sed quidquid ibidem pars Fisci nostri sperare poterat, more Prædecessorum nostrorum sequentes, in utilitates inibi Deo famulantium perenniter conferimus possidendum, quatenus servos Dei, in eodem Monasterio degentes, pro nobis, & prole nostra, vel stabilitate totius Imperii nostri à Deo nobis collati atque conservandi, jugiter Domini misericordiam exorare delectetur. Et ut hæc auctoritas Domino protegente valeat inconvulsa manere,* C *manu propria subtus firmavimus, & annuli nostri impressione adsignari jussimus.*

Signum (✠) *Lotharii serenissimi Imperatoris.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Remigius Notarius ad vicem Vicgarii signavi.

Actum VI. Idus Octobris, Anno Christo propitio, Imperii Domini Lotharii pii Imperatoris in Italia Vigesimo sexto, in Francia Sexto, Indictione Sexta. (seu potius Octava, aut Nona)

Actum Aquis Palatio, in Dei nomine feliciter. Amen.

Attamen non deerant olim, qui nihil sibi religioni ducebant, Privilegia sacris Ordinibus tamdiu ante, atque a tot Regibus concessa in- D fringere, atque in alienam messem manum mittere, contemto etiam anathemate, quod in violatores ejusmodi Privilegiorum non semel Sedes Apostolica promulgarat. Anathema inquam, ejusque rei luculentum testem (ut monumenta jam nota prætercam) habeo literas authenticas Stephani IX. Papæ, quas vidi ac descripsi e Tabulario insignis Capituli Canonicorum Lucensium.

Stephani IX. Papæ Bulla, per quam confirmat Cleri Secularis immunitatem à Secularium potestatum judiciis & oneribus, Anno 1058.




STephanus Episcopus, *servus servorum Dei, dilectissimis in Christo filiis omnibus Sacerdotibus, Levitis, universisque sacris Ordinibus, Luce commorantibus, seu de omnibus Plebibus, Clericis, Acolithis, Subdiaconibus, Diaconibus, Presbiteris suburbanis Lucensis Episcopatus, & omnibus successoribus eorum in perpetuum. Si erga fidelium Laicorum ordinem, legalem consuetudinem & decreta pietatis servare nobis convenit, multo amplius circa Clericorum gradus, qui Ecclesie Dei fideliter ministrant & serviunt visa equitatis observare, &*

E *observanda confirmare debemus. Quapropter ob interventum dilectissimi* Coëpiscopi nostri Anselmi Lucensis Episcopi, *simulque* Benedicti Belletrinensis Episcopi, *&* Bonifacii Albanensis Episcopi, *&* Domni Humberti sancte Rufine Sedis Episcopi, *nec non* Petri Lavicanensis Episcopi, *simulque* Johannis Portuensis Episcopi, *nec non &* Domni Hildebrandi sancte Romane Ecclesie Subdiaconi, *aliorumque nostrorum fidelium, per hujus nostre preceptionis paginam constituimus & confirmamus, sicut sacrorum Canonum demonstrat auctoritas, & humane pre-*

cipiunt Leges, sicut etiam illis ab Ottone Imperatore Augusto, *& reliquis Imperatoribus per Precepti paginam concessum & confirmatum esse videtur*, ut deinceps a nulla magna parvaque persona hominum ad secularia judicia pro qualicumque controversia pertraantur, vel ante Seculares Judices examinentur vel distringantur, nisi tantùm ab eorum Presule. Et ut nullus in domibus eorum aliquam invasionem facere audeat, vel molestiam presumat inferre, vel tributum, sive redditum, seu etiam superimpositum eisdem Sacerdotibus, & cunctis sacris Ordinibus, a quacumque persona minime imponatur, vel requiratur. Et ne aliquis audeat se intromittere sine legali judicio de aliquibus suppellectilibus eorum, sive Servis utriusque sexus, vel familiis, seu etiam de universis eorum colonis, nec non mobilibus & immobilibus, arvis, cultilibus, vineis, olibetis, silvis, pratis pascualibus, seu universis hereditatibus eorum, sive acquisitis, nec non eorum bonis, vel quicquid illis juste & legali ter pertinere perspicitur. *Insuper concedimus per hoc nostrum Apostolicum Privilegium omnibus Sacerdotibus, Levitis, cunctisque sacris Ordinibus jam dicti Episcopatus, ut eorum Advocatus non aliter, nisi solus, juret sine ulla contradictione, sicut in sancta Romana Ecclesia agitur. Et liceat eis secundùm Ecclesiasticos gradus quiete & pacifice vivere, & Deo servire, & sub hujus nostri Privilegii defensione consistere. Ita sane juvemus, ut nullus Dux, sive Marchio, Comes, Vicecomes, Gastaldus, Curialis, Exactor, Decanus, Vocemissarius, vel etiam ulla persona hominum audeat interdicere vel constringere hoc, quod a nobis constitutum & confirmatum est. Si quis autem (quod non credimus) temerario ausu huic nostro Apostolico Privilegio contrarius extiterit, sciat se, nisi resipuerit, & dampnum, quod fecerit, emendaverit, auctoritate Dei omnipotentis, & beati Petri Apostolorum Principis, ac nostrá, anathematis vinculo innodatum, & a Regno Dei alienum, atque cum Juda traditore sociatum. Insuper compositurus existat auri obtimi Libras decem, medietatem sacro nostro Palatio, medietatem illis, quibus injuria illata fuerit. Qui verò pro intuitu custos & observator hujus nostri Apostolici Precepti exstiterit, benedictionis Apostolice gratiam, vitamque heternam a Domino Deo nostro consequi mereatur in secula seculorum. Amen.*

Signum per manus Gregorii Notarii & Scriniarii sancte Romanæ Ecclesiæ in Mense Octubrio, & Indictione Undecima.





Datum Romæ per manus Humberti sanctæ Ecclesiæ Silve Candide Episcopi, & Bibliothecarii sanctæ Romanæ & Apostolicæ Sedis, Anno Pontificatus Domni Stephani Noni Papæ Primo, XV. Kalendas Novembris Indictione Undecimá.

Sigillum plumbeum appensum.





Plerisque etiam Ecclesiis contigit, ut onerum ac tributorum remissio non solùm sacrorum hominum personas, earumque fundos afficeret, sed etiam ad illarum Servos, Colonos, Emphyteutas, sive Libellarios protenderetur. Attamen omnia hæc tam speciosa in membranis, facile evanescebant, culpâ sæpe Ministrorum Reipublicæ, & præsertim difficillimis bellorum temporibus, quibus non jus, & æquitas, sed vis & impietas primas semper tenere consueverunt. Immo in ipsis Privilegiis interdum ejusmodi temporum necessitas excipiebatur. Amplissimis certe immunitatibus fruebatur Aquilejensis Ecclesia Patriarchalis, atque in illius homines effusa fuerat Imperatorum munificentia. Attamen *Mansionatico* & *Fodro* obnoxii erant, quoties Augusti, eorumve filii ad Aquilejensem Civitatem accedebant, aut præsidium militum adversùs hostes finitimos, Avares scilicet aut Hunnos, statuendum erat. Id perspicies è tabulis, quas ex Archivo Monasterii Veronensis Sanctæ Mariæ ad Organum descripsi, ubi vetustissimum apographum ad instar archetypi exaratum conspexi.

Præceptum Lotharii I. Imperatoris, per quod Maxentio Patriarchæ Aquilejensi, atque ejus Ecclesiæ immunitates & privilegia confirmat, Anno 833.

IN *nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni*. Hlotharius Augustus *invictissimi* Domini Imperatoris Hlodowici filius. *Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei, ejusque in eisdem locis famulantibus beneficia oportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Igitur notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostris, præsentibus scilicet & futuris, quia adiens serenitatem nostram vir venerabilis* Maxentius Aquiligensis Ecclesiæ Patriarcha, *que est sanctæ Dei genitricis Mariæ, & sancti Petri Principis Apostolorum, seu & sancti Marci constructa, detulit nobis quasdam Præceptiones auctoritatum* Domni *& genitoris nostri* Hlodowici *prestantissimi Imperatoris, in quibus continebatur, eo quod bonæ memoriæ* Karolus *piissimus* Augustus, *idemque Domnus & Genitor noster, præfatam Ecclesiam cum Cellulis & rebus sibi subjectis*, sub inmunitatis suæ defensione consistere fecissent, *& quod licentiam dedissent ejusdem Civitatis Clero & Populo secundùm canonicam institutionem de Pontifice sibi eligendo, & in prefata Sede substituendo. Continebatur etiam in eisdem ab eis sancitum*, ut nec homines ejusdem Ecclesiæ de anona & peculio suo decimam in partem Fisci darent, nec de peculio ipsius Ecclesiæ, quod ad partes Histrienses in pascuis mittebantur, ullum solverent herbaticum; & quod à præfatæ Ecclesiæ hominibus Mansionatici, vel Fodorus nullatenus acciperetur vel exigeretur, nisi quando eorum, aut filiis suis, adventus ad eandem fierent Civitatem, vel quando præsidium illic propter inimicorum insidias arcendas poneretur. *Pro firmitatis namque studio postulavit nobis idem venerabilis Patriarcha, ut morem Prædecessorum sequentes, nostram etiam auctoritatem circa ipsum sanctum Locum fieri decerneremus. Cujus petitioni ob amorem Dei & animæ nostræ salutem libenter annuimus, & hoc nostræ auctoritatis Præceptum circa ipsum Sanctum Locum fieri censuimus. Per quod constituimus atque perenniter firmum fore volumus, ut memoratæ Civitatis Clerus & Populus licentiam habeant secundùm institutionem canonicam eligendi sibi Pontificem. Precipimus etiam atque jubemus*, ut nemo fidelium nostrorum, vel quisli- A bet exactor, aut aliquis ex judiciaria potestate, nec de peculio præfatæ Ecclesiæ herbaticum, nec de anona & peculio hominum ipsius Ecclesiæ Decimam, nec ab eis Mansionaticus aut Fodorus penitus accipere, vel exigere presumant: nisi fortè quando noster, aut alicujus filii nostri, illic fuerit adventus, vel quando illic præsidium positum fuerit ad inimicorum infestationem propellendam. *Sed & nullus quilibet ex fidelibus nostris, vel Judex publicus in Monasteria præfatæ Ecclesiæ subjecta, & Xenodochia & Ecclesias Parochiales, ac titulos earum, vel ceterorum possessiones, quas moderno juste & rationabiliter in quibuslibet pagis & territoriis infra ditionem Imperii* B *nostri memorata tenet vel possidet Ecclesia, tam ex munere Regum vel Ducum, quamque ex conlatione ceterorum fidelium, nec non & ex oblationibus, emptionibus, & conmutationibus, vel in eas res, quas deinceps à catholicis viris conlatæ fuerint Ecclesiæ*, ad causas audiendas, vel freda aut tributa exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, nec homines ipsius Ecclesiæ tam ingenuos, quàm servos super terram ejusdem commanentes distringendos, nec ullas redibitiones, aut inlicitas occasiones requirendas, ullo umquam tempore ingredi audeat, vel ea, quæ supra memorata sunt, penitus exigere presumat. *Sed liceat præfato Pontifici, suisque suc-* C *cessoribus res predictæ Ecclesiæ* sub inmunitatis nostræ tuitione *quieto ordine possidere, & nostro fideliter parere Imperio, atque pro incolomitate nostra, Conjugis, ac prolis, vel totius Imperii à Deo nobis conlati, atque per immensum conservandi stabilitate una cum Clero & Populo sibi subjecto, Dei misericordiam jugiter exorare, & quicquid de rebus præfatæ Ecclesiæ Fiscus exigere poterat, in integrum prædictæ concessimus Ecclesiæ; ut nostris futurisque temporibus in eodem Loco ibidem Deo famulantibus, ad Dei servitium peragendum, augmentum & supplementum fiat. Hanc verò auctoritatem, ut pleniorem in Dei nomine optineat vigorem, & à fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ &* D *nostris verius certiusque credatur, manu propria subter firmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus.*

Signum [monogram: HLOTARIUS] *Hlotharii gloriosissimi Augusti.*

Liuthardus ad vicem Ermenfridi recognovi.

Data II. Kalendas Decembris, Anno Christo propitio Imperii Domni Hlodowici serenissimi Imperatoris XX. Regnique Hlotharii gloriosissimi Augusti in Italia XIII. Indictione XI.

Actum Papia Civitate, Palatio publico, in Dei nomine feliciter. Amen.

Habemus heic *Maxentium Patriarcham Aquilejensem* Anno DCCCXXXIII. Privilegio donatum: quare usui alicui erit monumentum hoc ad restituendam aut firmandam Chronologiam Præsulum Aquilejensium. Solebant, in- E quam, & loca sacra *Fodrum* & *Paratam* præstare Imperatoribus, eorumque Missis, quotiescumque illuc proficiscebantur: quod alterius Chartæ, bene perpensæ beneficio edifceré licebit. Eam debeo solertiæ prælaudati Huberti

Ben-

Benvoglienti Senensis Patricii, qui, dum inter vivos erat, ex Patriæ suæ monumentis excerptam ad me misit.

Immunitas à Fodro & Paratâ pro Monasterio Rosellensi Sancti Bartholomæi vindicata ab Andreâ Abbate in Placito coram Altohomo Misso Conradi Augusti, Anno 1038.

In Christi nomine. Breve pro futuris temporibus à memoria abenda vel retinenda. In presentia Ildibrandi Comitis, *& Rolandi filii bone memorie Teuderichi, & Tarberti, qui Corbulino vocatur, filii bone memorie Petri, & Tegrini filii Anselmi Roine filii bone memorie, & Rolandi filii bone memorie Ildibrandi, & Arduini, & Signorello filii bone memorie Mili, & Alberti filii bone memorie... & Sapurello filio Segnurelli, & Rodulfo de Caldanelle, & Bonini, qui .... vocatur, & Widi filii Rodulfi, & reliquis plures. Ibique in eorum presentia veniens* Andreas Abbas *cum Petro Avocato suo filio bone memorie Racleri, cum sancta Dei Euangelia in manibus suis, sic jurare voluit de ipsa Abatia Sancti Bartolomei Apostoli, que est infra Comitatu Roselle, & est constructa in loco, qui dicitur Sestinghe prope Fluvi Brama, in presentia* Althomo Misso Donni Imperatoris. Quod de predicto Monasterio consuetudo non fui, neque Fodero, neque Parrata ab Imperatore, neque à suo Misso non dedisse, neque dedi. *Qui jam dicto Monasterio fuit edificato à tempore* Henrici Imperatoris. *Cum prefato Altohomo Missu Donni Imperatoris taliter vidisse, & audisse, quod prefato Petro Avocato de prefato Monasterio in presentia de prefatis hominibus paratus abveni cum sancta Dei Euangelia, quod jurare volebat hoc, supra legitur: tunc prenominato Misso propter Deum, & anime* Donni Corradi Imperatoris *&* Ghisle uxore sua, *&* Henrici filii ejus, *&* Cuniunda nurua sua, *ipsum sacramentum perdunavit, quia non ei rectum comparuisset, propterea pius non fui.*

Hoc factum est in Anno Domini nostri Jesu Christi, Anni ab Incarnatione ejus Millesimo Tricesimo Octavo, Regnante Donno nostro Conrado gratiâ Dei Imperatore Augustus, Anni Imperii ejus, Dei propitio, in Italia Undecimo, VIII. Idus Martii, Indictione Sexta.

Factum est hoc in loco, qui dicitur Corduliano, territorio Rosellense.

Walfredus Judex sacri Palatii ibi fuit.

Gherardus Judex Donni Imperatoris ibi fuit.

Petrus Notarius ibi fuit, & hunc Breve scripsi.

Obtulit se Andreas Abbas ad firmandam jurejurando consuetudinem sui Monasterii, scilicet nullum umquam ei onus *Fodri* ac *Paratæ* impositum fuisse, quum Imperator, ejusque Legati illuc adveniebant. Ergo hinc inferendum est, non defuisse alia Monasteria, ejusmodi sarcinam deferre solita. Et compertum quidem habemus, Imperatores ac Reges, eorumque Missos per Italiam peregrinantes, plerumque hospitium sibi delegisse in ædibus Episcoporum, atque in Monasteriis. Nulla autem Privilegia obstitisse puto, quin quieti & marsupio illorum, qui hospitium vel volentes vel inviti exhibebant, incommodum non leve crearetur. Proinde apud Radevicum Lib. 2. Cap. 33. de Reb. gest. Friderici Primi, Hadrianus IV. Papa præter alia contendebat, *Nuntios Imperatoris in Palatiis Episcoporum minime recipiendos*. Contra ad hæc Fridericus regerebat: *Nuntios nostros non esse recipiendos in Palatiis Episcoporum asserit. Concedo, si fortè aliquis Episcoporum habet in suo proprio solo, & non in nostro, Palatium. Si autem in nostro solo & allodio sunt Palatia Episcoporum, quum profectò omne, quod ædificatur, solo cedat; nostra sunt & Palatia. Injuria ergo esset, si quis Nuntios nostros à Regiis Palatiis prohiberet*. Dialecticam hanc Friderici nimiâ subtilitate laborantem, si locus posceret, difficile sane non foret retundere. Sed mihi ad alia properandum est.

Alterum genus Immunitatis, quod Monachi, & reliqui Ordines Religiosi, adhuc servant, mihi recensendum est, nempe eorum Libertas, per quam soluti ab Episcoporum imperio, subjectique sunt uni Apostolicæ Sedi. Hac de re nuper egi in Dissertatione præcedenti *de Censibus Romanæ Ecclesiæ*, atque in Dissertatione LXIV. *de vario statu Diœcesum*. Sed nunc mihi dicenda sunt, quæ supererant. Illud primo statuendum, Monachos olim, vel sedente Gregorio Magno Pontifice maximo, multis donatos fuisse privilegiis, atque immunitatibus; fere tamen omnes non aliter, quàm Clerus Sæcularis, Episcopo loci, ubi condita illorum Monasteria fuere, secundùm Canonem & regulam Ecclesiasticæ Hierarchiæ, fuisse suppositos, atque ab ejus regimine in spiritualibus pependisse. Id pluribus persequitur & confirmat Thomassinus eruditissimus Scriptor in Libris de Ecclesiastic. Disciplinâ, post Bignonium, Petrum de Marca, & alios in eodem argumento versatos. Quo verò tempore eximi à ditione Episcoporum Monasteria cœpta fuerint, & an plena immunitas antiquissimis etiam Sæculis fuerit nonnullis indulta per Privilegia Episcoporum, aut Conciliorum, aut Metropolitarum, aut Apostolicæ Sedis: non ita exploratum est, ut omnes inde difficultates sint sublatæ. Multa sane Privilegia tum edita, tum in Tabulariis adservata habentur, quibus edocemur, jam ab ipsis vetustissimis Sæculis exquisiisse Monachos atque impetrasse hujusmodi Libertatem. Petendæ autem caussa (liceat dicere) ea potissimum fuisse mihi videtur, quod Episcopi nonnulli (nam præter probos Sæculum quodvis improbos etiam genuit, posteriorum verò copiam non levem dedere Sæcula barbarica) dominantes in Cleris, & ambitionis, aut philargyriæ facibus succensi, quieti & patrimonio Monachorum Deo famulantium non unam creabant molestiam. Quamobrem Cœnobiorum conditores, ut incommodo huic in posterum prospicerent, Monasteriis ipsis ab exordio privilegium Immunitatis procurabant; aut Abbates procedente tempore, jugum Episcoporum excutiendum curabant, atque ut hujusmodi Libertate tutius fruerentur, in potestatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ se se transferebant. Tanta quippe semper fuit Apostolicæ Sedis dignitas atque auctoritas, ut ejus patrocinium ac tutelam cuncti revererentur, pauci verò contemnerent.

nerent. Sed & ipsi Reges atque Imperatores Monasteriis quibusdam, sibi inter cetera caris, Privilegia ejusmodi conquirebant; aut etiam (quâ auctoritate non quæro) conferebant; eaque sub suâ tantùm protectione collocata volebant. *Monasteria sub defensione Sacri Palatii posita* memorantur etiam in Synodo Ticinensi habitâ Anno Christi DCCCL. Hæc autem defensio potestatem quamdam ac dominationem Regum in eadem sacra Loca importabat. Immo fuerunt & Episcopi summe pii, qui impotentiam Successorum suorum veriti, ditione suâ absolvebant Monachos sibi subjectos, aut nullo negotio consensum præbebant impetraturis Romanæ Sedis Privilegium. Potissimùm vide Formulas geminas Sæculi Noni vel Decimi, editas à Baluzio Tom. 2. Capitularium, pag. 579. & 581. Simul verò negandum non est, quin & Monachi quidam Libertatem hanc venari ànxie potuerint, nihilque intentatum reliquerint, quo tam Regem quàm Episcopum consentientes in ejusmodi exemtionem haberent. Neque enim ante Sæculum Undecimum sine consensu Episcopi excutere jugum Monachi consuevisse videntur, ut se traderent immediate regendos Apostolicæ Sedi, uti præter alia exempla Perusinum Cœnobium Sancti Petri evincit, cujus Abbas in Romana Synodo Anni MII. coram Silvestro II. Papâ, eductâ A Epistolâ Episcopi Perusini, *in qua & consensus erat, & precibus, ut hoc fieret, Episcopus obnixe postulabat*, legitime sibi à Romano Pontifice Libertatis Privilegia concessa fuisse ostendit, & in controversia victor fuit. Vide Tomum Nonum Italiæ Sacræ pag. 918. & Bullarium Casinense Tom. 2. Constitution. 71. Atque hæc disciplina diu etiam observata est post Annum Christi Millesimum. Sed postea sensim cuncta aliam accepere faciem, & vix unum denique superfuit Monasterium Monachorum & Canonicorum Regularium, quod ex Episcoporum ordinaria potestate subductum non fuerit. Quod etiam mirere, cavebant interdum sibi Præsules, ne sui juris quidquam B in posterum deperiret in Ecclesiis & bonis, quæ eisdem Monachis aut Canonicis per ipsos conferebantur; sed ne illa quidem cautio obstitit, quo minus illius Successoribus elaberetur è manibus gens Privilegiorum & Libertatis avidissima. Exemplum si petis, habeo. Nobile Beneficium nunc est in agro Mutinensi Prioratus Sancti Jacobi de Columbario, a potestate Mutinensis Episcopi avulsum. Quibus olim pactis Ecclesiam hanc Dodo Præsul Mutinensis tradiderit Monachis, aut Canonicis Regularibus de Marola, explicabit sequens Charta, cujus archetypon adservatur in Archivo Estense.

Johannes Prior Monasterii de Marola obedientiam Dodoni Episcopo Mutinensi promittit pro Ecclesia consecranda in honorem Sancti Jacobi in Columbario, Anno 1132.

IN *nomine Domini Ihesu Christi. Anno ab Incarnatione ejusdem MCXXXII. Quarto Kalendas Februarii, Indictione Decima. Dum esset in Dei nomine* Domnus Walterius *venerabilis* Archiepiscopus Ravennatis Ecclesie *in Urbe Mutine, ibique cum eo* Donnus Dodo *religiosissimus* Episcopus *sancte* Mutinensis Ecclesie, *Cencius Capellanus Sancte Romane Ecclesie, & Petrus Presbyter, & Belitus Diaconus, ejusdem Ravennatis Ecclesie Cardinales, & Mazolinus Subdiaconus & Cantor ejusdem Ecclesie, & Johannes Subdiaconus, nepos Fesulani Episcopi, & Capellanus ejusdem Archiepiscopi, & Donnus Fredulfus Prepositus prefate Mutinensis Ecclesie, unacum suis confratribus,* Johannes *venerabilis* Prior Monasterii de Marola, *& Geminianus Archipresbiter Ecclesie Sancti Felicis, nec non & Presbiter Vitalis Canonicus Sancti Cesarei, & Lanfrancus de Gandaceto, & Capitaneus ejusdem Mutinensis Ecclesie, & Vavassores ejusdem Ecclesie, videlicet Ubertus, qui dicitur Buccabadata, & Rolandus de Tetelmo, & Albertus de Bolonia, Boamundus & Johannes Causidicus, & Geminianus de Tado, & Johannes Pizolus, & alii quamplures. In presentia siquidem omnium supradictorum* pactus est prefatus Prior ejusdem Monasterii de Marola, cum communi consensu suorum Fratrum, cum Domno Dodone Episcopo ejusdem Mutinensis Ecclesie, hanc obedientiam & reverentiam videlicet, & Sinodum, ordinem Clericorum & Monachorum ibidem commorantium, & consecrationem Abbatis ejusdem loci, ipse & sui Successores prefato Dodoni Mutinensi Episcopo, suisque Catholicis Successoribus exibere de Ecclesia, *que debet consecrari in honorem Sancti Jacobi in loco, qui dicitur Columbario*. Nec debet ipse neque C Successores adquirere Privilegia neque Precepta a Domno Papa, aut Imperatore Romano, neque a Ravennati Archiepiscopo, per que presumat supradictam obedientiam diminuere. *Et predictus Episcopus neque Successores ejus aliquam oppositionem facere debet, nisi quod superius legitur. Et si alter eorum in alteram supradictam pactionem violare presumpserit, banno Ecclesie subjaceat, & insuper gladio anathematis perpetuò feriatur, nisi resipuerit. Unde due Carte uno tenore scripte.*

Actum in Urbe Mutina feliciter.

Ego Gualterius *sancte* Ravennatis Ecclesie Archiepiscopus *interfui & subscripsi*.

Ego Cencius Capellanus Domni Pape Innocentii *interfui & subscripsi*.

D *Ego Petrus Presbiter sancte Ravennatis Ecclesie interfui & subscripsi*.

Ego Belittus Diaconus Cardinalis sancte Ravennatis Ecclesie interfui & subscripsi.

Ego Johannes Subdiaconus, Domni Gualterii Archiepiscopi Capellanus subscripsi.

Ego Dodo *Dei gratiâ* Mutinensis Episcopus *manu mea subscripsi*.

Ego Fredulfus propria manu subscripsi.

Ego Sigizo Magister Scolarum manu mea subscripsi.

Ego Presbiter Madelbertus manu mea subscripsi.

Ego Ugo Diaconus & Canonicus sancte Mutinensis Ecclesie manu mea subscripsi.

E *Ego Azo Sacri Palatii Notarius scripsi*.

Attamen sive Dodonis Successores suo jure libenter cesserint, sive aliæ intercesserint rationes, obligatio hujusmodi tamdem in auras abiit. Id factum de aliis multis Monasteriis opinari licet. Quod supra innui de molestiis per Epi-

Episcopos interdum inrogatis Monachorum cœtui, id & ex Gregorii Magni Epistolis elucere potest: sed potissimùm illud discas ex Gregorii VII. Epistolâ 69. Lib. 2. scripta Anno MLXXV. ubi Cunibertum Episcopum Taurinensem multis arguit, quod Monasterium Sancti Michaëlis, immediate Apostolicæ Sedi subjectum, vexaret atque opprimeret, hanc addens: *An ignoras, quod Sancti Patres plerumque religiosa Monasteria de subjectione Episcoporum, & Episcopatus de Parochia Metropolitanæ Sedis, propter infestationem præsidentium diviserunt, & perpetuâ Libertate donantes, Apostolicæ Sedi, velut principalia capiti suo membra, adhærere sanxerunt?* Sed & ego rem ipsam non uno exemplo confirmatum eo. Monasterium Sancti Laurentii extra Urbem Cremonæ ad Portam, quæ adhuc *Mosa* appellatur, fundaverat *Odelricus* illius Civitatis *Episcopus* sub finem Sæculi a Christo nato Decimi. Quod sacri loci fundos dilapidare diceretur *Lanbertus* ejusmodi *Monasterii Abbas*, *Landulphus Episcopus* Odelrici successor Diploma impetravit ab Henrico Augusto Primo Anno MIX. quod apud Ughellium Tom. 4. Ital. sacr. legitur. Simile Henrici III. Regis infra dabo ego in Dissertatione LXXII. *de caussis imminutæ Ecclesiasticorum potentiæ*. Ibi sancitum est, non licere in posterùm Abbati qualemcumque contractum de bonis Monasterii facere *sine licentia Episcopi*. Verùm *Landulphus* ipse Episcopus pejora deinde molitus est: nam, ut ait Sicardus Cremonensis Episcopus in Chronico a me edito Tomo VII. Rer. Italicar. pag. 584. *Monasterii Sancti Laurentii, & Cremonensis Populi fuit acerrimus persequutor. Quo circa Populus ipsum de Civitate ejecit, & Palatium turribus & duplici muro munitum destruxit.* Addit Cavitellius in Annalib. Cremonens. Landulphum, quum alios induisset mores, a Civibus receptum fuisse, *& ob damna per eum illata Abbati & Monachis Divi Laurentii, construi fecisse Ecclesiam in honorem Sancti Victoris*. Quam (subdo ego) eidem Cœnobio dono dedit, uti apographum pervetustum in Archivo Capituli Canonicorum Cremonensium a me inspectum fidem faciet, cujus sunt verba.

Landulphus Episcopus Cremonæ Monasterio Cremonensi Sancti Laurentii concedit sub quibusdam conditionibus Ecclesiam Sancti Victoris, Anno 1021.

Anni Dominice Incarnationis Millesimo Vigesimo Primo. Henricus verò Imperator *Anno ejus Octavo, X. Kalendas Madias, Indictione Quarta.* Monasterio Sancti Laurentii Martyris, *quod est constructum & edificatum foris in suburbio Cremonensis Civitatis super Mossam ab* Domno Odelrico ejusdem Sedis *bone memorie* Episcopo, & quod est de sub regimine & potestate Episcopii *ipsius sancte* Cremonensis Ecclesie, *ubi nunc* Domnus Lampertus *venerabilis* Abbas *ordinatus esse videtur. Ego in Dei nomine* Landulfus *jam dicte sancte* Cremonensis Ecclesie Episcopus, *presens presentibus dixi: Dominus ac Redemptor noster animas, quas condidit, ad studium salutis semper invitat; & melius est cuiquam sub metu mortis vivere, quàm spem vivendi morte subitaneâ preveniri. Et ideo qui suprà Landulfus Episcopus volo & judico, seu per ista mee ordinacionis pagina pro mercedem & remedio anime, qualiter hic subter statuero & judicavero, presenti die & ora abendum confirmo Ecclesiam Sancti Victoris, constructa foris non multum longe a jam dicta Civitate Cremona, justa rivolum Rodanum, cum omni edificia sibi aderente, a me edificata, & cum omnibus rebus, quas ipsa Ecclesia tenebat, quando eam reedificavit, & cum omnibus rebus illis, que fuerunt juris mei, quam ego eidem Ecclesie aquesivi & dedi, ut dixi, abendum concedo ad partem jam dicti Monasterii Sancti Laurencii, quod est, sicut superius dixi,* de sub regimine & potestate Ecclesie prelibati Episcopi. *Et sunt res ipse, que fuerunt juris mei, posite in locis & fundis justa Pipia prope Villa Sancti Thome, & in Bagalino justa locum qui dicitur Runcoatelli, & in Casanova, vel in circuitu in locis jacentibus, sive in Squaredo, & in Ulmeneto. Prima pecia de terra in suprascripto loco Pipia est per mensura justa juges octo: coëret &c. Que autem istis rebus juris mei superius nominatis, cum superioribus & inferioribus, seu cum finibus, sunt supra mensura & coërencias legitur in integrum, ea videlicet racione, ut Domnus Lampertus prenominati Monasterii Abbas in eadem Ecclesiam cellulam in eo disponat. & sex Monachos ibi ordinet, qui perpetualiter ibi Deo deserviant, & Regulam Sancti Benedicti firmiter & religiose teneant: prefatus Lampertus Abbas* ejusque successores, qui ab me, meisque Successoribus in eo Monasterio ordinati & consecrati fuerint, *cellulam illam & Monachos paterna afeccione perpetualiter regant & gubernent. Et volo & statuo, ut jam dicti Lampertus ejusque successores anualiter in festivitate Sancti Victoris & Sancti Naboris, Cantorem & Setimanarios reficiant, qui in matrice Ecclesia in is festivitatibus ebdomadam tenent, & die jam dictarum festivitatum illuc adeunt ad divinum officium peragendum: Presbyterum scilicet, & Diaconum, Subdiaconum, & Clericum, ac Custodem, pro mercede & remedio anime mee; nulla alia superinposicio eis fiat. Si quis verò (quod futurum esse non credo) hanc meam ordinacionem inrumpere voluerit, sit orrendum annathema a trecentis decem & octo Patribus, & Jude, Ananieque adequetur flammis, & a Patre, Filio, Sanctoque Spiritu maledictus in presens & futurum reus crimine astrictus semper maneat &c.*

Actum in prenominata Civitate feliciter.

Ego Landulfus *voce tantùm* Episcopus *in hoc judicato a me facto subscripsi.*

Ribaldus Missus, rogatus subscripsi.

Lanfrancus Judex sacri Palacii rogatus subscripsi.

Adam, qui & Amizo, Judex sacri Palacii *rogatus subscripsi.*

Laurencius Judex sacri Palacii rogatus subscripsi.

Gauselmus Notarius sacri Palacii rogatus subscripsi.

Urso rogatus subscripsi.

Adam Notarius vivente Lege Romana rogatus subscripsi.

Signum manibus Ildeprandi & Teuzoni Legem viventes Romana testes. *Ego*

Ego Petrus Notarius scripsi, post tradita complevi & dedi.

Ego Gerardus Notarius autenticum hujus exempli vidi & legi, & sic inibi continebatur, sicut in isto legitur exemplo, ni litera plus minusve sit, manibus meis exemplum hoc exemplavi.

Quantopere etiam graves molestique interdum Episcopi forent erga Monachos, facile colligere possumus ex tabulis Ramperti Episcopi Brixiani editis Part. 2. Constitut. 30. Bullarii Casinensis. Fundaverat pius Præsul Cœnobium Sanctorum Faustini & Jovitæ, Monachis illuc invectis, atque ditaverat. Quumque illud cuperet immune ab omni *inquietudine & oppressione*, anxie obtestatur *unumquemque Successorum suorum, coram Deo & Christo Jesu, ut nullam ipsis inquietudinem Fratribus ingerat. Quod si quis diabolica fraude deceptus, vel avaritiæ peste corruptus perturbationem intulerit, sciat, se in districto Dei judicio causas habiturum, pœnasque perpetuas luiturum; & meritò, quia sanctam Sanctorum devotionem, decusque Ecclesiæ pervertere minime timuit.* Sed in iis tabulis verba quædam desiderantur, profectò digna, quæ a Margarino minime omitterentur. Restituam ego ex membranâ accuratius descripta. Scilicet post illa verba *illustrati esse noscuntur*, hæc alia subsequuntur: *Prædictis* A *itaque viris hujus operis curam, cum nostrorum Sacerdotum etiam consensu, commisimus, eâ utique ratione, ut pro sui defensione ipsa Congregatio, quo quietè atque tranquillè suum Deo persolvere valeat votum, Libram argenti Episcopo istius persolvat Ecclesiæ, in beatissimorum Faustini atque Jovitæ Martyrum festivitate. Habeantque nihilominus ex seipsis secundùm suæ normam professionis licentiam Abbatem semper creandi. Decernimus etiam, ut si aliquis Successorum nostrorum (quod minime credimus) aliquid ab ipsa Congregatione, vel quamlibet inquietudinem facere ipsi temptaverit, quicquid ab hac die ipsi loco* &c. Infra quoque post ea verba *idest campum*, hæc sunt interferenda: B *Malesi, & tabernacula cum torculari, & Sablonaria cum Massariis & familiâ, & omnia sicut Vassallus noster Liuthfredus usque nunc in beneficio habuit. Et Monasteriolum Sancti Martini, quod est in Vico, qui dicitur Tabulas* &c. Mentio illa census *Libræ argenti persolvendæ* quotannis Episcopo Brixiano, fortasse visa est aliena moribus nostrorum temporum, ac propterea minime ab Ughellio edita, ac suis tenebris relicta. Sed ejusdem pensionis onus nobis servarunt literæ Angelberti Archiepiscopi Mediolanensis, quas ad me olim misit Julius Galleardus Jurisconsultus Brixianus, Pauli Canonici, viri Clarissimi frater, ego verò huc inferendas duxi.

Decretum Synodale Angelberti Archiepiscopi Mediolanensis, & Comprovincialium Episcoporum, per quod confirmant Immunitatem Monasterii Brixiani Sanctorum Faustini & Jovitæ a Ramberto Episcopo ædificati, Anno 842.

✠ Angelbertus *humilis beatæ* Mediolanensis Ecclesiæ Antistes. *Notum esse cupimus cunctis Christi Dei nostri cultoribus, quod confrater atque* Coëpiscopus *noster* Rambertus, *cum suorum Sacerdotum, aliorumque fidelium consensu, in loco ubi Sanctorum Faustini & Jovitæ Martyrum Corpora quiescunt, Monachorum ædificavit Cenobium. Super cujus perpetuo statu institutionem facere, ipsamque nobis, ut nostro roboraretur Precepto, curavit offerre. Et quia officii nostri est, non extinguere bonorum, sed magis magisque accendere studia, alacri devotione institutionem, quam jam predictus Deo gratus Episcopus, nobis verò carissimus, ideo edidit, ut salva maneret intentio res suas Deo dicantium, & in Ecclesia nobili omnibus canonicis horis divinum persolveretur officium, & ut nullam quis pateretur tarditatem ad Dominum convertendi: firmare ac roborare hoc nostræ auctoritatis Precepto curavimus. Et videlicet modo*, ut nil amplius ab ipsa Congregatione quàm Libra requiratur argenti. Liceatque ei absque superimpositione susceptum Deo persolvere votum: *habeantque nihilominus licentiam de se ipsis semper Abbatem creandi. Eo si umquam aliqua inquietudo eis illata fuerit, quicquid ab hac die ipsis datum fuerit, vel adquirere quolibet modo vel arte potuerint, in ipsorum sit potestate, quatenus his libere utendo, & quem voluerint defensorem habendo, quietius Deo valeant militare. Ut igitur institutio sancti Coëpiscopi nostri prædicti Ramberti a nullo Successorum ejus possit aliquo modo corrumpi, sed firma & inconcussa atque inviolata* C *permaneat, per hoc nostræ auctoritatis Preceptum eam firmare curavimus, canonice proclamantes, ut si quis eam violare temptaverit anathema sit.*

Quod etiam Andream Ecclesiæ nostræ Notarium scribere jussimus, propriaque manu subscripsimus Anno Dominice Incarnationis DCCCXLII. Anno etiam Imperii christianissimi Lotharii *Imperatoris Vicesimo Tertio, Indictione Quinta.*

Angelbertus *indignus* Episcopus *confirmans subscripsi.*

Ego Aldigisius Episcopus *consensi & subscripsi.*

D ☧ *gratia Dei* Hagamo Episcopus *huic sacre Sinodali pragmatice manu mea subscripsi.*

✠ Pancoardus Episcopus *subscripsi.*

Ermenfredus Episcopus *subscripsi.*

Walfericus Episcopus *subscripsi.*

✠ Ercanbertus Episcopus *subscripsi*,

Verendarius Curiensis Ecclesiæ Episcopus *subscripsi.*

En ut majorem firmitatem institutionibus suis compararent Episcopi, confirmationem a Metropolitano, atque a Comprovincialibus Episcopis quærebant, quibus rationem reddituri erant Successores, quoties a tramite justitiæ deflexissent. Heic autem subscribunt E *Hagamo* (quem *Higanonem* Ughellius appellat) Bergomensis Antistes: *Pancoardus* Cremonensis: *Ercambertus*, quem Laudensem Episcopum arbitror. Is Ughellio est *Eribertus*: *Verendarius*

rius Curienfis: Ermenfredus quoque & Walfericus, quorum Sedem divinare nefcio. Hifce adde egregiam alteram Chartam, quam adfervat nobile Tabularium Monachorum Cifterciensium Sancti Ambrofii Majoris Mediolani. A Ibi verò luculentius intueare, quàm graviter olim Epifcopi quidam Monachorum Ecclefias ac fortunas infeftarent, ut propterea cogerentur ifti quærere fibi a potentioribus opem atque patrocinium.

In Placito Mediolanenfi coram Anfperto Archiepifcopo, & Bofone Comite, Miffis Ludovici II. Imperatoris, Petrus Abbas Monafterii Mediolanenfis S. Ambrofii, cauffam obtinet contra Helibertum Comenfem Epifcopum, qui jurifdictionem injufte exercuerat in quibufdam Ecclefiis Campilioni & Travennæ, fuprafcripto Monafterio fubjectis, Anno 874.

Dum in Dei nomine, Civitate Mediolani, in Epifcopio fancte Mediolanenfis Ecclefie, in judicium refidentes venerabilis Domnus Anfpertus ejufdem fancte Mediolanenfis Ecclefie Archiepifcopus, & Bofo Comes, Miffi Domni Imperatoris, una fimul cum Albericus Comes ipfius Civitatis, fingulorum hominum caufas audiendas & deliberandas, refidentes cum eis Umboldo & Helibertus Epifcopis, Amelricus Vicecomes, Adelbertus, Tutulfus, Simpertus, Petrus, Rifpertus, & Fulpertus, Judices Imperatoris: Ambrofius, Ropertus, & item Ambrofius, Judices ipfius Civitatis; ubi cum eis aderant Atto de Canimalo, Aldegado, & Petrus de Cafterno, Wido, Rachinfredus, Deufdedit, & Arnulfus, Vaffalli ejufdem Anfperti Archiepifcopus: Conceffus, Leo Argentario, & Rotpertus de Mediolano, Teoderus, Hildiratus Notarius, Boniprandus da Caputvici, & reliqui. Ibique in judicium veniens prefentia Petrus Abbas beati Chrifti Confefforis Ambrofii, in qua ejus fanctum Corpus humatum quiefcit, fundatum prope ipfa Civitate Mediolani, una cum Adelbertus de Lanpuniano Avocatus ipfius Monafterii; nec non ex alia parte fuprafcripto Helibertus fancte Comenfis Ecclefie Epifcopus, una cum Andreas de Bulgaro, & Gundoaldus Notarius de Vicoamni, Advocatores da parte ipfius Epifcopati Comenfis, in Placitum, quas ambe partes dicebat inter fe pofitus, & per guadiam firmatum aberent, altercationis inter fe abentes. Dicebant ipfi Petrus Abbas cum fuprafcripto Adelbertus Advocatus de parte predicti Monafterii Sancti Ambrofii, contra eodem Helibertus Epifcopus, & predicti Andreas & Gundoaldo Advocatores, eo quod homines liberis, & pertinentes etiam Sacerdotes da parte fuprafcripti Epifcopati, multas contra partes ipfius Monafterii Sancti Ambrofii inlicitas facerent; quia inter reliqua introiffent malo ordine in Curte, & Bafilicas illas, quas in Vico Campilioni una edificata in onore Sancti Zenoni, alia edificata in onore Sanctorum Nazarii & Victoris, tercia edificata in onore Sancte Marie, locus, qui vocatur Willari: quas quondam Todo de Vico Campallioni, cujus proprietas fuit, per fuum judicatum in ipfum contulit Monafterium pro anima fua: fimulque malo ordine . . . . . . Marie, & Bafilica ipfius Monafterii in Vico Travenna, edificata in onore Sanctorum Protafii & Gervafii; & exinde malo ordine caufas & movilias ipfius Monafterii tuliffent, & fingulas ibi forcias feciffent; etiam Monachi ipfius Monafterii, qui ibi offitiabant, foris ipfas Bafilicas expelliffent. Quod facere non debuerunt, unde jufticiam abere quererent. Refpondens ipfis Helibertus Epifcopus cum predicti Andreas B & Gundoalde Advocatores: Verum eft; ibi noftri homines pignorarunt; non per aliut ibi venerunt, aut pignorarunt, nifi quod pars Epifcopati noftri confuetudinem fuit, per ipfas feftivitates veniendi ad ipfas Bafilicas Offitium & Miffas canendi; & quando ibi veniebant ad ipfum Offitium fatiendum, parte ipfius Monafterii eos recipiebat, & ibi eos per conditionem paffebat, & fi non fatiebant, poteftative eos pignorabant. Obiens ipfis Petrus Abbas cum Adelberto Advocato: Nos faciat Deus, quod aliquando pars Monafterii noftri, aut pars ipfius Bafilice noftre, ullum veftrum Sacerdotem aut Tonfum, da parte ipfius Ecclefie vel Epifcopati Comenfis ibi recepiffent, aut eos pavif- C fent, aut aliquid da noftras Curtes & Bafilicas, vel de rebus ad eas pertinentes a parte Ecclefie vel Epifcopati veftri pertinere, aut ullam conditionem ad veftram partem abere debent. Hoc dictum tunc interrogaverunt fuprafcriptis Auditores predictum Helibertum cum predicti Andreas & Gundoaldus Advocatores, quid ex hac caufa dicere volerent, ut fi forfitans aut per monimen, aut per inquifitionem, aut per teftimonia, aut per ullam aliam rationem oftendere aut provare poterunt, quod da fuprafcriptas Curtes & Bafilicas in Campillioni & Travana, vel de rebus ad eas pertinen . . . . Ecclefie & Epifcopati Comenfis pertinere D deberent, aut ullam conditionem a parte ipfius Ecclefie & Epifcopati Comenfis, exinde exire aut pertinere, vel perfolvere, aut exinde ullum pactum dare aut etiam perfolvere deberent, annon. Qui ipfis Helibertus Epifcopus, Andreas, Gundoaldus Advocatores dixerunt & manifeftaverunt, quod exinde nihil provare poterunt, eo quod Curtes & Bafilicas ipfas in fundo Campillioni & Travana, cum rebus ad ea pertinentes, proprietas effent & pertinerent a parte ipfius Monafterii Sancti Ambrofii, & nullam conditionem exinde parte ipfius Monafterii . . . . conditionem a parte predicte Ecclefie & Epifcopati Comenfis facere nec perfolvere non deberent. Ideo exinde contra partem fuprafcripti Monafterii E nihil . . . . . ne contradicere non querunt, nec poterunt. Poft hec omnia peractum, & fuprafcripta manifeftationis & profeffionis facta pertractantes fuprafcriptis Auditoribus eorum exinde paruit, & judicaverunt jufta eorum intentionis, & fuprafcriptorum Heliberti Epifcopi, Andrei, & Gundoaldi Advocatores profeffione . . . . . . Sancti Ambrofii de predicta conditione, & juftum, quas exinde abere quebat, folutus maneret, & aberet parte fuprafcripti Moneflerii Sancti Ambrofii predictas res & Bafilicas in fundo Campallioni & Travana, cum rebus omnibus

nibus ad eas pertinentes in integrum sine ulla contradictione, aut qualibet conditione ...... Ecclesie & Episcopati Comensis. In eo moti finita est inter eos hac causa, & presente noticia daliberationis suprascriptis Auditoribus manu Achinaldi Notarii scrivere tractaverunt, admonuerunt, & eorum relectum est.

Actum Mediolani Anno Imperii Domni Hludowici Imperatoris *Vigesimo Quinto, bone memorie* Domni Imperatoris Hlotharii *filius, Quinto Kalendas Januarias, Indictione Octaba.*

Anspertus Archiepiscopus *subscripsi*.

Ego Boso Comes *subscripsi*.

Signum manus suprascripti Amelrici Vicecomes, *qui interfuit*.

Signum manus suprascripto Alberici Comitis, *qui interfuit*.

Adelpertus Notarius Domni Imperatoris interfuit.

Theutulfus Judex Domni Imperatoris interfui.

Simpertus Judex Domni Imperatoris interfui.

Ripertus Judex interfui.

Petrus Judex Domni Imperatoris interfui.

Oldefredus interfui.

Fulbertus Judex Domni Imperatoris interfui.

Leo Notarius interfui.

Arimundus interfui.

Ego Guifredus, qui dicor de Vineate, Missus Domni Regis, autenticum hujus exempli vidi & legi, & sic in eo continebatur, ut in isto exemplo, preter literas plus minusve, & dictiones, que legi non possunt.

Ego Rogerius Salarius, sacri Palatii Notarius; hujus exempli autenticum vidi & legi, in quo continebatur, sicut in isto exemplo extat, literas plus minusve, & Dictiones, que legi non possunt.

Atque heic animadverte non tantùm, quibus injuriis & incommodis Monachi ab hominibus *Heliberti* (quem *Egilbertum* Ughellius appellat) *Episcopi Novocomensis* afficerentur, sed etiam eisdem hominibus licuisse pignora auferre Monachis: quem ritum non facile alibi offendes. Hæc certe in caussa sæpe fuerunt, cur aut Monachi, aut Monasteriorum conditores protectionem Apostolicæ Sedis conquirerent, ipsave Cœnobia ab initio obtulerint Romano Pontifici, atque ab unâ illius potestate pendere voluerint. Et quod fortassis aliquis miretur, Capitula ipsa Canonicorum a ditione Episcopi sui avulsa, ab uno interdum Metropolita suo pendere cœperunt eâ ipsâ de caussâ, ut sibi caverent ab impotentia Pastorum, quibus multum fortè cupiditatis, parum religionis inesset.

A Illustre nobis hujus rei exemplum se offert in eximio Collegio Canonicorum Veronensium. Eorum institutor *Rotaldus Episcopus*, vir summe pius (uti ex illius tabulis constat, apud Ughellium legendis Tom. quincto Ital. Sacræ) Anno Christi DCCCXIII. statuit, *ut Canonici sanctæ Veronensis Ecclesiæ sint liberi, sub jure & dominio Domini Patriarchæ, præcavens, ne in futurum per decessum meum Successores mei aliquam molestiam tam in Officiis quàm in Beneficiis, illis inferre possint*. Cur verò consilium istud Rataldus inierit, explicare ipse videtur, quum ante mentionem fecerit, *instigante Diabolo, a meo Antecessore, scilicet ab Aldone, omnes res, quæ ad ipsam sanctam*

B *Dei Ecclesiam, bonorum devotione hominum, collatæ fuerunt, destructos fuisse*. Quod tamen insuetum in iis Rataldi literis occurrit, Libertas illa conceditur *per consensum voluntatemque non solùm Domini Maxentii venerabilis Patriarchæ*, scilicet Aquilejensis (quod æquum erat) sed etiam *Guidonis Cardinalis sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, ac deinde Episcoporum aliquot Comprovincialium. Subscribit idem *Guido* post Patriarcham, atque ante Episcopos, *rogatus a Rataldo Episcopo*. Quærent alii, cur contra illius ævi mores præcesserit in subscribendo Cardinalis sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Episcopis, quando is minime erat Apostolicæ Sedis Legatus. Sunt & paucula alia, quæ prætereo.

C Verùm turbidissimis iis Sæculis, & perditis moribus ubique diffusis, ne ipsa quidem interdum protectio Apostolicæ Sedis satis erat ad avertendam a sacris Locis sibi subjectis improborum violentiam. Unum exemplum proferam. Nobile sacrarum Virginum Asceterium, mihi supra memoratum, Ticini habetur, a *Senatoris* nomine adhuc appellatum, qui, uti referunt rerum Ticinensium Scriptores, Liutprando Rege regnante circiter Annum DCCXV. illud excitavit. Hoc autem, aut in ejus fundatione, aut procedente tempore, uni Romano Pontifici subjectum fuit. Privilegium sacro loco a Berengario II. atque Adelberto Regibus concessum supra attuli, ubi de eadem

D subjectione fit mentio. Rem tamen dilucidiorem facient tabulæ Silvestri II. Papæ, quas autographas vidi in Archivo Parthenonis ejusdem, sed ita vetustate deformatas, ut multa in iis aciem meam oculorum fugerent. Rarum autem monumentum visum est mihi, tum ex inscripto Monogrammate Pontificis, simulque Ottonis III. Augusti, tum ex plumbeâ Bullâ adhuc pendente e pergamena: nam paucas incolumes deprehendas in antiquorum Pontificum Chartis.

Literæ Silvestri II. Papæ ad Ottonem III. Imperatorem, quibus significat, se Episcopo Ticinensi commendasse Monasterium Monialium Ticinensium, quod Senatoris appellatur, ipsumque rogat, ut hujusmodi Constitutionem confirmet, Anno 1001.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis*. Silvester *servus servorum Dei* Apostolicæ Sedis *humilis Episcopus* Ottoni Imperatori. *Pastorali curâ semper vigilare ac laborare debitâ pro gregis salute decet, ut vestro fulta presidio nostras Ecclesias protegere, tueri atque defendere nostra studeat providentia, ne iniquorum effrenata servicia, omnique timore libera, Deo famulantes sua peragere officia impediat. Vestris quippe Antecessoribus, vestreque Imperiali majestati notum esse scimus*, Monasterium, quod Senator pro remedio animæ suæ & cunctorum fidelium, in honorem Sancte Dei genitricis semperque Virginis Mariæ Papiæ construxit, nostre dicioni deditum eo tenore, *ut pro tempore Abbatissam, ex eadem Congregatione electam ibi, que Sanctas Moniales regeret, consecraremus*, & ab omni malorum hominum locum illum molestatione defenderemus. *Nunc verò . . . . . . Abbatissam & Sanctas Moniales Deo servientes, pessimorum opprimente calumniâ, dum longe positi, ut decebat, defendere non potuimus: per interventum* Widonis nostri Vicarii, ejusdem loci Episcopi, *vestrâ quoque Imperiali suggerente majestate*, illud Monasterium Ecclesiæ Sancti Syri concessimus,

A non ad dominium per subjectionem, neque per extra . . . . . dominationem, nec per aliquam conditionem, sed ad solam consecrationem & defensionem, ut Pastor Episcopus illius loci presentem Abbatissam & Sanctas Moniales ab omni inquietudine defendant, *ita ut prefatus Episcopus, vel aliquis de Successoribus alicui meorum Successorum, aut Imperatorum, per scriptum vel per aliquod ingenium . . . . . constituere fecerit, statim Monasterium nostræ consecrationis & vestræ defensionis revertatur. Quia nec nos, nec aliquis aliter, quàm bonæ memoriæ Senator cum de eo constituerit, audemus . . . . vestram Inperialem deprecamur clementiam*, ut nostram Constitutionem vestro


B corroboretis Precepto, & hanc firmetis rogo. *Si quis verò Episcopus, aut aliqua magna vel parva persona bona ipsius Ecclesie diminuere aut devastare, vel aliquod tributum exigere presumpserit, anathematis vinculo ex parte S. Mariæ, & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & omnium electorum Dei & nostrâ, nisi resipuerit, alligatum se sciat, & cum Juda proditore Domini in eternum dampnatum*. Hoc *quoque ut firmius habeatur, manu nostra subter firmavimus, & nostro sigillo signavimus*.

Silvester . . . . . . Episcopus *Dei Genitricis manu*



. . . . . . *& Sanctæ Mariæ Virginis propria corroboravimus*.


Imperatoris Ottonis . . . . . .



. . . . *signum*.

Scriptum per manus Petri Scriptoris sanctæ Romanæ Ecclesiæ.
Confirmatum per manus Gregorii Cartarii sanctæ Apostolicæ Sedis.
Actum hoc Romæ, Anno Dominicæ Incarnacionis Millesimo Primo, Indictione Tertiadecima, Anno verò Pontificatus Silvestri universalis Papæ Quarto.

Sigillum plumbeum appensum.



Vides vel ipsius Romani Pontificis auctoritatem, ut ut permaxima semper fuerit, non obstitisse, quod minus impii Asceterium nobile Senatoris infestarent. Quare satius duxit Silvester Papa Sanctimonialibus viciniorem ac promtiorem quærere protectorem, nihil tamen de jure Sanctæ Sedis imminutum volens, quum

C Parthenonem Præsuli Ticinensi commendet. *Non ad dominum, inquit, per subjectionem, neque per extra. . . . . dominationem, nec per aliquam conditionem, sed ad solam consecrationem & defensionem*. Cum his cohæret & altera Bulla ad idem Asceterium spectans, quam omnibus communem volo, ex earumdem Monialium Archivo depromtam.

Alexandri

Alexandri II. Bulla confirmatoria omnium Privilegiorum & jurium Monasterio sacrarum Virginum Ticinensium, quod appellatur Senatoris, Anno 1061.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Alexander universalis Papa. Quoniam universæ Ecclesiæ toto Orbe diffusæ studium, curam ac regimen divina dispositione nobis habendum, etsi indigno, commissum videtur, pro quiete & pace Ecclesiarum in Dei peragendis laudibus, & nostrum officium peragendo congauderemus, earumque calamitates & lapsus omni conamine suppositis humeris sublevaremus, solerti studio regere, gubernare, tueri, atque defendere eas, competenti labore incessanter nostra paterna satagere debet cura, quatenus Dei opitulante clementiâ a luporum faucibus, quanto plus aliquam nostrarum ovium repere indagant, tanto magis solerti custodiâ eas protegamus, ut ad caulas veri Pastoris illæsas perducere possimus. Eapropter precibus Luciæ venerabilis Abbatissæ, Romanæ Sedis filiæ, ceterarumque Sororum ejus Monasterii Senatoris, in honore beatissimæ Dei genitricis Mariæ constructi, aures nostras accommodare non distulimus. Ut Senator constituit, multorumque nostrorum Prædecessorum, & Regum auctoritate firmatum est, nulla Abbatissa illic ordinetur, nisi quam secundùm Regulam beati Benedicti universa ex eadem Congregatione Congregatio elegerit. Et res, quas Senator pro mercede animæ suæ ad alendum Sanctimoniales, vel quidquid ibi Monachæ ordinatæ acquisiverint, vel Dei misericordiâ acquirere potuerunt, ut multorum Regum Præceptis statutum est, nostrâ tuitione, protectione, atque curâ, omni molestiâ, Apostolicæ Sedis auctoritate, immunes conservare disposuimus, ut nec Ticinensis præsens Episcopus, aut qui in antea ejus vice ordinatus fuerit, aliquam molestiam inferat, nec ullum dominium, nec aliquam subjectionem inde habeat, nec etiam celebrandi aliqua Officia intra teneatur Monasterium, nisi causâ consilii vel consecrationis, cum invitatus fuerit. Et si Ticinensis presens Episcopus, aut aliquis ex Successoribus suis causâ suæ auctoritatis vel potentiæ, aliter disponere vel ordinare voluerit, statim Monasterium per debitam obedientiam nostræ ditioni dimittat, quia nec nos, nec aliquis aliter quàm Senator bonæ memoriæ, cum Deo constituere valemus. Et res suas in Dertonensi Episcopatu positas, ad utilitatem Sororum, videlicet Viqueria cum Capella Sancti Hilarii, Cassellas, & Fauratundum cum Capellis Sanctæ Margharitæ, cum integritate sui honoris sine omni molestia teneant. In Parmensi territorio Rivum Nigrum & Costicellam. In Veronensi Episcopatu Curtem Codena & Ambariana, & terram, quæ Carcer appellatur, & terram, quæ ad Arca-rupta dicitur, & terram, quæ est ad Pontem juxta portam Civitatis. In Brixiano Episcopatu fictum olei, & terram, quæ Acarferria dicitur. In Laudensi Episcopatu Villam Pulpignianam cum Capella Sancti Michaëlis, & Crispiadem cum Sancti Andreæ, & terram, quæ ad Beccanellum & Bagnolum habetur. In Placentino Episcopatu Sarmitum cum Capella Sanctæ Mariæ, & terras, quæ esse ad Centuariam dicuntur, & Mansos tres ad Sanctum Georgium. In Cumano Episcopatu terram etiam cum portu & Curtem, quæ est

A supra Lacum Cumanum, cum omni sua integritate, Villam Nessii in Valle Volterinæ, cum Ecclesia Sanctæ Aghatæ de Vedeo, cum pischaria, & cum Monte de Veterano, & aliis Ecclesiis, scilicet Sancta Maria de Massemanego, & Sanctus Julianus, qui est in Monte de Massemanego, & Sanctus Quiricus est juxta illum Montem, & confinis istarum Ecclesiarum est a mane Curtis de Rubino in monte & in plano est Episcopus de Laude, & a sero de Coregho, & istæ Terræ istarum Ecclesiarum tenentur ab omnibus partibus usque in culmis, & a nullo hora tenent per totum usque in Lacum: cohæret de Monte Veterano a monte Vallis grandis, quæ dicitur Vallis Major, & aqua, quæ dicitur Bidus, a sero per totum Vallis

B Malla a fundo Aquægrandæ usque ad culmen, & usque in cimam culminis. In Mediolanensi Archiepiscopatu Purlicia cum Capellis octo, & Alpes in Camussia, & Lagum Lugnascum cum piscaria & nave quocumque velit ire, & flumen Cusin cum piscaria. In Taurinensi territorio terram de Vanglo, & quæ in Sanctadona habentur. In Monarchia adhuc Regia viginti quinque mansos cum Capella Sancti Johannis. In Ticinensi suburbio Ecclesiam Sancti Georgi & Sancti Patritii, in Roncalia tres Massaritias ex parte Regia. In Pado pischeria, quæ dicitur Collateralii. Vel quidquid habere videntur tam intra

C Civitatem Papiæ, quamque & foris, vel ubicumque per loca infra Italicum Regnum habent, vel Deo annuente juste acquirere potuerint, omni remota molestia, cum integritate sui honoris teneant atque possideant, nec ulla magna vel parva persona eas molestare præsumat. Si quis hujus nostræ institutionis paginam aliquo ingenio violare præsumpserit, ex parte Dei omnipotentis, & beatæ Virginis Mariæ, & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum, nec non & Apostolicæ Sedis & nostra, sciat se anathematis vinculo alligatum esse, atque cum Juda proditore, & cum omnibus reprobis, nisi resipuerit, in futuro Judicio ante tribunal Domini Maledicionis sententiam

D percipiat, & pœnæ nomine centum Libras auri componat, medietatem Papæ Apostolicæ Sedis, & medietatem Monachabus, quæ inibi ordinatæ fuerint. Hoc verò ut habeatur firmius, nos propria manu subter firmavimus, ac nostri sigilli notatione insigniri fecimus.

Ego Alexander humilis Apostolicæ Sedis Episcopus hoc Privilegium Beatæ Mariæ & beati Aureliani manu propria confirmavi.

Scriptum per manus Johannis Scriptoris dictæ Romanæ Ecclesiæ.

Confirmatum per manus Gregorii Episcopi & Cardinalis sanctæ Apostolicæ Sedis.

Ego Johannes, quamvis indignus Episcopus & Cardinalis subscripsi.

E Ego Stephanus Diaconus & Cardinalis subscripsi.

Ego Benedictus Diaconus & Capellanus subscripsi.

Ego Petrus Subdiaconus Romanæ Ecclesiæ subscripsi.

Datum Laterani VI. Calendas Maji, Anno Ponti-

Pontificatus antedicti Alexandri Papæ XII. Anno Dominicæ Incarnationis MLXI. Indictione XIII.

Immo & ipsi Imperatores agnovere, nullum A Ticinensi Episcopo jus fuisse in Monasterium Senatoris, uti subsequens Diploma palam faciet, cujus apographum Sanctimoniales illæ oculis meis subjecere.

Confirmatio Privilegiorum & jurium facta ab Henrico Rege III. Imperatore II. Monasterio Monialium Ticinensium, quod appellatur Senatoris, Anno 1054.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis*. Henricus *divina favente clementiâ* Romanorum Imperator Augustus. *Si locis divinis cultibus mancipatis aliquod ex nostræ liberalitatis munificentia præsidium vel beneficium impendimus, & ad Imperii nostri dignitatem, & utriusque vitæ felicitatem nobis profuturum confidimus. Quapropter omnium Christi nostrorumque fidelium tam futurorum quàm præsentium solers industria noverit, qualiter* Monasterium, *quod dicitur* Senatoris, *infra Ticinensem Urbem constructum, & Deo dicatum in honorem beatæ Dei Genitricis semper Virginis Mariæ, interveniente nostro Cancellario Hercilone, & obtutibus nostris offerente Præcepta Prædecessorum nostrorum Imperatorum ac Regum*, nostræ libertati & dominio, sicuti semper Regale fuit, restituimus. *Inter hæc jussimus cernere Præceptum sanctæ memoriæ antecessoris nostri* Ottonis Imperatoris, *quatenus eidem almæ Congregationi secundùm hæc confirmationis & tuitionis fieri juberemus Præceptum. Quod e vestigio scribere jussimus, videlicet animæ nostræ remedium considerantes, & statum Imperii nostri sublimare cupientes, eo ordine, ut ipsa* Lucia Abbatissa, *ceteræque, quas Deus ibi ordinaverit, cum omni Congregatione integram teneant Abbatiam cum omnibus adjacentiis & pertinentiis suis infra Regnum Italicum, cum omnibus mobilibus & immobilibus rebus, quæ dici vel nominari possint, liberis, servis utriusque sexus, aldionibus & aldianis, ejusdem Senatoris Cœnobii terram habitantibus,* & ut nulla magna vel parva persona nostri Regni eosdem homines liberos & servos legem facere, aut distringere pro aliquo minus (*) facto compellat, *nisi Advocatus, cui ipsa Abbatissa junxerit officium. Ipse autem ex nostro Præcepto habeat potestatem, omnem rationem hominum sæpe dicto Cœnobio subjectorum desfiniendi, sicut ante nostram præsentiam, aut nostri Comitis Palatii, vel nostri Missi . . . . . Castellis, Capellis, & Casis tam infra Civitatem quàm extra, ubique locorum positis:* in quas nullus præsumat nostri Regni incola ingredi ad hospitandum, aut paratas, seu parafredos acquirendos, sive fidejussores tollendos, aut ullum colonaticum exigendum. Nec Papiensis Episcopus *præsens, aut qui in antea ejus vice ordinatus fuerit*, præfatæ Luciæ Abbatissæ, aut suis successoribus aliquam molestiam inferat, nec causâ celebrandi aliqua officia ingrediatur Monasterium, seu sacrationem ejus, verùm etiam aliquam subjectionem exquirere, nisi supradictæ Abbatissæ, aut suarum successorum petitione, aliquo modo præsumat, *sed sicut in testamento Senatoris diffinitum est, inconvulsum permaneat.*

Volumus & jubemus firmiter Casis, Curtis, hortis, vineis, pascuis, pratis, cultis & incultis, silvis propriis, & a nostris Antecessoribus concessis, ut in Carbonaria, & in Gajo, B *secundùm Abbatissæ libitum sive cædere ligna annuatim jubeat, omnium hominum remota contradictione, buscalibus, stallareis, viis publicis, ac stentas venationibus, piscationibus fluviorum & lacuum, præsertim in Pado & Ticino & in Lacu Luanasco, seu in Cumano, tam in Portu Cucio quàm* in Portibus antedictorum fluviorum & lacuum, in ripis, aut ubicumque necesse fuerit figere naves ac consistere, absque redditu & teloneo quoque, omni tempore liceat. *Confirmamus etiam eidem Cœnobio duo Vada ad piscandum in fluvio Pado, unum quod nominatur Aceri, de fine Caputlactis usque in fluvio Corionæ, simul cum ripariis, alterum verò in Kallendasco, de fine Caputcariddi usque* C *in finem Caputhominis desuper, una cum ripariis, molendinis, aquis, aquarum ductibus, fontaneis, puteis.* Amputandis omnibus hominibus fatigationibus, *confirmamus Curtem in Sala, unde jam multæ altercationes contra partem hujus Cœnobii non naturali Lege exortæ fuerunt, sed legaliter pars hujus Cœnobii victor extitit, ac ita fruatur & potiatur in perpetuum, nostra Regalis dignitas astipulatur*, absque inquietudine alicujus hominis, aut Episcopi Terdonensis, *aut in circum locis positis, videlicet tam infra Castrum Viqueriæ quàm extra, in mansionibus, aut in aquarum ductibus seu viis publicis. Preterea corroboramus tria Massaricia a bonæ memoriæ* majoris Ottonis Imperatoris D *dono, &* Aldegeide Imperatrice *huic Monasterio concessa, sita in loco, qui Roncalia dicitur, integre cum omnibus pertinentibus, & ad se respicientibus, ut securiter teneat, omnium hominum sublatâ contradictione, eâ gratiâ*, ut nullus Dux, Marchio, Archiepiscopus, Episcopus, Comes, Vicecomes, Sculdascius, Gastaldius, aut aliquis publicæ rei exactor, parva magnaque nostri Regni persona inquietare aut molestare præsumat, sive disvestire de supradictis rebus illius Senatoris Cœnobii prænominatam Abbatissam sive Successores ejus, aut sibi subjectas, liberos, aut servos utriusque ordinis . . . . *inventus fuerit* . . . . *contra hoc Præceptum hujus confirmationis &* E *tuitionis facere se ostenderit, sciat se compositurum centum Libras auri optimi, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem prædictæ Abbatissæ & Successoribus ejus. Et ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, manu nostra propria subter confirmantes, sigillo nostro signari jussimus.*

Signum Domni Henrici Tertii Regis invictissimi, Secundi Imperatoris Augusti.

Hercilo Cancellarius vice Herimanni Archicancellarii recognovi.

Data XI. Kalendarum Maji, Anno Dominicæ Incarnationis MLIIII. Indictione VI. Anno autem Domini Henrici Tertii Regis, Imperatoris autem Secundi, ordinationis ejus XXV. Regni quidem XIII. Imperii verò VII.

Actum Turego in Dei nomine feliciter. Amen.

Ita

(*) pro misfacto, *unde vox Italica* Misfatto.

Ita videas, Monasterium Sanctimonialium Sancti Martiui de Agello, quod in Luccnsi aut Massensi agro conditum fuisse videtur, *specialiter Beati Petri* (idest Apostolicæ Sedis) *extitisse*. Est hoc disertis verbis expressum in literis Eugenii III. quas autographas deprehendi Lucæ in insigni Asceterio sacrarum Virginum Sanctæ Justinæ.

Eugenii III. Papæ Bulla pro Monasterio Sanctimonialium Sancti Martini de Agello, Anno 1148.

EUgenius Episcopus, *servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus* Agneti Abbatisse Monasterii Sancti Martini de Agello, *ejusque Sororibus tam presentibus quàm futuris, regularem vitam professis, in perpetuum. Prudentibus virginibus, quæ accensis lampadibus per opera sanctitatis se preparant ire obviam Sponso, Apostolicum convenit adesse presidium, ne fortè cuilibet temeritatis incursus eis a proposito revocet, aut robur (quod absit) sacre religionis infringat. Eapropter, dilecte in Domino filie, vestris justis postulationibus clementer annuimus*, & prefatum Monasterium Sancti Martini de Agello, quod specialiter beati Petri juris existit, *in quo divino estis obsequio mancipate*, sub beati Petri, & nostrâ protectione suscipimus, *& presentis scripti Privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut Ordo Monasticus, qui secundùm Deum, & beati Benedicti Regulam, in eodem loco institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona idem Monasterium in presentiarum juste & canonice possidet, vel in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, prestante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo Monasterium vestrum situm est, cum omnibus adjacentiis, & pertinentiis suis: terras, vineas, decimas, & redditus vestras, & alia omnia, quæ ad Monasterium dictum pertinere noscuntur apud Massam Marchionum: Ecclesiam Sancti Panchratii: & Ecclesiam Sancti Remigii: & omnes res seu bona, que Jolicta, relicta quondam Ubaldi & Sigifredi de Bozano, predicto Monasterio donationis seu oblationis titulo tradiderunt, prefato Monasterio presenti scripto firmamus. Sane terrarum vestrarum, quas nunc possidetis, sive in antea possidebitis, quocumque jure juste quesitas, & quas de novo excolitis, vel in posterum excoletis*, secundùm consuetudinem hactenus observatam, nullus a vobis decimas presumat exigere. *Liceat quoque vobis personas liberas & absolutas e Seculo fugientes ad conversionem recipere, & eas sine contradictione qualibet retinere. Porro sepulturam ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum qui se illuc sepelliri deliberaverunt, devotioni & extreme voluntati, nisi fortè excommunicati vel interdicti sunt, nullus obsistat: salvâ tamen illarum Ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur in parte testamenti canonici portione*. Libertatem & Immunitatem vobis a Diocesano Episcopo indulgemus. *Oleum quoque infirmorum, & ordinationes Clericorum vestrorum a Diocesano suscipietis Episcopo, si quidem Catholicus fuerit, & ea gratis & absque pravitate aliqua vobis volumus exhiberi: alioquin quem malueritis, Catholicum adeatis Antistitem, qui nostrâ fultus auctoritate, quod postulatur, indulgeat. In prenominatis etiam Ecclesiis sit vobis facultas canonice ponendi Presbiteros, quemadmodum legitime usque ad hec tempora noscimini tenuisse. Precipimus etiam, ut nullus Ecclesias eidem Cenobio pertinentes, quas in presentiarum juste & canonice possidetis, aut in futurum acquirere contigerit, inquietare, vel* in ipsis Domino famulantibus, aut rebus eorum injuriam vel molestiam irrogare, seu novas & indebitas exactiones ipsis presumat imponere. Libertates insuper & immunitates antiquas & rationabiles consuetudines *Ecclesie vestre concessas, & hactenus observatas, ratas habemus, easque futuris temporibus illibatas manere censemus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum Monasterium temere perturbare, vel ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere*, seu quibuslibet vexationibus fatigare, *sed omnia illibata & integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Salvâ in omnibus Apostolicæ Sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, Secularisve persona &c.*



Ego Eugenius Catholicæ Ecclesie Episcopus *subscripsi*. Bene valete.

Ego Conradus Sabinensis Episcopus subscripsi.
Ego Hubaldus Presbiter Cardinalis titulo Sanctorum Johannis & Pauli subscripsi.
Ego Julius Presbiter Cardinalis titulo Sancti Marcelli subscripsi, &c.
Datum Pisis per manum Guidonis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii, XIIII. Kalendas Decembris, Indictione XII. Incarnationis Dominicæ Anno MCXLVIII. Pontificatus verò Domni Eugenii Papæ Tertii Anno Quarto.

Amplissimi

Amplissimi quoque Monasterii Pomposiani, nunc in Ferrariensi agro siti, alibi facta est mihi mentio, illiusque jura in Ecclesias Parochiales eidem subjectas demonstrata, exclusâ potestate Comaclensis Episcopi, ac Ravennatis Archiepiscopi. Erat enim immediate suppositum sanctæ Sedi Romanæ. Quàm verò antiquum fuerit in eumdem celeberrimum locum Pontificum Romanorum jus atque potestas, indicabunt literæ Johannis VIII. Papæ ad Ludovicum II. Augustum datæ Anno DCCCLXXIV. atque editæ a Baluzio Tomo Quincto Miscellaneor. pag. 484. *Monasterium*, inquit, *Sanctæ Mariæ in Comaculo quod Pomposia dicitur, & Monasterium Sancti Salvatoris in Monte Feretri* &c. *Ravennati Archiepiscopo non abstulimus, sed ea Monasteria & loca ab Antecessoribus nostris possessa reperientes possedimus, hactenusque jure proprio retinemus.* Verum quidem est, ab Ottone III. & reliquis Augustis Pomposianum Cœnobium, tamquam Imperiale, fuisse recognitum. Sed hoc minime obstitit, quo minus antea ad Sedem Apostolicam pertinuerit. Nullus igitur dubitandi locus est, quin etiam antiquis Sæculis, hoc est, Nono & Decimo Æræ Vulgaris, Monasteria numerarentur, quæ a jurisdictione Episcopi avulsa, aut sub tuitione tantùm Regum essent, aut regimini dumtaxat atque auctoritati parerent Archiepiscopi, sive Romani Pontificis. Certa hujus ritus exempla & documenta apud Mabillonium exstant in Annalibus Benedictinis. Verumtamen quicumque ejusmodi Libertatis Privilegia ostentant, ab exordio suo, & antiquissimis ipsis Sæculis impetrata, non continuo audiendi sunt, neque e vestigio eorum Chartis habenda fides, sed circumspecto judicio in earum examine est procedendum. Quamvis enim celeberrimus idem hujusce eruditionis cultor atque Magister, Mabillonius Lib. primo de Re Diplomaticâ antiquitatem ejusmodi Privilegiorum ostenderit, non is tamen negat, quin & falsa aut suspecta Privilegia superesse possint, immo supersint. Jam Gregorii Magni Privilegium *Monasterio Sancti Medardi* concessum eruditi viri tamquam spurium aut dubium abjecere. In eumdem censum illegitimæ originis alii rejecere Privilegia, quæ *Cœnobio Sancti Dionysii* Parisiis fundato concessa feruntur a Landerico Parisiensi Episcopo, atque a Stephano II. & Hadriano I. Pontificibus Romanis. Ejusdem præterea fraudis accusatur alterum, quod *Monasterio Turonensi Sancti Martini* collatum ab eodem Hadriano I. traditur. Equidem novi, exstare Ludovici Pii Diploma Anno DCCCXXXI. scriptum, atque editum Tom. primo Veter. Scriptor. P. Martene, pag. 87. ubi Monasterium illud *per Privilegium Caroli Imperatoris, necnon etiam per Apostolica Privilegia, a dominatione Episcopi Turonicæ Urbis usque nunc fuisse liberum* dicitur. Verùm an Privilegium illud plane sit concors cum altero Caroli Calvi Anni DCCCXLV. ubi decernitur, ut Episcopus Turonensis *non plus dominari in præfato Monasterio præsumat, nisi sicut prædecessores sui fecerunt*, aliis perpendendum relinquo. Quei etiam Turonenses Monachi, seu Canonici, priora custodierint Privilegia; quandoquidem Nortmanni & Monasterium & Chartas uno excidio concremaverunt, itidem Eruditi decernent. Vide Dissertat. XXXIV. *de Diplomatis Farfensis* quoque *Monasterii* Libertatem primitivam, a Johanne VII. Papa stabilitam, nutare animadverti Part. II. Tomi II. Rerum Italicarum pag. 331. Neque fortasse sincerior, quæ de *Vulturnensi Cœnobio* a me edita fuit Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 355. Quid plura Vulgata est Bulla quædam Pontificia, cujus sinceritatem nemo in dubium revocat, & per quam insigne quoddam Italiæ Monasterium juri Episcopi subtrahitur, atque unius Apostolicæ Sedis ditioni subditur. Verùm hanc omnino suppositìtiam ego deprehendi: idque nemo non agnosceret, si Privilegium ipsum ita typis fuisset traditum, quale in membranis legitur. Eoque evidentius eadem veritas pateret, simul prodiisset altera Charta, per quam Metropolitanus Cœnobium illud iisdem temporibus a ditione Episcopi avulsum, uni suæ in posterum vult auctoritati subjectum.

Quod ubi animadverti, fateor, ingesta mihi est dubitatio de quibusdam aliis id genus antiquissimis Privilegiis. Ughellii Italiam Sacram statue tibi ante oculos Tom. 4. in Catalog. Episcopor Bobiensium, atque intente decretum Sancti Columbani, & Privilegia a Gregorio Magno, ac Theodoro I. Romanis Pontificibus concessa scrutare, quibus celeberrimum Bobiense Monasterium uni Apostolicæ Sedi obnoxium deinceps fore decernitur. Atqui in eis pugnantia cum Chronologia ac illius Sæculi moribus offendes. Sanctus Columba, sive Columbanus, Monasterium illud *sub defensione & immunitate sanctissimæ Sedis Apostolicæ constituit Anno IV. Gregorii summi Pontificis, Indictione III.* quum tamen Anno Quarto Pontificatus Gregorii Magni, idest Anno DXCIII. decurreret *Indictio IX.* aut *X.* Scripta etiam dicitur Charta *sub die III. Mensis Novembris*, quasi tunc in usu non fuerit per Kalendas, Nonas, & Idus, distinguere dies Mensis. Ibi commemoratur Præceptum ac donatio facta ab *Agilulfo Rege*: ac deinde ipsum Præceptum additur, quod tamen *Indictione Quincta* emissum dicitur, hoc est Anno DCII. ac proinde longe posterius. Ughellius ipse a se impetrare non potuit, quin Privilegium, quod a Theodoro Papa Bobuleno Abbati concessum fertur, editumque est etiam in Bullar. Casinens. Tom. primo, suspectum, immo vitiatum opinaretur, ac præcipue ob illa verba: *In quo Monasterio Monachi sub Regula sanctæ memoriæ Benedicti, vel prædicti Reverendissimi Columbani fundatoris loci illius, conversari videntur.* Quum enim Bobiensibus Monachis suam Regulam Sanctus Columbanus præscripserit a Benedictina diversam, ac vivere desierit Anno Christi DCXV. vix credibile est, ut ii Anno DCXLIII. quo data dicitur eadem Bulla, Sancti Benedicti Regulam adoptarint, priorique etiam anteposuerint. Attamen quando Clariss. Mabillonius in Præfatione ad Sæculum II. Benedictinum, & in Annalib. Benedictinis ad Annum DCXII. DCXXV. & DCXL. ut hosce nodos solveret, multa attulit: ajo, nihil aliud exigi ad dignoscendam illius Bullæ aut fictum aut interpolatum textum, quàm intueri ibi constitutum, *ut liceat Abbati ejusdem venerabilis Loci Mitrâ & aliis Pontificalibus uti.* Nullus umquam, puto, ostendet, Sæculis iis ornamenta, hæc Abbati cuiquam in usu fuisse. Ipse etiam Mabillonius ad Annum DCCCLX. plurimùm de fide dubitat Privilegii a Thadone Mediolanensi Archiepiscopo concessi Petro Abbati Monasterii Ambrosiani, & a Puricellio in Monument. Basilic. Ambrosianæ evulgati, ubi eidem indulgetur, ut diebus Dominicis *indutus sandaliis, ceterisque Episcopalibus ornamentis*

divinum officium celebret : *quod*, ait Mabillonius, *novum omnino, & pro tempore insolitum est*. Quæ tamen ita a me dicta velim, ut simul fatear, nihil istâ de causâ detractum iri dignitati amplissimi Monasterii Bobiensis, digni profectò, quod omnes atque ego in primis, ament ac summe venerentur, tum propter illustrem ejus originem a sanctissimo viro, cujus sacrum Corpus ibi requiescit, tum propter eximiam antiquitatem, & complura in illud Cœnobium vel ipsis antiquis Sæculis collata Privilegia. Lubentissime quippe fateor, ab Honorio I. Papa concessum fuisse postea, Anno Christi DCXXVIII. Bertulfo Abbati Privilegium immunitatis ejusdem Monasterii. Neque enim de hujusmodi veritate dubitare nos sinit Jonas Bobiensis Monachus, & quidem synchronus, ipsiusque Bertulfi comes in itinere suscepto ad Apostolorum limina, uti constat ex ejusdem Bertulfi Vitâ, ab ipso Jonâ literis consignatâ, atque a Surio & Mabillonio evulgatâ. Bullam Honorii ab Ughellio editam Tom. 4 Ital. Sacr. & in Bullar. Casinensi, quamquam multis erroribus ob Librariorum incuriam scateat, ego intactam prætereo. At non omnia amplector, quæ tamquam vetustissima monumenta produntur, & serius interdum conficta fuere, sive ut rei veræ ante aliquot Sæcula factæ fidem tabulæ posteriores facerent, sive ut præsens decus ad anteriora quoque tempora pertinuisse persuadeatur. Nam Diploma *Adalualdi Langobardorum Regis*, eidem *Bertulfo* datum, quod idem Ughellius, & Margarinus protulere, nescio, an quisquam præstare possit sincerum antiquitatis fœtum, quum *Attala Abbas* eidem Adalualdo Regi superstes fuerit, uti Mabillonius ipse fatetur, ac proinde ab eo Rege *Bertulfus* Attalæ successor Privilegia consequi non potuerit. Vide tamen, quæ Pagius habet ad Annum Christi DCXXVI. neque enim his immorari diutius vacat. Insigni autem Cœnobio Bobiensi tunc Immunitatem concessam, & negatum Dertonensi Episcopo jus in Congregationem illam, par est credere, quod Sanctus Columbanus inhospitum locum, ac nulli antea obnoxium, sibi datum, religione & culturâ ornasset, & Cœnobia *procul ab Urbibus*, ut Jonas ait, condita, *Episcopali non deberent ministrare dominio*. Sæculo autem Christi Undecimo ita composita fuit Diœcesis Monasterii Bobiensis, ut novo Episcopatui instituendo caussam dederit.

Supra etiam omnia Italiæ Monasteria obsequium a nobis exigit nobilissimum Casinense, eximium capud Ordinis Benedictini, numquam satis laudandi. Attamen quod Baronius, Boschius, & Gallonius antea fecere, licere puto facere & mihi. Hoc est in dubium revocare Bullam Zachariæ Papæ, Anno, ut ajunt, DCCXLII. eidem Cœnobio concessam, a Leone Marsicano memoratam, atque a Margarino editam Tom. primo & secundo Bullarii Casinensis. Quamvis enim Lauretus sibi visus sit a præstantium virorum censurâ monumentum illud satis commode vindicasse, nihilo tamen secius tanta illic narrationis affectatio se prodit, ut neminem in illius sententiam concessurum umquam arbitrer. Mitto Chronologicas notas, quæ variæ in variis editionibus occurrunt; uti & ibi scriptum, *Petronacem a Gregorio III. Papa prædecessore, ad restaurandum sacrum locum fuisse directum*, quum ex iis, quæ Peregrinius habet in Serie Abbatum Casinensium Tom. V. Rer. Italicarum, constare videatur, id factum sedente in Romana Sede Gregorio II. Romano Pontifice. Verùm, ut ad alia progrediar, celeberrimus Mabillonius in Annalib. Benedictinis ad Annum DCXLI. Privilegia duo informia commemorat, tum illa in Appendice num. 17. & 18. profert, quæ Johannes Papa IV. largitus est Parthenoni Sanctæ Columbæ, & insigni Monasterio Luxoviensi. Attamen ibi deprehendas quæ ingerant suspicionem figmenti, uti sunt verba illa: *Profectò cuncti & plerique Præcessores nostri per præterita tempora Apostolicæ Sedis Præsules, non solùm sub ditione nostra constitutis, sed etiam in ceteris regionibus positis postulata semper indulgenda sanxerunt, præsertim in regione Francorum, dum profectò cuncta usque ad fines terræ & Oceani maris terminum sub beati Petri Principis Apostolorum Ditione consistant.* Infra etiam meminit, *haut procul a nostris temporibus Benedicti Abbatis istius Romæ hujus Urbis*. Plura non addo; simulque aliis perpendenda relinquo Privilegia Apostolicæ Sedis, quæ in Bullario Casinensi exhibentur concessa Anno Christi DCCLXIII. Monasterio Brixiano Sanctæ Juliæ, tum Anno DCCCXXXV. Cœnobio Perusino Sancti Petri: quod postremum conferendum cum altero edito Part. 2. Constitution. 72. & supra nobis memorato; nam cum eo pugnare reperies. Hæc certe, quæ hactenus innui, ita me ancipitem faciunt, ut ne inducar quidem, nisi titubando, ad fidem adjungendam Privilegio, quod celebri Monasterio Fuldensi a Zacharia summo Pontifice concessum traditur Anno Christi DCCLI. primùmque a Thomassino, Floriaco, aliisque putatur, quod ab Episcoporum jure avulsum, uni Apostolcæ Sedi subesse cœperit. Pluries illud editum fuit. Quamquam enim Mabillonio visa sit illius certa ac legitima origo, eamque pronuntiarit *a nemine in dubium revocari posse*; mihi tamen videor sentire in illo Formularium, non Octavi Sæculi, sed quidem Undecimi. Notæ verò Chronologicæ facile assui aliunde potuerunt, hoc est describendo ejusdem Zachariæ Papæ literas, quibus Archiepiscopatus Moguntini institutionem confirmavit; siquidem & in iis literis notæ suppositiæ non sint: qua de re consulendum est Pagius ad eumdem Annum DCCLI. num. 8 & 9. Pari etiam modo confingi potuit Pippini Regis Diploma, quod sine *Datâ* circumfertur, quo illud ipsum Zachariæ Pontificis Privilegium roboratur. In Actis etiam Sanctorum Tom. 6. Maji, Clarifs. P. Henschenius Vitam Sancti Adhelmi Schireburnensis, a Monacho quodam Malmesburiensi scriptam, evulgavit sub finem Sæculi a Christo nato Undecimi, aut initium sequentis. Floruit autem Sanctus Aldhelmus in Anglia, sive in Britannia, circiter Annum Christi DCC. atque is a Sergio Papa petiit atque impetravit *edictum, summi Patris auctoritate sancitum, quatenus Monasteria, quæ Deo annuente solicitâ mente gubernabat, ab omni Sæculari servitio redderet absoluta, Episcoporumque cathedris, jussis, & Synodis. Et si quando aliquo Ordine Ecclesiastico, vel etiam indigerent Presbytero, a quocumque vellent, illum facerent ordinari, Catholico tamen existente Episcopo. Si autem religiosum Abbatem obire contingeret, & ad alterius electionem ventum esset, illum, quem religiosa Congregatio servorum Dei eligeret omnium communi consilio, hunc e vestigio promovendum*. Hæc profectò Sæculum Undecimum sapiunt. Ceterum si quis alio

alia petat ſpuriorum ejuſmodi, aut dubiorum Diplomatum exempla, adeat Hiſtoricas Vindicias pro Conrigii cenſurâ in Diploma Lindavienſe, ubi collectæ habentur id genus merces non paucæ.

Sed jam longius quàm neceſſe eſt, excurrit oratio. Quod ſi petat aliquis, cur nonnulla antiquiſſima & clariſſima Monaſteria, quibus ad præclaram dignitatem tuendam nihil erat opus figmentis, ſerius ſibi conſtruxerint ampliſſima Privilegia, tamquam ipſis remotioribus Sæculis conſcripta: ſecum, quæſo, animo reputet, quinam ſint mores infirmitatis & cupiditatis humanæ. Nullo quippe tempore deſiderati ſunt, qui non contenti ſplendore fortunæ præſentis, ac veræ antiquitatis ac nobilitatis, fabulas etiam & commenta amarunt, ut ſibi aut aliis perſuaderent, ante plurima Sæcula non diſparem fuiſſe dignitatis ſuæ magnificentiam. Quot fabellæ narrentur de origine Urbium, Eccleſiarum, Familiarum nobilium, ipſorumque Ordinum Religioſorum, jam norunt Eruditi viri. Accedit, quod inter Epiſcopos & Abbates controverſiæ de libertate aut ſubjectione Monaſteriorum obortæ aliquando ſunt; atque ad has tollendas non incongruum cenſuerunt aliqui aut fabricare, aut ab aliis confictas accipere tabulas, quibus ſeſe validius, antiquitatem Privilegiorum ac Libertatis pro- A mendo, in pugna tuerentur, aut tutius deſiderata impetrarent. Ceterum uti jam diſſertiſſime faſſus ſum, ante Sæculum Undecimum Monaſteria non pauca fuere, quæ ab Epiſcoporum ditione abſtracta, ſub unius Metropolitæ, aut Sanctæ Romanæ Sedis patrocinio ac jure degebant. Idque etiam confirmari poteſt ex Supplemento Diurni Romanorum Pontificum, quod Mabillonius evulgavit Part. 2. Itinerar. Italic. pag. 33. Ibi legas *Privilegium Apoſtolicæ auctoritatis* pro Monaſterio Plumbariolæ ſito in agro Aquinenſi. Vetuſtiſſimum fuiſſe videtur ejuſmodi Privilegium. Nunc autem repeto, Privilegiorum id genus numerum Sæculo Chriſti Undecimo ac ſubſequenti mirum in B modum creviſſe, pleriſque curantibus, ut in Libertatem aſſurgerent, unumque dominum ac patronum agnoſcerent Romanum Pontificem. Explorandum tamen adhuc reſtat, an quæ Monaſteria & Eccleſiæ Immunitate ejuſmodi olim fruebantur, prorſus abſoluta fuerint officio omni erga Epiſcopum, in cujus Diœceſi exſiſtebant. Profecto non totum jus Epiſcoporum excidiſſe videtur; idque patere poterit perpendenti Chartam, cujus vetuſtiſſimum apographum Veronæ vidi in Archivo Monachorum Montis Oliveti Sanctæ Mariæ ad Organum.

Johannis Patriarchæ Aquilejenſis ſententia in Synodo Veronenſi pro Otberto illius Civitatis Epiſcopo contra Clericos quarumdam Eccleſiarum Privilegia & exemtionem jactantes, Anno 995.

IN *nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Anno Incarnationis ejus DCCCCXCV. Indictione VIII. die Vigeſimotercio Menſis Novembris. Dum in Dei nomine* Johannes Patriarcha *Sancte* Aquilegenſis Æccleſiæ *in Sinodo reſideret in Eccleſia Beatæ Mariæ ſitæ in Civitate Veronæ cum cœtu Æpiſcoporum, Sacerdotum, ſeu Levitarum: ſurgens* Otbertus Epiſcopus ejuſdem Sedis beatæ Mariæ, *queri cepit contra eundem Johannem Patriarcham* de Clericis habitantibus in titulis ipſius Monaſterii Sanctæ Mariæ antiquæ, & Sanctæ Margaritæ, *quia ipſi ſecundùm Canonicam traditionem, & antiquam conſuetudinem ſibi obedire vetarent, ita ut nec ad Sinodum, nec ad Proceſſionem ipſius venire vellent, nec illud obſervare, quod ceteri tituli de eadem Civitate fáciunt, ſcilicet & Miſſas publicas precipuis Feſtis interdictis ab Epiſcopo facere non deberent. Ad hec idem Patriarcha reſpondens agebat, quod hic eſſet antiquus mos, ut homines ſui titulari agere deberent. Tunc* Lambertus Epiſcopus Vicentinus *ſurgens ait*: Scio, quod me in hac Æccleſia Archidiacono manente, Clerici predictarum Æccleſiarum prelibata ſervitia Epiſcopo hujus noſtræ Æccleſiæ exhibebant. *Id ipſum etiam Presbiteri & Diaconi prenominatæ Veronenſis Æccleſiæ dixerunt. Tunc prefatus Patriarcha videns, quod rectum & canonicum erat, quod ipſe Epiſcopus ſciebat, conſultu omnium Epiſcoporum ac Sacerdotum, qui in eodem Concilio reſidebant, ſtatuit* ut deinceps Clerici de prefatis ſuis titulis parati eſſent obedire Veronenſi Epiſcopo tam in Sinodali advocatione, quàmque & in Proceſſionis honore, ſeu etiam in Miſſarum, cum ab eodem Epiſcopo interdictum ſollemnibus Feſtis noverint, obſervatione. *Verùm ſi aliquid a quoquam objectum fue-* C *rit*, vel ſi Epiſcopus ejuſdem Sedis illos ad Placitum ducere voluerit, nulli ſuorum Clericorum poteſtatem illos corrigendi vel diſtringendi tribuat, ſed Advocato Abbate Sanctæ Mariæ, qui pro tempore fuerit, in Organo, quicquid juſtum & Canonicum eſt, eo definiat. *Quod ut verius credatur, diligentiuſque ab omnibus obſervetur pro futuris temporibus, idem Patriarcha cum ceteris Epiſcopis, qui in èodem Concilio adfuerunt, propriis manibus ſubſcribentes hanc diffinitionis cartulam roborarunt.*

Ego Johannes Patriarcha *conſenſi & ſubſcripſi.*

Ego Johannes Epiſcopus *interfui.*

Ego Sicardus Epiſcopus *interfui & ſubſcripſi.*

Rozo Tarviſianenſis Eccleſiæ Epiſcopus *interfui & ſubſcripſi.* D

Rainoardus Tridentinus Epiſcopus *interfuit ac ſubſcripſit.*

Lambertus Vicentinus Epiſcopus *interfui & ſubſcripſi.*

Si quidem Charta hæc referenda revera ſit ad Annum Chriſti DCCCCXCV. (quod tamen mihi certum non eſt, quum *Indictio VIII.* ſi a Septembri deducta fuiſſet, indicare poſſit Annum præcedentem DCCCCXCIV. qui proinde ab *Incarnatione Dominicâ* exordium ſumſiſſet Martio Menſe) hinc haberemus, Johannem Patriarcham Aquilejenſem, antequam Ughellius putarit, in eadem Cathedra ſedere cœpiſſe. E Et ſane illic fortaſſe ſcripta fuit *Indictio VIIII.* nam ut in altera Charta præcedenti legitur apud eumdem Ughellium, Veronæ Indictio Septembri Menſe ſuum curſum incipiebat. Lucem etiam addet Charta iſta Catalogo Vicentinorum Antiſtitum, cui addendus *Lambertus Epiſcopus* heic memoratus. *Rozo Tarviſianenſis Epiſcopus* Ughellio eſt *Roccius*, uti &

Rainoar-

Rainoardus Tridentinus Antistes eidem est *Raynaldus*. *Cenetensem* Ecclesiam tunc regebat *Sicardus*, qui huic Chartæ subscribit. *Johannes* autem *Æmoniensis* Ecclesiæ Episcopus fuisse videtur. Itaque perspicere potuit Lector, etiamsi sub jure Patriarchæ Aquilejensis recenseretur *Monasterium Sanctæ Mariæ*, & *Sanctæ Margaritæ*, cum *Titulis*, hoc est Ecclesiis eidem subjectis, nihilominus constitutum fuisse, ut ipsarum Ecclesiarum Clerici ad Synodum Episcopi, & publicas Supplicationes convenirent, neque liceret eis diebus Festis quibusdam solemnibus, ab Episcopo præscriptis, Missas publicas celebrare. Monumentum sane non parvi faciendum, quod veterum Sæculorum ritus aliquot nobis aperit. Præsertim animadverte, quoties corrigendi erant illarum ædium Clerici, aut propter aliquam controversiam in judicium vocandi, tunc nulli Ministro Episcopi facultatem fuisse eorum caussas cognoscendi, sed tantummodo ipsi Episcopo, qui cum Advocato Monasterii Sanctæ Mariæ ad Organum re communicatâ, quod æquum videretur de-

A cerneret. Ceterum de Monachorum Libertate aut Subjectione agenti, tria obversari semper debent genera Monasteriorum. Erant enim, quæ immediate suberant Episcopo, nullum aliud Privilegium nacta, nisi quod aut Episcopus fundator, aut aliquis ejus Successor, aut Metropolitanus fuerat elargitus. Alia sub protectione Metropolitani, aut Apostolicæ Sedis erant, ut eorum bona hujusmodi patrocinio tuta forent, sed intacto jure spirituali, sive ut ajunt superioritate Episcopi Diœcesani. Alia denique fuere, quæ ad jus plenum atque ditionem Sanctæ Sedis, aut Metropolitæ spectabant, exclusâ penitus Episcopi potestate. Ad primum genus quod attinet, ita Monachi obnoxii erant Episcopo, ut sine ejus consensu & confirmatione Abbatem eis habere minime fas esset. Quod nobis prodet Charta, quam in Tabulario Archiepiscopii Lucensis authenticam, immo & autographam vidi, tametsi appelletur *Exemplar*, quod nempe idem Tabellio non semel eamdem descripsit.

B

Electio Walfredi Abbatis facta a Monachis Monasterii Sextensis in Diœcesi Lucensi, ejusque confirmatio & consecratio peracta a Petro Lucensi Antistite, Anno 918.

C EXemplar. *Dum in Dei nomine* Domnus Petrus Lucane Ecclesie *venerabilis* Episcopus *venisset in* Monasterio Domini & Salvatoris, *qui nuncupatur* Sexto, *illico* Monachi ipsius Monasterii adierunt eum, rogantes, ut eisdem Abbatem ac Patrem constitueret, *quatenus regulariter*, *sicut jam olim mos fuerat*, *edoceret*. *Quam petitionem eorum venerabilis Petrus Episcopus digne consentiens interrogavit*, *si talem inter se Fratrem aberent*, *qui eumdem opus recte potuisset perficere*. *Tunc omnes pariter pari consensu ostenderunt* Walfredus *Presbiterum ac Monachum*, *& dixerunt*: Si placet paternitati vestre, istum nobis Abbatem ac Patrem concedite. *Statim idem* Domnus Petrus Episcopus *simul etiam cum consilio Sacerdotum suorum*, *nec non & Diaconorum*, *qui ibidem aderant*, ordinavit *eumdem* Walfredum *Monachum* Abbatem *in eadem Congregatione prefati Monasterii Domini & Salvatoris*, *ut secundùm Deum & sanctam Regulam ipsam Congregationem edoceret*, *gubernaret*, *adque haberet*: & idcirco tradidit eidem Walfredi Abbati ministerium per Ferulam & Regulam Sancti Benedicti, *ut imperpetuum custodiret fideliter*.

D

Factum est hoc Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi Nongentesimo Octavo Decimo, *Indictione Septima*, *Quarto Kalendas Octobris*.

E

Ego Petrus *gratiâ Dei humilis* Episcopus *in hac exempla*, *ipsius electioni presens subscripsi*.

Ego Daiprandus Archidiaconus subscripsi.

Ego Suntripaldus Presbiter Cardinalis subscripsi.

Ego Benedictus Presbiter Cardinalis subscripsi.

Ego Roppertus Presbiter Cardinalis subscripsi.

Ego Stephanus Presbiter & Cardinalis subscripsi.

Ego Sichimundo Presbiter & Vicedomino subscripsi.

Ego Ghisalprando Presbiter Cardinalis subscripsi.

Ego Siccardus Presbiter & Cardinalis & Primicerius subscripsi.

Ego Aufridi Monacus & Prepositus manu mea subscripsi.

Ego Grimaldo Sacerdos & Monacus manu mea subscripsi.

Ego Joannes Sacerdos & Monacus manu mea subscripsi.

Ego Ardimannus Presbiter & Monacus subscripsi.

Ego Feraldus Sacerdos manu mea subscripsi.

Ego Sigimundo Presbiter manu mea subscripsi.

Ego Gisalmari Sacerdos & Monacus manu mea subscripsi, *&c.*

Ego Johannes Diaconus Cardinalis & Cantor decretum scripsi & jussione Domni Episcopi exemplavi & confirmavi.

Et quamquam occurrat interdum vetustis Sæculis Monasteriorum ædificatio, in qua interdicitur Episcopo imperium in sacrum locum, ejusque familiam: veri tamen videtur simile, id tantummodo intelligendum de dominatione in temporalia bona Monachorum, aut in eligendis Abbatibus: non autem de ditione spirituali, quæ non facile putanda est Episcopis invitis erepta, uti jam Clarissimus Thomassinus animadvertit. Argumentum hoc lucem accipiet ab antiquissima Charta, cujus exemplum, dum viveret, suppeditavit mihi Cl. vir Philippus Bonarota Senator Florentinus. Ibi verò adnotatum legi, apographum e schedis Celsi Cittadinii, viri jamdiu inter Senenses celeberrimi, fuisse depromtum, qui autographum invenerat in Civitate Massæ.

Fundatio Monasterii Sancti Petri in loco Palatiolo, territorii Lucensis facta a Gualfredo filio Ratehausi Pisano Cive, Anno 754.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi, atque beate semper Virginis Marie, & beatissimi Apostolorum Principis Sancti Petri. Regnante piissimo atque excellentissimo pro salute totius Catholice gentis nostre Langobardorum Domno *nostro* Aistulfo Rege, *Anno Regni ejus, Deo protegente, Sexto; Mense Julio, Indictione Septima.* Walfredus *filio quondam Ratehausi,* Civis Pisane, *recolente me istius Mundi caducam & transitoriam vitam, & quot oportet hujus Mundi vana gloria contemnere per Christum, Dominum sequi, eisque sacra precepta implere, & promissione suscipere, & eternam vitam cum ea fovere; & quod peccatoribus aditus Regni Celorum non intercluditur, si toto corde ad misericordiam Dei confugere. Et dum pro mea facinora & spatio vite, quam neglegenter duxi, me animi tedio infigere, & non inveni, per quo me in angustis convertere, tunc protectorem quesivi, ut quod non meis meritis ad illa valeo pervenire vita, per qua commissa deleantur, illius protetio, cui ligandi & solvendi est concessa potestas, in ovile eis reducatur. Tunc in cujus honore disposui Monasterio hedificare, in que regulariter vitam ducere, & me una cum filiis & res meas offero, ubi & nostras & aliorum anime salvarentur. Item namque ego qui supra* Walfredi *cum magna devotione & compuntione cordis offero me ipso & filiis meis, idest Ratchisi, Gulifredi, Jaiso, & Benedicto, Domino Deo deservire, & usque ad virtutem & possibilitate, auxiliante pius Deus, sante & regulariter vitam peragere in* Monasterio beatissimi Apostolorum Principi Sancti Petri; *quas presenti tempore in proprio territurio meo ob hamore Christi, & pro remedio peccatorum meorum hedificare visus sum locus, qui vocatur* Palatiolo, in discursu Lucense. *In eo verò tenore meus disposuit animus,* ut nullus Episcoporum, aut Judicum ibi perveniat imperio, neque aliquis de filiis vel heredum meorum, tipo superbie inflati, quacumque possit in fructibus inibi congregatis, vel in res Monasterii hujus generare superbiam. *Sed ita volo, adque per hujus nomine cartula confirmavi in supra memorato Monasterio Sancti Petri Congregatio Monacorum, sive de illis Fratribus, quos pius Deus & ipse ejus Apostolus ad suum servitium vocatus dignare fuere, cum filiis mei una cum ipsis pariter volumus ex omnipotenti Dei misericordiâ sancte & regulariter vitam peregantur, & pro meis peccatis die nòctuque suis orationibus omnipotenti Deo non cessent obsecrare misericordia. Et tam ordinatione Abbati, quàm & alias ordinationes, quod oppòrtune sunt in Monasterio fieri, ita agunt & perficiunt secundùm institutum Regula ad Sanctum patrem nostrum Benedictum. Et si aliquo errore pro ordinatione ortus fuerit, aut pravo aliquo vitium repertus inter Fratribus, quod ipse inter se, vel retitudinem aut regule instituta corrigere neglexerit,* tunc accedant in ipso Monasterio sancti Patres Quoëpiscopi, idest sedis Ecclesie sancte Pisane, & sedis Ecclesie Populoniensis, sed & Abbas Monasterii Domini Salvatoris in loco Pontiano, item & Abbas Monasterii Sancti Frediani, ubi & ejus Corpus quiescit umatum Civitate Lucense. Hii

A sanctissimi quattuor hac venerabiles viri in omnibus habeant licentiam malum aut pravum vitium, quod ortus fuerit instigante diabolo, ad Domini revocare precepta, ut malum vitium resecetur, & anime Fratrum corrigat ad salute. *Et si decedente Abbate, in electione Abbatis aliquo ortus fuerit scandolo,* sicut solet fieri *per insidia ostis nostri, ipsi quidem supra memorati sancti Patres una cum Fratribus ipsius Monasterii previdea͏nt, qui dignus fuerit preesse, ita eligant & confirment sine ullo munere, aut aliquo alio imperio, nisi tantum ut his pravus vitius se corrigendus, ut sancte & regulariter vivant.* Nam si ipsi se corrigere potuerint, ut sancte & regulariter agant, supra

B memorati Quoëpiscopi, vel Abbati nullo cogeant imperio in ipso Monasterio aliquo ordinandi aut inducendi: *sed liceat eos instituta Patrum servare, & vita peragere. De supra memorati fuerit de filiis meis, volo ego, que supra* Walfredi, *ut si in aliquis de ipsis erroribus facientibus in aliquo lapsu cecidere, aut aliquo pravum egerit, tunc Abbas, qui ordinatus fuerit, cum penitentiam & disciplinam corrigant, & intro Monasterio retineant; ut anima ejus salvari possint, nam foris Monasterio nullo modo eos expellant, ut anima ejus depereant: set quos fortè voluntarie bene agere neglexerit, faciunt inviti.*

In dotis vero supra memorati Monasterii Sancti

C *Sancti Petri una cum prefatis filiis meis Ratchis, Gulifredus, Jaso, & Benedicto, in primis trado & offero portionem meam de supradicto Casale Palatiolo, ubi & ipse Monasterio fundatum est, una cum portione mea de Basilica Sancti Philippi, vel res ad eam pertinentes, cum casas massaricias, familias, vel adjacentias earum, peculias donicatas cum Pastores, qui eas depascunt, cum vineis, olivetis, & territurias perfines, una cum silvis, sicut nobis pertinere videtur in integro. Item & Curte juris mei in Castagneto cum edificiis suas peculias donicatas & pastores, qui eam depascunt, vineas, olivetas, pratas, territurias, silvas, seo & casas massaricias cum familias suas, que nobis perti-*

D *nere, quanta exinde libere non dimiserimus, cum omne adjacentiam ad ipse, vel Curte pertinenti in integro, habeat ipse Monasterio. Item & habeat portionem meam de molino & casa de Caldana, cum Litiano, seo & Dominico pueris nostris, & omnia adjacentia ad ipsa casa vel molino partem meam in integro pertinentes. Simili modo & habeat ipse prefatus Monasterio portionem meam de Curte Supercornia cum edificias suas, vineas, territurias cultas & incultas, silvas, ... pascuas, una cum Casas massaricias, cum familias suas, & omne adjacentia ad ipse, vel Curte pertinente in integro, ante posito portionem meam de Gagio Gatoti & portionem meam, hoc est medietatem de Casa*

E *Candidi de Rivo Certurio cum familia, & omne adjacentiam ad ipse Case pertinentes. Item habeat ipse Monasterio Sancti Petri portionem meam de Casale in Ruossano cum de Monasterio, quod inibi est sito, & Case Massaricie cum adjacentia ad ipsa case pertinentes portionem meam in integro. Item volo, ut habeat ipse Monasterio medietatem Salinas in loco Vada,*

da, & in Pogiolo antea quod emit a quondam Infredo mea portione. Simili modo & offero in supradicto Monasterio portionem meam de Curtis juris mei in loco, qui vocatur Septaris, cum edificias, vineas, olivetas, silvas, territurias cultas & incultas una cum casas massaricias vel omne adjacentia ad ipse case vel Curte pertinente. Et abeat insimul casa Mugniacioli, & casa Teudiperti, & casa Wipertuli, & casa, qui fuit Pasquali in fundo Magno, cum omne adjacentia ad ipse case pertinente. Itemque do & offero ad ipsum prefatum Monasterium portionem meam de Curte mea Castello Fuolfi, cum vineas, ulivetas, edificias, territurias cultas & incultas, feo & case massaricie ad ipsa Curte pertinente cum omni adjacentia & familie, quante exinde libere non dimiserimus, abeat ipse Monasterio Sancti Petri. Simili modo offero in predicto Monasterio portionem meam de Gagio in Latimano in integro, & casas Teodure de Agello, & Casa Bineli de Lisiano, cum omne adjacentia ad ipse Case pertinentes, & familie eorum. Item habeat ipse Monasterio Sancti Petri Casa Guispendi de Massiano, & mediante quod Maurus . . . . . . uno & de filiis eis, & habeat Casa Gheduli de Rivo Cairo, & casa de filii quondam Pincioli in Pisimano, & casa Prunoli in Pistule. Item in Civitate casa Cunundi, & casa Gridiperdi, casa Epdicausi, casa Cunperti, casa Sichimundi. Hec autem case cum omne adjacentia ad eas pertinente & familie eorum habeat ipsum sanctum & venerabile locum. Similiter volo, ut habeat in loco Cotiano casa Barduli, & casa Mincioli cum adjacentia sua & familia eorum, quante exinde libere non admiserimus. Simul etiam abeat ipse Monasterio medietate de mea portione de casa, que habemus in loco, qui vocatur Burghermio, Lupinaria, Glucentiano, cum familie sue & adjacentia sua. Et habeat casa in loco, qui vocatur Sarachamano, quem emimus de Juniperto, cum adjacentia sua. In tale enim tinore volo ego, qui supra Walfredi, res superius comprensa, omnia habere Monasterio supra memorati Sancti Petri, vel ea persolvant ad ipso Monasterio tam liberi quàm & servi vel Aldioni, qui in ipse case resederunt. Itemque do & offero a suprascripto Monasterio portionem meam de pecunia nostra in Insula Corsica, cum casas, familias, territurias, & omne adjacentia ad ipse case pertinentes, & res donicata movilia & immovilia; ut dixi, mea portione de quantum in ipsa Insula Corsica & omnia in integrum. Simul & abeat ipse Monasterio portionem meam de Prato ad Padule Actoni, & abeat portione mea ad Ursula, & Orto, que vocatur ad Prato juxta Padule Auctoni, & portione mea de terra in Arna, medietate de mea portione. Simul & abeat portione mea de dicto in Verriana, & portione mea de Casa Brunuli in ipso loco Verriana, cum familia, vel omne adjacentia ad ipse case pertinente mea portione. Itemque dono & offero ad prefatum & ipsius nominato Monasterio beatissimi Sancti Petri in Ecclesia & Monasterio Sancti Petri in Accio, que est fundatum & constructo in jam predicta Insula Corsica, cum omnia adjacentia, que ad ipsa Ecclesia & Monasterio est pertinente in integro. Abeat & possideat ipse sanctissimo & venerabile Locu hec omnia superius comprensa, do & offero ego, qui supra Walfredi pro redemptione anime mee in predicto Monasterio Sancti Petri, & Abbas cum Fratribus inibi congregatis. Peto, ut pro meis peccatis, suis orationibus & vigiliis intercedere, ut mibi Dominus ignoscat, quod negligenter gessi, & ore pro me peccatore Dominus retribuere mercedem. Ecce meus qualiter complacuit animus, per hujus voluminis cartule confirmo sic, ita ut si aliquis de filiis aut eredes proëredes meos contra dotis meis pagina ire quandoque presumpserit, aut aliquid subtrahere aut molestare per se, aut supposita persona de omnia, que supra legitur, & adprobatum fuerit, componat ad pars ipsius Monasterii Sancti Petri, vel eis Congregationis aurum solidum quingenti, & presens cartula dotis mee in sue firmitate & robore. Unde tres cartule pari tenore Asperto Notario scrivere.

Actum Pisa per Indictione suprascripta feliciter.

Una ista cartule reservamus in prefato Monasterio Sancti Petri. Alia verò de iste cartule dedimus ad conservandum in Domo sancte Ecclesie Pisane, ubi Domnus Andreas Episcopus *esse videtur. Tertia dedimus ad conservandum Monasterio Domini Salvatoris, ubi* Abbas Gadisteo *esse videtur.*

Ego Walfredi filio quondam Ratehausi in hanc cartule dotis mee manu mea propria subscripsi, & testibus ubtuli roborandam.

Signum ✠ manus Antiperti filio quondam Arieti teste.

Signum ✠ manu Pertualdi filio quondam Arioldi teste.

Signum manu ✠ Beuti Alescarco teste.

Signum ✠ manu Gadualdi.

Ego Maccio Notarius rogatus a Walfredi in hanc cartule me testes subscripsi.

Ego Gundiperto filio quondam Burbensii rogatus ad Walfredi in hanc cartule me testes subscripsi.

Signum ✠ manu Guliperti filio quondam Vitaliani testes.

Ego Ausperto Notarius rogatus a Walfredi hac cartule subscripsi supplevi.

Ego Benedictus Notarius autentico illum vidi & legi.

Ego Gospertus Notarius autentico vidi & legi, unde uno exemplar factu est, & hic subscripsi.

Ego Illo, Notarius Domni Imperatoris autentico illo vidi & legi, & fideliter exemplavi, literis plus minus.

Edidit Cl. V. Johannes Mabillonius in Actis Sanctor. Benedictinor. Sæcul. III. Part. 2. pag. 196 Vitam Sancti Walfridi Abbatis Palatioli in Tuscia. Hic ejus Monasterii fundator, ac primus Abbas. Idem postea Mabillonius in Annalib. Benedictin. originem illius Monasterii retulit ad Annum Christi DCCXLVIII. quæ tamen ex hisce tabulis spectare deprehenditur ad Annum DCCLIV. Atqui prælaudatæ Vitæ Auctor Andreas, Abbas ejus loci tertius, memoriæ prodidit, Walfridum Sæculo renuntiasse, atque *Oraculum ad honorem beati Petri* construxisse *Anno Regni Haistulfi fere plus minus Quarto*. Sententia Sigonii in Libris de Regno Italiæ, & Cardinalis Baronii in Annalibus Ecclesiasticis, fuit, Aistulphum Anno Christi DCCL. Ratchisio fratri successisse in Regno Langobardorum. Contra contendit Pagius in Criticâ Baronianâ, arcessendum esse exordium Regni Aistulphi ab Anno DCCXLIX. post Kalendas Martias. In quæstionem istam & ego intentus fui, investigaturus, utri partium stet veritas. Et sane tabulis, quas modò produxi, Pagii sententia juvatur. Si enim Julio Mense, atque Indictione VII. hoc est Anno DCCLIV. decurrebat *Annus Sextus Aistul-*

Aistulphi, necesse est, eum salutatum fuisse Regem Anno DCCXLIX. Verùm ne sic quidem certi simus de veritate sententiæ Paginæ. Nam quæ Charta a me nuper evulgata est, apographum erat recens: ejusmodi autem apographis, per Librarios imperitos non rarò depravatis, tuto fidere, si alia ex adverso occurrunt, non est Critici cauti. Neque eam antiquitatem præfert Auctor Vitæ Sancti Anselmi Nonantulani, uti neque Sigebertus, ut eripere ii dubitationem omnem nobis possint Epochæ ipsius. Præterquam quod auctor ejus Vitæ Diploma Aistulphi adfert, inquo Notæ Chronologicæ non uno vitio laborant. Itaque proferam ego, quæ huic controversiæ dirimendæ esse possint satis, hoc est quidquid mihi in hanc rem obtulit insigne Tabularium Archiepiscopii Lucensis. Ibi authentica Charta legitur, scripta *Regnante Domno nostro Aistulf Rege, Anno Regni ejus Quarto, octavo die infra Calendas Aprilis, Indictione Sexta feliciter. Manifestus sum ego Petrisuns, quia devitor sum dare tibi Domno Walprand Episcopo Soledus propter casa Auderad, quod mibi per alia cartula vinditionis mibi venundare visus fuisti pro vero pretio, quod exinde debitor sum tibi dare. Modò verò dare tibi visus sum casa, ubi quondam Morentulus resedere visus fuet, & modò presens resedet germano ejus Alipert* &c. *Ego Osprand Subdiaconus postradita complevi & dedi*. Animadverte verba illa *una Torre de auro fabrita*, quæ vulgarem nostrum sermonem sapiunt. Nomine autem *Turris fabritæ*, idest fabricatæ, *ex auro*, designatur vas sacrum aureum, ad instar Turris efformatum, ad conservandam ibi, ac in eo deferendam Eucharistiam, aut Reliquias Sanctorum. Gregorius Turonensis Lib. prim. Cap. 86. de gloria Martyrum, *tempus* (inquit) *ad sacrificium offerendum advenit, acceptáque Turre Diaconus, in qua mysterium Dominici Corporis, ferre cœpit ad ostium*. In testamento Sancti Aredii, quod Clariss. Ruinartus in Appendice ad Gregor. Turonens. edidit, is numerat *Turres, calices, pallas, & coopertoria prædictis Martyrariis* (idest Rectoribus Oratorii Martyrum) *ad custodiendum tradidimus*. Evulgavit & idem Ruinartus *Benedictionem calicis, & patenæ, & Turris*. Vide quoque Du-Cangium Lib. 3. Constantinopolis Christianæ pag. 54. Ad Chartam redeo, quæ exarata dignoscitur Anno Christi DCCLIII. Et quum eo Anno, *octavo die infra Kalendas Aprilis* (decernant alii, utrum *post*, an *ante* significet) decurreret Annus Quartus Aistulphi, utramque sententiam hinc juvari vides, atque id unum inde exculpi posse, scilicet Aistulphum tantummodo post Aprilem Anni DCCXLIX. ad Regale solium conscendisse. Alteram Chartam, quam in eodem Tabulario Lucensi autographam vidi, atque descripsi, integram exhibere placet, quod ibi mentio fit *Walperti Ducis* sive Lucæ, sive Tusciæ.

Charta venditionis factæ a Perprando filio Walperti Ducis Walprando Episcopo Lucensi, Anno 752.

IN *Dei nomine* regnante Domno *nostro* Aistolfu *viro excellentissimo* Rege, Anno Regni ejus Tertio, in Mense Junio, Indictione Quinta *feliciter. Constat, me* Perprandum filio *bone memorie* Domni Walperti Duci *hac die vendedisse, e vendendi, tradidisse, e tradedi tibi* Domno Walprand *gratias Deo* Episcopo *parte mea de Sala Sundriale, quem avere visus sum in loco, qui dictos Tocciano cum terra & vineas, silvis, verzaria, olivis, pumis, arboribus, simol e casas massaricia in ipso loco Tocciano cum territurii movile vel immovile, seu semmoventibus, cum rebus, vel ancilla quem avere visum sum in ipso loco, omnia & in omnebus mea portione in integras, Etriperto, Teudifridulo cum muliere sua, & uno filias suam nomina Personali, alii infantis suis: nam alia res in suprascripto loco omnia, e in omnibus, ut dictum, per ujus venditionis tetulo tibi infenitum tradere visum sum; e haccipi ego, qui supra Perprandu ad te Domno Walprand Episcopo suprascripta casa, e res, qualiter superius est scripptum, placitum in definito...... adque..... auri Solidos nomero trecenti, in eo tenure inter nos convinet, ut si ipsas res amplius adpretiato fuerit super trecentis solidis, ego Domno Walprand Episcopo tibi Perprand reddi diveam, & si minus fuerit adpretiato de trecentis solidis, ego Perprand tibi Walprand Episcopo adimplire diveam ad ipsi trecenti Solidi, e si tanto fuerit...... Unde spundeo ego Perprand cum heredi meus tibi Walprand Episcopo, si ipsa re intentionare, aut in alico molestare presumserimus, e defensare non potuerimus da qualive homine per qualive ingenio, e ad me conserbatum vel adimpletum non fuerit, qualiter superius compono ego Perprand vel heredis meus tibi Domno Walprand Episcopo vel ad tuos heredis, de quod superius legitur in duplu res meliorata, de quod..... in ferquido locum estimationem. Deutipert rescribere rogavi.*

Actum Luca, Regnum e Indictione suprascripta feliciter.

Signum ✠ manus Perprandum venditor & conserbator.

Signum ✠ manus Suintrial Diaconi filio quondam Ansualdi testis.

Signum ✠ manu Fradeliald filio Alipert testis.

Signum ✠ manus Ermiauloald filio quondam..... testis.

Ego Deutripert post tradita supplevi & dedi.

Minores Ducatus & Comitatus, ut alibi monui, ad summum Præfecturæ fuerunt ad vitam, neque ad heredes, nisi singulari munere Regum, transmittebantur. En filium *Walperti Ducis* Lucensis, qui sine ullo titulo post patris mortem se prodit. Neque omittendum est (quod antea Florentinius in Vita Mathildis animadverterat) ipsum *Walprandum* Episcopum, & *Petrisunsum* in præcedenti Charta memoratum, & *Perprandum*, cujus in præsenti est mentio, fratres fuisse, hoc est ejusdem *Walperti Ducis* filios. Hasce autem tabulas cum sententia Sigonii consonas esse unusquisque agnoscet. Denique eidem Lucensi Chartophylacio acceptam refero pergamenam scriptam *Regnante Domno nostro Aistulfu viro* excel-

excellentissimo Rex, Anno Regni ejus Quarto, Mense Septembrio, Indictione Sexsta, feliciter. Constat, me Valleradu Clerico, filii quondam Issoni, hac die vendedisse & vindedit, tradedisse & tradedit tibi Crispinulo negotiante duas petiolas de terra. Uno petiola est in locho, qui dicitur at Grippo in entegro &c. Chartam hanc refero ad Annum Christi DCCLII. inchoatâ nempe novâ Indictione eodem Mense Septembri; atque inter se Chartas istas componens, hæc deducere posse mihi videor. Videlicet quum habeamus Anno DCCLII. Annum *Tertium* Aistulphi Junio Mense, eodemque Anno Septembri Mense Annum ejus *Quartum*, necessariò consequi, Aistulphum Regali dignitate exornatum fuisse Anno DCCXLIX. inter Junium & Septembrem, terminis in hac supputatione inclusis. Et rursus postquam Charta Pisana, nuper a me producta, uti & altera edita supra in Dissertatione IV. *de Officiis dom. Reg.* exaratæ fuerint, *Regnante Domno nostro Aistolfo Rege, Anno Regni ejus Quinto, Julio Mense, per Indictione Septima*, ideft Anno DCCLIV. consequens est, exordium illius Regni cadere inter Mensem Julium & Septembrem Anni DCCXLIX. Quare quum in notis ad Leges Langobardicas retulerim ad Annum DCCL. initium Regni Aistulphi (quod & Mabillonius in Analibus Benedictinis, & alii post Sigonium & Baronium fecere) meliores calculi nunc poscunt, ut is locus emendetur.

In viam nunc regredior, & Chartam Pisanam scriptam Anno DCCLIV. resumo. Ibi animadvertimus, decretum fuisse a Gualfredo conditore Monasterii illius *in discursu Lucense, ut nullus Episcoporum aut Judicum* (scilicet

A Magistratus Sæcularis) *ibi perveniant imperio, neque aliquis de filiis vel heredum meorum*, &c. *in fructibus inibi congregatis, vel in res Monasterii hujus generare superbiam*. Quod si discordia in electione Abbatis contigerit, *sicut solet fieri, tunc Episcopi Pisanus & Populoniensis* (nunc Massæ) *& Abbates Domini Salvatoris in loco Pontiani, & Sancti Frediani* Lucensis necessitati Monasterii consulant. Nullam quidem fundator vult esse Episcopo Diœcesano facultatem in res & reditus Monasterii, neque in electionem Abbatis. Non tamen inde sequitur, sublatam Episcopo ditionem spiritualem. Alioquin Monasterium illud neque Romano Pontifici, neque Metropolitano

B donatum, nulli Superiorum subjectum fuisset. Præterquamquod fortasse Monasterium ejusmodi, quamquam situm *in districtu Lucensi* spectare potuit ad Diœcesim Pisanam. Vide Dissertationem LXV. *de Monasteriorum erectionibus*, ubi Monasteria quædam occurrunt, in quæ plenam potestatem Episcopi exercebant, *regendi & ordinandi omnia, qualiter eis placebat*. In reliqua verò Monasteria non alia eis erat potestas, quàm quæ per Canones concedebatur. Ad hæc disertis etiam verbis interdum præscribebant Episcopi, sive in ædificandis, sive in ditandis Monasteriis, quæ officia erga se præstituri forent Monachi, aut quid liberum eis futurum esset deinceps tam in ele-

C ctione Abbatis, quàm in sacrorum usu. Accipe quid statuerit *Gotifredus Episcopus Lunensis* in Charta, cujus antiquum apographum adservant in suo Archivo Canonici Regulares Sancti Fridiani Lucæ.

Donatio Ecclesiæ Baptismalis Carrariæ facta a Gotifredo Episcopo Lunensi Petro Priori Canonicorum Regularium Lucensium S. Fridiani, Anno 1151.

Gotifredus Episcopus *sancte* Lunensis Ecclesie *licèt indignus* Petro Sancti Fridiani Priori, *& omnibus Fratribus ibidem commorantibus in perpetuum. Desiderium quod ad religionis propositum, & animarum salutem pertinere monstratur, auctore Deo, sine aliqua est dilatione complendum. Icciro ego Gotifridus licèt indignus, Lunensis tamen Episcopus, Ecclesiam Sancti Andree in Lunensi Comitatu, Carrarie constructam, pro Dei amore, & anime mee redemptione*, ex licentia Domini Pape Eugenii, *tibi Petro Priori Sancti Fridiani Lucensis, tuisque successoribus, & per vos Ecclesie vestre dono & trado atque committo in perpetuum, ut ab hac die in antea potestatem abeatis prenominatam Sancti Andree Baptismalem Ecclesiam, cum omnibus suis Capellis, & Ospitali de Montefurca, cum Capella Sancti Sixti, & Capella Sancti Pancratii, & cunctis pertinentiis suis, adque omnibus bonis & possessionibus seu actionibus, ad prefatam Plebem pertinentibus, possidendi, ordinandi, disponendive, & in ea Clericos statuendi. Preterea Ospitale, quod in capite paludis situm est, cum Capella Sancti Leonardi, decimis, & universis pertinentiis suis, de his quoque, que ad proprietatem & usum Episcopi pertinent; viginti jugera terre in eadem palude, duo in Lavandro, sex jugera in Broilo, & Casadium juxta predictam Plebem, & Villa de Plaula cum omni jure nostro & districto & placito me-*

D *morate Sancti Andree Ecclesie pro sustentatione Fratrum inibi Deo famulantium, cum libertate piscationum in toto flumine Aventia, devotionis intuitu, & Pontificali auctoritate concedimus, donamus, atque largimur*; salvâ Lunensi Episcopo debitâ reverentiâ, *siquidem Catholicus fuerit*, a quo nimirum Chrisma, Oleum Sanctum, Consecrationes Altarium, seu Basilicarum, Ordinationes Clericorum accipietis, *si ea gratis & sine pravitate dare voluerit; sin autem, liceat vobis a quocumque malueritis accipere*. Volumus etiam ut predicti loci Prior cum quot vel quibus voluerit, vel quot & quos mittere voluerit, bis in anno ad Synodum Lunensis Episcopi conveniat. *Ut autem*

E *Fratres ibidem commorantes, libere Domino valeant deservire*, eandem Ecclesiam & omnis res, que sibi pertinent, vel que in futuro sibi pertinuerint, ab omni dominio & exactione, ex Pontificali nostra auctoritate liberam esse concedimus, ut videlicet nec alicui Successorum meorum, sive Archidiacono, aut cuilibet Ecclesiastice, sive alicui Seculari persone de cetero aliquid ex ea preter liberam Fratrum inibi Domino famulantium voluntatem auferre vel consuetudines aliquas imponere liceat. Nulla quietem vestram Processionum vel Letaniarum contra vestram consuetudinem perturbet indictio; nisi ter tantum in anno, videlicet in Annuntiatione Sancte Marie, & in Assumptione, & Representatione Sanguinis Christi

sti ad Ecclesiam Sancte Marie, Lune sitam, & in Kalendis Augusti ad Sanctum Venantium more solito, videlicet semel in anno. Ita tamen ut Prior predicti loci, videlicet Sancti Andree, tres vel duos Clericos mittat, qui secundùm consuetudinem a Canonicis Lucensibus & a Monachis Sancti Venantii recipiantur. Statuimus, ut nullus in prefata Ecclesia Carrarie eligatur vel ponatur pro Preposito, nisi quem Prior Ecclesie Sancti Fridiani elegerit, sive posuerit. *Si qua igitur in futurum Ecclesiastica Secularisque persona hujus nostre constitutionis factum sciens contravenire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi presumptionem suam digna satisfactione correxerit, Clericus Ecclesiastico beneficio, Laicus Christiana communione privetur.* B

Ego Gotifredus Lunensis Episcopus.

*Actum Carrarie per manum Olivarii Presbyteri Capellani Episcopi, V. Idus Martias, In-*A *dictione XIV. Incarnationis Dominice MCLI. Pontificatus verò Domni Gotifredi Lunensis Episcopi Anno XXII.*

Sed quando Canonicorum Regularium Sancti Fridiani, sive Frigidiani Lucensis facta est mentio, quorum insignis pietas ac disciplina tantâ tunc famâ ferebatur, ut eorum Ordinem aliæ Civitates adsciverint, ipsaque etiam Lateranensis Basilica subsequente tempore eis regenda & excolenda tradita fuerit: addere liceat Chartas duas a Collectaneis MStis Peregrini Prisciani depromtas, ac nobis testes, sub Landulpho Episcopo Ferrariensi ineunte Sæculo XII. Ecclesiam Ficarolensem iis commendatam fuisse, uti constabit ex Bullis Præsulum Ferrariensium, eamdem donationem confirmantium. Quibus etiam conditionibus Canonici ii recepti fuerint in Diœcesi Ferrariensi, ex hisce tabulis intelligemus.

Amatus Episcopus Ferrariensis Priori Ecclesiæ Sancti Salvatoris de Ficarolo, ejusque Fratribus, omnia illorum jura ac Privilegia confirmat, Anno 1158.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen. Anno Dominicæ Nativitatis MCLVIIII. tempore Alexandri Papæ, & Federici Imperatoris, die VII. introëunte Mense Octubri, Indictione VII. in Castro Ficaroli exemplatum est hoc Instrumentum novum de alio Instrumento a Petro Ficarolensi Notario.

In Christi nomine. Anno ejusdem Nativitatis MCLVIII. tempore Adriani Pape, & Federici Imperatoris, die VIII. introëunte Mense Decembri, Indictione VII. Ferrarie. Quoniam justis & piis postulationibus ab Ecclesie Dei Ministris sponte & absque dilatione est annuendum, idcirco ego Amatus *divino munere* Ferrariensis Ecclesie Minister *scilicet indignus, Predecessorum meorum felicis memorie* Landulfi & Grifonis *ejusdem Ecclesie* Episcoporum *vestigia sequens, intuitu pietatis & hospitalitatis largior, concedo, atque confirmo* Ecclesie Sancti Salvatoris de Ficarolo, & tibi Ciriaco Priori *ejusdem Ecclesie tuisque Fratribus & Successoribus in perpetuum, quecunque a prefatis decessoribus meis predicte Ecclesie, vel vestris antecessoribus collata vel concessa sunt, ex quibus quedam propriis duximus exprimenda vocabulis. Idest* liberam ejusdem Ecclesie, ejusque possessionum, atque personarum ad eandem Ecclesiam pertinentium, disponendi, ordinandive potestatem, secundùm mandatum & voluntatem Prioris & Conventus Sancti Fridiani Lucensis. *Decimam etiam unius fundi Novoleri, sicut prefatus antecessor noster Landulfus Episcopus vobis concessit, nos nihilominus concedimus, atque cum omni integritate, sicut ejus temporibus designatum est, & subter denotatur, confirmamus, videlicet a Pado per viam Nogarie Mainardonis ad Fossam Sancti Petri, & sicut est Fossa Sancti Petri ad Falcum, & de Falco medietatem usque ad viam de Gaiba, & sicut currit via de Gaiba ad Canale mortuum, & sicut est altera parte Canalis mortui Fossa de Vassarolo usque ad Canaletum Policini Sancti Laurentii, & per Canaletum usque ad ruptam Padi, & per predictam ruptam usque ad Padum. Et insuper totam decimam Grifonis, & etiam decimam omnium vestrarum possessionum, quas modò in Ferrariensi Episcopatu habetis, vel in futu-*C *rum Domino propitio habituri estis, sicut a jam dicto predecessore nostro bone memorie Grifone Episcopo vobis & Ecclesie concesse sunt, nos etiam concedimus atque confirmamus. Ecclesiam etiam beati Syri Confessoris positam in Vico & fundo Miciane cum Decimis suorum Parochianorum, atque cum omnibus partibus Decimarum totius fundi Mizane, que a predicto Grifone Episcopo vobis collate sunt & concesse, nos etiam concedimus atque confirmamus. Preterea ad substentationem Pauperum & Fratrum in prenominata Sancti Salvatoris Ecclesia Deo dante servientium, Decimas etiam totius illius partis fundi Marlatice, que cum predicto fundo Lopoleti & Leonis continuata est, concedimus,* D *ut in perpetuum in eorumdem usu perseverent.* Statuimus etiam, quatenus nec nobis nec alicui nostrorum Successorum, aut alii Ecclesiastice Secularive persone ullo unquam tempore prefatam Ecclesiam liceat in aliquo perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, seu aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum, quorum gubernatione & substentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. *Si qua igitur in futurum Ecclesiastica Secularisve persona hanc nostre concessionis, confirmationis & constitutionis paginam sciens, contra eam venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi satisfactione congrua emendaverit, ream se divino* E *judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini nostri Jesu Christi aliena fiat. Cunctis autem eidem venerabili loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi hic & in perpetuum. Amen. Amen. Amen.*

Supradictus Amatus Episcopus ita scribere rogavit Guidonem Ferrariensem Notarium in presentia Domini Benevense Archipresbiteri majoris Ecclesie, & Jamis Archipresbiteri de Contrapado, & Uberti Grassi, & Bonaldi de Milarino, & Peregrini de Carapoli.

✠ *Ego* Amatus *Dei gratiâ* Ferrariensis Episcopus *manu mea subscripsi.*

Ego Benevensa Archipresbiter subscripsi.

Ego Egidius Presbyter manu mea subscripsi.

Ego Eustachius Diaconus subscripsi.

Ego

Ego Homodeus manu mea subscripsi.
Ego Presbiter Lanfrancus subscripsi.
Ego Johannes Diaconus subscripsi.
Ego Sichelmus Diaconus subscripsi.
Ego Guido Canonicus Subdiaconus subscripsi.
Ego Amicus Canonicus subscripsi.
Ego Dominicus Ferrariensis Canonicus subscripsi.
Ego Malignus Subdiaconus subscripsi.
Ego Ragues Canonicus Ferrariensis subscripsi.

A *Ego Presbiter Johannes Ferrariensis Canonicus subscripsi.*
Ego Petrus Diaconus manu mea firmavi.
Et ego Petrus Divina gratia Ficaroliensis Notarius hoc Instrumentum exemplavi de alio Instrumento autentico veteri, & nec plus nec minus quàm in veteri Instrumento comperui, in hoc novo Instrumento scribere & exemplare studui.

Presbyterini Episcopi Ferrariensis Bulla, qua Priori Ecclesiæ Sancti Salvatoris de Ficarolo, ejusque Fratribus Canonicis Regularibus, omnia illius Ecclesiæ jura & Privilegia confirmat, Anno 1175.

I*N Dei nomine. Anno Christi Nativitatis Millesimo Centesimo Septuagesimo Quinto, tempore* Federici Imperatoris, *die XI. intrante Mense Februarii, Indictione VIII.* Presbiterinus *divinâ pacientiâ* Ecclesie Ferrariensis Episcopus *licèt indignus, dilectis in Christo filiis* Hieronymo Ecclesie Sancti Salvatoris de Ficharollo Priori, *ejusque Fratribus tam presentibus quàm futuris salutem & sinceram in Domino dilectionem. Religiosam vitam eligentibus solicita nos oportet consideratione prospicere, ne alicujus necessitatis occasio aut desides faciat, aut robur, quod absit, conservationis infringat. Quapropter, in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prefatam Ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub nostra Episcopali protectione suscipimus, & presentis scripti Privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo Canonicus secundùm beati Augustini Regulam, & Fratrum de Sancto Fridiano Lucensi institutionem, perpetuis temporibus inviolabiliter conservetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona eadem Ecclesia in presentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu justis aliis modis, prestante Domino poteritis adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant; in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Decimationem totam de omnibus terris & vineis, quas predicta Ecclesia Sancti Salvatoris nunc habet, vel Deo annuente habitura est infra totum Episcopatum Ferrariæ, jure proprietatis in perpetuum concedimus: & hoc intuitu pietatis & hospitalitatis & pro substentatione Fratrum, qui modò ibi sunt, vel Deo propitio futuri erunt, sicut* Grifo antecessor meus *concessit. Decimas etiam totius fundi Lupoleti, cujus fines sunt a Pado per Castrum Figarolli per viam de Nogara Mainardonis ad Fossam Sancti Petri, & sicut est Fossa Sancti Petri ad Falcum, & per medium Falcum, & sicut currit via de Gaiba ad Canalem mortuum, & sicut est Fossa de Vassarello ad Canaletum, & sicut est Canaletus ad ruptam Padi, & sicut currit rupta a Pado ex parte Silvadonice usque ad Capud bujus Canaleti. Et totam Decimam Grifonis, quas jam dictus* Landulfus Episcopus *Ecclesie vestre concessit, has decimas infra predictos terminos vobis, vestrisque successoribus de omni fructu, & de omni loco integre dandis confirmamus, tantum quarta parte Baptismalis Ecclesie excepta, nisi de possessionibus Ecclesie vestre, quarum decimationes in integrum ad vos*

B *pervenire concedimus. Decimas autem de loco, qui dicitur, Broilus, & de Braida de Roxaro, & de possessionibus Caxoti, vestro Hospitali concedimus, quas Caxotus ipsius loci patronus cum Imiza matre sua, eidem Hospitali, ut potuit, dedit. Decimas quoque illius partis fondi Marlaiice, que adheret fondo Leonis & fondo Lupoleti, concessimus & concedimus. Et insuper totam decimationem Policini Bonelli, excepta quarta parte Baptismalis Ecclesie, vobis in integrum habere concedimus in mandato Pauperum expendendas.*

Finem verò preterea vobis facimus de controversia & lite, que mota fuit inter Episcopum Grifonem & vestram Ecclesiam de terris, sive C *vineis in pertinentiis Ficaroli positis, ut deinceps illas sine vestra, vestrorumque successorum molestia retineatis. Ecclesiam juxta Salariam in loco, qui dicitur Valliano, in honore Sancte Crucis, aliorumque Sanctorum, edificare & habere vobis concedimus.* Immunitates verò seu libertates tam in hominibus habitantibus in possessionibus vestris, quàm aliis defensionibus, quas vobis illustris memorie Lotharius Romanorum Imperator, & Ferrarie Consules concesserunt, & scriptis suis firmaverunt, nos nihilominus confirmamus. *Sepulturam quoque illius loci liberam esse petentibus decernimus, maxime Caxoti familie vel Masnade, ut nullus, nisi excommunicatis vel interdictis, ob-* D *sistere audeat. Quem locum usque ad viam de Portu Zambani, & possessiones vestras in Zunizano usque ad locum, qui dicitur Viciaaria, in paludibus ipsius Zunizani, & vestri juris allodium Policina Sancti Laurentii, a rupta usque ad aggeres, & a terra de Vedraria usque ad vias de Casis Longobardorum, & duos Mansos, & quinque bubulcas terre, restitutos Ecclesie vestre pro offensa ab hominibus de Ficarolo, in loco, qui dicitur Lupatessa; atque glara, & terras nostras & vineas, pertingentes ad Fossam, que currit ad Finales, & unum ex his campis, qui adheret jam dicte Fosse & aggeri, cui inheret locus vestre habitationis, cum omnibus aliis vestris possessionibus & suis pertinen-* E *tiis, ejusdem loci Religiose institutioni illibate permanere presentis Privilegii sanctione stabilimus. Possessiones verò, quas Casotus cum Imiza matre sua Ecclesie vestre dedit in Salarie pertinentiis, & venerabilis* Innocentius Papa *concessit, quantum ad nos pertinet, comprobamus.* Ordinationes Clericorum, Consecrationes Altarium, seu Basilicarum, & omnia Sacramenta Ecclesiastica, a quocumque Catholico Episcopo recipere licentiam habeatis, nisi

Episcopus Ferrarie, qui pro tempore catholicus fuerit, hec omnia vobis gratis & canonice dare voluerit, quemadmodum bone memorie Landulfus Ferrarie Episcopus constituit, nullo sibi, nec Successoribus suis in Ecclesia vestra dominio reservato. *Decimas quoque totius fundi de Miciana, preter quartam partem majoris Canonice, & omnium Parochianorum Ecclesie Sancti Syri, quas Grifo venerabilis Episcopus antecessor meus prefate Ecclesie, que juris vestri est, rationabiliter dedit, & proprio scripto firmavit: predictam verò Ecclesiam Sancti Syri cum sua Parochia his finibus terminatam, ab Androna, que pergit juxta Burgum quondam Guidonis Armilisii Garconis, extendi pronuntiamus, que prope Padum est juxsta Rizolum, & sursum usque ad domum Johannis de Urbizano, confirmamus.* Antiquas & rationabiles consuetudines, quas eadem Ecclesia Sancti Salvatoris in Letaniis, sive aliis modis juste habere cognoscatur. Porro sanis, sive infirmis penitentias dare, & fidelium oblationes & bona ad utilitatem vestre Ecclesie recipere, Rodulfus Ortanus Episcopus, a beate memorie Innocentio Papa pro consecranda eadem Ecclesia directus, in ipsa consecratione cum jam dicto Landulfo Episcopo constituit, que nos quoque ex nostra auctoritate concedimus. Porro locus ipse, in quo Domino militatis, cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesie Sancti Fridiani, tamquam membrum capiti, subjectus existat semper. *Decernimus ergo, ut nulli omnino &c.*

Ego Presbiterinus Ferrariensis Episcopus *manu mea subscripsi.*

Ego Guido Ferrariensis Ecclesie Archipresbiter manu mea subscripsi.

Ego Magister Dominicus manu mea firmavi.

Ego Presbiter Petrus manu mea subscripsi.

Et ego Petrus divinâ gratiâ Ficaroliensis Notarius, rogatus a Presbiterino venerabili Ferrarie Episcopo, hoc Privilegium scribere, & sicut ipse mihi ore ad os precepit, scripsi, complevi, & dedi fideliter.

Præterea etiam post Sæculum Undecimum complura Monasteria numerabantur, fruentia quidem protectione Romanorum Pontificum, sed nondum a ditione Episcopi Diœcesani sejuncta. Ejus generis erat Anno Christi ML. Arretinum Monasterium Monachorum Camaldulensium Sanctæ Mariæ in Gradibus, uti fidem faciet Leonis IX. Papæ Bulla, quam ex Archivo ejusdem Cœnobii descripsi, curante Cl. viro D Guidone Grandio Abbate Camaldulensi, & doctissimo Mathematicæ Professore in Academia Pisana.

Leonis IX. summi Pontificis Bulla, qua Monasterio Sanctæ Mariæ in Gradibus Arretinæ Diœcesis omnia illius jura confirmat, Anno 1050.

LEo Episcopus *servus servorum Dei. Dilecto filio* Albizoni *religioso viro in Domino Deo omnium æternam salutem .... sub multa & incomprehensibili abysso judiciorum divinitatis inter Confrates & conservos nostros eminentiorem gradum adepti, tanto intentius cum timore & tremore nostram ipsorum salutem debemus, eis condescendendo & consulendo, incessanter operari, quanto certius scimus ..... dispositionis & actionis nostræ rationem posituros illi, cujus universæ viæ misericordia & veritas meritò creduntur, & videntur in omni administratione Mundi. Quapropter qui .... sapientibus & insipientibus debitores sumus, Doctoris gentium monita cogimur .... reddere cunctis, quæ si denegare minime debemus alicui externorum, nec in su .. quanto magis domesticis Fidei in interioribus, maxime cum id a nobis exigitur, quod Omnipotenti plurimùm placere nullo modo dubitatur? Quare karissime fili, quoniam humill. ...... Apostolicam & Magistram omnium Sedem, & prece nobis gratissimâ inculcasti, ut auctoritatis nostræ Præcepto tutaremus a quorumvis rapacitate, & hominum nequam infestatione, ac ...... Monasterium Beatissime Virginis matris Domini & Genitricis Dei Mariæ, situm in Aretina Diœcesi, in nullo ...... tuæ tam justæ petitioni, sed eidem optamus per omnia suffragari, nec denegandum tuæ Religiositati duximus* tutelam specialem, *qui omnibus debemus & .... Non enim parùm tibi in Domino congaudemus, quod Ecclesiam illic primitivam, & olim celeberrimam, sed peccatis facientibus jamdiu neglectam, & omnino derelictam, restruere, aliquantulumque reparare fueris conatus tam patrimonii seu beneficii tui, quàm etiam fratrum & consanguineorum tuorum, aliorumque religiosorum collationibus, quatinus inibi Deo deserviret perpetim Ordo Monasticus.* Quam utique Ecclesiam *quia* Conditor noster *inter alia innumera* nobilitavit & honoravit fracti Calicis & resolidati Miraculo, *atque gloriosi beati Donati Pontificis Martyrio, & nos eam gratanter honoramus nostræ Apostolicæ Sedis Precepto.* Salvâ itaque debitâ subjectione, quæ ex præfato loco Episcopum Aretinum jure solet attingere, *hujus nostri Præcepti tenore perpetualiter confirmamus & decreto sancimus quicquid idem Cenobium in rebus mobilibus vel immobilibus, tam tuâ quàm cujuscumque donatione in præsentiarum videtur possidere, & quicquid illic a piis adaugebitur aut donabitur in futuro tempore, ut nemo inde quicquam præsumat surripere, fraudare, alienare, minuere .... quovis ingenio prædicta inibi hactenus conquisita, & Deo propitio conquirenda servæ .... Monachorum ibidem Deo servientium utilitati, quos pro nullo alio Ordine Ecclesiastico permittimus aliquando perturbari, juxta Statuta sanctæ Calcedonensis Synodi, taliter hoc ipsum decernentis:* Quæ semel deo dicata sunt Monasteria consensu Episcoporum, maneant perpetuo Monasteria, & res, quæ ad ea pertinent, Monasteriis reserventur, *& cetera. Si quis autem præsenti nostro Decreto, a nobis pro Deo & secundùm Deum promulgato, contraire quolibet modo præsumpserit, & insuper si aliquas oblationes vivorum sive defunctorum præfato loco delegatas sibi vendicare, vel aliis contradere temptaverit, quasi sacrilegus & Deo rebellis, donec fortè resipiscat, districto anathemate se multandum Apostolica auctoritate noverit. Qui verò integre & devote illud observa-*

servaverit, nec consenserit sacrilegis, sed potius pro posse ac nosse suo restiterit, mereatur A *copiam supernæ benedictionis, & præmium sempiternæ salutis. Amen.*



Bene Valete.

Datum IIII. Kalendas Junias, per manum Petri Diaconi Bibliothecarii, Anno Domni Leonis Noni Papæ II. Indictione III.

Itaque loco illi sacro, *quem nobilitavit & honoravit fracti Calicis & resolidati Miraculum*, Leo Pontifex Privilegia ac patrocinium indulget, *salvâ tamen debitâ subjectione, quæ ex præfato loco Episcopum Arretinum solet attingere*. Sed quod plus est, etsi Cœnobia Libertatem integram una cum Ecclesia sua a ditione Episcopi consequuta videantur, ac pleno jure in sanctæ Romanæ Ecclesiæ censum translata, cui etiam annuum Censum eâ de caussâ persolvebant, nondum tamen Ecclesiæ ab eis possessæ penitus avulsæ erant a jurisdictione Episco- B porum. Certe a multis Sæculis Brixellense Monasterium Sancti Genesii, ab Attone Comite proavo Comitissæ Mathildis, secus Padum ædificatum, a Parmensis Episcopi potestate omnino exsolutum fuit. Attamen Sæculo Christi Duodecimo auctoritas Antistitis in Ecclesias ei subjectas illæsa servabatur. Legendas in hanc rem offero literas Anastasii V. Summi Pontificis, quas mihi suppeditavit Archivum Serenissimi Ducis Mutinæ, sub cujus ditione Brixellum, ejusque Cœnobium jacet.

Anastasii IV. Papæ Bulla, per quam Pacifico Abbati Brixellensi Sancti Genesii Privilegia antiqua confirmat, Anno 1153.


ANastasius Episcopus, *servus servorum Dei dilecto filio* Pacifico Abbati Monasterii Brixellensis, *ejusque Fratribus tam presentibus quàm futuris Regularem vitam professis in perpetuum. Quum omnibus religiosis locis atque personis debitores ex Apostolicæ Sedis auctoritate ac benivolentia existamus, illis tamen attentius providere nos convenit*, quos beati Petri juris esse non extat ambiguum. *Ut autem pro* Monasterio Sancti Genesii Brixellensis, *cui dilecte in Domino fili Pacifice Abbas Auctore Deo præesse dinosceris, paternâ vigilemus solicitudine, tanto amplior est nobis injuncta necessitas*, quanto ipse Locus ad jus & proprietatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ noscitur pertinere. *Ad exemplum itaque prædecessorum nostrorum felicis memoriæ* Paschalis & Innocentii Romanorum Pontificum, idem Cœnobium sub beati Petri tutela suscipimus, & tam ipsi, quàm ejus colonis libertatem præteritam conservantes, *Apostolicæ Sedis Privilegio communimus*. Statuimus enim, ut nullus Sacerdotum quamlibet exerceat in eodem Monasterio & adjacenti Villa potestatem, nec ulli eorum facultas sit, Locum ipsum, vel Monachos ejus, sive Clericos interdictioni vel excommunicationi subjicere. Chrisma, Oleum Sanctum, Consecrationes Basilicarum sive Altarium, Ordinationes Monachorum seu Clericorum, qui in eisdem Locis ad sacros sunt Ordines promovendi, a quo malueritis, Catholico Episcopo suscipiatis. *Obeunte verò te nunc ejusdem Loci Abbate, vel tuorum quolibet Successorum*, nullus ibi *qualibet surreptionis astutiâ seu violentiâ* præponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel C Fratrum pars consilii sanioris, de suo vel de alieno, si opportuerit, Collegio, *secundùm Dei timorem, & beati Bendicti Regulam*, providerint eligendum. Electus autem ad Romanum Pontificem consecrandus accedat. *Ad hæc presenti Decreto sancimus, ut quæcumque prædia, quæcumque possessiones seu bona a nobilis memoriæ* Attone Comite vel Marchione, *ejusdem Cœnobii fundatore, sive a filio ejus* Tedaldo, *vel suo nepote* Bonifacio, Marchionibus, & Bonifacii filia Matilda Comitissa, *singulari Apostolicæ Sedis filia, vel ab aliis fidelibus, juris ejusdem Monasterii de jure proprio collata sunt; quæcumque etiam in præsentiarum juste & legitime possidet, aut in posterum concessione Ponti-* D *ficum, oblatione fidelium, largitione Regum vel Principum, seu aliis justis modis, præstante Domino, poteris adipisci, firma tibi, tuisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Ecclesiam beati Michaëlis de Ferraria: Ecclesiam Sancti Christophori in Ponticelo: Ecclesiam Sancti Michaëlis in Maximatico: Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Gurzanetico: Ecclesiam Sancti Philippi in Bibiano: Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Caldone: Ecclesiam Sancti Georgii cum Curte: Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Gurgo: Ecclesiam Sancti Fabiani cum Curte: medietatem Curtis de Gavaseto, cum Capella Sancti Petri infra Castro: Curtem Sancti Martini cum Capella: Hospitale Sancti Laurentii in Calerno: jura* E *quoque vestra, quæ in Brixellensi Portu habetis: atque stratam Teutonicam, & theloneum, & usum, qui de ea exire solet: quicquid habetis in Gonzaga, Piconiaca, Castello-novo, in* Bu-

Butrioni , in Herbera , in Bletulo , in Sacca , in Capite Inciæ , & in Berupto : Curtem , quæ vocatur Mercorina : & dimidiam Curtem Pellani , cum Ecclesia Sancti Andreæ: Stedia, quæ adjacent Castris Godi, cum Ecclesia Sanctæ Mariæ in Caldune : & Rivalte, cum Portu in Mincio fluvio: Oliveta quoque in Comitatu Brixiensi , vel Veronensi . Sane laborum vestrorum , quos propriis manibus , aut sumtibus colitis , sive de nutrimentis vestrorum animalium , nullus omnino a vobis Decimas exigere presumat . Si qua autem libera & absoluta persona in vita vel in morte , pro redemtione animæ suæ, vestro Monasterio se conferre voluerit , salvâ justitiâ matricis Ecclesiæ , *eam suscipiendi facultatem liberam habeatis . Nulli ergo omnino hominum fas sit , præfatum Monasterium temere perturbare , aut ejus possessiones auferre , vel ablatas retinere , minuere , vel aliquibus vexationibus fatigare ; sed omnia integra conserventur , eorum , pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt , usibus omnimodis profutura:* Salvâ in supradictis Ecclesiis Diœcesani Episcopi canonicâ justitiâ. Ad indicium autem perceptæ

A a Romana Ecclesia Libertatis , aureum Bizantium quotannis nobis , nostrisque Successoribus persolvetis, *quemadmodum a supradicta Matilde Comitissa in oblationis est chirographo institutum: ut juxta ejus devotionem*, Brixellensis Monasterii Fratres ab omni secularis servitii sint infestatione securi , omnique gravamine mundanæ oppressionis remoti , nulli alii , nisi Romanæ & Apostolicæ Sedi , cujus juris idem locus est , aliqua teneantur occasione subjecti. *Si qua igitur in futurum Ecclesiastica , Secularisve persona hujus nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit , secundo tertiove commonita si non satisfactione congruâ emendaverit , potestatis honorisque sui*
B *dignitate careat , reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat , & a sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemtoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat . Conservantes autem , intervenientibus beatorum Apostolorum Petri & Pauli meritis , omnipotentis Dei gratiam & æternæ felicitatis præmia consequantur . Amen , amen , amen .*



Ego Anastasius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus *subscripsi.*



✠ *Ego Imarus Tusculanus Episcopus subscripsi .*
✠ *Ego Gregorius Presbyter Cardinalis titulo Calixti subscripsi .*
✠ *Ego Manfredus Presbyter Cardinalis titulo Sanctæ Savinæ subscripsi .*
✠ *Ego Aribertus Presbyter Cardinalis titulo Sanctæ Anastasiæ subscripsi .*
✠ *Ego Julianus Presbyter Cardinalis titulo Sancti Marcelli subscripsi .*
✠ *Ego Octavianus Presbyter Cardinalis titulo Sanctæ Cæciliæ subscripsi .*
✠ *Ego Altaldus Presbyter Cardinalis titulo Sanctæ Priscæ subscripsi .*
✠ *Ego Odo Diaconus Cardinalis Sancti Georgii ad Velum aureum subscripsi .*
✠ *Ego Jacintus Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Cosmidin subscripsi .*

Datum Laterani per manum Rolandi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis Cancellarii , Quinto Idus Decembris , Indictione Secunda , Incarnationis Dominicæ Anno MCLIII. Pontificatus verò Domni Anastasii IV. Papæ Anno Primo .

C Quàm multa Brixellensi Abbati largitus sit Romanus Pontifex , heic vidimus , & præsertim *ad indicium perceptæ a Romana Ecclesia Libertatis* , aurei Byzantii pensionem indici . Nihil tamen tanta immunitas obstitit, quin apponeretur & ea clausula , *salvâ in supradictis Ecclesiis Episcopi canonicâ justitiâ* . Verùm explicanda hæc sunt ex iis, quæ in Dissertatione LXIV. *de vario statu Diœceseon* jam animadverti . Scilicet nulla Episcopo Parmensi relicta fuerat potestas sive jurisdictio in Brixellense Monasterium , atque in Baptismalem Ecclesiam ejusdem loci . At quandoquidem eidem Monasterio suberant aliæ Ecclesiæ Parochiales , aut
D Oratoria in Parmensi , Regiensi , Ferrariensi &c. Diœcesibus , Pontifex intactum vult jus suum Episcopis in easdem Ecclesias, uti Concilium Claromontanum antea constituerat . Cujus etiam moris exemplum alterum adferam . Nemini certe suberat Padolironense Monasterium Sancti Benedicti ad Padum in agro Mantuano, uti in ejus Historia Bacchinius ostendit . Quod etiam confirmatum vidi per Diploma nondum vulgatum Henrici inter Augustos Quarti , datum Anno MCXXIII. Aquisgrani , in quo præcipitur, *ut nulla Clericalis vel Laicalis persona aliquam dominationem , aut ullum penitus prælationis jus in præfato Monasterio Sancti Benedicti , præter Romanum Pontificem , & Imperatorem, in perpetuum requirat* . Attamen quia sitæ erant in Diœcesi Regiensi nonnullæ Ecclesiæ, ad ejus Cœnobii jura spectantes, propterea *Henricus Abbas* ab Episcopo Regiensi confirmationem petiit earum , quam etiam impetravit , sed ita ut Clerici earumdem Ecclesiarum *Chrisma, Oleum Sanctum , & Ordines* ab Ecclesia Regiensi acciperent , & pensio annua Episcopo solveretur. Chartam Lectori exhibeo depromtam ex Tabulario Reipublicæ Regiensis.

Adelberius

Adelberius Regiensis Episcopus Monasterio Padolironensi Sancti Benedicti, nonnullas Ecclesias & jura confirmat, Anno 1140.

Quoniam nullis nostris præcedentibus meritis, sed solâ suâ dispositione & vocatione ad Pontificalis dignitatis regimen Omnipotentis misericordia nos sublimavit, ideo ne creditam nobis a Deo dispensationem non tam spiritualiter exercere, quàm temporalia lucra videamur cumulare: scientes, nos quantò majora ceteris in Mundo a Domino dona suscipimus, tantò ei in futuro examine districtius pro donorum ipsorum multiplicatione rationem reddemus. Ideoque nos Adelberius *scilicet* sanctæ Regiensis Ecclesiæ Antistes *tam pro peccatorum nostrorum, atque Prædecessorum, Successorumque nostrorum remissione, tum pro totius Populi æterna salute, tum quorumdam Fratrum & fidelium nostrorum consilio & petitione; tum quia sanctam religionem* Monasterii Sancti Benedicti juxta Paudum *cognoscimus assuetæ paupertatis Christi imitatores, non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, quærentes scimus; tum quod scripturâ Prædecessorum nostrorum, venerabilium scilicet* Heriberti, *&* Bonisenioris, *atque* Adelelmi *legimus & vidimus:* Abbatis prædicti Cœnobii Dompni Henrici, *&* Donni Guilielmi Prioris, *ceterorum Fratrum precibus annuentes, eisdem suisque successoribus Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Villolis, cum omnibus Decimis, & pertinentiis, & oblationibus, & universis ab ea detentis, imperpetuum habendam concedimus & confirmamus. Eodem quoque modo Monasterium Gonzagæ cum suis Cappellis, quas in nostro Episcopatu detinet, cum omnibus Decimis & primitiis & oblationibus, & universis, quæ detinere videtur, imperpetuum concedimus & confirmamus. Ad hæc etiam Ecclesiam Sancti Sirti de Lecto Paludano, & omnes Ecclesias, quas præfatum Monasterium Sancti Benedicti supra* Paudum *vel per se vel per suas obedientias in nostro Episcopatu detinet, cum omnibus Decimis & oblationibus, & universis ab eisdem detentis, imperpetuum concedimus & confirmamus. Insuper & Decimas omnium terrarum, quas idem Monasterium, & ejus obedientiæ vel per se vel per suos homines runcarunt, aut deinceps runcaturi sunt, ut habeat & fruatur sine omni nostra, nostrorumque Successorum contradictione, imperpetuum concedimus.* Præterea eorum Clerici, qui ibi habitant, ad Sinodum nostram veniant, & Crisma & Oleum Sanctum, similiterque Ordines a nobis accipiant. Per unumquemque annum in Assumptione Sanctæ Mariæ, vel infra ejus Octavam, secundùm bonæ memoriæ Prædecessoris nostri Bonsegnoris, quinque Solidos Lucensis monetæ nobis & nostris Successoribus, vel nostris

A Legatis persolvat. *Et si per ignorantiam aut oblivionem evenerit, ut in præscripto termino non persolvantur, post tertiam admonitionem emendare non differant. Si quis verò hoc Præceptum nostrum, quod absit, infringere tentaverit, aut Monasterium ex hac nostra concessione molestare voluerit, sciat se pœnam decem Librarum auri debere persolvere eidem Monasterio, hoc tamen scripto in suo robore permanente. Et ut hoc verius credatur, propria manu subscripsimus, & testes adesse rogavimus, & Martinum Regensem Notarium scribere jussimus, in præsentia* Domini Gualterii Archiepiscopi, *& Canonicorum.*

B *Actum Regii in Canonica Sanctæ Mariæ, Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Centesimo Quadragesimo, mediante Mense Martio, Indictione Tertiâ, & in die ejusdem Domini Adelberii consegrationis, feliciter.*

Ego Alberius Reginus Episcopus.
Ego *Ogerius Archipresbiter subscripsi.*
Ego *Achilles Archidiaconus subscripsi.*
Ego *Johannes Presbiter subscripsi.*
Ego *Presbiter Albericus subscripsi.*
Ego *Guilielmus Presbiter subscripsi.*
Petrus Diaconus subscripsi.
Petrus Magister Scolarum subscripsi.
Ego *Albertus Causidicus Regensis Pontificis Alberii rogatus subscripsi.*

C *Rogati testes interfuerunt Ubaldus Palearis, Bonefilius Agneli, Albertus filius Petri, Coarus Soli, Johannes Bonus filius Romanelli.*

Ego *Martinus Notarius Palatinus rogatus interfui, scripsi, complevi, ac dedi.*

Ego *Jacobinus, qui vocor Salustius* Domini Henrici Imperatoris *Notarius, autenticum hujus exempli vidi, legi, & ut in eo continebatur, in hoc scripsi, nichil addens vel minuens, præter quàm in compositione litterarum vel silabarum, & signum, prout melius potui, formavi.*

Sed & Antecessores ejusdem Abbatis similem confirmationem impetrarant ab *Heriberto, Bonseniore*, & *Adelelmo* Regiensibus Episcopis. Cujus rei testis quoque est Constitutio CLI.

D Tomi 2. Bullar. Casinensis: Bulla scilicet Gualterii Archiepiscopi Ravennatis, confirmantis eidem Monasterio quæcumque bona ad illum spectarent in Regiensi Diœcesi. Quibus autem honoribus in ejusmodi Ecclesias Monachorum exciperentur Episcopi, palam faciet Charta nondum edita, quæ ex veteri membranâ Episcopii Laudensis per Puricellium Cl. virum olim descripta fuit.

Olricus

Olricus Archiepiſcopus Mediolanenſis in Placito habito Mediolani litem dirimit inter Epiſcopos Laudenſem, & Terdonenſem de duobus Monaſteriis, quæ ſibi quiſque tribuebat, Anno 1125.

Dum in Dei nomine, in Civitate Mediolani in Broleto juxta domum Archiepiſcopatus, Olricus Archiepiſcopus judiciario more reſideret, præſentia Domni Azonis Aquenſis Epiſcopi, & Ordinariorum Sanctæ Mariæ matris Eccleſiæ, & aliorum Presbiterorum Mediolanenſis Civitatis, & Girardi Judicis, ac reliquorum bonorum hominum tam Capitaneorum, quàm Vavaſſorum, ſeu Civium Mediolanenſium, atque Laudenſium, quorum nomina ſubtus leguntur: perlata eſt querela & diſcordia, quam habebat Ardericus Epiſcopus Laudenſis Eccleſiæ cum Epiſcopo Petro Terdonenſis Eccleſiæ, de poſſeſſione videlicet Monaſteriorum de Precipiano & Savinione, quam dicebat Laudenſis Epiſcopus ab Epiſcopo Terdonenſi injuſte detineri; dicens & aſſerens, prædicta Monaſteria ac res ad eadem pertinentes tam mobiles quàm immobiles, ſeu familias eſſe de jure & poteſtate Epiſcopatus Sanctæ Laudenſis Eccleſiæ juxta Præcepta Regum atque Imperatorum; in quibus continebatur, prædicta Monaſteria cum jam dictis omnibus rebus ac familiis eſſe data & conceſſa ab Imperatoribus & Regibus Laudenſi Epiſcopio, ita ut Laudenſis Epiſcopus haberet poteſtatem regendi & ordinandi præfata Monaſteria, ſicut ſua propria Monaſteria, quæ ſunt ſub ſuo regimine & poteſtate conſtituta. Inſuper & dedit & oſtendit jam dictus Laudenſis Epiſcopus tres legales teſtes jam dicto Archiepiſcopo, ſuiſque Conſiliariis, Arialdum ſcilicet, qui dicitur de Melegnano, & Ribaldum, qui dicitur de Fingino, & Albertum, qui dicitur de Buxeto: teſtificantes, ſe vidiſſe Opizonem Laudenſem Epiſcopum in Monaſterio Precipiani tamquam proprium Epiſcopum ac Dominum eſſe ſuſceptum a Guidone Abbate, & Monachis ejuſdem Monaſterii, cum honeſta & plenaria proceſſione, cum campanis utique ſonantibus, cum aqua benedicta, & incenſo, in tempore Oddonis Terdonenſis Eccleſiæ in Epiſcopum electi: & omnia ibidem ſupraſcriptum Epiſcopum Opizonem diſponentem & morantem, tamquam in domo ſua, & placita inibi tenentem, datis clavibus Canevæ, aliarumque domorum ſupradicti Monaſterii Miniſtris & fidelibus Opizonis Epiſcopi. His ergo omnibus a prædicto Archiepiſcopo viſis & cognitis, & diligenter auditis, dedit ſententiam Domnus Archiepiſcopus, ut Epiſcopus Laudenſis omnimodam poſſeſſionem, & integram evitionem deinceps habeat, ſicuti Imperatores habuerunt, & in jam dictis Præceptis continebatur, & ſicut jam dicti teſtes teſtificati ſunt; tali modo interdicens Epiſcopo Terdonenſi atque præcipiens, ut amodo ſe non intromittat, neque per albergariam neque per fodrum neque per aliquam conditionem rerum ſecularium iſtorum Monaſteriorum, neque de eorum poſſeſſionibus. Sed ipſe Epiſcopus Laudenſis noſtro Præcepto, noſtrâque ſententiâ in poſſeſſionem intret, & deinceps poſſeſſor exiſtat ſine contradictione Epiſcopi Terdonenſis, tali modo quod ipſe Epiſcopus Laudenſis ſit paratus reſpondere Epiſcopo Terdonenſi rationabiliter ante Mediolanenſem Sedem omni ſeculari jure, ſi eum appellaverit; & ipſe ſimiliter Epiſcopus Terdonenſis paratus ſit ante eamdem Sedem Epiſcopo Laudenſi de ſpirituali jure juſte & canonice reſpondere.

Factum eſt hoc Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Centeſimo Vigeſimo Quinto, Menſe Decembris, Indictione Quarta.

Ego Anſelmus Subdiaconus interfui & ſubſcripſi.

Ego Ambroſius Bergamenſis Epiſcopus hanc ſententiam laudavi & ſubſcripſi.

Ego Boſo Taurinenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Ribaldus Albenſis Epiſcopus firmavi & ſubſcripſi.

Ego Otto Albiganenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Anſelmus Archiepiſcopus ſubſcripſi.

Hujus ſententiæ teſtes fuerunt Ariprandus de Rode, Landulfus qui dicitur de Curte, Anſelmus Advocatus, Otto de Landriano, Landulfus de Puſterla, Otto &c. Azo Martinonis Marcheſe de Riolo &c.

Ego Olricus gratiâ Dei Archiepiſcopus hanc ſententiam conſilio Epiſcoporum, ac Cardinalium noſtræ Eccleſiæ, cum Primicerio, ceteriſque Sacerdotibus, & quampluribus ſapientibus Laicis promulgavi, & hanc notitiam fieri præcepi & manu propria ſubſcripſi.

Ego Landulfus indignus Aſtenſium Epiſcopus hanc ſententiam ratam & rationabilem judicans laudavi, & firmando ſubſcripſi, & ſubſcribendo firmavi.

Ego Anſelmus Subdiaconus interfui & ſubſcripſi.

Ego Ambroſius Pergamenſis Epiſcopus &c. (*)

Ego Litifredus Novarienſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Guido Yporienſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Obertus Cremonenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Johannes Abbas Sancti Ambroſii ſubſcripſi.

Ego Vivianus Abbas Sancti Vincentii interfui & ſubſcripſi &c.

Ego Orlenbaldus Cauſidicus autenticum hujus exempli ſcripſi præter literas plus minuſve.

Habes heic geminos eodem tempore Archiepiſcopos Mediolanenſes. Ne mirere: Olricus ordinarius erat: Anſelmus Coadjutorem agebat; uti in Præfatione ad Poëma Cumanum Tomo V. Rerum Italicarum animadverti. Simul etiam habes heic nonnullos Epiſcopos Mediolanenſi Metropolitæ tunc ſubjectos, qui ſententiæ Olrici Archiepiſcopi ſubſcripſere. Itaque ex his conſtat, Laudenſem Epiſcopum Opizonem in Monaſterio Præcipiani ſibi ſubjecto ſuſceptum fuiſſe a Guidone Abbate, & Monachis ejuſdem Monaſterii cum plenaria & honeſta proceſſione, cum campanis utique ſonantibus, cum aqua benedicta & incenſo. Alia quoque dominationis acta ibi Epiſcopus idem exercuit,

(*) Heic rurſus repetuntur ſubſcriptiones Bergomenſis, Albenſis, Taurinenſis & Albiganenſis Epiſcoporum.

euit, tamquam in domo sui juris, ita ut jam videas, quæ ratio tunc haberetur potestatis & venerandæ auctoritatis Episcoporum. Addo & alterum juris Episcopalis servati indicium, pergamenam videlicet Ferrariensem ex Annalibus MStis Peregrini Prisciani depromtam.

Landulphi Episcopi Ferrariensis Constitutio, in qua decernitur, ad quem spectet in Ecclesiis & Monasteriis illius Civitatis ad defunctorum corpora Missam majorem celebrare, Anno 1110.

A*Nno Dominicæ Incarnationis Millesimo Centesimo Decimo, in Palacio beati Georgii actum. Breve recordacionis, quod ego* Landulfus *per Dei gratiam* Ferrariensis Episcopus, *& omnes Canonici, nostreque Civitatis Clerici, communi consilio statuimus, videlicet, ut in quacumque Ecclesia, vel* Monasterio nostre Civitatis ad defuncti corpus fuissemus, si Episcopus interesset, quod ipse Majorem Missam celebrare debebat. Si verò non adesset, Canonicorum majoris Ecclesie foret Missa & Officium. Si autem neque Episcopus, neque Canonici afforent, Misse majoris ministerium sibi sument ad celebrandum, *excepto in Cenobio Sancti Bartholomei, & Sancti Silvestri, atque Romani, quod ideo fuit eis concessum, quia talis Conventus est*, qui Regulam & Ordinem servant. *Dompno Antonio Sancti Bartholomei Abbate, nec non Dompno Johanne de Pinerolo Sancti Romani Priore, Dompno Johanne de Bersello Sancti Michaëlis Priore, Adelmario Priore Sancti Nicolai, Dompno Michaële Priore Sancti Johannis, consentientibus & jubentibus, Gisone Archipresbitero sancti Conventus & Congregationis Sancti Johannis, Presbitero Petro Sancte Crucis, Presbitero Petro de Vigarano cum omnibus Confratribus suis, Johanne Archipresbitero Coparii de Congregatione Sancti Clementis, Presbitero Tebaldo, Presbitero Martino Sancti Vitalis, & Petro Diacono cum omnibus confratribus suis, Archipresbitero Petro Sancti Georgii, morante apud Sanctam Mariam* B *de Bucco, Presbitero Martino Sancti Martini, Presbitero Petro Sancti Petri, & Presbitero Romano Sancti Stephani cum omnibus Confratribus suis presentibus, consentientibus & jubentibus.*

Ita videas, Nonantulanum celebre Mutinensis agri Monasterium insignibus Privilegiis a Sancta Sede munitum fuisse. Nihilo tamen secius, ut habetur in Bulla Eugenii III. Papæ Anno Christi MCXLV. scripta ad Theobaldum Veronensem Episcopum Tomo V. Ital. Sacræ: *Jus Parochiale in Plebem de Nogaria* eidem Episcopo confirmatum fuit, *sicut per concordiam inter te & Nonantulanum Abbatem, præsentiâ nostrâ factum determinante, statutum est.* At ego nihil heic dissimulatum volo. Eodem Sæculo agitata est controversia de Parochiali C Ecclesia Cicognariæ inter *Obertum Cremonensem Episcopum*, & *Richildam Abbatissam* nobilissimi Monasterii Brixiani Sancte Juliæ, coram *Alberio Episcopo Regiensi*, cui a Sede Apostolica, ut ajunt, delegata fuerat caussæ cognitio. Sententiam tulit Regiensis Antistes, jusque in eam Ecclesiam Cremonensi adjudicandum censuit. Verum alia fuit Romanæ Curiæ sententia, quod Brixianum Asceterium Privilegio Sanctæ Sedis munitum foret. Digna est integra Charta, quæ legatur, quum multa ad eorum temporum disciplinam & mores offerat. Eam e Tabulario ipsius Monasterii Sanctæ Juliæ, ubi autographum adservatur, descripsi.

Eugenii III. Bulla, quâ controversia antea agitata ab Abbatissa Monasterii Brixiani Sanctæ Juliæ contra Episcopum Cremonensem propter Ecclesiam de Cicognaria coram Episcopo Regiense, demum dirimitur, Anno 1152.

EUgenius Episcopus *servus servorum Dei, dilecte in Christo filie* Richilde Abbatissæ Monasterii Sanctæ Juliæ, *salutem & Apostolicam benedictionem. Ad hoc in sede justitiæ, disponente Domino, aliis presidemus, ut singulis Ecclesiis & personis Ecclesiasticis sua jura servantes, si qua inter ipsas fuerit orta dissensio, fine debito terminemus. Controversiam igitur, quæ inter te, & venerabilem fratrem nostrum* Obertum Cremonensem Episcopum *super Ecclesia de Cicognaria versabatur, ad petitionem ejusdem Episcopi venerabili fratri nostro* A. Regino Episcopo *commisimus terminandam. Qui itaque parte in presentia sua constituta, & allegationibus ac rationibus hinc inde diligenter auditis & cognitis, multorum sapientum consilio requisito, talem super eadem controversia sententiam promulgavit, ut videlicet* homines de quatuor Villis, scilicet Casali, Villa Ravennensium, Gurgo, & Scurolo, qui antiquitus consuerunt venire ad Ecclesiam de Cicognaria, sicut ex prolatione testium utriusque partis præcepimus, decreto veniant, & spiri- D tualia ab eâ accipiant. De Ecclesia verò de Cicognaria ita dicimus. Quatinus Abbatissa Sacerdotem eligat, & ibi ponat, ita tamen, quod Episcopo representet, & ab eo curam animarum accipiat. Quartam verò partem decimarum, sicut hactenus Ecclesia de Cicognaria tenuit, ita decreto teneat. Crisma, Oleum sanctum a Plebe Casalis Majoris recipiat. Ad Capitulum & Letaniam eat. Publicos Penitentiales illuc ad penitentiam recipiendam deducat. Temporalem amministrationem Abbatissæ adjudicamus. Ecclesiam verò, que ad lesionem veteris Ecclesie contra auctoritatem noviter constructam cognovimus, ad evitandum etiam futurum scandalum, eam removendam esse E censemus. Sententiam Domni Ariberti de Ecclesiis de Calvatone atque Alfiani, minime retractamus. *A qua sententia predictus frater noster Obertus Cremonensis Episcopus ad nostram sententiam appellavit. Utrâque igitur parte in nostrâ presentiâ constitutâ, & allegationibus ac rationibus vivâ voce nobis coram propositis & actis, allegationes & attestationes utriusque*

partis

partis continentibus nobis a memorato fratre nostro Regino Episcopo sub suo sigillo transmissis, diligenter inspectis, & sepius a nobis relectis, cognovimus sententiam ipsam in maxima sui parte contra Privilegia Sedis Apostolicæ, Monasterio Sanctæ Juliæ indulta, fuisse prolatam. In Privilegio namque Pauli Papæ *ita inter cetera legimus*: Igitur quia postulatis a nobis, quatenus venerabile Monasterium Domini Salvatoris nostri Jesu Christi, situm infra Civitatem Brixiam, quod noviter fundare visa est Ansa excellentissima Regina, Privilegiis Sedis Apostolicæ infulis decoretur. concordantibus nobis reverentissimis Episcopis nostris, ex communi assensu statuere decrevimus, ut prefatum Monasterium Domini Salvatoris, cunctaque Monasteria cum universis Basilicis ad se pertinentibus, que a piissime Anse jure constructa esse noscuntur, Apostolicæ Sedis Privilegii, cui Deo auctore deservimus, infulis decoretur. *Et infra*: De çujus insuper Monasterii uniuscujusque Abbatissæ consecratione sanciri communiter decrevimus, ut sibi liceat a quocumque & de quacumque Civitate voluerit, Episcopo consecrari. Cujuscumque verò ordinis Clerici ejusdem Abbatissæ rogatu similiter a quocunque, & de quacunque Civitate voluerit, Episcopo expetantur vel conserventur. Quibus etiam licentiam concordi institutione concessimus, Crisma tempore baptismatis, & Oleum ad exercenda divina Mysteria, seu cujuscumque specialis negotii subsidium, a quocumque Episcopo, cum res exigit, Apostolicâ largitione percipere. *Et in Privilegii predicti serie sic invenimus*: Crisma, Oleum Sanctum, Consecrationes Altarium, sive Basilicarum, Ordinationes Abbatissæ, vel Monacharum, seu Clericorum vestrorum, qui ad sacros fuerint Ordines promovendi, seu quicquid ad sacrum ministerium pertinet, a quibuscunque malueritis, Catholicis suscipiatis Episcopis. *Quod igitur in predicta sententia contra Apostolicæ Sedis Privilegia continetur, ad normam rectitudinis revocare volentes, sicut superius diximus, Privilegiis diligenter inspectis & allegationibus utriusque partis sepe ac plene auditis & cognitis, & attestationibus crebro perlectis, communicato Fratrum nostrorum consilio judicavimus, ut in* Ecclesia de Cicognaria juxta Privilegiorum tenorem per te Presbyter eligatur, & ibidem ponatur. Crisma quoque, Oleum sanctum, & cetera spiritualia idem Presbiter tam in se, quàm in sibi subditis, a quocunque voluerit Episcopo Catolico, & gratiam Apostolice Sedis habenti, suscipiet. Plebi verò de Casali Majore in nullo subjacebit. *Omnes homines de quatuor Villis, Casali videlicet, Villa Ravanensium, Gurgo, & Villa de Scurolis, excepto Banno, & Lombarello, & familia Camparelli, Lupuli, atque Alberti Ferrarii, ad prædictam Ecclesiam de Cicognaria tam vivi quàm etiam mortui pro percipiendis cunctis spiritualibus vadant. De Villa autem de Barcello, Stephano de Aggere, Modelena, & Osberti, & Doctore, & Barbalongi, & quatuor Casæ de Barcello, & Petrus Abbas & cognata sua, in eâdem Ecclesiâ de Cicognariâ sepelientur. Pro ceteris verò divinis tam ipsi, quàm ceteri ejusdem Villæ homines, ad Ecclesiam de Fossa Capraria percipiendis ibunt. Ecclesia de Cicognaria Decimarum quartam partem, sicut hactenus tenuit, semper possideat. Edificium etiam sub Ecclesiæ nomine contra sacros Canones, & novi operis denuntiationem, infra Parrochiam de Cicognaria, in veteris Ecclesiæ dampnum constructum, destruendum penitus judicavimus. Si verò necessitas hominum Villæ de Barcello exegerit, inter eandem Villam & Fossam Caprariam extra Parrochiam de Cicognaria Cremonensem Episcopum Ecclesiam edificare permittimus. Ne igitur Parrochiarum fiat confusio, presenti decreto, Apostolicæ Sedis auctoritate, statuimus, ut quicunque de supradictis Parrochiis de una ad aliam domicilium suum transtulerit, ab illa Ecclesia omnia divina percipiat, ad cujus Parrochiam domicilium transtulisse constiterit. Nulli ergo omnino hominum liceat hujus nostræ diffinitionis paginam temerario ausu infringere, seu quibuslibet molestiis perturbare. Si quis igitur in futurum adversùs ista presumpserit, secundo tertiove commonitus, nisi in presumptione suâ dignâ satisfactione correxerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus incurrat, atque in eterno examine districte ultioni subjaceat.*

Datum Signie V. Idus Junii, Indictione XV.

Locus Sigilli ✠ appensi deperditi.

Laudatur in hisce tabulis Bulla Paulli I. Pontificis, a Margarino evulgata Tom. 2. Bullar. Casinens. Constitut. 9. cui innituntur primordia exemtionis Parthenonis Brixiani. Sed uti jam libere fassus sum in Dissertatione LXIV. quoties mihi occurrunt tam antiquæ Libertatis sive Immunitatis Privilegia, hæreo e vestigio, & insidias veritus, quid certi statuam non habeo. Mihi in ea Paulli I. Bulla Notæ Chronologicæ tenebras creant. Nempe dicitur *Data VII. Calendas Novembris, Imperante Domno Augusto Constantino a Deo coronato Magno Imperatore, Anno XXIII. sed & Leone Imperatore filio ejus, Anno X. Indictione Primâ*: hoc est Anno Christi DCCLXII. si a Septembri Indictio nova deducta est: aut Anno DCCLXIII. si eadem a Kalendis Januariis exordium sumsit. Labbeus Tom 6 Concilior. pag. 1689. ejusdem Paulli I. literas profert, scriptas *Nonis Februarii, imperante Domno piissimo Augusto Constantino a Deo coronato Magno Imperatore, Anno XL. & Post Consulatum ejus Anno XX.* (sive XIX) *sed & Leone Imperatore ejus filio Anno VII. Indictione XII.* Est & altera ejusdem Paulli I. Papæ Bulla apud Labbeum, cui subscripsere complures tum Episcopi tum Cardinales sanctæ Romanæ Ecclesiæ, *Data IV. Nonas Junii, Imperante Domno Constantino Augusto a Deo coronato Magno Imperatore, Anno XLI. ex quo cum patre regnare cœpit, & Post Consulatum ejus Anno XXI. Indictione XIV.* Lector, quæso, Acta hæc, sive hasce Notas componat cum monumento Brixiano, atque decernat, an rite omnia pergant. Sed fortasse Margarinus, in aliis parùm accuratus, ne heic quidem pergamenam rite descripserit. Unum tamen superest, quod me magis dubium hac in re efficit. Nimirum Paulli I. Privilegio subscribunt *Apollinaris, Otto, Julianus, Felix*, & alter *Felix*, Episcopi omnes e Provincia fortassis Aquilejensi, quum sint ii ipsi, qui Privilegio subscribunt Sigualti Patriarchæ, edito in eodem Bullario Casinensi, & dato, ut ibi legitur, *Anno Desiderii Regis XVI. & Adelgis XIV. Indictione XII. Tertio Idus Octobris*; hoc est Anno Christi DCCLXXII. vel DCCLXXIII. quamquam ne istæ quidem Notæ omnis vitii expertes dicendæ sint,

Nescio,

Nescio, an iis temporibus in usu esset, (quod Sæculo præcipue Duodecimo usurpatum fuit) ut Bullis ejusmodi subscriberent Episcopi. Attamen id statue, ut lubet: certe mos fuit, ut ad Romani Pontificis decreta accederet subscriptio Episcoporum Romanæ Provinciæ, & Cardinalium. Cur ergo heic Episcopi alienæ Provinciæ se ingerunt? Quei Romæ illi simul versantur, iidemque numero, qui decem post annos Sigualti Patriarchæ tabulas pro eodem Brixiano Parthenone emissas confirmant? Insuper quei verbis plane iisdem utrique Chartæ subscribunt? Episcopos autem illos Aquilejensi Provinciæ ego tribui, sed tantummodo divinans: nunc ajo, nullum mihi eorum vestigium usquam occurrere, quamquam Sigualtus scribat, se Privilegium illud concedere, *concordantibus nobis reverentissimis Episcopis nostris*: & Paullus Papa itidem affirmet, se id fecisse, *concordantibus nobis reverentissimis Coëpiscopis nostris*. Nam quod Mabillonius in Annalib. Benedictinis ad Annum DCCLXXII. *Apollinarem Regiensem, Julianum Placentinum* Chartæ illi subscripsisse dixit, divinando dixit. Et quid rei erat Regiensi & Placentino Episcopis cum Patriarcha Aquilejensi? Denique petendum superest, cur a Sigualdo Patriarcha impetratum est Privilegium illud, cui nihil juris erat in Brixianam Diœcesim; & non potius a Mediolanensi Archiepiscopo, cui suberat Brixiana Diœcesis, aut ab aliis Archiepiscopis, in quorum Provincia sita erant alia Templa ac Monasteria, Brixiano Asceterio addicta. Utcumque tamen sit, e tabulis nuper a me prolatis didicimus, Anno MCLII. probatum fuisse Romæ Privilegium Paulli I. Papæ, tamquam legitimum monumentum, nullumque memorari jus relictum Cremonensi Episcopo in Ecclesiam Cicognariæ: quod profectò cum Decretis Claromontani Concilii, aliisque literis Pontificiis consentire minime videtur. Ceterum etiam post illa tempora multorum Episcoporum jura viguisse deprehenduntur in Monasteria & Monachos, ac præcipue Mediolani. Vertebatur lis inter Abbatem Monasterii Mediolanensis Sancti Celsi, & Præpositum Plebis de Brebia, subjectum Mediolanensi Archiepiscopo. Per concordiam sublata illa fuit, servato jure Præpositi in Ecclesiam Monasterio obnoxiam. Tabulas ejusmodi sententiæ descripsi ex Adversariis MStis Puricellii Viri Clariss. in Ambrosiana Bibliotheca adservatis.

Concordia inter Johannem Abbatem Sancti Celsi Mediolanensis & Lanfrancum Præpositum Plebis de Brebia, in lite de duabus Ecclesiis, facta Anno 1152.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Recordatio concordiæ, quæ facta est super controversia inter Johannem Monasterii beati Celsi Abbatem *&* Lanfrancum Plebis de Brebia Prepositum *diutius agitatâ. Discordia autem hæc erat. Asserebat siquidem Lanfrancus, Ecclesiam Sancti Salvatoris de Ispira, & Ecclesiam beatorum Martyrum Ipoliti & Cassiani de Gomera, ad Plebem de Brebia spectare, eique tamquam capiti, & Capellæ suæ matrici Ecclesiæ obedire debere, quod Abbas omnino diffitebatur. Idcirco Domini Obitius Archipresbiter, Galdinus Archidiaconus, Jordanus & Algisius Diaconi Mediolanensis Ecclesiæ, volentes hanc litem amicabili pacto decidere, acceptâ ab utrâque parte securitate, quod suo obedirent mandato, super ipsa discordia talem fecerunt transactionem. Prefatus Prepositus de Brebia Ecclesiam Sancti Salvatoris de Ispira, & ea, quæ ipsius Ecclesiæ sunt, de cetero habeat & teneat, & in sua, suorumque ordinatione & dispositione libere permaneant. Prædictus verò Abbas, ejusque Successores Capellam beatorum Martyrum Ipoliti & Cassiani, & ea, quæ ad ipsam spectant, habeant, & teneant, & possideant. Hoc modo Sacerdotem vel Clericum dumtaxat prenominatæ Plebis, qui ipsi Ecclesiæ serviat, sine fraude eligant.* Si autem inter eos de electione orta fuerit controversia, Mediolanensi Archiepiscopo, qui pro tempore fuerit, representetur, ut illi controversiæ debitum finem imponat. *Sacerdotem, seu Clericum electum Abbas de Ecclesia illa, & his, quæ ad Ecclesiam pertinent, investiat. Sacerdos, seu Clericus manum obedientiæ ei tribuat. De sepe dicta Capella, & his, quæ ad eam spectant, eidem obediant. Pueros ipsius loci ad servitium & Baptisma ad Plebem ducat: & vocatus ad Capitulum plebis, si ordinem ipsius Plebis habuerit, pergat. Nihilominus ab Abbate vocatus ad suum Capitulum eat. Hæc facta est concordia salvo jure Festivitatum, quas Plebs in pretaxatis Ecclesiis celebrat.*

Facta est concordia hæc Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Centesimo Quinquagesimo Secundo, Mense Januarii, Indictione Quintadecima.

✠ *Ego* Obertus Archiepiscopus *subscripsi.*

✠ *Ego Obitius Archipresbiter subscripsi.*

✠ *Ego Galdinus Archidiaconus subscripsi.*

✠ *Ego Jordanus Diaconus interfui & subscripsi.*

✠ *Ego Algisius Diaconus interfui & subscripsi.*

✠ *Ego* Johannes Abbas Sancti Celsi *subscripsi.*

Addo Bullam Hadriani IV. Papæ pro Mediolanensi Monasterio Sancti Dionysii emissam, in qua intueberis, *salvam Apostolicæ Sedis auctoritatem, & Mediolanensis Archiepiscopi Canonicam justitiam*. Eamdem quoque depromsi e Puricellianis Adversariis.

Hadriani Papæ IV. Bulla, qua Monasterio Mediolanensi Sancti Dionysii confirmat omnia illius jura & bona, Anno 1157.

ADrianus Episcopus *servus servorum Dei, dilectis filiis* Wifredo Abbati Monasterii Sancti Dionysii Mediolanensis, *ejusque Fratribus tam presentibus quàm futuris, regularem vitam professis in perpetuum. Justis Religiosorum desideriis dignum est facilem præbere consensum, ut fidelis devotio celebrem consequatur effectum. Ea propter, dilecte in Domino fili Wifrede Abbas, tuis justis postulationibus clementer adnuimus, & Monasterium Sancti Dionysii, cui, Deo auctore præsides, & prædecessoris nostri beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti Privilegio communimus. Statuentes, ut quæcunque possessiones, quæcunque bona idem Monasterium in præsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque Successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Ecclesiam videlicet Sancti Michaëlis de Pescallo, in qua Monasterium statuendi, si expedierit, facultatem habetis, sicut a venerabili fratre nostro* Oberto Mediolanensi Archiepiscopo *rationabili providentia vobis concessum est: totam Parochiam suburbii illius Portæ, quæ dicitur Porta Nova, sicut per ejusdem Archiepiscopi sententiam legitime vobis adjudicata est: Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Solario, quæ nunc Sancti Fidelis dicitur: Ecclesiam Sancti Laurentii, quæ est juxta domum Tassonis, cum omnibus earum pertinentiis: Curtem de Melate cum tribus Capellis, videlicet Sancti Bartholomæi, Sancti Dionysii, Sanctæ Mariæ de Sabioncello, & duobus Castris, scilicet de Melate & Sabioncello: Curtem de Lierni cum duabus Capellis beati Mauritii videlicet & beati Michaëlis: tertiam partem Curtis de Talamona cum Decima, & jus vestrum in duabus Capellis, quæ in Curte illa sitæ sunt, videlicet Sanctæ Mariæ & Sancti Martini, cum omnibus ad eas pertinentibus: Capellam Sancti Martini de Gradi, cum omnibus ejus possessionibus: Ecclesiam beati Michaëlis de Pescallo, cum omnibus suis pertinentiis: Decimam terrarum, quæ sunt juxta ipsum Monasterium, & illarum terrarum, quæ sunt circa flumen Sevisum hinc atque inde in omnibus pertinentiis hominum habitantium in Porta, quæ dicitur Nova, & in Porta Orientali; quæ modò coluntur, vel in antea cultæ fuerunt, sicut ab* Eriberto *bonæ memoriæ* Mediolanensi Archiepiscopo *canonice vobis concessa est, & in scripto suo firmata: Possessiones, quas habetis in Sacrate & in Sexto, qui dicitur Johannis, in Affori, in Ponte Curionis, in Grogonzola, in Aronio, Pescallo, Lomacio, Casalego, Calutate, Romano, in Quinto, in Surdi, & in Casale, de Casinis, de Valle Saxia,* cum om-

A nibus supradictarum possessionum libertatibus *& consuetudinibus, sicut eas cessione Regum hactenus quietè habuistis, & præfati Oberti Archiepiscopi scripto vobis confirmatæ sunt.*

Ad hæc quatuor Clerici ipsius Monasterii, qui sunt de Ordine Decomanorum Mediolanensis Ecclesiæ, ab Abbate, qui pro tempore fuerit, ad honorem Dei in eadem Ecclesia ponantur & ordinentur, eique tamquam patri & domino suo obedientes existant, sicut hactenus extitisse dinoscitur, & scripto jam dicti Archiepiscopi continetur. Statuimus autem, ut in prædictis Ecclesiis Sanctorum Laurentii & Fidelis, vobis cum assensu memorati Archiepiscopi *absque contradictione aliqua ponere liceat Sacerdotes.*
B Prohibemus etiam, ut nemini fas sit in Parochia suburbii Portæ Novæ, quæ vestri juris existit, infirmos visitare, mortuos sepelire, & alia divina officia, quæ ad Parochiale jus pertinent, vobis invitis, Populo celebrare. *Præterea quicquid* Adalbertus *jam dictus* Abbas ipsius Monasterii *invasor ab eadem Ecclesia Sancti Dionysii per venditiones, pignorationes, infeudationes, investituras, libellos, commutationes, locationes, seu alio quolibet modo illicite alienavit, irritum esse censemus, & ad ipsam beati Dionysii Ecclesiam revocandi facultatem vobis concedimus, quemadmodum per sententiam Consulum Mediolanensium a* Rubaldo *bonæ memoriæ* Archiepiscopo *confirmatum legitime judicatum est.*
C *Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus, aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus a vobis Decimas præsumat exigere. Decimas quoque, quas Canonice possidetis, vobis nihilominus confirmamus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum Monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia & integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura:* Salvâ Sedis Apostolicæ auctoritate, & Mediolanensis Archiepiscopi Canonicâ justitiâ. *Si qua igitur in futurum*
D *Ecclesiastica, Secularisve persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonitus, nisi præsumptionem suam dignâ satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sanctissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus & hìc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.*



Ego Adrianus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus *subscripsi.*

BENE VALETE

✠ *Ego Gregorius Sabinensis Episcopus subscripsi.*
✠ *Ego Hubaldus Presbyter Cardinalis tituli Sanctæ Praxedis subscripsi.*
✠ *Ego Julius Presbyter Cardinalis tituli Sancti Marcelli subscripsi.*
✠ *Ego Octavianus Presbyter Cardinalis tituli Sanctæ Cæciliæ subscripsi.*
✠ *Ego Henricus Presbyter Cardinalis tituli Sanctorum Nerei & Achillei subscripsi.*
✠ *Ego Odo Diaconus Cardinalis Sancti Georgii ad Velum aureum subscripsi.*
✠ *Ego Guido Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Porticu subscripsi.*
✠ *Ego Odo Diaconus Cardinalis Sancti Nicolai in Carcere Tulliano subscripsi.*
✠ *Ego Bonadies Diaconus Cardinalis Sancti Angeli subscripsi.*

Datum Laterani per manum Alberti, Sancti Adriani Diaconi Cardinalis, vicem Domni Rolandi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis & Cancellarii gerentis, IV. Idus Novembris, Indictione VI. Incarnationis Dominicæ Anno Millesimo Centesimo Quinquagesimo Septimo, Pontificatus verò Domni Adriani Papæ Quarti Anno Tertio.

Mediolanensis denique Archiepiscopi auctoritas in Monachos ad Annum usque MCCCXI. perdurasse deprehenditur, uti in Epistola Clarifs. Saxii, quam Præfationi ad Synodum Provincialem Castoni Archiepiscopi, Tomo IX. Rerum Italicarum, adjunxi, adnotatum est. Verùm Sæculis subsequentibus quum in *Mare Magnum* devecti fuerint quivis Monachi, Canonici Regulares, Clerici Regulares, Fratres Mendicantes, aliique Religiosorum Ordinum cœtus, quibus ii velis hactenus navigarint & navigent, nihil interest meminisse. Ceterum, ut nunc, ita & olim Monasteria a jurisdictione Episcopi exemta, solicite cavebant, ne quam Antistites potestatis umbram in ea captarent. Quare ad con- A secrationem Ecclesiarum adsciscebant potius Episcopos extraneos; aut si Diœcesanum, ne actus ille sibi in posterum officeret, studiose curabant. Tremitense Monasterium olim Benedictinorum, nunc Regularium Canonicorum, in Insula Adriatici maris situm, perquam celebre est. Ejus Monachi *Draconariæ Episcopum* exorarunt, ut ad consecrationem Ecclesiæ suæ accederet. Quo facto multis etiam precibus impetravere *securitatis Chartam* ab Episcopo pro futuris temporibus, quam ex Archivo Monasterii Sanctæ Mariæ Tremitensis descriptam ad me misit eruditus amicus meus P. Pompejus Alexander Bertus e Congregatione Matris Dei. B

Almeradi Episcopi Draconariensis Charta, qua profitetur, nihil libertati Monasterii Tremitensis detractum iri, quod eam Ecclesiam is consecrarit, Anno 1045. aut 1060.



IN *nomine Domini nostri Jesu Christi, Tertio Anno Imperii Domino Constantino sanctissimo Imperatore nostro, Mensis Februarii, Tertiadecima Indictione.* Nos Almeradus Episcopus sacræ Sedis Dracoranensis *clarefacio, quoniam inspirante divina omnipotentis Domini clementiâ, venerabilis* Abbas Albericus sacri Cenobii Trimitensis Insulæ, *cum tota Congregatione spiritualium Fratrum suorum, construxerunt Ecclesiam in eadem Insula a novo fundamine Sanctæ Dei Genitricis & Virginis Mariæ, quæ Insula adjacet inter Dalmatiam & Apuleam in pelago maris. Et pro quo ego Almeradus prefatus Episcopus vovi me conversari in eodem sacro Cenobio, & cotidie spero finem meum ibi consumare. Cepit me cum maxima diligentia predictus venerabilis Abbas Albericus cum ceteris spiritualibus Fratribus ejusdem sacri Cenobii, ut eamdem Ecclesiam ego predictus Episcopus Almeradus dedicarem, obsecrari. Unde ego postulantibus illis sepius, & me anxie petentibus, consensum prebui precationibus eorum, & dedicavi illam in Mense supr scripto, & Anno Episcopatus mei Sextodecimo, & Indictione Tertiadecima. Et postquam adjutus auxilio omnium Creatoris, dedicavi hanc Ecclesiam, reversus sum ad sedem mei Episcopatus, cepit me nimium precare ille Abbas, veniendo ad me cum ceteris Fratribus suis*, ut sicut aliquando constructum est Cenobium predictum, nullus Episcopus probatur habere aliquam dicionem aut dominationem ividem, ita petimus, ut semper liber, & absque omni dominatione Episcoporum existat; *suggerendo ita*: quia ideo te nos hìc conduximus ad dedicando propter promissionem, quam fecisti in hoc sacro Cenobio: & computavimus te quasi unum ex Fratribus nostris; ne pro hac occasione ex Successoribus tuis presumat nobiscum causare & contendere, ut habeant dicionem aliquam aut dominationem in hoc Monasterio nostro qualiscumque Episcopus. *Et pro his omnibus petebant, ut facerem Libertatem* C *securitate eorum. Unde ego talia audiente ab illis, per remedium animæ meæ, & quia promiserant, pro hac re semper mihi orare*, feci eis hanc Libertatis & Securitatis Cartulam, *ante presentia Azonis Judicis, & alios idoneos testes, qui hìc subscripsi sunt.* Ut quicumque ex Successoribus meis temptaverint pro qualecumque modo & ingenio, temerario ausu aliquid de eadem Ecclesia querere, aut aliquam dicionem vel dominium ibi habere quesierint, anathemate vinculo subjaceant, & a trecentis decem & octo Patribus, Arii maledictionem optineant, *& sint damnati in pena Nathan & Abiron, & Judæ traditoris, & sint separati* D *a sancta & Catholica Ecclesia, & ab omni consortio Apostolorum & Cristianorum.* Quatenus ego prefatus Almeradus Episcopus obligo me, *& cum Benedicto Judice, atque pro Marcho Advocatore meo, & Successores, qui post meum obitum in ipso sacro Episcopatu Ecclesie accedere debet*, ut nec ego, nec meos Successores (*quod absit*) propter dedicationem, quam feci in eadem Ecclesia, aliquando tempore contendamus habere aliquam dictionem & dominationem aut qualemcumque rem de predicto Monasterio querere presumamus: *sed semper exi-* E *stamus defensores & adjutores in sancto Cenobio contra qualemcumque presumptorem, qui ibi pro hac occasione, ut prediximus, ibi aliquid querere voluerit, ut semper questio eorum vacua & reproba sit. Unde pro firmissima vestri venerabilis Abbatis Alberici, ejusque Successoribus,*

bus, & cum ceteris Fratribus, securitate hanc Cartulam scribere feci, & cum anulum nostrum propriis manibus nostris in cera imprimentes signavimus, & te Stephanum Diaconum & Notarium scribere hanc Cartulam jussimus, intus Civitatem Dracoranensem feliciter.

✠ Almaradus Episcopus *servus servorum Dei*.

✠ *Ego qualis Azo Judice*.

✠ *Ego Lupo Archipresbyter*.

✠ *Ego Andreas Mosilboni*.

✠ *Ego Adeodato de Montesicco*.

Deest Cereum Sigillum Episcopale.

Annum certum indicare Chartæ hujus ausus non sum, quum Anno MXLV. *Indictione Tertiadecimâ*, secundùm calculos Pagii decurreret *Annus Quartus Constantini* Monomachi: & Anno MLX. *Indictione* rursus *Tertiadecimâ*, *Annus Secundus Constantini* Ducæ. Ad Chronologiam tamen alterutrius ex hisce Græcis Imperatoribus non inutilis erit pergamena ista, ubi quis diligentius eam rem perscrutetur: quod mihi ad alia properanti facere non vacat. Ughellius quoque Tomo 8. Ital. Sacr. post Episcopos Civitatenses seriem dedit Præsulum Ecclesiæ Draconariensis, cujus Diœcesis a multo tempore adjecta fuit Episcopatui Sancti Severi. Verùm illi ignotus fuit *Almeradus Episcopus*, in Charta nunc edita nobis servatus.

Poscit etiam argumentum præsens, ut aliquam mentionem faciam de *Monasteriis Imperialibus*, sive *Regalibus*, quibus ne Italia quidem olim caruit. Ejusmodi Monasteria in Gallia temporibus etiam antiquis abundarunt, sive quod a Regibus ædificata fuerint, sive aliis de caussis. Vide Baluzium, Mabillonium, Du-Cangium, ac alios de eruditione præsertim Gallica optime meritos. Græci quoque ejusmodi Monasteria numerabant. Ad Italiam quod attinet, in Lege 8. Aistulphi Langobardorum Regis Part. II. Tom. I. Rer. Italicar. memorantur *Monasteria*, *Basilicæ*, *vel Xenodochia, quæ sub Palatii defensione esse videntur*: eaque infra distinguuntur ab aliis, *quæ ad Palatium non pertinent*. Sed hæc non satis perspicua. Clariora sunt, quæ habentur in Lege 31. Pippini Italiæ Regis inter Langobardicas, in qua decernitur *de Monasteriis & Xenodochiis, quæ per diversos Comitatus esse videntur, & Regalia sunt: ut quicumque ea habere voluerint, per beneficium Domini Regis habeant*. Alia enim ex Monasteriis *Episcopalia* fuere, quæ Episcopis suberant: & alia *Regalia*, in quæ jus integrum sibi Reges tribuebant. Apud Ughellium Tom. V. Ital. Sacr. in Episcop. Veronensib. ad Annum Christi DCCCXVIII. numerantur in Urbe Veronensi *tria Monasteria Regalia, idest Sancti Petri in Mauratica, Sancti Stephani in Ferrariis, & Sancti Thomæ Puellarum in Urbe, sed & duo Regis Xenodochia*. Monasterium autem Casauriense, a Ludovico II. Augusto fundatum, unius Regis auctoritatem agnoscebat, uti habemus ex ejus monumentis Part. II. Tomi II. Rer. Italicarum evulgatis. Sed & alia fuere illustris nominis Monasteria, quibus visum est levius sub Imperatorum tutela ac protectione esse, quàm sub Romani Pontificis. Quare & ista evasere *Imperialia Monasteria*. In eorum numero nobilissimum *Farfense* fuit, & quantâ contentione animi, illius Cœnobii Monachi Imperialis patrocinii jura tutati sint, Chronicon ejusdem Monasterii a me editum in eadem Part II. Tom. II. satis aperte indicat. Sed & rem ipsam in monumento nondum edito luculentius perspiciendam exhibeo. Debeo illud humanissimo & doctissimo viro Patri D. Eustachio Caracciolo Clerico Regulari, Neapolitano ex egregia Principum Torellæ prosapiâ progenito.

Consecratio Altarium Basilicæ Farfensis a Nicolao II. Romano Pontifice facta, & Monasterii illius libertas ab eodem Pontifice confirmata, Anno 1060.

ANno Dominicæ Incarnationis MLX. Mense Julio die VI. Indictione XIII. *Nicolaus sanctissimus* Papa II. *invitatus decentissime a* Domno Berardo Abbate *venerabilis hujus* Farfensis Monasterii, *omnique Fratrum Conventu ejusdem Cœnobii, una cum Episcopis Romanis, & aliquantis Cardinalibus, ad hoc Monasterium libentissime venit, ad hujus Ecclesiæ principalia consecranda Altaria: hoc est, beatæ Mariæ Dominæ nostræ, & Domini Dei Salvatoris Mundi. Quo facto honorificentissime inter sacræ solemnia Missæ idem Pontifex venerabilis omnibus pœnitentibus, qui ibi convenerant & aderant, remissionem trium annorum fecit, & constituit, ut hæc remissio annualiter fiat omnibus, qui in ipsa die cum votis & donis, pro ut potuerint, honeste & honorifice annue venire studuerint. Et pauperes, qui donum non habuerint, se religiose præpare voluerint. De raptoribus verò sive furibus aut sacrilegis hujus bonorum Monasterii, excommunicationem anathematis fecit, quam describi, & quoties oportuerit, talem legi præcepit.*

In nomine Domini. Nicolaus Episcopus, servus servorum Dei. Ob reverentiam Sanctæ Dei Genitricis & semper Virginis, & Dominæ nostræ Mariæ, postquam renovationem Consecrationis hujus Ecclesiæ Farfensis, Deo propitio, jam honorifice explevimus, volentes amodo comprimere ac destruere omnium pravorum hominum, cujuscumque dignitatis vel gradus sint, de bonis hujus Monasterii invasiones vel deprædationes vel furta, auctoritate divinâ, videlicet Patris & Filii & Spiritus Sancti, & Beatæ Mariæ semper Virginis, beatique Michaëlis Archangeli, & Sancti Petri Apostolorum Principis, omniumque Sanctorum, qui in cœlis & in terra venerantur, excommunicamus & anathematizamus, & a liminibus Sanctæ matris Ecclesiæ expellimus illos, qui porcos, boves, aut oves, vel alia quælibet animalia, seu calceamenta vel vestimenta, sive libros, vel fruges, aut triticum vel vinum vel panem, seu diversa utensilia, de hoc Monasterio Sanctæ Mariæ violenter rapuerunt, aut deinceps rapuerint, sive furati sunt, vel amodo præsumserint, aut diutius aut foris accipiunt. Igitur maledictionem abyssi jacentis deorsum, & maledictionem cœlestem & maledictionem terrestrem suscipiant, præsentem maledictionem in corporum debilitatione recipiant, perditione & animarum cru-

cruciatione maledicantur cum maledictis, flagellentur cum ingratis, pereant cum superbis, crucientur cum blasphemis, torqueantur in inferis: sint maledicti cum blasphemantibus nomen Domini, sint maledicti cum desperatis, sint maledicti in Oriente & Occidente, sint maledicti in Meridie & Septemtrione; sint maledicti in die & in nocte: maledicti intus & foris, maledicti a dextris & a sinistris. Sint maledicti in domo & in agro, sint maledicti stantes & sedentes, ambulantes & moram facientes. Sint maledicti bibentes & manducantes, sint maledicti vigilantes & dormientes. Obtenebrescat eis Sol, quum adhuc media fuerit dies, & incursentur a Diabolo & angelis suis. Excrucientur animæ eorum doloribus, & extinguatur lucerna eorum in Secula seculorum, amen, nisi venerint ad satisfactionem & congruam emendationem.

Post consecrationem autem hujus Ecclesiæ Altarium, Nicolaus reverendissimus Præsul aliquantulum nobiscum commoratus, benivolum se in omnibus, immo benignissimum erga hujus Loci negotia & istius Congregationis proficue exhibuit. Domnus verò Abbas noster religiosissimus, una cum præcipuis Fratribus ejus sanctissimæ ostendit præsentiæ sanctorum Privilegia Pontificum, & Præcepta sacrorum Imperatorum, hujus sacri Cœnobii omnem Libertatem & defensionem plenissime continentia. Et qualiter Langobardorum Reges semper Regali Patrocinio, & Romanorum Imperatores Imperiali Tuitione illud conservare & custodire studuerunt. Carolus quoque Romanorum Imperator Augustus Imperiali statuit edicto, ut hæc casa Dei sub tali privilegio fiat, & sub integra Immunitate, sicut cetera Monasteria infra Regna Francorum esse noscuntur, *idest Lirinensium, Agaunensium, & Luxoviensium. Item ostendit* Præceptum Klotharii *serenissimi* Imperatoris, *ubi continetur, quod* Domnus & Avus ipsius *piæ memoriæ* Carolus *præstantissimus* Imperator hæc omnia specialiter sub suo munimine, vel successorum suorum, Regum scilicet Francorum, præcepto auctoritatis constituisset, ut nullus Pontifex, Dux, Princeps, aut quislibet superioris aut inferioris ordinis rei publicæ Procurator, hoc Monasterium sub tributo aut censu constituere præsumeret, sed ita Immune ac Liberum esset, sicut cetera Monasteria infra Regna Francorum constituta, *idest Luxoviense, Lirinense, & Agaunense. Quæ res postquam in præsentia* Domni Apostolici Paschalis I. *& prædicti Imperatoris, & Optimatum atque Procerum utriusque partis, examinata & diligenter inquisita esset*, & in propatulo omnibus esset, quod hoc Monasterium nullatenus sub jure & dominatione præfatæ Romanæ Ecclesiæ, vel sub tributo aut pensione esse deberet; idem Domnus Apostolicus non solùm recognovit, nullum dominium in jure ipsius Monasterii se habere, exceptâ Consecratione, *sed etiam omnes res tam in territorio Sabinensi, quàm in Romaniâ sitas, quas ex eodem Monasterio potestas antecessorum ejus Paschalis Papæ injuste abstulerat, per jussionem ipsius, dante eo Mappulam suam Advocato suo Sergio, restituit Leoni, qui de parte nostra & hujus Monasterii Advocatus erat. Item ostendit* confirmationem Ludovici Imperatoris, *filii ejusdem Klotharii, &* Berengarii, *ac* Ottonis Imperatorum, *&* Ottonis Secundi, *qui hoc Monasterium cuidam* Ugoni Episcopo *in beneficium dedit. Quod recognoscens se ignoranter egisse, pro omnipotentis Dei amore & pro remedio animæ Hersonis, qui heic cum eodem Episcopo moratus obiit, præceptali paginâ spopondit, ut amplius in æternum numquam detur in beneficium, sed semper maneat rei publicæ destinatum*, Abbati mancipatum, & nulli alteri subjectum vel præstitum. *Unde Deum omnipotentem deprecatus est, ut si aliquis Papa, aut Imperator umquam hoc Monasterium alicujus personæ ditioni subjugaverit, in Christi adventu, dum venerit judicare seculum per ignem, rationem inde reddat, & se deliquisse pro hac causatione recognoscat. Item ostendit* diffinitionem *inter* Domnum Hugonem Abbatem *& Presbyteros Sancti Eustachii in præsentia* Gregorii Papæ & Ottonis Imperatoris, *ubi continetur*, quod pro certo hoc Monasterium est sub lege & tuitione Regum. *Nam, ut ibi refertur, Imperator dixit in ipso judicio*: Interrogetur Abbas & Advocatus ejus, si possunt probare per scriptum aut per sacramentum vel per testimonia, quod ipsum Monasterium sub Lege Langobardorum defensatum fuisset. Ego nullatenus a sua lege istud subtraho. *Item alia diffinitio inter Domnum Guidonem Abbatem postea facta & eosdem Presbyteros in præsentia Domini Johannis Patricio & Crescentii Præfecti. In quo Placito relecta est ipsa diffinitio & collaudata atque confirmata ab eodem Patricio & a Præfecto, omnibusque Judicibus. Quibus omnibus ostensis fideliter præfato Papæ sanctissimo Nicolao, & subtiliter perspectis, auctoritate suâ omnia, quæ in eis continentur, laudavit & confirmavit. Tunc idem Domnus Abbas Berardus, una cum omnibus Senioribus, suppliciter eumdem Papam obsecravit*, ut istius Monasterii antiquam Libertatem, & Privilegiorum ac Præceptorum nobis multoties missam a Pontificibus, & Regibus, sive Imperatoribus Immunitatem, *summâ pastoralique confirmaret auctoritate, & una cum omnibus nobis, Populoque totius Abbatiæ, præcipuos Legatos Apostolicæ Sedis interesse juberet, qui canonicum Interdictum, & universalem facerent excommunicationem, ad consecrandam authenticam hujus Monasterii Libertatem. Quod idem Præsul suscipiens benigne, quod petebatur, concessit libenter. Itaque tempore congruo & statuto direxit huc postmodum* Hubertum Archiepiscopum, *&* Agilardum Episcopum, *&* Abbatem Sancti Pauli, *atque* Petrum Episcopum Eugubinum, *qui caussam ipsam, sicut Domnus Abbas una cum omni Congregatione postulaverat humiliter, ipsi adimplerent studiosissime. Interea missâ Domnus Abbas ad Marchiam legatione, omnes Præpositos & Viros præcipuos fecit interesse, & ex omnibus Cellis sive locis nostris, collectisque omnibus nobis insimul, Decimo octavo Kalendas Octobris præfatus Dominus Hubertus Archiepiscopus ipsâ die solemnia Missæ decentissime celebravit, & perlecto Euangelio, pro causis prædictis Apostolica auctoritate & hoc Interdicto hanc Excommunicationem fecit.*

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Nos præsentes Legati Apostolicæ & sanctissimæ Romanæ Sedis, reverendissimo summoque *Pontifice Romano Domno Nicolao* jubente, ex parte Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus Sancti, & beatæ semper Virginis Dei genitricis Mariæ Dominæ nostræ, omniumque Sanctorum, interdicimus, & omnimodis vetamus, ut nemo umquam de Ecclesiasticis aut Secularibus viris, cujuscumque ordinis aut dignitatis, hanc Ecclesiam beatæ Mariæ, quæ dicitur

tur in Farfa, cum propria Congregatione, cunctisque bonis ipsius sive substantiis, omnibusque famulis interius & exterius, vel ubivis commanentibus, diabolico instinctu vel ausu temerario præsumat quocumque modo invadere aut diripere, seu conculcare, vel *de authentica & antiqua Libertate subtrahere, & de Patrocinio sive Tuitione atque Defensione Regali & Imperiali evellere aut subtrahere, vel in dominium & ditionem Curiæ Romanæ transferre, & cuilibet Ecclesiæ tributariam facere, & bona illius & jura quoquo modo vitiare vel dissipare sive corrumpere, & Privilegia Pontificum Apostolicorum, & Præcepta Imperatorum sibi pro hujus Ecclesiæ integerrima Libertate concessa, pro nihilo ducere, aut in aliquo violare*. Quicumque autem Pontifex, Patriarcha, Archiepiscopus, Episcopus, Abbas, Prælatus, Subditus, Princeps, Patritius, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Castaldeus, quivis Actionarius, vel ut prædiximus, cujuscumque ordinis aut dignitatis superioris vel inferioris, Ecclesiasticæ vel Secularis, horum aliquid, quæ superius comprehensa sunt, contra præfatam Ecclesiam Farfensem, & Congregationis ejus ordinatos, & Rectores hujus Monasterii præsentes & futuros usque in perpetuum, consiliatus aut meditatus fuerit, vel assensum voluntarium præbuerit vel perpetraverit, & hoc scelus vel sacrilegium commiserit, sit anathema, maranatha, & a Regno Dei, omnique Ecclesia, & a Sanctorum Congregatione separatus & perpetuò excommunicatus, & condemnatus a Deo omnipotente, & a beata Maria, cujus Ecclesiam offendit, & ab omnibus Angelis, Archangelis, & a cunctis civibus supernis, & a Patriarchis & Prophetis, & a viginti quatuor Senioribus, & a duodecim Apostolis, & a quatuor Euangelistis, & a centum quadraginta quatuor Innocentibus, & ab omnibus Sanctis Martyribus & Confessoribus atque Virginibus. Et habeat partem cum Herode, Pilato, Anna, & Caipha, & omnibus principibus Dæmoniorum, & in Inferno inferiori crucietur in Secula seculorum: amen; nisi resipiscat, & dignâ satisfactione, & pro ut valuerit, quod deliquit, emendaverit. Et si Monachus de hac Congregatione fuerit, vel de hujus Monasterii Cellis, qui hoc scelus commiserit, abjiciatur ab omni cœtu Fratrum, & de locis omnibus nobis pertinentibus, & usque in diem obitus ei denegetur hìc redeundi licitum. Si verò de totius prædictæ Abbatiæ aliquis, quæ supra commemoravimus, agere tentaverit, omne beneficium, vel quamcumque hereditatem habet, omnino in omnibus perdat, & omnem amorem & caritudinem Senioris, cunctorumque Fratrum, & hujus Ecclesiæ fidelium & famulorum. Et ab omnium Christianorum societate sit alienus, &, sicut supra retulimus, per omnia sit excommunicatus, nisi damnum pro pœna emendans digne satisfecerit. Qui verò piè utillima hujus Ecclesiæ custodire studuerit, & a detrimento hujus Monasterii & Congregationis cessaverit, benedictionem æternam a Deo omnipotente percipiat, & ab ejus sanctissima Genitrice Virgine perpetua, Maria nostra Domina, & ab omnibus Sanctis: & illius anima collocetur in Regno cœlesti in Secula seculorum. Amen.

Humbertus Dei gratiâ Episcopus Sylvæ Candidæ, & Petrus Episcopus Augubinus, & Aylardus Episcopus & Abbas Sancti Pauli, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legati ex præcepto Domini Nicolai sanctissimi Papæ II. hoc decretum fideliter statuimus, & manibus propriis confirmantes subscripsimus.

Berardus Dei nutu Farfæ humilis Abbas hoc decretum fieri concessimus & confirmamus.

Petrus Monachus & Præpositus.

Johannes Presbyter & Monachus atque Prior.

Transmundus Monachus.

Odemundus Presbyter & Monachus.

Sicolfus Diaconus & Monachus.

Aldo Presbyter & Monachus.

Atto Presbyter & Monachus.

Berardus Presbyter & Monachus.

Benedictus Presbyter & Monachus.

Petrus Presbyter & Monachus.

Bonizo Presbyter & Monachus.

Berardus Presbyter & Monachus.

Placidus Presbyter & Monachus.

Almerius Presbyter & Monachus.

Azzo Diaconus & Monachus.

Martinus Cluniensis Presbyter & Monachus.

Omnes de isto Conventu adfuerunt, & cum omni Congregatione consenserunt & confirmaverunt atque subscripserunt. De Marchia verò omnes prædicti, Azo filius Longini Præpositus Ofidæ, Gualterius frater ejus Præpositus Sculculæ, Bonifacius Vir Dei, Amizo Præpositus Sanctæ Victoriæ, Johannes Præpositus de Clente, Albertus Præpositus de Azo, Grimaldus Præpositus Reatinus, Atto Præpositus Mianæ, Johannes Præpositus Perusinus. De Populo Abbatiæ hujus Dato de Rainerio pro se, & suis omnibus heredibus consentiens & obligans atque confirmans: Franco Frasiæ: Rico de Monteopoli: Albertus de Azo pro se & omnibus heredibus suis: Cimbro de Arci: Lotherius Masso de Petro Helve: Guitton de Belletia: Guido Carboncellus Senioritti; & alii de Populo innumerabiles. Qui omnes se obligaverunt, ut si ipsi, vel eorum heredes, sicut supra dictum est, non observaverint, vel si culpati veraciter fuerint, excommunicationi, pœnæque prædictæ subjaceant.

Narnio Judex Narniensis his omnibus interfui, & scriptum Decretum rogatus a sanctæ Romanæ Ecclesiæ prædictis Legatis, & præfata Abbate Domno Berardo, omnique ejus sanctissimo Conventu, dictavi, meaque vice Sicolfus venerabilis Diaconus & Monachus scripsit & complevit.

Ita amplissimum agri Mutinensis Cœnobium *Nonantulanum* uni olim Imperatori, sive Regi suberat, & adhuc *Augustæ Abbatiæ* titulo gloriatur. Idque etiam intelligas ex literis Friderici I. Augusti, quas authenticas vidi ac descripsi ex Tabulario ejusdem Cœnobii.

Fridericus

Fridericus I. Auguſtus confirmat Eccleſiam de Valle Fabrica, ſpectantem ad Monaſterium Nonantulanum, Anno 1177.

FRidericus *Dei gratiâ* Romanorum Imperator Auguſtus. *Ea, quæ a Nunciis noſtris, quos in terras Imperio noſtro ſubjectas mittere ſolemus, in terminis procurationi ipſorum creditis, in vice noſtra juſte & congrue ſuper cauſis ad eos delatis, ordinata fuerint, decet nos & rata tenere, & perpetuo noſtræ auctoritatis robore confirmare & ſtabilire. Quod & facere prompti ſumus, præcipue cum hujuſmodi ſtatuta ad Eccleſiarum commoditates provenire intelligimus. Notum ergo ſit omnibus Imperii noſtri fidelibus tam futuris quàm præſentibus, quod reſtitucionem poſſeſſionum, quas filii Munaldi Eccleſiæ de Valle Fabrica abſtulerant, que ſcilicet reſtitutio a Cunrado Suevo Legato noſtro eidem Eccleſiæ legaliter & juſte facta eſt, Imperiali auctoritate noſtra confirmamus, & ratam de cetero permanere jubemus tam in his, quæ eis reſtituta ſunt in Comitatu Eſiſio, quàm in Comitatu Nucerino, ſeu in aliis locis. Quorum quedam nominatim exprimere dignum duximus: Curtem de Sancto Donato cum ſuis pertinentiis: Curtem Porcile cum ſuis pertinentiis: Caſtrum Caſagaldi cum ſuis pertinentiis:* Quoniam verò Eccleſia de Valle Fabrica Nonantulæ pertinet Eccleſie, que nobis ſpecialiter attinet, ipſam Vallem Fabricam in A noſtram ſuſcipimus tuicionem, precipientes, ut ab omni injuſta exactione, & ſervitute permaneat libera & illeſa, & a quorumlibet hominum violentis vexationibus tam Marchionum, quàm Comitum quoque infeſtationibus ſecura. *Imperiali ergo auctoritate ſub pena banni noſtri & ſub pena decem Librarum auri precipimus, quatinus nec Dux, nec Marchio, nec Comes, nec aliqua Imperii noſtri perſona parva vel magna, attemptet umquam ſupradictas reſtitutiones infringere, aut predictam Eccleſiam contra hec noſtra ſtatuta ullis perturbationibus gravare.*

Datum apud Aſſiſium Anno Dominicæ Incarnationis MCLXXVII. Indictione Undecima, XIII. Kalendas Januarii.

B


Pendet a chordulà linea Sigillum Imperatoris laceratum & corroſum.

Alibi pariter monumenta protuli, e quibus conſtat, celebrem quoque *Pompoſianam Abbatiam,* inter Ferrarienſem & Comaclenſem agros ſitam, ad Imperatores pertinuiſſe: quod rurſus aliis documentis confirmatum eo, quæ mihi ſuppeditavit Archivum Sereniſſimi Ducis Mutinæ heri mei.

Henricus Rex Imperator III. Abbatiæ Sanctæ Mariæ Pompoſianæ omnia illius jura ac Privilegia confirmat, Anno 1095.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.* Henricus *divina favente clementia* Tertius, Romanorum Imperator Auguſtus. *Si circa Sanctorum loca beneficia condigna impendimus, hoc noſtram Imperialem majeſtatem condecere credimus, inſuper & æterna præmia nos inde adipiſci confidimus. Quapropter omnium Chriſti, noſtrorumque fidelium univerſitatem ſcire volumus, qualiter nos ob amorem Chriſti, & ejus Genitricis Virginis Mariæ, ac interventu* Vitrici Placentini Epiſcopi, *&* Marchionis Warnerii *nobis dilectiſſimi, atque fideliſſimi nobis* Marchionis Burgardi, *ceterorumque fidelium noſtrorum,* Abbatiam Sanctæ Mariæ in Pompoſia, *ab Anteceſſore noſtro* Imperatore Ottone *a* Federico Ravennatis Eccleſiæ Archiepiſcopo *juxta utriuſque placitum* ad Imperialis ſubjectionem proprietatis *concambiatam, ac poſtea ab* Henrico noſtro Anteceſſore *corroboratam, & ab* UGONE MARCHIONE *magnifice ditatam, & per* Avum noſtrum Conradum Imperatorem, *bonæque memoriæ* Genitorem noſtrum Imperatorem Henricum, ſucceſſione Imperii & legali jure hereditatam, dehinc eodem jure ad noſtræ dominationis manum receptam cum omnibus ſuis pertinentiis, *quidquid videlicet prædicta Abbatia per aliquod munimen Cartarum vel traditionum detinet, vel eidem pertinet ab Eccleſia Romana & Ravennate, aut ab aliqua alia, ſeu etiam quicquid jure proprietatis detinet, aut acquirere in futuro potuerit: ideſt totam Inſulam integram a primo latere Pado percurrente in mare, a ſecundo latere litus maris, a tertio verò latere Gauro & Piſcaria, quæ vocatur Volana, cum Portu integro a Rivo Badarino ex utriuſque partibus* C *uſque in mare, & Maſſam, quæ dicitur Lacus Sanctus, cum lateribus ſuis, & cum Piſcaria, quæ vocatur ..... a primo latere fondo, qui vocatur Gregule, & fondo, qui vocatur Cornacervina, & Fluvio, qui vocatur Ziſi, & Canale, qui vocatur Curlo, a ſecundo latere Valle, quæ vocatur Sarole, & Fluvio, qui vocatur Concha Agate, deſcendente in Gaurum, a tertio latere ipſo Gauro, a quarto verò Pado percurrente. Inſuper Curtem unam integram, quæ vocatur Oſtolatus cum Plebe ſua, & alia quæ vocatur Bauria, & Curtem aliam, quæ vocatur Ultra Canalem, cum omnibus, quæ prædictæ Abbatiæ* UGO MARCHIO *Filius* UBERTI *dedit. Quicquid etiam habet, aut* D *acquirere potuerit in Civitate Ravenna, & infra totum Comitatum Comaclenſem, & Gavellenſem, Ferrarienſem, Mutinenſem, & Bononienſem, & Cornelienſem, & Faventinum, & Livienſem, & Popilienſem, & Ceſenatem, & Montemferetranum, & Ariminenſem, & Piſaurienſem, & Finenſem, & Urbinatem, Caſtellanum, & Peruſinum, & in omnibus quibuſcumque locis, cum areis, ædificiis, Ciſtris, Capellis, ſilvis, pratis, paſcuis, paludibus, & ſalitis, olivetis, vineis, montibus, vallibus, planiciebus, aquis aquarumque decurſibus, piſcationibus, venationibus ſalinis, & cum omni utilitate, quæ vel nominari vel ſcribi poteſt.* Ab omni ſubjectione Archiepiſcoporum Ravennatum excutimus, ut Regalis in perpetuum ſit, nullis dominantium perſonis ſubjecta. Sintque E Monachi ejus ab omni ſecularis ſervitii infeſtatione ſecuri, & ab omni angaria ſive fodro tam noſtro, quàmque Miſſorum noſtrorum, ſeu omnium ſecularium poteſtatum, cum ſuis homi-

hominibus remoti. *Qui de suis, qualem voluerint, Abbatem eligant, ab Episcopo Comaclense consecrandum, qui si sibi per pecuniam, vel aliqua humana potestate molestus esse voluerit, veniat ad Archiepiscopum Ravennatem, ab eo benedicendus. Et si hoc in isto, quod in illo invenerit, ad qualemcumque Episcopum volue-* A *rit, causâ consecrationis properet. Si quis autem hoc Præceptum Imperiale nostrum infringere præsumpserit, componat ducentas Libras auri cocti, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem prælibatæ Abbatiæ. Quod ut verius credatur, hanc Imperialem paginam manu propria roboratam sigillari jussimus.*

Signum Domni Henrici  *Tertii Romanorum invictissimi Imperatoris Augusti.*

Herimannus Coloniensis Archiepiscopus & Archicancellarius recognovit.

Data Nonis Octobris, Anno Dominicæ Incarnationis MLXXXXV. Indictione IV. Anno autem ordinationis Domni Henrici, Tertii Imperatoris XLI. Regni verò XXXIIII. Imperii verò XI.

Actum Gardæ feliciter, in Dei nomine. Amen.

Confirmatio jurium & Privilegiorum Abbatiæ Pomposianæ facta a Friderico I. Imperatore, Anno 1177.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.* Fridericus *divina favente clementia* Romanorum Imperator Augustus. *Ad hoc a Rege Regum in Romani culmen Imperii nos recognoscimus sublimatos, ut suis in Orbe Ecclesiis Imperatoriæ solicitudinis manum adhibeamus, bonum earum statum augendo, jura ipsarum confirmando, violentorum injurias ab eis propulsando. Quod cum omnibus universaliter debeamus Ecclesiis, eas tamen hujus clementiæ favoribus impensius fovere consuevimus, quas ad Imperialis potestatis jurisdictionem specialiter pertinere dignoscimus. Noverit igitur Christi & Imperii nostri fidelium præsens ætas ac futura, quod nos intuitu divinæ remunerationis ac monitu petitionibusque venerabilium & nobis dilectarum inducti personarum, scilicet ....* Guidonis Abbatis, & Vivorni Prioris de Pomposia, Ecclesiam Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, sitam in insula Pomposia, & ipsam Abbatiam, quæ a Divis Imperatoribus ac Regibus nostris Prædecessoribus sub libera solius Imperii jurisdictione ab Ottone Imperatore per medios Romani Imperii Successores, ad nostræ potestatis dominium usque pervenit, *cum universis obedientiis, & quibuslibet ejus pertinentiis, longe vel prope infra Imperium nostrum constitutis,* in nostræ Imperialis defensionis tuitionem & mundiburdium pleniter & benigne suscipimus. *Sacro igitur Imperatoriæ auctoritatis nostræ oraculo ac edicto confirmamus ac stabilimus eidem Monasterio omnes possessiones & jura possessionum, quæ vel quas eadem Sanctæ Mariæ Ecclesia largitione Imperatorum vel Regum, ex gratia & concessione Apostolicæ Sedis, & aliorum Pontificum, seu munere & oblationibus Principum ac Nobilium, & quorumlibet fidelium suscepit, possedit, & tenuit, & quæ nunc possidet & tenet, & de jure tenere debet, saltem in Castris, Castellis, Villis, areis, ædificiis, Capellis, agris, vineis, terris, cultis & incultis, olivetis, silvis, pratis, pascuis, paludibus, salictis, montibus, vallibus, palu-* B *dibus, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, venationibus, salinis, & his, quæ accessione & alluvionis jure capiuntur: vel quicquid eadem Abbatia per instrumenta Cartularum, aut aliquo genere traditionis vel donationis aut emptionis seu cambitionis obtinuit, & suis bonis adjecit. Ex quibus ob cautelam, ad obstandum malignantibus, quædam suis exprimere vocabulis dignum duximus, quæ sunt: ipsa scilicet Insula Pomposia, tota & integra, cum omnibus locis, terris, silvis, paludibus, quæ infra terminos ejus continentur secundùm limites, quibus ipsa districta est, cujus quantitas assignatur a primo latere Pado percurrente in mare, a secundo latere Gauro percurrente in mare, a ter-* C *tio latere ipso mari. Insuper Piscaria, quæ vocatur Volana, cum Portu integro a Rivo Badarino, & Gavalena majore ad ipsam Piscariam pertinente, cum porticellis suis, sicut olim intraverunt mare ex utrisque partibus Fluminis Padi usque in mare.* Ipsam itaque Insulam Pomposiam ab omni infestatione omnium mortalium, & præcipue Comaclensium, liberam & inconcussam, & stabili fruentem quiete permanere statuimus. Et ne quis, præter Abbatem, & Fratres ejusdem Monasterii, in ea aliquod jus, aut aliquam sibi partem in ea vendicare præsumat, firmissime interdicimus. *Item Massam integram, quæ vocatur Ustulatum, cum omnibus pertinentiis & lateribus suis.* D *Et fundum unum integrum, qui vocatur Boaria, cum omnibus rebus & pertinentiis suis & lateribus ejus. Monasterium quoque Sanctæ Mariæ in Senodochio cum omnibus possessionibus & pertinentiis suis quoquo modo ad Senodochium legitime pertinentibus. Hæc omnia prædictæ Pomposiæ Ecclesiæ confirmamus; & insuper quicquid eadem Ecclesia nunc habet, vel de cetero juste acquisierit in Civitate Ravennæ, vel in ejus territorio, & infra Episcopatus & Comitatus subscriptos Comaclensem, Gavellensem, Ferrariensem, Mutinensem, Bononiensem, Corneliensem, Faventinum, Liviensem, Popiliensem,*

sem, Cesenatem, Montemferetranum, Ariminensem, Fanensem, Pisauriensem, Urbinensem, Calliensem, Perusinum, Mantuanum, Brisiensem, Cremonensem, Vicentinum, Paduanum, Tarvisinum, Cenetensem, Concordiensem: quicquid, inquam, Pomposiana Ecclesia in prædictis Civitatibus, Episcopatibus, Comitatibus habet, vel unquam acquiret, & justo titulo possidet vel possidebit, & in omnibus Imperii nostri locis, & per nostram auctoritatem confirmamus & stabilimus, & nominatim Curtem, quæ vocatur Cerri, sitam in Astensi Episcopatu. Præterea pro honore Sanctæ Dei Genitricis ipsam Abbatiam & Ecclesiam Pomposiam, ac totam illam Insulam, in qua manet ipsum Cœnobium, & totam Massam, quæ vocatur Lacus Sanctus, & totam Curtem Ustulati, a potestate Archiepiscoporum, Episcoporum, Ducum quoque & Marchionum, & quorumlibet mortalium irrevocabiliter absolvimus, & liberam esse censemus, & statuimus, ita quod ipse locus ejusdem Monasterii, & prætaxatæ possessiones ejus, nullius personæ dominio subjaceant, aut ullam subjectionem cuiquam debeant, nisi Imperiali excellentiæ in temporalibus, & Apostolicæ dignitati in spiritualibus.

Insuper ut eadem Ecclesia suis semper possessionibus securâ quiete fruatur, & nullam in eis diminutionem patiatur, statuimus, ut si quid de bonis & pertinentiis ejusdem Monasterii insidiose vel fraudulenter a nobis postulatum est, aut postulatum fuerit, & a nobis sit concessum, id quod concessum aut donatum est aut fuerit, in irritum omnino cedat, ut nec petitori proficiat, nec Ecclesiæ illi aliquando officiat. Ad hæc, ut prædicti Monasterii Abbas, & totus Fratrum suorum Conventus nullo seditionum, rixarum vel armorum strepitu concutiatur, & ut ipsi Fratres & Conventus, morantes & simul sacrum locum illum frequentantes, bono pacis gaudeant, firmissimo nostræ præceptionis & constitutionis edicto inhibemus & interdicimus, ut sine licentia Abbatis & Fratrum ejusdem Monasterii, nulla persona capiatur, nulla temeritas plagis aut gladiis exerceatur, nec cujusquam res violenter diripiantur in ambitu totius Insulæ illius, pro ut ipsa circumdatur a Fluminibus Gauro, Pado, & Mari: nec in ipsorum litoribus & ripis, nec infra mare ad unum milliarium, nec infra Massam, quæ vocatur Lacus Sanctus. Præterea concedimus, & Imperiali auctoritate firmamus, ut supradicti Monasterii Fratres liberam habeant facultatem adipiscendi a quolibet possessiones, quæ juste & legaliter ad eos devenerint. Et similiter plenam habeant potestatem suas recuperandi, videlicet, ut si prædictæ Ecclesiæ possessiones a quoquam injuste detineantur, & ille a suis Rectoribus, vel a nostro Judice ad exhibendam Fratribus & Monasterio inde justitiam, tribus edictis, aut uno peremptorio citatus & commonitus, justitiam facere neglexerit, liceat Fratribus ejusdem Monasterii, Rectore vel etiam Judice illius nolente, ex nostra concessione & munimine Privilegii, nulla Lege obstante, easdem ingredi possessiones; ita quod ipsi Fratres

A possessores constituantur, & ille eorum adversarius onere petitoris fungatur, etsi locus sit venerabilis, contra quem talis causa moveatur. Insuper eisdem Fratribus indulgemus, & nostræ sanctionis auctoritate firmamus, ut nulla præscriptio, nisi centum annorum, eis apponatur, & ut ipsi præscriptione quadraginta annorum se ab omnibus tueantur. Quin etiam decernimus, & nostræ benignitatis statuto jubemus, ut nulli Monachi, nec Clerici, nec Laici de eodem Monasterio neque per se, neque per suos Advocatos, cogantur de cetero sacramentum calumniæ in quacumque controversia suis homininibus præstare. Donamus insuper prædictæ Ecclesiæ Abbati, suisque Successoribus ex no-
B stræ clementiæ munificentia de omnibus possessionibus illius Ecclesiæ, districtum ac placitum, & jus nostrum in fodro, albergariis, angariis, parangariis, & ceteris functionibus ad Regalem justitiam pertinentibus. Statuentes & firmissime statuentes, quatenus nulla Civitas, nullum Commune, nulla prorsus persona magna vel parva, Secularis aut Ecclesiastica, præsumat umquam in prædicto Monasterio, aut in ejus Curtibus, aut Castellis, sive in Plebibus aut Cellis, ac Villis, vel hominibus, in bonis ejusdem Ecclesiæ residentibus, fodrum, paratas, collectas, angarias, parangarias, vel ullas publicas functiones aliqua occasione exigere. Hæc autem omnia Imperiali
C auctoritate constituentes, eidem Ecclesiæ inviolate teneri præcipimus, & sub pœna ducentarum auri Librarum prohibemus, ut nullus Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Capitaneus . . . . . Subrector, sed nec Civitas, nec ulla Potestas, nec quisquam omnino mortalium de omnibus supradictis aliquid infringere vel diminuere, aut præfatam Ecclesiam suis possessionibus aut justitiis disvestire, vel super his inquietare, seu aliquatenus molestare præsumat. Sed si quis forte (quod absit) contra hæc tuitionis, confirmationis, institutionis, ac largitionis nostræ præcepta temerarius venire præsumpserit, Imperiali Banno subjaceat, & prædictam pœnam, ducentas scilicet auri Libras,
D persolvat, medietatem Fisco nostro, residuam verò medietatem prædicto Monasterio. Quod ut ratum & inconcussum omni tempore maneat in posterum, præsentis Privilegii paginam fecimus inde conscribi, & majestatis nostræ Sigillo de aurea nostri Imperii Bulla roborari, adhibitis testibus, quorum nomina hæc sunt: Ulricus Aquilejæ, Christianus Maguntinus Archiepiscopus, Cuonradus Wormatiensis Electus, Ortwinus Protonotarius, Rudolfus & Burcardus Notarii & Capellani. Ulricus Tarvisinus Episcopus, Garsindonius Mantuanus Episcopus, Sebastianus Ziani Dux Venetiæ, MARCHIO DE ESTE OPIZO, & Nepos ejus BONIFATIUS, Schinella Comes Tarvisinus, & fra-
E ter suus Manfredus, Wecello de Camino, & filius ejus Gabriel, Ezzelinus de Tarvisio, Taurellus Ferrariensis, Petrus Traversarius, Albertinus de Castello Novo, & alii quamplures. Romanus Monachus egit pro Privilegio

Signum Domni Friderici [monogram] Romanorum Imperatoris invictissimi

Ego Godefridus Cancellarius vice Philippi Coloniensis Archiepiscopi, & Italici Regni Archicancellarii recognovi.

Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCLXXVII. Indictione Decimâ, Regnante Domno Friderico Romanorum Imperatore gloriosissimo, Anno Regni ejus Vigesimo Sexto, Imperii autem Vigesimo Quarto.

Datum apud Venetias in Palatio Ducis, Tertio Nonas Septembris, feliciter. Amen.

Ejusmodi, verò Privilegium & ipsi Romani Pontifices agnovere. Id legas in subsequenti- A bus literis. quas Monachi Benedictini Ferrarienses Sancti Benedicti adservant.

Bulla Benedicti VIII. Papæ, qua Pomposiano Monasterio cuncta Privilegia & jura confirmat, Anno 1022.

Benedictus Episcopus, *servus servorum Dei*, Widoni *venerabili* Abbati Monasterii *Sanctæ Dei Genitricis Mariæ Dominæ nostræ*, siti in Insula, *quæ dicitur* Pomposia, *Successoribusque suis in perpetuum. Quoniam semper sunt concedenda, quæ rationabilibus congruunt desideriis, oportet, ut devotio &c. Igitur quia postulavit tua sanctitas curvatis genibus nostram piam voluntatem, quatenus præfatum Monasterium Sanctæ Dei Genetricis Dominæ nostræ, in Insula Pomposiana situm, Privilegio Apostolico roboraretur*, ne id videlicet alicui hominum, præter Deo, & Regi subjugatum esset: *per illam auctoritatem, quam Christus Dominus noster beato Petro Apostolorum Principi, & sanctæ Ecclesiæ Rectoribus concessit, constituimus & ordinamus*, ut numquam locus ipse aut res ad ipsum pertinentes, præter Deo, & Regi, alicui submitti possint: nullusque mortalium, præter Regiæ potestatis culmen, in præfato Monasterio aut in Cortibus vel in Castellis, sive in Plebibus, aut in Cellis, seu in Villis, aquis, aquarumque decursibus, ripis, pascuis, silvis, piscationibus, paludibus, omnibusque rebus mobilibus & immobilibus ad ipsum pertinentibus, nec non in Servis Dei, aut in famulis utriusque sexus, sive etiam in liberis super terras ejusdem Monasterii residentibus, aliquam ordinationem vel auctoritatem, sive potestatem, aut jurisdictionem tenere, vel conversationem Monachorum impedire seu molestiam inferre præsumat, aut in aliquibus locis ipsius Monasterii districtum habere vel judicare, seu ali- B quod Placitum, absque licentia Abbatis tenere, vel Res Monasterii invadere, aut quovis modo alienare, aut fodrum vel paratas, seu aliquas publicas functiones exigere vel requirere audeat. Et tam a potestate Archiepiscoporum, quam ab omnibus subtrahimus, Regali tantummodo vel Imperiali submissum ditioni vel defensioni. *Nec non & confirmamus vobis Piscariam, quam Volana cum suis pertinentiis habet. Si quis autem, quod minime optamus, inobediens & contemptor hujus nostri Privilegii in toto vel in parte repertus fuerit, vel occasione cujuslibet personæ attentare præsumpserit, nisi resipuerit, maledictionem a Patre & Filio & Spiritu Sancto consequatur, & cum Diabolo ejusque sociis, atrocissimis pœnis, & æterno incendio deputetur, nec resurrectione* C *electorum futura dignus inveniatur, & a communione & Sanctæ Matris Ecclesiæ sinu, & consortio Sanctorum sit alienus.*

Scriptum per manus Stephani primi Scriniarii sanctæ Apostolicæ Sedis, in Mense Julio, & Indictione V. Bene Valete.

Bremetensis Monasterii in Laumellina siti fama pariter vetus, atque illustris est. Eo se recepere Sæculo Christi Decimo Monachi Novalicienses, ac de illo fuit mihi sermo in Antiquitat. Estensibus. Atqui & istud Imperiale fuisse, Diploma tibi indicabit, quod ex Tabulario ejusdem Cœnobii descriptum mecum communicavit excellentissimus Taurinensis Senatus Præses, Comes Ludovicus Caissottus.

Henrici III. Regis & Imperatoris Secundi Diploma, quo confirmat Monasterio Sancti Petri Bremidensis ab Adelberto Marchione ædificato, omnia illius bona & jura, Anno 1048.

